FATHERS LIBRARY,
ST. JOSEPH'S CHURCH,
SAN JOSE, California
ALMA COLLEGE
LIBRARY

P. Oliverii Manaraei S. I.

EXHORTATIONES

SUPER

INSTITUTO ET REGULIS SOC. IESU

QUAS ANTE TRECENTOS AMPLIUS ANNOS
PROVINCIIS GERMANIAE ET BELGII TRADIDIT

NUNC PRIMUM FORAS DATAE
OPERA STUDIOQUE

P. BR. LOSSCHAERT

EIUSDEM SOCIETATIS



VENIT
BRUXELLIS, via regia, 165
[BRUXELLES, RUE ROYALE, 165]

EXCUDEBAT
JULIUS DE MEESTER, Rollarii
[ROULERS, RUE St ALPHONSE, 9 & 11]

1912

6320

IMPRIMI POTEST

2a Februarii 1912

R. P. Aemilius Thibaut, S. I.
Praepositus Provinciae Belgicae.

Oliverius Manaraeus

[Olivier Manare]

Mirum sane cogitanti videbitur praecellentem virum, S. P. N. Ignatii discipulum acceptissimum et ab eo amplis et maxime difficilibus officiis destinatum, qui Rector, Provincialis, Visitator, Vicarius, immo tantum non Generalis Societatis exstitit, qui de Provinciis Franciae, Austriae, Germaniae, maxime tamen Belgicae optime meritus est, ex omnibus praeclaris harum regionum scriptoribus ne unum quidem offendisse qui tot ac tantas res a se gestas enarrare susciperet.

Quia tamen eum, cuius scripta aestimare velimus, aliquatenus cognoscere non solum iuvat sed etiam necesse est, nihil melius ad illud conducturum iudicavimus, quam sequentem epistolam (1), quippe quae Oliverii nostri curriculum vitae luculente describat.

(1) Hanc humanissime nobiscum communicavit P. Alfredus Poncelet, scriptor historiae antiquae provinciae Belgicae, eamque annotationibus illustravit, quas, in gratiam eorum qui Gallice nesciunt, versione latina donavimus.

Reverende in Christo Pater,

Hodierna die, sub horam nonam matutinam, in domesticorum corona, omnibus rite sacramentis munitus vivere desiit Rev. adm. P. Oliverius Manaraeus, communis provinciae utriusque parens et propagator, natus anno 1523, in Societatem admissus 1550, ad professionem quattuor votorum anno 1560.

Gangraena, ex quadrienni cubatione demum exorta, tibiam exedere coepit, moxque vires ita enervavit febri coniuncta, ut bono Patri viaticum sumere et sacro ad extremam luctam oleo inungi probaretur. Utrumque igitur sacramentum maximo animi sensu percepit ; et, licet vix quicquam virium haberet, dum extremo muniretur sacramento, nihilo minus, qua poterat ratione, etiam emortuis vocibus cum astantibus orabat, vim inferens manibus ut caput aperiret.

Gravissimis porro Societatis perfunctus ministeriis, tot luculenta omnis virtutis exempla praebuit, ut exigua epistola contineri nequeant. Suscitabit credo Dominus Deus aliquem, qui de illis ampliorem narrationem habebit. In praesentiarum vero brevem tantum annorum seriem et cursim eius virtutes attingere visum est.

1. 3 *provinciae utriusque.* Provincia Belgica tantum incrementum ceperat, ut eam ao 1612 in duas partes dividi oporteret : unam linguae gallicae, quam Gallo-Belgicam, alteram linguae flandricae, quam Flandro-Belgicam appellarunt.

4 *natus.* Dicit P. d'Oultreman eum natum esse Quincii in Artesia ; probabilius tamen oriundus est Duaco. (Cfr. Sommervogel. *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus.* tom. V. col. 456). Natus est autem 2ª febr. aⁱ 1523.

4 *admissus 1550.* iuxta Sommervogel l. c., 1ª apr. 1550.

5 *ad professionem.* Professionem fecit Romae 3 nov. 1560, vota excipiente P. Laynez, Generali Societatis, simul atque Petrus Ribadeneyra et Ledesma. (Sacchini. *Historiae Soc. Iesu* p. 2, l. IV, n. 24. Romae 1661).

17 *ampliorem narrationem.* Non reperimus P. Manaraei « elogium », neque, quantum quidem sciamus, eius vita descripta est, quamquam in utraque provincia ad eum finem inquisitio acta fuit. (Cfr. Epist. encyclicam P. Caroli Scribani 24 febr. 1615. Mss 3349. f 55 Biblioth. Regiae).

Lovanii audita contione P. Francisci Stradae, ad confessionem instituendam incitatur, quam Patri Fabro, licet aegrotanti fecit. Ea peracta in utriusque contubernium admitti exoptat. Verum propter aetatis immaturitatem, Patris Fabri cohortatione ad philosophiae cursum prosequendum animatur. Anno 1548 Parisios theologiae operam daturus sese confert ; ibi R. P. Everardum Mercurianum reperit, quo directore per triginta circiter dies in exercitiis versatur, atque de vitae statu deliberanti, Deoque supplicanti, ut suam super ea re voluntatem significaret, ex media nocte in lectulo sedenti et oranti insonuit haec vox : « Quid tam diu haeres dubius et anxius ? Hic bene es, hic mane, ubi tu es. » Atque vox eadem cum iterum atque iterum ingeminata esset, ita depulit ab eo omnes mentis tenebras, ut in clarissima veluti luce constitutus se ad Societatem vocari cognosceret. Postea sacris operans, ac Christum Dominum prae manibus tenens, eiusdem ingressum voto confirmavit ; qua in vocatione ita solide corroboratus est, ut ne minimam cogitationem per totam vitam senserit ab hoc proposito alienam.

Romam appellit anno 1551. Excipitur humanissime a B. P. N. Ignatio. Post tres menses probationis hanc adeptus [est] gratiam a Domino, ut quoniam B. P. N. non licebat celebrare (quod cre-

l. 1 *P. Francisci Stradae.* Vid. Orlandini, *Hist. Soc. Iesu* p. 1, l. 4, n. 49. Antverpiae 1620 ; Cfr. *de Rebus Societatis Jesu Commentarius Oliverii Manaraei*, p. 3. Florentiae 1886. In sequentibus hoc opusc. sola voce « *Commentarius* » signabimus.

5 *philosophiae cursum.* Lovanii 30a Mart. 1546 artium magister creatus est. (Cfr. *Analectes* pour servir à l'histoire ecclésiastique de la Belgique. Louvain 1866, t. III, p. 30, 31). Duo iuvenes, quibus nomen Oliverius Mannaert eodem die hunc gradum consecuti sunt ; uterque Duacensis erat et paedagogiae Lilii alumni. Eorum natu maior ex 157 competitoribus locum 78m obtinuit, minor vero 128m. Uter fuerit Pater noster Oliverius quaeritur. Ipse de se dicit : *Fatto il corso en d'arte e ricevuto il magisterio (benche con pocho frutto) in Lovanio.*

6 *operam daturus.* Cfr. *Commentarium*, p. 33, 34.

7 *Mercurianum...* Cfr. *Commentarium*, p. 35, 36.

14 *sacris operans...* Sacerdotio auctus erat 24a april. 1546. (Cfr. *Commentarii* Prooemium).

16 *voto confirmavit.* Annum ipsi ante expectandum fuit, quam in Societatem reciperetur. (Monumenta Histor. Soc. Iesu. Polanco, *Chronicon Soc. Iesu.* t. 2, p. 292).

19 *Romam appellit 1551.* Sic corrige : 1552. Profectus est Romam medio mense februario. Anni porro initium erat Pascha. (Cfr. *Commentarium*, p. 65 ; Orlandini, p. 1. l. 11, n. 47).

19 *a B. P. N. Ignatio.* Cfr. *Commentarium*, p. 115.

bro et fere continenter accidebat ob lacrimarum copiam et morbos fere continuos quibus impediebatur), coram ipso celebraret; quod ad aliquot duravit menses. Deinde ab eodem collegii Romani Rector constitutus est. Roma Lauretum mittitur anno 1554 ad collegium Societatis in eo loco erigendum : post haec, inde Tridentum evocatus a R. P. Generali Layne, a quo mittitur in Galliam commissarius.

l. 3 *duravit menses.* ibidem.

3 *collegii Romani rector.* Post aliquot menses noviciatus, missus est a S. Ignatio, 26ª oct. 1552, in collegium Gubbionense in Ombriam, ut Rhetoricam doceret (Orlandini. p. 1. l. 12, n. 16). Romam revocatus mense sept. 1553, collegio Romano praefectus est, alterius Belgae locum excepturus, nempe P. Bernardi Olivier, qui valetudinis causa in patriam redierat. (Polanco. *Chronicon*, III, p. 32).

4 *Lauretum.* Ad missionem Aethiopicam a S. Ignatio destinatus, iam profecturus erat, cum Iulius III Pp. rogavit ut Patres aliqui collegium inchoaturi Lauretum mitterentur. Mutavit igitur consilium S. Ignatius, et P. Manaraeum rectorem novae fundationis designavit (*Commentarius.* p. 136 ; Orlandini, p. 1. l. 14, n. 24). — In missionibus exoptandis Manaraeus perseveravit ; et quidem aº 1555 rogavit S. Ignatium ut mitteretur ad Turcas. Ille vero respondit : « Et il desiderio de V. R. per andare in Turchia, qualche dì potria metersi in esecutione ; et in questo mezo la preparatione de animo non nocerà niente » (MHS. *Ep. Ignat.* ix, p. 180, 15 iun. 1555). Postea quoque, cum Rhenanam provinciam regeret, missionem Brasiliensem postulavit. — Itaque die 25ª novembris Lauretum profectus, 3ª proximi mensis eo pervenit cum tredecim de Societate quos secum duxerat ; quorum opera et aliorum decem et septem qui his adiuncti sunt, nec non prudenti sua gubernatione collegium ad eximiam prosperitatem perduxit. In eo fertur instituisse Orationem XL Horarum per ferias antequadragesimales, quae caerimonia in primaeva Societate tam popularis facta est. Hoc tamen aliquantum ab ipsa re distat : videlicet aº 1555 Patres Lauretani publica praedicatione et exhortationibus privatis libidines istarum feriarum refrenarunt (Polanco, *Chronicon*, V, pag. 77, 78), et cum quadam die in urbe Macerata comoedia « parum casta » agi pararetur, Oliverius noster ibidem Orationem XL Horarum constituit. (Ibid. p. 81 ; et Cfr. *Commentarium*, p. 155.)

5 *Tridentum.* Tridentum a P. Laynez, quem ibi Concilium morabatur, accersitus, mense aug. 1563 cum eo pervenisset, commissarius provinciae Franciae cooptatus est. (Sacchini, p. 2, l. 7, n. 64 ; MHS. Epist. Nadal. t. II, p. 335, 354 et t. IV, p. 364-378 ; Fouqueray, *Histoire de la Compagnie de Jésus en France*, t. I, p. 318 sqq.) Cum ad locum officii se conferret, iter fecit per Belgium, et Lovanium, Tornacum, Cameracum Duacumque invisit. (Epist. Nadal. t. II, p. 453, 454.) Cum demum aº 1564 Francia in duas provincias, Franciam et Aquitaniam, divisa esset, creatus est Provincialis Franciae (Sacchini, p. 2, l. 8, n. 75 ; Fouqueray, l. c. p, 363 ; *Commentarius*, p. 89 sqq.).

Parisios appulsus anno 1563, ibi de instituendo collegio serio agit. Inde in alteram Germaniae provinciam commissarius etiam et Provincialis venit. Post haec Romam revocatur, ibique assistens et admonitor R. P. Everardi Mercuriani a Congregatione Generali eligitur ; quo mortuo Vicarius Generalis constitutus,

l. 1 *de instituendo collegio.* Provinciam regente Manaraeo Parisiorum Iesuitae relicta domo Claramontensi (Hôtel de Clermont), in aedes latas et commode sitas Curiae Lingonensis (Cour de Langres) sese contulerunt, collegiumque ad erudiendam iuventutem inchoarunt. Cuius rei causa diu Provinciali cum Universitate confligendum fuit ; sed opera sua, labore et accessionibus ad regis Consilium (le Parlement), ad regis matrem et ad ipsum regem Carolum IX ut litem obtineret assecutus est. (Cfr. SACCHINI, p. 2, l. 8, n. 89-91, et p. 3, l. 1, n. 18-20 ; FOUQUERAY, l. c., p. 363-413.) Ex his cum Universitate controversiis factum est ut impediretur quominus 2ae Congregationi generali, in qua electu est Franciscus Borgia, assisteret (20 iun. 1565).

Anno 1567 iis adiumento fuit qui Calvinistas Franciae prohibuerunt ne regem apud Meldas apprehenderent, et Parisios occuparent. (Cfr. *Commentarium*, p. 102-104, et FOUQUERAY, l. c. p. 617-619.)

2 *in alteram Germaniae provinciam*, Errat hic epistola. Ea enim tempestate non fuit Manaraeus commissarius et Provincialis alterutrius provinciae Germaniae. Mense aprili ai 1567, cum erat Provincialis Franciae, ivit Augustam Treverorum, ubi P. Nadalem conveniret, et de fundando collegio Verodunensi atque de rebus Franciae collequerentur. (MHS. Epist. NADAL. III. p. 454.) Mense iulio ai 1571 officium mutaverat et collegii Parisiensis rector factus erat.

Post caedem Protestantium, quam Gallice vocant « la Saint-Barthélemy », mandatum accepit a Regina Matre aulicorum mores corrigendi, pluraque cum Principe Condaeo et rege Navarrensi, postea Henrico IV, colloquia miscuit. (Cfr. *Commentarium*, p. 104-106 ; SACCHINI, p. 3, l. 3, n. 153 ; FOUQUERAY, l. c. p. 652 sq.)

3 *Romam revocatur.* Eum provincia Franciae ad 3m Congregationem generalem legatum misit (12 apr. — 16 iun. 1573).

5 *Vicarius generalis.* Defuncto P. Mercuriano (1 aug. 1850), vicarius generalis a 26 professis Romae tunc degentibus electus est (5 aug.) et 4am Congregationem generalem in 6m febr. 1581 convocavit.

In ea « ambitus » insimulatus est, quamquam criminatio causis ridiculis nitebatur. Iudices ipsum quidem non damnarunt, non plene tamen crimine purgarunt. Hoc difficili tempore Manaraeus magna cum dignitate se gessit : innocentem se testatus est, sed pacis conciliandae gratia, omne ius suffragii se relinquere declaravit ; qua renuntiatione accepta, congregatio ipsi vicariatum prorogavit, ut electioni praeesset, cum voce quidem activa, non tamen passiva. Electus est P. Aquaviva. Tum Gregorius Pp. XIII totius causae libellos expostulavit, sententiam rescidit et Manaraei innocentiam aperte declaravit : « Oliverium mihi virum plane bonum videri, istos vero patres ultra quam Constitutiones permitterent longe progressos. » (Cfr. SACCHINI, p. 5, l. 1, n. 8-11 ; 16-24 ; 37-48).

Congregationem ad novi Generalis electionem indicit. Ea peracta et R. P. N. Claudio in Generalem assumpto, anno 1581 Visitator Austriae, Germaniae Superioris et Belgii declaratur. Anno 1583 in Belgium venit. Hic vero, Deus bone ! quanta biennii spatio in Societatis utilitatem prudenter excogitavit et feliciter perfecit ! Plurima a Serenissimo Principe Parmensi, apud quem maxima erat auctoritate impetravit, sine quibus, ob rei familiaris angustias, solum vertere compulsi fuissemus. Seminaria theologiae tum scholasticae, tum moralis et domum probationis instituit, prudentissimisque ordinationibus stabilivit. Cum autem praeclara eius in gubernando industria Belgii limitibus contineri non posset, provinciam Rheni ut visitator et provincialis per triennium administrat. Inde anno 1588 provincialis in Belgium redit, sexque omnino annos eo perfungitur munere. Anno 1593 ad Congregationem

l. 2 *visitator Austriae.* Primum visitavit Germaniam superiorem (1581-1582) ; dein Austriam (1582-1583). Advenit Tornacum mense nov. 1583. (Cfr. Duhr, *Geschichte der Jesuiten in den Ländern deutscher Zunge*, t. 1, p. 597-598).

4 *biennii spatio.* Visitatio ad mensem aug. 1585 tenuit, post quam res omnes Provinciae Belgicae miro modo procedere coeperunt. Alexandri Farnesii, ducis Parmensis, et provinciarum belgicarum gubernatoris generalis interventu, haud parum Manaraeus contulit ut Societas aequius et benignius ab Hispaniarum rege haberetur : exceptiones et contentiones decreti admissionis a[i] 1556 supprimebantur, ius immobilia possidendi extendebatur. Plures domos Manaraeus fundavit, prospiciensque in futurum uni cuique satis spatii et areae constituit, ut collegia et templa aedificari possent. Noviciatum (Tornaci) domosque studiorum (Lovanii, Duaci, S. Audomari) reformavit, fuitque vere Societatis in Belgio parens ac propagator.

12 *ut visitator.* Cum P. Franciscum Costerum Belgii Provincialem constituisset, ipse ad visitandam provinciam Rhenensem (aug. 1585) profectus est, neque eo minus inde Belgio consuluit. (Cfr. Duhr, l. c., p. 598 sq.).

12 *et provincialis.* R. P. Generalis eum 7[a] febr. 1587 provincialem creavit.

13 *1588 provincialis in Belgium.* Mensis febr. a 1589 decursu in Belgium pervenit, rexitque provinciam usque ad 22[m] iun. 1594. Interea missionem Hollandiae (1592) constituit, « missionem castrensem » auxit eique regulas dedit, S. Audomari seminarium anglicanum fundavit (1593), rationem studiorum ad effectum adduxit (1592), plura collegia fundavit, exsistentia stabilivit.

14 *ad Congregationem generalem* Videlicet ad 5[m] congreg. gen. (3 nov. 1593 ad 18[m] ian. 1594), iussu Clementis VIII coactam.

In ea unus ex octo definitoribus pro celeri negotiorum expeditione electus est. (Cfr. Decret. 40[m] Congreg. V[ae]).

Cum a congreg. gen. rediisset, Provincialis muneris officium excepit P. Georgius Duras (22 iun. 1594), ipse vero nihilo minus negotia provinciae curavit ;

Generalem proficiscitur, ubi maximam a primoribus illis Societatis universae viris conceptam de se opinionem superavit. Anno 1597 Vice-provincialis in Belgio et anno 1603 Visitator secundum constituitur. Anno 1607 Vice-provincialis denuo creatur. Tandem plenus dierum, ut commodius vitae reliquum in iugi cum Deo familiaritate traduceret, omnibus exutus curis, anno 1609 Tornacum in probationis domum se recipit, ubi quantas in demenso vitae spatio virtutes collegisset, plurimis compertum est argumentis.

Ut enim a devotione exordiar, eam sat testabatur copiosa lacrimarum ex animi teneritudine prorumpens profusio, quotiens venerabili sacramento reficiebatur. Item sermones divina spirantes ; illius cotidiana haec erat occupatio, ut diem totum tum rosariis

namque Generalis, quem rogaverat ut ne consultor provinciae maneret, illud quidem concessit, verum mandavit P. Provinciali : « de cetero ubi levatus hac cura fuerit P. Oliverius, non omittat R. V. eum in rebus gravioribus consulere, « *non iam ut consultorem ordinarium, sed ut communem provinciae patrem eiusque rerum expertissimum* ». (Epist. Generalis ad P. Duras, 26 nov. 1594.) Porro degebat Bruxellis, scribitque de eo P. Costerus (19 dec. 1594) : « R. P. Oliverius Manaraeus nobiscum versatur, sicut angelus Dei omnibus carus et venerandus ».

l. 2 *anno 1597 vice-provincialis.* Cum vita functo P. Tirio assistens Germaniae P. Georgius Duras nominatus esset (Epist. Generalis ad P. Manaraeum 22 mart. 1597), fuit P. Oliverius vice-provincialis, usque dum P. Bernardus Oliverius provincialatum iniit (20 iul. 1598).

Anno 1598, cum Petrus Panne principis Arausiensis caput oppugnasset, Calvinistae Hollandiae conati sunt persuadere sicarium pretio emptum fuisse a P. Manaraeo ; quae falsa criminatio fidem aliquamdiu habuit ; quare Patres Fr. Costerus et Aegidius Schondonck scripto Societatem ab isto crimine defenderunt. Porro tota res sermonibus in Gallia percelebrata est, adeo ut Nostri ex tota Aquitania vix non expellerentur. (Cfr. *Commentarium*, p. 194. 195).

3 *1603 visitator.* P. Generalis suam ipsi nominationem annuntiat, litteris datis 19 iulii 1602.

4 *1607 vice-provincialis*, scilicet cum 6ª congreg. gen. (21 febr. 1608 — 29 mart). « ex sententia patrum procuratorum » coacta erat ; tum enim locum tenuit Pis Provinc. Franc. de Fléron, qui ad congregationem profectus erat. (Litterae Generalis datae erant 20ª oct. 1607).

7 *se recipit.* Aetate provectus, Bruxellas tamen, ut festis beatificationis S. Ignatii assisteret, se contulit, statuamque sancti cum duobus aliis, Franc. Costero et Eleuth. de Ponte, qui B. Patris nostri familiaritate usi erant, gestare exoptavit. Quartus vero huius aetatis superstes, Henricus Sommalius morbo prohibitus erat. (Narratio eorum quae gesta sunt Bruxellis in festo beatificationis P. N. Ignatii aº 1610, pridie Kal. aug. Ms. archetypum ex archivio coll. Bruxellensis).

recitandis, tum piis precibus fundendis traduceret, animumque aut sacrae scripturae aut piae historiae lectione oblectaret. Eius pariter in Deum pietatis aut potius confidentiae filialis illud non vulgare argumentum, quod libere profiteretur se nequaquam infernorum poenas reformidare : sic Spiritus sanctus testimonium reddebat spiritui illius, quod esset filius Dei.

Humilitas eius enitebat et simul affabilitas dum cum noviciis sermones, maxima conditos humanitate, familiarissime miscebat. Huc facit quod nullum pateretur ne quidem novicium coram se aperto capite consistere. Item quod in familiari colloquio saepenumero se miserum hominem et peccatorem nominaret. Patientiam magnam probavit longa quattuor fere annorum perpetua cubatione, sine querela, vultu semper hilari, ea aetate nihil morosum prae se ferens, semper benigne gravis.

Oboedientiam infracto disciplinae studio et profundissima erga superiores submissione abunde commonstravit, quorum auctoritatem semper suspexit ; novicios identidem commonens ut si virtutis via secure progredi cuperent, toti a superiorum voluntate penderent.

Quanta prudentia in eo reluxerit experta est Gallia, Germania, Belgium in praecipuis adversus Societatem exortis difficultatibus sopiendis. Singulari siquidem gratia pollebat ut Societatis bonum nomen apud principes et praelatos conservaret, quos semper, ut par erat, magna benevolentia et observatione est complexus. Unde mirum videri non debet, si semper magnatibus pergratus exstiterit.

Manifeste sane paternum suum in bonum patrem affectum declaravit Sua Sanctitas. Nam cum scriptis ad R. P. N. litteris postulasset obnixe sibi ab ea benedictionem impetrari, annuit perlibenter et perliberaliter SS^us^ Pater, adiecta insuper plenaria indulgentia ei in articulo mortis applicanda. Eundem R^s^. P. N. singulari affectu pro illius in Societatem universam meritis semper

29 *Benedictio Apostolica.* « Pater Noster de Patre Oliverio Manaraeo cum SS° D° N° hoc tempore egit, qui libenter de eo audivit, et misit illi Indulgentiam plenariam pro articulo mortis ». (Responsum P. Generalis ad Rectorem Tornacensem, 18 oct. 1610. Archiv. Reg. Fl. Belg.)

est prosecutus, quem litteris variis ad eum missis declaravit.

Amorem vero erga Institutum Societatis satis testantur tum insignes ordinationes, tum exhortationes, quas de Societatis instituto scriptas reliquit, nec non diligentia in annotandis iis quae ad Societatis commendationem ab eiusdem alumnis variis mundi partibus praeclare gesta cognovit. Id ipsum testatur tractatus « de Societatis Apostatis » ab eodem conscriptus.

Denique ut verbo reliquas eius virtutes complectar, talem se praebuit qualem R. P. N. Ignatius futurum speravit, et pii illius parentes, utpote quem ante quam nasceretur, Deo consecrarunt. Nullus itaque mirabitur, maximum sui apud nos desiderium reliquisse illum, a quo tam praeclara virtutum documenta hauriebamus, atque, ut finem faciam, hodie vitam placidissime conclusit, ut confidere omnino possimus, eius animam ad aeternae beatitudinis locum pervenisse. Ut tamen spes ista certior sit, dignabitur R. V.

l. 1 *litteris missis.* Et quidem 26 aug. 1612 bonam ei valetudinem votis expetebat, haec addens : « Scio quantopere vel solum R. V. superstitis nomen Societati gratum sit cui tanto tempore tam utilem et insignem operam cum divina gratia navavit et quam etiamnum navare potest ». (Ep. Gener. ad Gall. Belg.). Iterum illi litteras misit 27 oct. 1612 et propria manu addebat : « P. dilectissime, se V. R. si ricordera di scrivermi qualche volta, e molto piu se mi darà qualche ricordo per glorificare piu Dio N. S. et esser non indigno figlio del N. B. P. sappià che mi sarà di somma consolatione ». (Ibidem).

Item 16 mart. 1613 ; item 18 ian. 1614 de processu causae canonizationis S. Ignatii eum docebat, optabatque ut eius quam in votis habebat, adhuc testis P. Manaraeus exsisteret. — Item 22ª mart. ; item 28 iun. eiusdem anni.

3 *ordinationes.* Vide Sommervogel. col. 457. n. 2 et D.

6 *gesta...* » » » 457. n. 3, 4 A-C.

7 *Apostatis.* Probabiliter opus ineditum quod indicat Sommervogel in *Supplemento.* tom. IX. col. 632 H : « Brevis eorum qui vocationis gratiam de Societate neglexerunt narratio ; ab Oliverio Manaraeo fideliter collata pro posteritatis aedificatione et cautione ».

10 *Deo consecrarunt.* Cfr. *Commentarium.* p. 33 fin.

pro eius anima suis solita Societatis nostrae suffragia indicere, cuius precibus et SS. Sacrificiis me ex animo commendo.

Tornaci, e domo probationis 28 novembris 1614.

R. V.

Servus in Christo
Aegidius Chisaire.

R^do Patri in Christo P. Iacobo de Codt,
rect. coll. Soc. Iesu
Sylvaeducis.

Regiae bibliothecae Belgicae Mss. 3349. f° 51-52.

. 6 *Aegidius Chisaire,* Montensis, natus 3 nov. 1575, ingressus 28 nov. 1594, professus 3 sept. 1613, obiit Duaci 6 nov. 1629. Rector erat noviciatus.

7 Iacobus De Codt, Yprensis, natus 29 iul. 1572, ingressus 19 sept. 1592, sacerdotio auctus 29 mart. 1603, professus 10 oct. 1610, obiit Brugis 3 dec. 1621.

Codices

1. Duo sunt codices Regiae Bibliothecae Belgicae, quae Oliverii Manaraei Exhortationes continent, scilicet n° 3367-3368 et 3365.

Priorem designabimus littera A, littera B alterum.

2. Uterque chartaceus est, tegumento membranaceo munitus ; mensura prioris 30 1/2 × 21, alterius 30 1/2 × 19 1/2. Uterque ad calcem sigillo « Bibliothèque de Bourgogne » signatur.

Codex A constat foliolis 277 a Bibliothecae administro colore rubro notatis ; dum in Codice B numerantur foliola 408 notata atramento.

3. In fronte **Codicis A**, e regione tegumenti, inscribitur « *Initium Sapientiae timor Domini.* »

Continet autem primo loco Exhortationem de Visitandi officio, operis inscriptionem et P. Lessii de opere iudicium. Secundo loco, duos Exhortationum libros, quorum prior circa Institutum, alter circa Regulas versatur. Tertio loco succedit Appendix, tum Index analyticus, denique Index alphabeticus rerum praecipuarum.

Procul dubio deest una Exhortatio ante Appendicem, seu post 40am, quae est secundi libri ultima. Etenim scriptor librarius omnes suis numeris paginas 1i libri, a pag. 1 ad 244, atramento signavit ; similiter libri 2i a pag. 1 ad 197m ; huic vero paginae succedunt quinque vacuae. Atqui in Indice alphabetico, primus articulus sub littera H sic inscribitur : « *Habitus bonos comparandi ratio, 198. L. 2 ;* secundus : *Habitus boni qua ratione perdantur, Ibidem,* i. e. 1a pagina ex quinque vacuis. Praeterea exstat in eodem Indice alius articulus : *De Unione cum Deo philosophorum veterum praeclarae sententiae* ; hic ergo articulus, initium huius Exhortationis, scribi coeptus erat in ima pagina 197, uti refertur in laudato Indice. Unde liquet revera deesse unam Exhortationem, cui, sicut aliis, quinque paginae satis fuissent.

Totus Codex A ab eodem amanuensi conscriptus est usque ad Appendicem. Haec autem duos scriptores habuit : fueritne tertius, non liquet.

4. Codex B. eadem eodem ordine continet atque Codex A. si excipias quae sequuntur.

1° Inscriptio operis legitur pag. 1a, et iudicium Lessii 2a ; utrumque ante Exhortationem de Visitandi officio. Sequuntur tres pag. vacuae, tum incipit Exhortatio prima.

2° Non paginae, sed foliola, etiam vacua, suis numeris signantur, iique serie continua usque ad 408.

3° Finem Exhortis. 45ae secundi libri, usque ad ultimam partem 48ae omisit.

4° Neutrum Indicem assumpsit.

Multos habuit scriptores. quorum non nulli vix aliquas lineas exararunt.

5. Iuvat notare utramque operis partem constare 50 exhortationibus, si Epistola finalis inter eas annumeretur.

6. **Ordo scribendi.** Iam interest ut inquiramus quo ordine codex uterque scriptus fuerit, ut innotescat cur prae codice B codicem A rettulerimus ; seu, quod in idem recidit, quare codicem A primarium, B vero secundarium esse iudicemus.

Primo igitur loco scriptus est Codex A, qui mox ab ipso Oliverio nostro emendatus est (1). Etenim in locis emendatis *primam* scriptionem non habet Codex B, sed solam correctionem ; in reliquis, ubi nulla emendatio, fideliter omnia refert, vocesque fere integras scripsit, non per *notas*, ut A.

Emendatione facta, exscriptus est Codex A, et Codex B missus est Tornacum, in domum probationis. Hoc vero Tornaci accepto, scriptor alteram emendationem codicis A aggressus est. Etenim quod prima vice non erat emendatum, reperitur in B, minime vero haec nova correctio, ut ex prima serie annotationum infra paginas subiectarum patet.

Ergo, etiamsi in Codice B nulla exhortatio omissa esset, uti supra notavimus, nihilo minus constaret Codicem A esse primarium.

7. **In margine** paginarum utriusque codicis, notantur loci cum Scripturae sacrae, tum Patrum et scriptorum Ecclesiasticorum.

Biblia sacra qua scriptor usus est, non erat distincta versibus ; hos utique adiecimus. Textus vero Scripturae non raro aliquantum mutatur, sive quod ad ordinem verborum, sive quod ad ipsa verba ; quare textum genuinum, ubi fieri poterat, restituimus, eumque typis *italicis* signavimus : sunt enim sua Vulgatae iura.

Quod ad Patres aliosque scriptores attinet, indicia multo minus accurata sunt, — quod tunc temporis vitio non dabatur — ita ut oportuerit omnes locos inquirere, ac si nullum indicium in Mss. exstaret. Plerosque reperire nobis contigit, paucos, si molem spectes, non offendimus ; qui excuso iam folio occurrerunt, inter *Addenda* positi sunt.

Porro aliquos huc usque latere ne mireris ; cum enim scriptor non raro ex memoria alios citaverit, factum est aliquando ut quod unius est, alteri ascripserit ; sic deinde loci saepissime indicantur : « Augustinus, de Civitate Dei ; Gregorius, in Moralibus »... aut brevius : « ut dicit Augustinus... », aut simpliciter : « Augustinus, Hieronymus... » etc. Ubi vero paulo accuratius designantur, frustra plerumque eos loco signato quaesivimus, cum nesciamus quibus editionibus Oliverius eiusque amanuensis usi sint, et praeterea, quod omnes norunt, Sermones, Homiliae, Epistolae, etc. non ubique eundem ordinem obtineant.

Excipiendus tamen est D. Ephraem ; nam certo editionem Vaticanam versionis Vossii prae manibus habuerunt. Exstabant enim duo tomi a° 1593, — tertius prodiit tantum a° 1608 — et praeter hanc versionem alia erat nulla. Hunc Oliverius noster praecipuo quodam amore citat : erat enim audientibus « auctor novus » ; nihilo minus raro ipsum refert ad verbum.

(1) Quod propria manu correctiones scripserit, patet ex comparatione scripturae cuiusdam epistolae ad P. Generalem cum Exhortationis 9ae lib. 2i immutato exordio, huius voluminis nota 3a pag. 432. 433. Haec enim epistola, photographice efficta, nobiscum humanissime communicata est a P. Alfr. Poncelet.

Quod autem Mss. interdum eandem versionem proferant atque Keerbergius (Chrysostomi, a° 1614), et Cl. Sonnius (Basilii, a° 1638), nil mirandum : hi enim alias imitati sunt editiones, in quibus eadem, etiam mendosa, reperiri contigerit.

8. Quidquid id est, ad commoditatem lectorum, omnes quos ubivis invenimus locos, — idque, fatemur, non fuit exiguus labor — ad editionem Mignensem, utpote magis usitatam, rettulimus, ita tamen ut qui aliam habeant, ipsos facili negotio reperiant.

9. N. B. In annotationibus, PL, PG indicant Patrologiam Latinam et Graecam. Numerus subsequens *tomum* alterutrius.

Insuper : *in.*, *m.*, *extr.* significant *initium*, *medium*, *finem* (littera f saepe in editionibus est intramarginalis) ; *a*, *p*, *c*, quae ista haud raro praecedunt, legantur *ante*, *post*, *circiter*.

DE OFFICIO VISITANDI

EXHORTATIO

In hoc primo congressu (1), Patres et Fratres carissimi, curabo vobis legi litteras patentes R. P. N. Generalis, quibus mihi imponit visitandi hanc provinciam officium, ut omnibus constet quibus facultatibus, quave auctoritate instituenda visitatio nitatur ; nam nisi id constet, meae actiones merito suum non habebunt apud vos pondus et momentum, et ab aliquo dici posset : in qua potestate haec facis ? Dabo ergo legendas modo istas litteras, quia vestrum collegium, ut maximum est provinciae, a me merito id postulat, et per vos singula alia collegia de facultate visitandi intellegent (2).

1. Iam ex lectione litterarum intellegitis, fratres carissimi, quae voluntas sit Patris nostri, nimirum ut singula loca provinciae ego visitem eadem auctoritate qua si Pater ipse adesset. Finis autem visitationis quem Societas sibi praestituit est videre quomodo omnes se habeant in utroque homine, et ut omnes re ipsa intellegant affectum vere paternum Patris nostri erga se et universam provinciam, quam quidem multo libentius per se quam per alium visitaret, si negotia, quae habet in Urbe plurima atque gravissima, paterentur. Demum intentio est ut omnes ad renovationem spiritus et ad perfectam in caritate unionem inter se et cum capite universae Societatis invitentur.

Ad hunc igitur scopum debebitis, fratres carissimi, singuli vestros animos mecum parare ; nam quo maior erit membrorum huius corporis unio et concordia, tanto fructuosius munia quique nostra obibimus ; et quo maior erit membrorum cum capite coniunctio et unio, tanto virtus bene operandi erit efficacior. Praepositus enim Generalis caput est et fons a quo dimanant omnes gratiae et facultates a Sede Apostolica Societati

(1) Haec praevia Exhortatio ad ipsum opus non pertinet. Cfr. SOMMERVOGEL, *Bibliothèque de la Compagnie de Jésus*, t. 5, col. 456-459. (2) His dictis, recitantur litterae patentes.

concessa ; dimanant, inquam, ad nos, ad bene serviendum Deo et Ecclesiae iuxta instituti rationem.

Quod cum ita sit, studiosissime curare debemus ut perfecte uniamur cum nostro capite, a quo omnes sensus et motus ad omnia membra profluunt, ad bene praestandum ministerium sibi impositum : non ex peregrino aliquo spiritu et agendi modo, sed ex genuino spiritu et sensu instituti. Divus Paulus monet ut memores simus spiritum non a nobis sed a Deo cum gratia accepisse : *Non,* inquit (1), *tu radicem portas, sed radix te,* et palmes qui non sugit spiritum seu humorem ex vite, licet extrinsecus imbribus madefiat, non facit fructum sed sensim arescit. Et unde, quaeso, hic tam pulcher ordo, haec honestas, haec modestia ? hic honoris et salutis proximi zelus, hoc disciplinae studium, haec puritas, haec prudentia et discretio, quam omnes in Societate ut caelestem et divinam admirantur, proficiscitur ? nonne ex Deo et gratia quam Deus dedit initio B. P. N. et in ipso universae Societati ?

2. Neque reputare debent aliqui hoc ministerium seu officium visitandi esse recens et novum aliquod inventum. Est, fratres mei, in Ecclesia iam a principio usu receptum, et Christi vicarius solitus semper fuit mittere suos Nuntios Apostolicos, vel Legatos, ad diversas provincias, ut per eos cognosceret de statu Ecclesiarum particularium, ac disciplinam ecclesiasticam, si forte aliquid passa esset detrimenti, melius disponerent. Et quidem hoc tempore nuntios plerosque missos a Pontifice in hunc finem ad varia regna et provincias videmus ; et [a] Paulus cum Barnaba dum Antiochiae docerent et evangelizarent, deliberaverunt inter se (2) de visitandis Ecclesiis : *Revertentes,* inquit Paulus, *visitemus fratres per universas civitates in quibus praedicavimus verbum Domini, quomodo se habeant,* et cum Paulus Barnabam obtinere nequiret alibi occupatum, assumpto Sila profectus est, traditus gratiae Dei a fratribus. Perambulabat autem Syriam et Ciliciam confirmans ecclesias, praecipiens custodire praecepta Apostolorum et seniorum. His paucis verbis cognoscere licet quod sit officium visitatoris, ut nimirum visitet fratres, quomodo se habeant corpore et spiritu, et eos iuvet quibus possit mediis et rationibus. Item ut videat quomodo serventur praecepta Domini et Ecclesiae, constitutiones et traditiones seniorum et patrum nostrorum.

3. Ut vero magis uniamur cum capite nostro et cum radice Societatis, conicere oculos debemus, fratres, in exemplar quod nobis Dominus in

(a) *quidem.* add. B.

(1) Rom. 11, 18. (2) Act. 15, 36.

monte proposuit, in egregias illas, inquam, virtutes quae in capite Societatis elucent. Quod paucis iam demonstrabimus.

In eo in primis elucet maxime summa virtutum pietas,quae visa est mihi semper ipsi ingenita, et a Deo insita ; nam adhuc puellulus (ut mihi rettulit Dominus abbas Montanus qui a primis annis eius curam habuit), cum vix tertium annum excessisset, semel a nutrice sollicite quaesitus et vocatus non compareret [a], tandem inventus est pone lectum intra cortinas, flexis genibus et complicatis manibus nudo capite orare.

Puritas in ipso visa est semper angelica, ut loquuntur constitutiones de castitate quam in suis alumnis institutum nostrum postulat ; nam idem abbas mihi rettulit, quando electus fuit Generalis, quod numquam in tota vita, neque ab ipso, neque ab alio notatus fuerit aliquo vitio quo castitas laesa videretur, licet inter adulescentes non satis interdum compositos ageret ; sed rationem semper habuit praecipuam, in sua conversatione, suarum actionum, sermonum, gestuum atque motuum, quo huius virtutis nitor servaretur.

Paupertatis studium tale in eo fuit, ut in Societate omnia quae penes ipsum fuerunt, praecipue vestes, semper spiraverint religiosam tenuitatem et simplicitatem ; nam extra Societatem, praecipue in palatio summi Pontificis Pii V, cuius agebat cubicularium primarium, se accommodare debuit aliis collegis et decentem servare splendorem, ut qui erat filius ducis primarii in regno Neapolitano, et antiquissimae nobilitatis. In Societatem ingressus, statim cum mantica in umeris mortificationis ergo mendicatum ivit per Urbem, atque in ipso summi Pontificis palatio.

Quarto de oboedientia erga superiores hoc mihi constat quod propter eam fuerit P. N. Everardo longe carissimus, qui quasi praescius rei venturae, paucis annis decurrentibus variis officiis eum exercuit et ad summam praefecturam paravit. In primis imposuit illi ut cursum Philosophiae doceret in ipsa Urbe post decursum Theologiae studium, deinde constituit eum Rectorem in seminario Pontificio, unde duobus circiter annis exactis ad Praefecturam collegii Neapolitani evocavit, ac demum Provinciae Romanae praefecit, ut illum magis ad manum haberet.

Quinto, comitas morum et mansuetudo eius verba et conversationem ita condiunt ut omnes ad ipsum amandum et suspiciendum alliciant. Neque porro humilitatem eruditionis varietas et egregia doctrina ulla elatione hactenus obscuravit, sicuti nec auctoritatis amplitudo ; sed iuxta Sapientis consilium (1), quo maior est, hoc magis se humiliat, ut diceres unum

(a) *comparebat.* B. Sic habebat A ; sed mutatum est, quasi antecederet «..., et semel a nutrice... ». Scribi licuit : « nam adhuc puellulus (...), vix enim tertium annum excesserat, cum semel... non compareret, tandem... »

(1) Cfr. Eccli. 3, 10.

esse de plebe et de minimorum sacerdotum numero. Nam licet Latine, Graece et Hebraïce apprime doctus sit, humilitatis tamen pallio graeca et hebraïca ita novit contegere, ut ea callere vix agnoscas ; ut ignis tamen inclusus nulla vi coerceri potest quin tandem erumpat, sic caritatis ignis ex abundantia cordis — quando usus venit — aliquas scintillas, per pulchras quasdam [a] sententias quas profert, hebraicae et graecae linguae [b] proprietates aliquando [c] exprimit.

4. Non satis vero est, fratres carissimi, ut exemplum tam luculentum habeamus nobis propositum, sed, quod pernecessarium est, ad ipsius normam et exemplar vitam nostram instituamus, et egregias eius virtutes imitemur. Sed quam praecipue et summam virtutum et primariam diximus superius esse pietatem, hanc ergo et devotionem et cum Deo unionem, quam semper prae se tulit et habuit maximam, colere nos decet ; de qua, cum non ignorem aliquot de vobis avere aliquid penitius cognoscere, dico :

Unionem esse duarum rerum inter se coniunctionem — quod certum est. Fit autem ista coniunctio cum Deo duobus modis : 1°) per gratiam in hac vita, 2°) per gloriam in futura. Per gratiam ergo coniungimur Deo et consortes fimus divinae eius naturae, ac quodam modo deificamur et Deo similes reddimur, non quod anima fiat Deus — esset enim nimia blasphemia id dicere, — sed sicut ferrum quantumcumque candens et ignitum semper ferrum est et ferrum dicitur, sic anima, quantacumque gratia abundet in ea, numquam tamen anima esse desinit. Quod vero anima unita per gratiam divina sit effecta patet ex epistola ad Ephesios (1) : « *Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis* » et Joann. (2) : *Ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Et Psalm. (3) : *Mihi adhaerere Deo bonum est.* Ut vero anima uniatur, non est necessarium ut extra se exeat neque ut Deus de caelo descendat ad eam, sed affectu res transigitur ; non enim passibus corporis, sed animi, anima movetur, id est piis affectibus, desideriis et suspiriis.

5. Devotio est conformatio propriae voluntatis cum divina, et dicitur a devovendo se, quasi se totum det actioni illi et motui in Deum interiori : nam apud ethnicos et Romanos devoti dicebantur qui se totos et vitam suam saluti rei publicae devoverant. Ex hac devotione seu dedicatione duo nascuntur, electio et actio. Electio fit quando optio datur in re indifferenti arbitrio alicuius relicta, et eligitur ea pars quam credimus fore ad

(a) *perpulchras aliquas.* B. (b) *hebr. et li. gr.* A. (c) *interdum.* B.

(1) Ephes. 4, 6. (2) Ioann. 17, 22. (3) Ps. 72, 28.

maiorem Dei gloriam. Ex electione vero sequitur actio, quae tanto gratior est Deo quanto meliore et alacriore modo fit. Accidit enim interdum ut meliora eligamus, verum electionem languide exsequamur.

Unde procedit devotio ? A Deo, a quo omne donum bonum et perfectum ; ex parte etiam a nobis. Trahit enim nos Deus sicut nauta navem, quam dum vult esse loco tuto et ibi quiescere, funem anulo applicat et innectit ; deinde trahit paulatim, et sic tracta navis ad murum civitatis accedit : sic nos tracti a Deo accedimus per affectum amoris, gaudii interni, spei et fiduciae ad ipsum, in quo omnes thesauri sapientiae et omnis boni sunt repositi.

Sed iterum peto, in lacrimisne consistit devotio ? Respondeo quod non ; nec sunt lacrimae verum semper indicium animae coniunctae cum Deo, cum videamus saepe parentes, quando filii sui abeunt vel redeunt, illacrimari. Nec etiam in gustu rerum spiritualium consistit, licet sit appetendus et minime contemni debeat, sed humiliter a Deo peti. Nec consistit in revelationibus aut visionibus, quia saepe a daemone immittuntur, qui in angelum lucis se transfigurat [a] ; sed consistit in conformatione propriae voluntatis cum divina, et in prompta alacrique exsecutione eiusdem voluntatis. Constat ergo hanc devotionem non a nobis provenire, sed a peculiari gratia Dei ; ex parte tamen nostra etiam accedere debet ut disponamus nos ad orandum convenientibus mediis, ut praeparatio sit bona. Dicitur enim (1) : *Ante orationem praepara animam tuam ;* et qui melius se comparat, uberiores ex oratione fructus referre solet, quem ad modum qui ad fontem accedunt, accipiunt quique de fonte iuxta dispositionem et capacitatem amphorae, ut, qui maiorem attulit, plus aquae referat, et contra. Quod nobis concedat Dominus omnipotens Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

(a) *conformat.* B.

(1) Eccli. 18, 23.

OPERIS INSCRIPTIO

Exhortationes quaedam R. P. Oliverii Manaraei tum ex propriis tum ex aliorum commentationibus contextae, quarum praecipue argumentum circa ea quae instituti nostrae Societatis sunt versatur, inter visitandum variis in collegiis Germaniae et Belgii habitae (1).

LESSII IUDICIUM

Exhortationes istae R. P. Oliverii Manaraei solidam doctrinam et spiritui Societatis accommodatam continent, ex D. Thoma et D. Antonino potissimum collectam ; unde nostris congruentem et copiosam materiam exhortationibus domesticis faciendis suppeditare possunt et a Praefectis rerum spiritualium utilissime legi.

Leonardus Lessius.

(1) Cfr. Sommervogel, l. c.

LIBER PRIMUS

CIRCA INSTITUTUM NOSTRAE SOCIETATIS

1ª Exhortatio

De necessitate cognitionis Instituti nostri

1. Qui ad aliquod officium vocatus est, debet animum illius qui vocavit cognoscere, ut habet D. Basilius (1), atque ad ipsius mentem sese accommodare, quo gratiam eius promereatur et nullo pacto a praescripto recedat.

Ut enim qui ab aliquo vocati sunt ad metendum, ubi, quando et quomodo metere debeant comparati esse debent; et qui ad aedificandum conducti sunt, ad opus illud ut accincti sint oportet, sic et nos, fratres carissimi, qui a Domino congregati sumus in hac Societate, ipsius nomini dedicata, debemus voluntatis divinae ac nostri instituti notitiam comparare, ut, iuxta Apostolum (2), digne ambulemus vocatione qua vocati sumus. Nam qui non ex dignitate vocationis neque iuxta praescriptum ambulant, licet in eadem Societate convenisse videantur, illud nihilo minus audiunt (3) : *Quid autem vocatis me Domine, Domine : et non facitis quae dico ?* Certe nullum studium nobis esse debet antiquius [a], quam ut ad primigeniam instituti nostri formam quam proxime nos referamus. Si enim [b] mentem nostram patiemur lentescere, vel huc atque illuc temere aberrare, numquam ad veram instituti normam pertingemus. In hoc ergo maxime incumbamus [c], ut instituti nostri principia et media

(a) *fratres carissimi.* add. B. (b) *Nam si.* B. (c) *Debemus ergo i. h. m. incumbere.* B.

(1) Cfr. Basilium. PG. t. 31. Reg. brev. 118. 123 (col. 1162. 1166); Reg. fus. tr. 41 (col. 1022); Const. Monast. cap-22 (col. 1402). His omnibus non semel perlectis, verba *ad mentem sese accommodare* non offendimus. (2) Ephes. 4, 1. (3) Luc. 6, 64.

probe perspecta habeamus ; ne vel ultra eius fines in aliquo procedamus, vel ab ipsis recedamus. Est etenim paris periculi deficere vel excedere ; hinc dicitur (1) : *Sapientia callidi est intellegere viam suam,* et psalmista similiter ait (2) : *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.* Iuxta enim statum hominis diabolus eum tentat, ut perducat ad aliquod extremum, ad excessum videlicet vel defectum.

2. Qui ergo per Dei gratiam [a] hanc disciplinam sectandam suscepimus, advertere debemus ut intra terminos suscepti propositi nos contineamus, ne pardo similes efficiamur, cuius setae, ut habet Basilius (3), cum neque ex toto albae sint, neque ex toto nigrae, sed dissimilium colorum mixtione interpunctae, neque in albis neque in nigris animalibus censetur [b] : ita neque in Societatis hominibus censeri vulgo possunt qui iuxta voluntatem suam viventes, partem disciplinae observant, partem neglegunt. Nulla igitur in re studium nostrum utilius collocare possumus quam ut notitiam instituti nostri consequamur, iuxta illud Domini mandatum (4) : *Erudire Ierusalem, ne forte recedat anima mea a te* — id est, te deseram — *ne forte ponam te desertam, terram* [c] *inhabitabilem.* Nam, ut valde reprehensibilis et ignavus ille esset qui intendens proficisci ad aliquod oppidum, de discenda via sollicitus non esset ; sic qui hanc rationem inivit adipiscendi pietatis summum, debet diligenter incumbere ut [d] viam a B. P. N. praescriptam teneat, quae deducat nos ad perfectam mandatorum Dei observationem [e].

3. Magna quippe est religiosi illius vesania, qui neglegat eorum cognitionem assequi quae ipsum scire oportet, cum scire omnes debeant quae ad statum officiumque suum pertinent, et multum id conducat ad profectum spiritualem [f].

Primo, ut nihil sinistri admittamus in formando iudicio de Societatis rebus, vel de iis quae ad ipsius finem et media pertinent. Quod magnum habet [g] momentum adversus impugnationes daemonis.

Secundo, ut quilibet possit in suis actionibus ex plena notitia artem et prudentiam parare, qua omnia perficiat ex ipsius Societatis principiis ; hoc siquidem est valde consentaneum constitutionibus, quae saepenumero inculcant haec verba, ut maiore cum lumine procedatur. Ut vero sunt

(a) *p. D. g. in Societatem cooptati eius disc.* B. (b) *ipse numeratur.* B. (c) *p. te t. d.* B. (d) *eo pertingendi.* add. B. (e) *ne simus de eorum numero qui Deo dicebant : Recede a nobis. Iob. 21,14.* add. B. (f) *et multum cond.... spiritualem haec notitia.* B. (g) *Habet siquidem illud ma. mom.* B.

(1) Prov. 14, 8. (2) Ps. 139, 6. (3) S. Basil. PG. t. 31. col. 874, n. 2 ext. ; vel. t. 32. col. 1126, n. 5 ext. (4) Jerem. 6, 8.

varia officia et personarum gradus, ita quisque debet suo gradui proportionatam notitiam [a] habere.

Tertio, plurimum iuvat ad utendum commode epicheia, quando usus venit. Non enim est semper superior ad manum, et leges nostrae sunt universales neque ad particularia omnia descendunt. Debent itaque subditi in absentia superioris, ut in missionibus, hac se notitia dirigere, ut actiones suas ex mente legislatoris et spiritu Societatis instituant.

Quarto, confert etiam ad defensionem disciplinae nostrae, ut semper simus parati ad reddendam rationem omni poscenti (1).

Quinto, necessaria etiam est superioribus et iis qui curam habent examinandi eos qui in Societatem admitti postulant : sicuti et ad adhibendum admissos ad ipsius officia [b] et ministeria, ad excludendum denique ab ea non satis idoneos. Debet autem haec notitia esse non qualiscumque, sed eminens et praecellens, ex qua concipiamus praeclaram de toto instituto opinionem, ac de singulis ad ipsum pertinentibus, licet minutissimis, iustam aestimationem ; et quae [c] conciliet domi forisque apud omnes gratiam. Necessaria porro est haec cognitio singulorum, non tantum ut ea servemus, sed ut servemus quo modo servari debent, ut de suis institutis habet D. Basilius in prooemio regularum fusius disputatarum (2).

4. Ex ignoratione vero instituti seu cuiusque sui status, nascitur error multiplex circa actiones et media et finem. Nam primo, rationem nequit reddere ignarus suae disciplinae, cum debeamus, ut dictum est, semper esse parati ad satisfaciendum omni poscenti nos de ea. Sacra Scriptura de filiis Heli dicit fuisse filios Belial, *nescientes Dominum neque officium sacerdotis ad populum* (3). D. Paulus monet suos Colossenses et orat pro illis ut impleantur agnitione voluntatis Dei (4). Item ignoratio disciplinae ingenerat in animis tepiditatem et minorem de dono vocationis suae aestimationem. Quod est gravissimum. Non enim bene fert divinus stomachus tepidos, sed eos evomit ; et suadet ut emamus aurum ignitum probatum, ut habet D. Ioannes in sua Apocalypsi (5). Et certe Deus per Prophetam Ezechielem dicit : *Unumquemque vestrum secundum viam suam iudicabo* (6). Periculum denique est ignoranti ne pro auro et argento testam ac lutum offerat et pro virtute vitium, pro oboedientia inboedientiam.

Sed desiderat forte aliquis scire [d] quod et quid sit institutum [e] nostrum. Pauca igitur de hac re dicamus ut pro desiderio faciamus satis.

(a) *hanc*. add. B. (b) *ad of. et m. Societatis, vel denique ad ex. n. s. i.* B. (c) *denique*. add. B.
(d) *S. desiderant f. aliqui de nobis iuniores et minus exercitati scire.* B. (e) *ipsum*. add. B.

(1) Cfr. 1 Petr. 3, 15. (2) Vid. notam 1, pag. 7. (3) 1. Reg. 2, 12. (4) Cfr. Coloss. 1, 9. (5) Cfr. Apoc. 3, 16 et 18. (6) Ezech. 18, 30.

5. Institutum [a] est quod B. P. N. cum sociis suis obtulit Christi vicario Paulo III, quod est in bulla eiusdem Pauli III comprehensum et probatum ; a Iulio vero III auctum et confirmatum. Illae etenim bullae Apostolicae duae continent, ut quaedam apotheca, totam substantiam disciplinae nostrae, quam alii ordines vocarent « regulam », sicuti vocata est regula S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, quam Sedes Apostolica primum probavit et confirmavit ; illae autem postea distributae et divisae sunt in alios varios ordines sub aliqua earum regularum Deo militantes.

Est igitur regula, sive, ut secundum nos loquamur, institutum, quaedam forma vitae quae ducit et dirigit nos ad perfectionem christianam et evangelicam, data a Sede Apostolica ; estque essentia ac substantia status religionis. Omnes siquidem ordines in ea conveniunt ut suam regulam a Sede Apostolica accipiant. Continet autem regula praeter alia substantialia, tria vota essentialia, quibus viam et rationem habeant perveniendi ad perfectum amorem Dei, revocentur vero ab [b] impedimentis perfectionum ; ita tamen, ut singulae habeant modum et finem peculiarem ab aliis differentem.

6. Sunt porro haec omnia vitae genera quaedam vitae Christi imitatio. Nam licet illa una sit in substantia, multiplex tamen est in actionibus quas pro nostra salute et exemplo peregit. Alii ergo Christum Dominum considerantes in deserto et solitudine versantem, vitam solitariam collegerunt et instituerunt. Alii ex Evangelio cernentes ipsum orantem, institutum traxerunt vitae contemplativae et orationi continenter addictae. Alii ipsum ieiunantem et humi cubitantem, nudis pedibus incedentem ac tenuiter se vestientem, eius exemplo vitam asperam et duram amplexati sunt. Alii, considerantes ipsum cum peccatoribus conversantem, variis locis praedicantem et docentem, huc illuc denique pro salute animarum discurrentem, hanc ipsam sumpserunt vitae rationem consectandam. Et haec quidem varietas mire Dei Ecclesiam exornat et adiuvat [c].

Ab obligatione porro qua se Religiosi obstringunt ad servandam retinendamque regulam susceptam, « regulares » dicti sunt, et hanc appellationem ius canonicum et consilia eis attribuunt, sive monachi sint, sive clerici exstiterint. Et in his nos a concilio Tridentino (1) censemur et passim in bullis pontificiis regulares clerici appellamur.

(a) *igitur*. add. B. (b) *et rev. ab*. B. (c) *et adi*. om. B.

(1) Sess. 25, cap. 16

7. Notandum praeterea [a] est, ut paulo ante insinuatum est [b], nullam censeri debere regulam vel etiam religionem, quae non sit a Pontifice summo ut Christi vicario probata et confirmata (1) — sic enim definitum est a Gregorio X, — licet alioqui videretur utilis. Operae pretium quippe fuit, ut qui congregationem ineunt, certi et securi sint quod rectam et secundum Deum viam ad perfectionem teneant. Magnae proinde nobis, fratres carissimi, consolationi esse debet, quod institutum nostrum a summo pastore, hoc est a Christi vicario, qui claves (2) Ecclesiae tenet ut claudat et aperiat (3), sit confirmatum. Assistit illi siquidem peculiariter Spiritus Sanctus, ut dirigat et disponat ea quae in Ecclesia ad Dei cultum et reverentiam, ad doctrinam et bonos mores pertinent ; quae omnia cuiusque religionis regula institutumve includit.

8. Iure autem optimo summi Ecclesiae Dei rectores, rerum praecipuarum, quae in Ecclesia Dei verti possunt in quaestionem, resolutiones sanctae Sedi Apostolicae reservarunt : quod sancivit Innocentius capitulo « Maiores de Baptismo ». Quia confidere debemus quod sicut Christus Dominus altissimam illam veritatem (4) : *Tu es Christus, filius Dei vivi,* Petro [c] revelavit, sic revelaturus sit successoribus eius omnem veritatem ad ipsius servitium, rectam Ecclesiae administrationem, dubiorumque incidentium resolutionem pertinentem : *Ego autem,* inquit (5), *rogavi pro te ut non deficiat fides tua,* et Apostolis omnibus dicit (6) : *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi.* Quod promisit Christus ascensurus in caelum. Sicuti in figura olim Moyses ascensurus in montem dixit populo Israelitico (7) : *Exspectate hic donec revertamur ad vos. Habetis Aaron et Hur vobiscum ; si quid natum fuerit quaestionis, referetis ad eos ;* sic, inquam, fecit Christus relinquens Petrum et successores vicarios in administrationem Ecclesiae et resolutionem dubiorum emergentium. Ideo dicit (8) : *Qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit.*

Temerarium proinde esset et magna in Deum irreverentia, qui semper vicario suo assistit, de rebus gravibus a Sede Apostolica definitis dubitare ; sicuti fuisset populo Israelitico non assentire iis quae a Moyse definiebantur, quando populus veniebat cum quaestionibus vel dubiis ad ipsum in papilione suo exsistentem, ut resolutionem ab ipso acciperet (9). Is siquidem intrabat in tabernaculum, et subito splendor quidam ad instar columnae cadebat et ad portam consistebat tabernaculi, dum

(a) *porro.* B. (b) *in definitione.* add. B. (c) om. B.

(1) Conc. Lugdunense. (2) Cfr. Matth. 16, 19. (3) Cfr. Apoc. 3, 7. (4) Matth. 16, 16. (5) Luc. 22, 32. (6) Matt. 28, 20. (7) Exod. 24, 14. (8) Luc. 10, 16. (9) Cfr. Exod. 18, 13 sqq.

loquebatur Deus cum Moyse, spectante populo, licet Deum non vidente(1). Quae figura fuit et indicium manifestum quod Deus in Ecclesia assistat vicario suo, quando aliquid definit ; ut errare nequeat quando ex Sede definiendo loquitur. Cum igitur approbatio religiosorum ordinum in Ecclesia Dei res sit gravissima, tantique referat in bonum Ecclesiae, nefas esset dubitare quin res sit optima.

9. De Societate porro mentionem praeclaram et magna cum eius laude fecit concilium Tridentinum (2), adhibendo etiam magnam reverentiam adversus sacrosanctam Sedem Apostolicam, cui, ut par est, deferens, noluit quicquam circa Societatis institutum innovare ; licet tum tractaretur de re quae in ipso instituto est difficillima, nimirum de diversitate graduum et votorum, de resignatione bonorum et professione, quae omnia intacta reliquit, eamque clericorum, non monachorum religionem esse asseruit. Quod postea Gregorius XIII nova constitutione confirmavit, sicuti paulo post Gregorius XIV, vindicantes Societatem ab iniuria quam inferebant non nulli, qui asserebant nos non esse religiosos ; et prohibentes sub poena excommunicationis, ne de cetero auderet quispiam hanc veritatem impugnare.

10. Quae, Fratres carissimi, magnam afferre debent nobis consolationem, et magnum in nobis affectum et amorem excitare, intellegentibus nos a Deo esse vocatos ad religionem tantopere laudatam et stabilitam. Hic vero affectus et amor erga institutum non debet esse tenuis sed intensus et maximus ; et quidem tres ob rationes : prima, ex eo quod, ut paulo ante dictum est, tam multis a Sede Apostolica et concilio universali laudibus commendata fuerit ; secunda, quod tam multa media nobis praebeat ad cultum Dei promovendum, ad perfectionem christianam nobis Dei bonitate conciliandam, ad proximorum salutem denique procurandam. Tertia, quod fructum et propagationem eius ingentem videamus, quod argumentum est illam peculiari Dei gratia et providentia foveri. Adde quartam rationem petitam ex eo, unde haec nostra religio plerisque invisa vel minus grata est, nimirum ex ipsius novitate. Nam quod adhuc recens sit, adhuc videmus vigere in ea primitias spiritus, et ferventem esse in accurata observatione disciplinae suae. Et quod, cum postrema sit, depravationis causas, ad sui conservationem maioremque cautionem, ex antiquioribus religionibus possit cognoscere.

11. Vineam ergo, fratres carissimi, B. P. nostri opera et sudoribus plantatam quam accepimus, diligenter colamus, magni eam faciamus,

(1) Cfr. Exod. 18, 7 sqq. (2) Sess. 25, cap. 16.

praecipuo amore prosequamur, fructus eius servemus, nec sinamus in eam vulpes, canes, apros et lupos irrumpere, ne primorum patrum nostrorum labores devastent ; arceamus bestias hasce,amorem scilicet proprium, singularitatem, iudicium proprium, inconstantiam, et quam demum accepimus hereditatem, sartam tectamque custodiamus. Quod nobis concedat Christus Dominus.

2ª Exhortatio

QUA COMMENDATUR SOCIETATIS INSTITUTUM A QUATTUOR CAUSIS

1. Gloriantur, fratres carissimi, homines huius saeculi, alii de honoribus et opibus, alii de magnatum, principum, regum familiaritate et gratia ; nobis gloriandum est coram Deo et angelis, et inter nos, de beneficio vocationis ac de instituti nostri praestantia, dandaque nobis opera ut beneficii magnitudinem grata memoria iugiter recolamus ac disciplinae naviter consectandae animum serio adhibeamus. Si nesciat quis quae scire oporteret, ab aliis discere ne erubescat. Scriptum est enim (1) : *Si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus.* Quia vero delectat unum quemque opificem artis suae principia et rationes bene cognoscere, ita debemus animum cum voluptate intendere, ut, quae instituti nostri sunt, ex ipsis principiis bene perspecta habeamus. Scire enim, ut ait philosophus (2), est rem per causas cognoscere. Haec igitur, fratres, exhortatio vobis ob oculos ponet quattuor causas, a quibus merito Societas nostra commendari potest et a nobis debet.

2. Et primo quidem, B. P. N. Deum esse causam efficientem ipsius, indicat initio constitutionum, assignans summam sapientiam et Dei bonitatem, quae, inquit, conservatura, gubernatura et promotura in suo sancto servitio sit hanc minimam Societatem, sicuti eam inchoare dignata est. Accedit et D. Iacobum multo ante dixisse (3) : *Omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a patre luminum.* Nemo autem qui Deum timeat et iudicio recto sit praeditus negabit institu-

(1) Eccl. 6, 36. (2) Aristot. Metaph. 1, 3, par. 1. (Didot, tom 2. p. 471) ; Analy. post. 1, 2, par. 1 (tom. 1. p. 122). (3) Jacob. 1, 17.

tum Societatis bonum esse et Ecclesiae Dei perutile. Hic autem velim, fratres mei dilectissimi, nos considerare paulo penitius quam ob rem B. P. N. sapientiae potius quam potentiae vel iustitiae divinae hoc opus Societatis tribuerit. Non enim existimo temere sanctum virum id asseruisse et in constitutionibus Dei bonitatem et sapientiam persaepe nominasse. In primis ergo nemo non videt aperte [a] Dei sapientiam in eo manifestari, quod militem rudem, hominem, inquam, qui nesciebat utrum liceret hominem occidere vel non (1), Deus elegerit, ut ipsum poneret fundamentum tam praeclari operis ; et qui [b] ad normam vitae tradendam viris multis sapientibus [c] luce sapientiae suae illustraverit, sicut olim elegit apostolos piscatores et rudes [d], ut per ipsos Ecclesiam suam fundaret ac lumine fidei orbi clarescere facerent [e].

3. Secundo ostenditur nobis sapientia Dei in eo, quod ex tam multis et variis nationibus homines aggregaverit in eodem spiritu Societatis, quos praeter divinum spiritum et sapientiam quis, oro [f], in unum congregare et gubernare poterat ? Gubernat tamen eos Societas eadem prorsus disciplina et unius Generalis directione, summa pace et concordia.

4. Tertio, quis non admiretur Dei sapientiam, quae praecognoscens futura haec tempora, elegit et excitavit hanc Societatem, ut eam opponeret haereticorum improbitati et falsis doctrinis. Hoc eventus clarissime docuit et docet indesinenter. Nam eodem tempore quo a religione et statu paenitentiae Martinus Lutherus apostatavit, conversus ad saeculum et ad carnis voluptates, B. P. N. Ignatius contra, a saeculi vanitatibus, quibus diffluebat, conversus, ad paenitentiam et tandem ad religiosum ordinem se contulit. Et ut ille sacras imagines, Sanctorum venerationem, sacramentorum sanctitatem, paenitentiae opera, pontificiam denique dignitatem sprevit et abiecit, sic contra B. P. N. Ignatius studiosissime illa coluit, et observanda colendaque nobis alumnis suis demandavit.

5. Quarto, ad iuvandam vero contra haereses Ecclesiam, Deus spiritum sapientiae indidit ipsi Societati, et eundem transfundit in iuventutem quam Societas suscipit in litteris et virtutibus efformandam. Sunt siquidem litterae humaniores et philosophia tamquam esca qua iuventus allicitur ad sacras disciplinas quas eam illa docet, [g] et ad [h] omnis generis virtutes in salutem proximorum. Magna est vobis, fratres mei, de caelo data gratia, ut repleti spiritu et bona doctrina, possitis vos et alios perficere. Est

(a) om. B. (b) om. B. (c) *sapientissimis*. B. (d) *e. r.* om. B. (e) *ac l. f. o. c. f.* om. B. (f) *oro*. om. B. (g) *q. e. i. d.* om. B. (h) *ad*. om. B.

(1) Petr. Ribadeneyra in eius vita.

etenim a Deo Societati data [a] estque illi propria et consentanea gratiae [b], quae fuit sanctis illis primitivae Ecclesiae tradita. Sic vix [c] est ullus insertus in hanc Societatem qui statim, et adeo initio noviciatus, occasiones non quaerat, et occurrentes non capiat faciendi fructum in salutem proximorum, licet sit adhuc adulescens. Talis fuit Apostolorum vocatio, qui brevi tempore et statim ab exordio, induti virtute ex alto, multa milia animarum una atque altera contione converterunt (1). Neque illud caret suo mysterio, quod ita divina sapientia Societatis rationes adaptaverit, ut apta esset ad omnes nationes recipiendas et tractandas, quo ad nuptias Agni commodius omnia hominum genera invitaret et sermonis virtute intrare compelleret. Ad hoc enim spectat quod homines suos mittat per vicos, per agros, per plateas, per loca omnia ad fructificandum in omni natione quae sub caelo est.

6. Quinto, non parum etiam elucet summa haec sapientia in modo gubernandi suos alumnos suavissimo. Non enim suos gubernat Societas in spiritu timoris, sed in caritate et suavitate, absque discrimine ullo nationum.

7. Sexto, Societas habitura denique erat collegia et scholas atque universitates, quae in plerisque locis « a sapientia » inter saeculares nomen habet, ut Romae, Bononiae, collegia pontificia, in quibus sacrae litterae docentur cum ceteris scientiis.

Neque porro B. P. Noster solius sapientiae meminit quando causam efficientem [d] Societatis indicavit, sed tres ipsas personas sanctissimae Trinitatis expressit : Patrem quidem aeternum verbo « Creatoris », Verbum item Dei filium, cum « summam Dei sapientiam » eum nominavit ; item Spiritum Sanctum cum dicit : « Caritas » est quam imprimere solet Spiritus Sanctus, etc...Sed certius habemus testimonium a Sede Apostolica et a sacro concilio Tridentino, quae Societatis institutum probant ac [e] bonum et sanctum esse affirmant.

8. Et vera quidem sunt haec omnia, verum peculiari quadam ratione Christus Dominus fuit primus institutor et artifex causaque exemplaris ipsius Societatis. Habuit enim apostolos et discipulos, qui institutum clericorum expresserunt. Quin et nomen Societatis etiam usurparunt, dicente Apostolo (2) : *Fidelis Deus per quem vocati estis in Societatem Filii eius Iesu Christi Domini nostri.* Quod quamvis de omnibus fidelibus sermo sit, erant

(a) *a. D.d. S.haec gratia.* B. (b) *et c.g.* om. B. (c) *tr. vixque.* B. (d) *q. auctorem.* B. (e) *pr. ac.* om. B.

(1) Act. cap. 2. (2) 1. Cor. 1, 9.

tamen discipuli Domini praecipui et capita multitudinis. Quin et ipsi Apostoli et discipuli tria vota essentialia Paupertatis, Castitatis et Oboedientiae habuerunt, ut asserit D. Thomas (1).

Item et votum missionum expresserunt [a] ; missi siquidem sunt a Christo ad varia loca, et ipsi absque repugnantia missiones obierunt iuxta praeceptum Domini illis factum : *Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae* (2). Primus autem qui religiosus, ob singulare vestimenti et vitae genus, dictus est et habitus, exstitit D. Jacobus, frater Domini, ut habet Gennadius (3) in Libro de Theoria rerum ecclesiasticarum, et Hegesippus, teste B. Hieronymo (4), qui in catalogo scriptorum ecclesiasticorum refert hunc beatum Apostolum numquam usum fuisse veste lanea, sed linea tantum, numquam bibisse quod inebriare posset, multum fuisse orationi deditum, etc.

Deus ergo est causa efficiens Societatis ; exemplaris vero Christus Dominus Deus et homo, qui nomen suum Societati dedit, qui in terris familiam duodecim Apostolorum et septuaginta duorum discipulorum instituit, quos clericos fuisse regulares, id est, ecclesiasticis ministeriis deputatos constat. Relinquebant etenim parentes per oboedientiam, uxores per castitatem, possessiones terrenas per paupertatem, ut vere eorum congregatio religio fuerit clericorum societatis Iesu. Ex quo elucet antiquitas Societatis quae exemplar illud est consecuta.

9. Ex quibus constat Deum et Christum Dominum causam esse efficientem Societatis, sed et Sedem Apostolicam causam etiam esse efficientem, sed instrumentalem ; testatum id facit bulla Pauli III et Iulii III. Debet etenim Sedes Apostolica, quae a Deo habet potestatem auctoritatis et scientiae ad iudicandum de rebus fidei et bonorum morum et negotiorum quae incidunt graviorum, de eis iudicare pro temporis exigentia [b]. Iam vero congregationes religiosae [c] omnes maximi sunt in Ecclesia momenti, adhibentque magnum eidem [d] ornamentum, quae probatae sunt ; sicuti, si quae improbae et pravae emergerent, plurimum obessent, nisi Sedes Apostolica prospiceret, ut constat de ecclesiis seu coetibus haereticorum, seu malignantium.

Quare ad Pontificem pertinet de religiosis ordinibus cognoscere et statuere. Ordo S. Benedicti ab eadem S. Sede fuit confirmatus et multis

(a) om. B. (b) *et definire.* add. B. (c) om. B. (d) *in eadem.* B, delevit A.

(1) D. Thom. 2.2. q. 88, a. 4. ad 3. (2) Marc. 16, 15. (3) Cfr. Migne, PL. t. 58, col. 979 sqq. In Gennadii libro de Script. eccles. (ibid. col. 1060) Iacobus ille, de quo cap. 1, non erat frater Domini. Quod ad « Librum de Theoria... » vide cap. 100, col. 1120. (4) S. Hieron. PL. t. 23 de Viris illustr. cap. 2, col. 611 in.

auctus a D. Gregorio praerogativis et privilegiis. Ab eadem ordo D. Bernardi per Alexandrum V ; similiter ordines Dominicanorum et Franciscanorum ab Innocentio et Honorio. Innocentius porro III « De religiosis domibus » capitulo ultimo constituit, ut nulla professio sive ratio disciplinae censeretur Religio nisi esset approbata a Sede Apostolica, licet ea vitae forma esset optima. Item Bonifatius VI ibidem adiecit [a] etiam censuram excommunicationis [b], et concilium Lugdunense prohibet, sub eadem censura, ne quis praesumat Religionem instituere absque approbatione Sedis Apostolicae.

Ex his patet Societatis institutum iisdem omnino suffulciri principiis et praesidiis quibus ceterae religiones in Ecclesia Dei approbatae, hoc est, approbatione et confirmatione Sedis Apostolicae. Accedit concilium generale Tridentinum (1) a quo Societas laudata et probata in iis maxime quae praecipuam habebant difficultatem. Occasionem huius decreti praebuit studium Patrum in tollendis quibusdam abusibus, qui in religiones aliquas irrepserant, in quibus ille erat quod, cum multi adulescentuli nomen darent religioni, iubebantur plerique omnes se continuo abdicare bonis omnibus temporalibus, quae iure ad eos perveniebant. Et ea quidem bona fere cedebant monasteriis, iuxta iuris canonici dispositionem rigidius interpretatam. Cum vero iuberentur anno elapso profiteri, et non nulli a proposito resilirent, et egredientes facultatibus suis essent exuti, vel oneri erant parentibus, vel in saeculo miseram vitam ducebant ; ut igitur his incommodis sancta synodus prospiceret, cavit ne admitterentur ad professionem ante annum decimum septimum, et ut nulla fieret bonorum abdicatio nisi duobus mensibus professionem praecedentibus : aliter autem facta professio invalida esset.

Hoc porro decretum, cum directe esset contra instituti nostri libertatem, quia esse debent omnes, ex instituto, parati renuntiare bonis omnibus temporalibus post annum primum ab ingressu, si ita expedire superior iudicaret, et re ipsa multi renuntiabant et etiamnum renuntiant, licet non sint professi, non nulli etiam tales numquam futuri — nam Societatis institutum multos probationis annos ante professionem postulat, quo durante intervallo cum dimitti ex causa possint aliqui, gravissimum incommodum foret, si abdicare se bonis cogerentur — (2) ne ergo vim pateretur nostrum institutum, concilium prospexit per decretum, ut patet sessione 25, capitulo 16 de Regularibus.

(a) *adhibuit*. B. (b) *contra secus facientes*. add. B.

(1) Sess. 25, c. 16. (2) Sicubi occurret, quod vocant, Anacoluthon, nihil utique immutabimus.

Hac igitur occasione factum est ut examinaretur institutum nostrum diligentissime, et cum in ipso concilio plerique essent nobis adversarii et multi multa contra Societatem spargerent, praecipue vero ii quibus probabatur decretum illud infaustum Sorbonici collegii, paulo ante Parisiis factum, et non nulli — qui decreto faciendo interfuerant — concilio interessent generali, emersit tamen Societas peculiari divinae providentiae favore incolumis.

Qua in re multum profuit P. N. Iacobum Laynez Generalem affuisse ipsi concilio inter Patres definitores et P. Alphonsum Salmeronem inter doctores a summo Pontifice missos.

10. Causa praeterea efficiens exstitit instrumentalis B. P. N. Ignatius, quem Deus Optimus Maximus caput nobis dedit, sapientia, intellectu ac spiritu repletum sicuti olim dederat populo Israelitico ad conficiendum et ornandum tabernaculum Beseleel et Ooliab, ut hoc Societatis tabernaculum ac vasa eius concinne efformaret ac dirigeret (1). Dedit illi eam sapientiam, ut mirentur sapientissimi quique eximiam eius architecturam et oeconomiam quam ab ipso acceptam Societas retinet. Sed plus satis de causa efficiente dictum est.

Exspectatis, non dubito, fratres dilectissimi, aliquid audire de reliquis etiam causis ; quod iam aggredimur.

11. Causa [a] formalis Societatis, quae dat essentiam rei, consistit ac comprehenditur in formula illa quam sibi a B. P. N. et sociis oblatam Paulus III probavit et confirmavit ; sicuti et postea, non nihil auctam Iulius III. Haec siquidem formula continet omnia essentialia et substantialia Instituti, omnia officia, exercitia et ministeria Societatis, potestatem contionandi et sacrosancta sacramenta nobis convenientia administrandi ; item catechizandi rudes, et ut uno verbo comprehendam, omnia, tamquam promptuarium quoddam, Societatis officia, maxime vero vota tria religionis essentialia, paupertatis, castitatis et oboedientiae, sub uno capite Praeposito Generali ; quibus perpensis quis non admiretur eius dignitatem ?

12. Causam materialem faciunt ipsi alumni Societatis cuiuscumque classis et ordinis sint. Est autem haec materia varia et elegans et ad finem Societatis egregie comparata. Sunt in primis novicii, qui tamquam

(a) *igitur*. add. B.

(1) Exod. 31, 2 sqq.

rudis materia probantur utrum apti evadere queant : exercentur, formantur, expoliuntur, ac demum parantur ad ea officia ad quae magis censentur idonei. Exacto biennio, quo toto in probationibus exercentur, ad collegia transeunt, vel praeceptores vel discipuli futuri, ut magis perficiantur. Sunt deinde sacerdotes et operarii, qui, absolutis studiis, variis officiis et ministeriis adhibentur vel in curanda salute animarum, vel ut in collegiis doceant tum nostrae Societatis studiosos, tum externos, pro cuiusque dotibus et talentis. Comprehenduntur et coadiutores temporales qui ad ea quae ad Marthae officia pertinent, aptantur in domo probationis, ac deinde ministeriis temporalibus adhibentur.

Est autem haec Societatis materia perelegans, sive qualitatem sive dignitatem consideraveris. Sunt etenim plerique viri doctissimi, sunt multi doctores, sunt et multi nobiles et illustres et qui erant in saeculo potentes. Consideranda est item nationum diversitas, quae in miram concordiam coalescit. Notari potest et collegiorum multitudo per universum fere orbem distributa, sed et ingens ille fructus quem operarii pauci in horreum Christi in omni natione quae sub caelo est importarunt.

13. Sed et delectat et delectabit vos, fratres carissimi, consideratio illa quae me saepe admiratione et voluptate afficit [a] : habet siquidem Societas analogiam quandam ad ipsam Ecclesiam, etiam primitivam. Nam primo collegit Christus duodecim apostolos et septuaginta duos discipulos (1) ; sic et in Societate congregavit Deus decem patres, quorum caput fuit B. P. N. Ignatius, et multos alios extra illum numerum, nominatim vero sexaginta quos Iulius III eis adhibuit praeter eos qui postea procedente tempore adiuncti sunt in classem coadiutorum relati. Initio siquidem Sedes Apostolica numerum extendit ad sexagesimum eorum qui professionem emitterent et adiecit eis coadiutores, ac rursus postea omnem sustulit restrictionem, ut admitti possent quotquot idonei invenirentur.

Erant inter apostolos Petrus, doctor circumcisionis, Paulus, doctor gentium : inter patres, B. Ignatius per se et per alios coluit Europam ; B. P. Franciscus Xaverius cum aliis qui secuti sunt, infidelium partes lumine et doctrina fidei in Indiis [b] illustravit. Vivente adhuc apostolo Ioanne, Pontifex summus declaratus est et caput Ecclesiae visibile Cletus, deinde Clemens, non ipse apostolus Ioannes : ita in Societate viventibus adhuc quibusdam ex primis decem fundatoribus, electus est caput Societatis et Generalis P. Franciscus a Borgia et post eum P. Everardus Mercurianus ; ac demum Claudius Aquaviva, viventibus adhuc et adeo prae-

(a) *saepe oblectat.* B. (b) om. B.

(1) Marc. 3,14 sqq. ; Luc. 10, 1.

sentibus patre Alphonso Salmerone et P. Nicolao Bobadilla. Sunt in Ecclesia Pontifex summus, Cardinales, Episcopi, Parochi etc... : in Societate sunt Praepositus Generalis, Assistentes, Provinciales, Rectores. Sunt in Ecclesia diaconi et subdiaconi, in Societate ministri et subministri. Sunt in Ecclesia doctores, qui resolvunt cum Pontifice et Cardinalibus difficultates emergentes : in Societate sunt Assistentes [a], Consultores, qui assistunt Generali [b], Provincialibus, et Rectoribus, qui res difficiliores tractant cum superioribus. Ecclesia denique crevit et roborata est agone et sanguine martyrum : Societas multorum martyrio est illustrata multisque persecutionibus aucta et stabilita.

14. Causa finalis Societatis est praestantissima, nimirum perfectio propria et proximorum ad maiorem Dei gloriam, quo fine nullus sublimior in hac vita haberi potest. Sed hic finis quia remotior est, tantum indicabimus propinquiorem, qui est conversio infidelium, confutatio haereticorum, reformatio morum in fidelibus christianis. Et hunc quidem finem consecuta est magna ex parte Societas per conversionem multarum provinciarum et regnorum, in India utraque, Orientali videlicet et Occidentali. Item per reductionem haereticorum in Germania, Austria, Bohemia, Hungaria, Britannia, etc. Inter catholicos autem per reformationem morum, inducendo frequentem usum sacramentorum. Debemus igitur, fratres carissimi, magnas Deo gratias agere indesinenter, quod dignatus sit nos vocare in vineam suam et dare nobis virtutem ad laborandum et eam excolendum, nec non et spem magnam consequendi aliquando denarii diurni. Quod faxit pro sua misericordia.

3ª Exhortatio

De magnitudine beneficii quod accepimus et de gratia donoque vocationis

1. « Magna est super nos, fratres dilectissimi, magna valde — verbis D. Bernardi utor (1) — misericordia Dei nostri, quos tam ineffabili spiritus sui virtute, tam inaestimabili dono gratiae suae eripuit a vana nostra conversatione huius saeculi. » « Benedictio sane Dei fuit nobis neces-

(a) om. B. (b) om. B.

(1) S. Bern. PL., t. 183 Serm. contra ingrat., col. 612, n. 1.

saria, et quidem, ut ait idem Bernardus (1), benedictio triplex : praeveniens, adiuvans, consummans. Prima fuit misericordiae quae praevenit vocationem, secunda gratiae quae adiuvat conversationem, tertia gloriae quae perficit consummationem. » Hac trina benedictione speramus quod terra nostra dabit fructum suum (2). Iam vero, fratres carissimi, si quis ex nobis diligenter considerare non negleget, non modo unde erutus sed ubi sit constitutus, non solum quid evaserit sed et quid acceperit, non tantum unde revocatus sed etiam quo vocatus, inveniet sine dubio cumulum huius misericordiae omnino prioris excedere quantitatem. Neque enim *fecit taliter omni nationi* (3), ut non solum iudicia sed et consilia sua manifestaret nobis. De his igitur duobus in hac hodierna exhortatione verba faciemus : quid nimirum evaserimus et quid acceperimus.

2. Ut autem primum punctum explicemus, operae pretium est ut perpendat quisque dispositionem quam habebat quando vocantem audire coepit. Nam contraria iuxta se posita magis — ut vulgo dicitur — elucent. Quid ergo tum faciebas, fili Adam, quid, quaeso, moliebaris ? Quae cogitationes cor tuum agitabant ? O miseram hominis in pelago saeculi huius fluctuantis condicionem ! Nam, cum ad beatitudinem aeternamque felicitatem omnes vocati simus, velintque omnino omnes esse beati, quod fit Deum videndo eoque perfruendo, impedimentis tamen miseri mortales plurimis, ne suo fine fruantur, sese implicant, scilicet vel concupiscentia carnis, vel concupiscentia oculorum, vel superbia vitae. Quid Abraham faciebat, fratres mei, quando vocatus est ? Quid Moyses ? Quid David ? Quid Elysaeus ? Quid apostoli Domini Petrus et Andreas ? Ioannes et Iacobus fratres, quid tractabant ? Quid Matthaeus et Paulus agebant ? Ex dispositione siquidem et vocatione illustrium horum virorum, vocationis nostrae gratiam et beneficium facilius intellegemus. Nam quod Dei gratia in illis operata est, et in nobis operatam esse confidimus, licet non pari eventu nec ita cumulate.

Abraham igitur inter gentiles et idololatras cum versaretur, vocatus est, et vocem vocantis secutus, pater factus est omnium credentium (4). Moyses pascebat oves, et voci Dei obsequens, exercitus Domini sabaoth dux et princeps factus est ut educeret populum Dei numerosissimum de Aegypto, *in manu forti et brachio extento* (5). David pascebat oves et pugnabat cum feris, leonibus et ursis, vocem vocantis audiens sceptro donatus est regio, illudque sanctissime administravit, adeo ut vir secundum cor Dei esse a Deo ipso diceretur, et esset (6). Elisaeus arabat

(1) S. Bern. PL. t. 183. col. 696. (2) Cfr. Psalm. 66, 7. (3) Psalm. 147, 20.
(4) Gen. 17, 5 ; 22, 15-18. (5) Exod. 6, 6 ; Deut. 26, 8. (6) 1. Reg. 17 ; Act. 13, 22.

cum bobus, et vocatus propheta factus est eximius, donatusque est spiritu Eliae domini sui duplici (1). Petrus et Andreas, Iacobus item et Ioannes ex officio piscabantur ; facti sunt autem non piscium mutorum sed hominum piscatores (2). Quin et Petrus a Christo Domino ad summum Ecclesiae apicem evectus Christi vicarius, princeps Apostolorum, Ecclesiae caput factus est (3). Matthaeus a telonio [a] vocatus, Christum Dominum secutus est, et factus est apostolus Domini et evangelista. Paulus ex lupo agnus, ex persecutore Evangelii praedicator, ex impio vas electionis (4). Ita nimirum *mirabilis Deus in sanctis suis* (5) quos ad se vocat, mutat in viros alios.

3. Nunc recogitet quilibet nostrum apud se, fratres mei, quid tum mente agitabat quando vocatus est ; nam fortassis aliqui, licet inter gentiles non versarentur, versabantur tamen forte inter haereticos, vel mens non erat forte in fide bene stabilis, fortassis etiam gentilium aut haereticorum mores aliqui consectabantur, et abundantes in sensu suo adorabant idola quae fabricabantur, evanescentes in cogitationibus suis non sine periculo aeternae perditionis ; fortassis etiam invenire esset aliquos qui cum Elisaeo boves agebant, plus aequo praediis et possessionibus terrenis inhiantes ; vel certe qui cum Moyse et David oves pascebant, solliciti videlicet de peculio augendo. Quin et piscatores existimatis non exstitisse aliquos cum duobus apostolis, oblectantes se fluxis et vanis cogitationibus et affectibus huius saeculi ? Immo fortassis non defuerunt etiam qui per fas et nefas piscabantur, vel mente spem concipiebant se adepturos beneficia ecclesiastica et dignitates et officia praestantiora in Ecclesia, vel in re publica. Immo enimvero et cum Matthaeo forsitan erat aliquis sedens in telonio, suas cogitationes conferens acquirendis et congerendis divitiis. Cum Paulo minas spirante in discipulos Domini existimo neminem fuisse ! fieri tamen potest ut aliqui, licet non gladio, lingua tamen et maledicentia impetiverint bonos et virtutis studiosos, eos irridentes et probris lacessentes.

4. Ex talibus excessibus, si tamen in aliquos eius generis, mi frater, aliquando incideris, disce modo et apud te pie diligenterque reputa quid in te operata sit [b] divina illa bonitas. Cogita quanta in te sit facta mutatio, perpende qualis olim fueris [c] et qualis nunc sis [c] ; cogitemus, inquam, fratres mei carissimi, illud Christi Domini ad nos pertinere verbum :

(a) *de publicano.* B. (b) *est.* corr., sequitur enim «in te sit ». (c) *fuisti... es.* A. B., corr.

(1) 4. Reg. 2, 9. (2) Matth. 4, 19. (3) Matth. 16, 18 ; Ioan. 21, 17. (4) Act. 9, 15. (5) Psalm. 67, 36.

Vobis datum est nosse mysterium regni Dei, ceteris autem in parabolis, ut audiant et non intellegant (1) ; nobis enim Deus aperire dignatus est aures ut auscultaremus et vocem suam [a] puro et suavi affectu admitteremus. Dignatus est cor dare, ut intenderemus iis quae locutus est in nobis Dominus, vel per sanctos suos annuntiavit nobis, ut in Actis Apostolorum factum esse legimus. Sic Saulem regem secuti sunt *quorum Deus tetigerat corda* (2). Sic ad Pauli praedicationem *crediderunt quotquot erant praeordinati ad vitam aeternam* (3). *Magna,* fratres carissimi, magna *opera Domini* erga nos, *exquisita in omnes voluntates eius* (4).

5. Sed avetis cognoscere quid acceperimus, et quid operata sit gratia vocationis in nobis, magis in specie. In die igitur malorum, fratres carissimi, protexit quemque nostrum Dominus *in abscondito tabernaculi sui* (5). Non satis enimvero fuit pientissimo patri caelesti in Ecclesia nos collocasse et fovisse catholica ; sed, quae summa gratia fuit, dignatus est etiam nos in secretiore loco Ecclesiae suae, hoc est, in religione et Societate hac sancta reponere et quasi abscondere, ne mala nos invenirent nimis, quae nunc regnant tam licenter in populo suo, ut res magis lacrimis quam enarratione egeat. Ut ergo nos assereret inter filios carissimos, dedit nobis gratiam quandam qua ipsum audiremus in nobis loquentem, quae excitaret bonas cogitationes et in terra animae gigneret [b] bona desideria, propositum denique firmum faceremus vacandi omnino cultui eius sanctissimo et saluti perfectionique animarum nostrarum, ut animae nostrae recognoscerent suum creatorem ac redemptorem, eum amarent, venerarentur et divinae demum eius voluntati totis viribus deservirent, non iuxta proprium cuiusque iudicium, sed quo ipse modo vellet, quando et ubi praescriberet, sive illud quadraret ingenio iudiciove proprio, sive ab eodem dissentiret. Ac quidem adeo confirmavit illa vocationis gratia propositum acceptum, ut ad id quod iam dictum est peragendum, operam suam non modo ipsi Deo addixerit, et quidem quam diu viveret, sed se ipsum etiam totum in ipsius Domini et Societatis potestatem penitus transtulerit.

Illud autem donum vocationis adiectam habet [c] gratiam non solum ad retinendum et fovendum illud propositum, verum etiam ad tollenda omnia impedimenta quae tendentem ad illius propositi assecutionem, aut divertere omnino aut certe remorari possent. Illa autem quae heu ! praecipitant et avertunt, peccata sunt mortalia ; quae vero retardant, peccata

(a) om. B. (b) prius *sereret.* (c) *Il. aut. don. subministrat.* B.

(1) Luc. 8, 10. (2) 1. Reg. 10, 26. (3) Act. 13, 48. (4) Psalm. 110, 2. (5) Psalm. 26, 5.

sunt venialia et sollicitudines rerum terrenarum, quibus mens interdum distinetur et inficitur ; ut sunt praecipue ea quae demulcent et ornant, atque id genus, quae propositi huius prosecutionem non solum praepediunt aut remorantur, sed frequenter ab illo fine aspirantes penitus abducunt.

6. Ad haec donum hoc confert [a] contulitque, fratres carissimi, animum et vires ad omnia illa suscipienda et praestanda quae opportuna sunt ad finem illum consequendum. Quae magna sane divinae in nos providentiae et largitatis est munificentia, ut sunt ministeria, exercitia, ordinationes, directiones variae tam interioris quam exterioris hominis, quorum aliqua dirigunt ad tollenda ea [b] quae animos divertunt a fine, ut sunt peccata et quae ad ea inclinant ; alia [c] dirigunt animos ad ea quae nos perficiunt, cuiusmodi sunt orationes, meditationes et exercitia alia, quibus iuvamur et promovemur in cognitione et amore Dei, ac studio salutis aeternae, ut redeamus ad illam primigeniam Dei imaginem et similitudinem quam Dei benignitas nobis initio dederat.

Quo etiam pertinent paupertas, castitas, oboedientia, et in ea praestanda alacritas et animi [d] promptitudo, quamvis haec non continuo reddant hominem perfectum aut per se immediate ducant hominem ad illam de qua agitur perfectionem ; sed perinde requiruntur ac si quis inducturus esset imaginem cuiusdam rei pulcherrimae in lignum aliquod rude, sordidum atque impolitum. Primo enim necessum est ut purgetur truncus et cortex ei auferatur ; tum abscindenda sunt ea quae illum ineptum reddunt, nimirum sinus, inflexus, nodi, etc. ut videlicet reducatur in rectitudinem atque expoliatur. Finge igitur sordes exteriores, mucum, fungos et id genus alia, peccata esse a quibus purgandus est truncus ; corticem vero, nodos, ruditatem illam materiae, curas esse et cupiditates rerum praesentium, quas nisi abscideris et truncum expoliveris, non excipiet perfecte illam imaginem. Non tamen postquam haec amoveris continuo imaginem inducis ; immo vero adhuc incertum est cui usui lignum deputaveris [e]. Tunc enim non minus huic quam illi rei conficiendae aptum est ex se [f] ; sed ubi in ipsum induxeris Dei cognitionem et amorem per lectiones pias, meditationes et orationes ardentes, sanctissima sacramenta et id genus exercitia alia ; item ubi ex eadem caritate exercueris oboedientiam, patientiam, mansuetudinem et, ut summatim dicam, impenderis labores et conatus in inducendam

(a) *A. h. complectitur d. h. in se ac conf.* B. (b) *dir. in tollendis iis.* B. (c) *tum d. immediate.* B. (d) om. B. (e) *designaveris.* B. (f) addit A in marg. *complenda similitudo et applicanda.*

hanc eandem cognitionem in animos [a] proximorum, tum demum perficis id quod initio proponebas.

7. Vocationis itaque primum donum est veluti propositum inducendi pulchram imaginem in rudem materiam animae tuae, sed illud idem donum continet facultatem purgandi et expoliendi hanc materiam. Quascumque tamen formas induxeris in animam, etiamsi scientiam, consilium, eloquentiam, quasvis denique facultates alias, donec perveneris ad istam cognitionem practicam et amorem Dei per illa exercitia quae tibi proponuntur, truncum adhuc habes informem. Proinde veniendum est ad haec exercitia quae ita demum sunt praestanda quem ad modum a magistro tibi proponuntur, non autem prout elegeris. Nam magistri praeceptum sequaris necessarium est, ut truncum pulcherrimam imaginem reddas; ne postquam tempus et operam impenderis, exspectaverisque insignem aliquam imaginem, exeat simulacrum superbi, ambitiosi, impuri, adulatoris alicuius.

Quod saepenumero evenit iis qui aut falsa scientiae virtutisve imagine [b] decepti, cum optimo proposito religionis statum ingressi essent et magnam de se exspectationem praeberent, carne consummaverunt et turpissimi hominis effigiem expresserunt, ad nihil aliud aptam quam ad perniciem aliis afferendam. Unde, fratres carissimi, haec pernicies ? Nimirum quod operam suam et industriam impendere voluerint non ex praescripto periti artificis, non, inquam, ex principiis instituti, non ex regularum ordinationumque directione, sed proprio statim marte voluerint agere, vel etiam aliis legem dare, et ante docere quam discere.

8. Ne ergo pereat gratia accepta, animum adiciamus expendendis et servandis insignibus documentis quae a B. P. N. et maioribus accepimus. Item adhibeamus disciplinam et ordinem constitutum magna cum simplicitate et animi tranquillitate. Hac enim ratione bene perfungemur officiis et ministeriis quae in huiusmodi fines fuerint instituta. Nam dum quisque in aliqua familia ordinem propositum servat, servatur in eo gratia accepta et augetur, crescunt bona desideria, studia, virtutes, merita. Et dum singuli sic agunt, pulcherrima generatur in communitate morum disciplinaeque similitudo, pax et tranquillitas ; fit etenim tunc ab omnibus quod singuli cupiunt, et orationibus ac sacrificiis, disciplinis et aliis paenitentiae exercitationibus animi singulorum in bono stabiliuntur.

(a) prius *animis*. A. (b) *simulacro*. B.

9. Non satis est autem nobis, fratres carissimi, multos annos in Societate exegisse, sed quo fructu et progressu nostro considerandum est, quia soli illi anni merentur computari quos religiosus magna cum puritate cordis, disciplinae studio, bonorum operum exemplo transegit. Saul dicitur tantum regnasse duos annos, qui quadraginta annos regnum administravit, quia solis illis duobus annis primis probe et iuste regnavit, reliquis triginta octo inique et non ex Dei voluntate.

Ut autem recte et ex instituti principiis vitam instituamus, magnam opus est nos habere de ipso opinionem et existimationem. Nam qui hanc non habet, vix potest illud amare et quae praescribit alacriter observare. Si porro rem expendamus ad rationem et calculum theologorum qui de religionibus tractant, invenietur Societas inter eas esse altissima, ut iure optimo dicere possimus : *Funes ceciderunt mihi in praeclaris* (1) ; sors, inquam, mihi cecidit in partem nobiliorem, in terram valde fructuosam, *etenim hereditas mea praeclara est mihi* (1). Gratias ago tibi, bone Jesu, quod me elegisti et assumpsisti ut inhabitem in atriis tuis (2).

10. Ad gratiarum actionem quae gratitudinis est movere debent : 1°) Sacrae scripturae admonitio : In referenda gratia non sis tardus nec segnis(3). 2°) Admonitio creaturarum quae incessanter nos invitant ad Deum. 3°) Tempus ipsum in quo sumus, id est tempus gratiae, cui nulla actio magis congruit quam gratiarum actio (4). 4°) Haec operatio in paradiso est perpetua : *Misericordias Domini in aeternum cantabo* (5). Misericordia est quod a mundi periculis simus liberati. 5°) Ipsa divina bonitas per eam provocatur ad benefaciendum. 6°) Bona operatio est Deo gratissima, figurata in adipe quam Deus voluit sibi immolari (6). 7°) Deus numquam cessat benefacere ; est ergo dignum semper ei gratias agere.

Caveamus, fratres, ab ingratitudine ; at beneficium acceptum grata memoria et cum gratiarum actione diu noctuque recolamus, neque quispiam apud se illud reputet sibi sufficere quod divo Apostolo responsum est : *Sufficit tibi,* Paule, *gratia mea* (7). Imperfectorum etenim est ita sibi placere, ut sibi sufficiat insufficientia, et, ut D. Bernardus ait, « inopia tanta » (8). Istud est sui oblivisci et peccatorum suorum, Dei quoque et beneficiorum eius immemores esse. Istud non est redimere, sed amittere tempus et de moribus et affectionibus suis curam valde tenuem gerere. Obsecro itaque, fratres mei, verbis D. Bernardi utor (9) :

(1) Psalm. 15. 6. (2) Cfr. Psalm. 64, 5. (3) Cfr. Tob. 3, 13 ; Coloss. 3, 17 ; 1. Thess. 5, 18 ; Ephes. 5, 20. (4) Cfr. 2 Cor. 4, 15. (5) Psalm. 88, 1. (6) Levit. 3, 3. (7) 2 Cor. 12, 9. (8) S. Bern. PL. t. 183. Serm. contra vitium ingrat. col. 614, n. 5 in. (9) ibid. col. 616 b. c.

« Humiliemur magis ac magis sub potenti manu Dei, et ab hoc tam maximo, tam nequissimo vitio ingratitudinis longe fieri studeamus, ut tota devotione in gratiarum actione versantes, conciliemus nobis maiorem gratiam Dei nostri, quae sola potest salvare animas nostras » per benignitatem et misericordiam Domini Iesu Christi.

4ª Exhortatio

In commendationem Societatis et de vitae communis quam ducit causis

1. Societas, fratres carissimi, beata est et semen cui benedixit Dominus. In primis propter communionem et coniunctionem quae in ipsa est ; deinde propter vivendi rationem quam habet infirmitati naturae accommodatissimam ad serviendum Deo et Ecclesiae. Quod ad primum attinet, insignis in ea est communio, quia exclusa est rerum omnium creatarum possessio, ex qua perturbatio et contentio ac rixae oriri inter mortales solent ; contra vero, hic rixae nullae, discordia nulla, quia omnia communia, voluntates, mentes, intentiones et corpora ; communis Deus et communis pietatis cultus, communis disciplina, communes labores et communis officiorum nostrorum corona futura, et, ut D. Basilius loquitur (1), « ubi multi unus, et unus non solus, sed in pluribus. »

Hoc vitae genere quid melius quidve beatius dici potest ? quid hac coniunctione et societate aptius excogitari ? Ita se morum animorumque omnium contemperatio exserit, ut licet ex diversis nationibus ac regionibus aggregati simus, exacta tamen morum ac disciplinae similitudo faciat ut in unum coaluisse omnes videamur, et in pluribus corporibus unus tantum animus esse, vicissimque plura corpora animae unius instrumenta cernantur. Ei qui adversa valetudine laborat, quam plurimorum animi compatiuntur ; qui vero animo aeger est et affligitur, complures habet a quibus erigatur. Omnes qui eiusdem sunt instituti

(1) S. Basil. PG. t. 31. Constit. monast. cap. 18, n. 1 extr. col. 1382.

huius, aliorum famuli sunt et Domini, et in sancta libertate sibi inter se accuratissimam serviunt servitutem.

2. Et unusquisque tamen illorum voluntatis arbitrio libertatem conservat. Quem ad modum ergo discipulis suis Christus Dominus communia esse voluit universa et se ipsum communem patrem praebuit, sic in Societate immensa illa sapientia et bonitas omnia voluit esse communia et unum cunctis praeesse, cui omnes magna alacritate obtemperarent, et evaderet hoc genus vitae simile vivendi modo apostolorum ac Domini. Quin et Angelis similes esse perhibentur Societatis alumni. Hoc sentitis, fratres mei, in vobis, neque absque ingenti gaudio. Nam inter vos, Deo sit laus, terrena nulla lis intercedit, sicuti neque inter Angelos nulla contentio, nulla simultas. Sine dubio tales estis vos verae pietatis cultores, ut non de rebus terrenis sed de caritatis officiis [a] et de rebus divinis ac caelestibus vobis concertatio et aemulatio sit.

Vos dum laudabili vivendi ratione communitateque caelestis vitae ac status egregie formam effingitis, futura promissi regni bona praeripitis, et omnibus bonis consolationem affertis et aedificationem. Ut vere cum propheta dicere possimus : *Haec est generatio quaerentium Dominum, quaerentium faciem Dei Iacob*. Haec procul dubio accepit *benedictionem a Domino et misericordiam a Deo salutari suo* (1).

3. Habet autem Societas duo quae maxime conferunt ad fructum in Ecclesia faciendum. Unum est quod vitam habeat communem, alterum quod maxime studeat Christum Dominum imitari. Nam et ipse vita communi usus est. Ex ipso igitur suo instituto, Societas in victu, in vestitu, in conversatione exteriore non differt ab aliis sacerdotibus quos saeculares mundus appellat. Neque exterius specimen aut argumentum dat spectatae alicuius virtutis, ut paenitentiae, prolixioris orationis, mortificationis, humilitatis, etc. Et nihilo minus cum ita sit, ex ratione instituti profitetur se has amplecti et omnes pariter [b] virtutes, non quidem vulgari et communi modo, sed in summo earum gradu et perfectione.

4. Quod perpauci intellegunt non solum externi, sed etiam homines Societatis, quibus difficile prima facie videtur haec duo bene copulare. Quae difficultas non est in aliis religiosis ordinibus, quia illi intendunt praecipue, et ex instituto, in certam et peculiarem aliquam virtutem ; ac

(a) *operibus*. B. (b) *omnesque virt.* B.

(1) Psalm. 23, 5. 6.

studii huius specimen externis praebent in modo habitandi, in vestitu, in vivendi denique modo, neque possunt aliter facere nisi recedere velint a suo instituto et recepta disciplina. Verbi gratia Carthusiani patres ex instituto profitentur solitudinem ; patres Capuccini mundi et commodorum suorum neglectum ; Camaldulenses eremiticam asperitatem et paenitentiam, et demum, exterius omnes praebent signa manifesta quod profitentur statum silentium, ieiunia, cilicia, abstinentiam, etc. Societas non sic : quare vero ? Optare vos etenim, fratres carissimi, suspicor cognoscere causam combinationis huius perfectionis, videlicet religiosae et vitae communis.

Variae igitur causae huius sunt ; quarum aliquot ad consolationem vestram communem afferam.

Prima igitur est, quod hac ratione abscondimus in nobis virtutes, ut se non prodant exterius. Est autem istud utilissimum. Primo, ut illae resideant in suo proprio loco et domicilio, nimirum in parte magis intima hominis, videlicet in corde et conscientia. Est siquidem virtus qualitas et habitus occultus, acquisitus per viam electionis liberae voluntatis, quae cum se resolvit ad amplectendum obiectum aliquod virtutis, facit nos ea virtute praeditos, castos videlicet, mansuetos, benignos. Est quidem verum et certum, quod etiam consistat virtus in signis externis, ut in verbis, in motu et habitu corporis ; sedes tamen praecipua eius est cor, quo sine, ne nomen quidem virtutis promeretur, sed virtutis potius est imago et simulacrum. Quandoquidem actiones bonae dignae non sint aestimatione virtutis et pretio, immo neque bonae dici queant, nisi quatenus procedunt ab interiore electione voluntatis, iuxta illud : *Gloria filiae regis ab intus* (1). Et sane non raro contingit actus exteriores fieri absque electione interiore. Multo igitur satius est retinere virtutem in suo proprio domicilio et loco, qui est cor, sive conscientia.

5. Secunda, ut praecipue virtus appareat ante Deum et divinum eius conspectum, eique sit accepta qui cor solum intuetur (2), et qui solus eius remunerator exsistit, ne de numero eorum simus *qui se ipsos commendant* (3), qui propterea tamen probati non sunt. Quare multum refert ut Deo prae omnibus placeamus.

6. Tertia causa est, ut virtus, quando exerceri et in publicum per actiones prodire debet, non appareat alio pallio convestita quam proprio, quod est ipsemet actus virtutis, prodiens tempore et loco convenienti, cum circumstantiis necessariis, quarum si una deesset, vera virtus esse desine-

(1) Psalm. 44, 14. (2) 1 Reg. 16, 7. (3) 2 Cor. 10, 12.

ret. Nam ut res aliqua bona sit, habere debet omnes suas causas ; ut vero mala sit, sufficit ut unica desit, quia « bonum ex integra causa, malum vero ex singulis defectibus », ut ait D. Dionysius (1). Virtus igitur ita instructa, pulchrior, purior ac solidior est, absque ulla vanitate, fictione et fuco, vestita propriis actionibus comparens [a] quando opus est ; verbi gratia, ieiunando vel faciendo aliam paenitentiam aut actum virtutis, quando vel lex vel necessitas postulat. Ut qui varias ac multiplices merces habet venales aut gemmas, non eas omnes simul continuo profert, sed modo unam, modo aliam, pro rei et occasionis exigentia ; sic nos thesauros virtutum proferre non debemus, nisi quando opus est et ratio invitat.

7. Quarta, ut opera virtutum simpliciora ac sinceriora solidioraque sint et solum per proprios actus exerceantur absque subsidio et adminiculo externo. Accidit namque interdum ut quando virtus se prodit cum signis exterioribus, ille qui operatur ac virtutem exercet, contentus sit signis externis et in eis quiescat solis, reputans se fecisse aliquid magni, atque ita illusus etiam alios decipiat [b] specie sola virtutis, quae species est hypocriseos. Societas autem inimica est omnis illusionis et ostentationis virtutis.

8. Quinta causa est, quod hac ratione declinatur periculum superbiae et amoris proprii libido, dum fugientes laudem seu opinionem hominum per viam gradimur humilitatis, quae magis elucet in occultatione verae virtutis quam in exteriore eius ostentatione ; sic sumus remoti ab affectatione singularitatis, per quam homo minime sanctus prae se fert interdum exterius insignem sanctimoniam, quod ex diametro pugnat cum humilitate ; haec enim facit ut virtutes occultentur non solum aliis, verum etiam nobis ipsis, qui eas possidemus seu exercemus. Dicitur enim nobis a Christo : *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus* (2). Hanc ob rem sancti et electi in die iudicii, videntes se laudari a Christo Domino iudice, dicent : *Quando te vidimus esurientem, et pavimus te,* etc. (3). Quasi nesciverint se umquam virtutes illas exercuisse.

Colligimus hinc quomodo concilianda sint loca sacrae scripturae quae inter se pugnare videntur ; nam Christus Dominus in uno loco dicit : *Sic luceat lux vestra coram hominibus,* etc. (4). Alibi vero : *Cum facis eleemo-*

(a) *Comp. solum vest. p. a.* B. (b) *quadam,* add. B.

(1) S. Dionysius. PG. t. 3 de Divin. nom. cap. 4, par. 30 in. col. 730. Citatur ap. S. Thomam, p. 3. q. 90, a. 2. ad 4m. (2) Luc. 17,10. (3) Matth. 25, 37.44. (4) id. 5,16.

synam, noli tuba canere ante te (1). Et illud : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (2). Ibi igitur, fratres, mandat Dominus ut opera bona faciatis in publico ad aedificationem proximorum, sed ut ea pietatis seu virtutis opera faciatis temporibus et locis convenientibus, optantes alioquin a nemine videri. Hic vero : nesciat sinistra tua, noli tuba canere, intra in cubiculum tuum, etc... monemur quod nostri est instituti ut occultemus nostras virtutes, quando opus non est ut luceant et videantur ad aedificandum proximum ; quod multi religiosi facere nec possunt nec debent, ob instituti rationem ; non enim Carthusianus occultare debet studium solitudinis et silentii ac cilicii, nec Capuccinus neglectum sui et vitae asperitatem, nec religiosi ordinum Minorum abstinentiam a carnibus, ab ovis et lacticiniis.

9. Monemur praeterea quod ex instituto fugere et evitare debeamus duos scopulos ; unum tepiditatis, neglegenter videlicet tractando et promovendo virtutes interiores, ut quidam vitae communi et politicae plus aequo [a] studentes et insistentes faciunt ; alterum singularitatis, satagendo exterius ostentare sanctimoniam quandam, dum virtutis opus exercetur non suo loco et tempore. Nobis enim serio insistendum est studio verae et solidae virtutis, ac curae hominis interioris; nisi enim id faciamus, efficiemur sal infatuatum quod *ad nihilum valet, nisi ut conculcetur ab hominibus* (3).

Sed mirabitur fortassis aliquis de nobis, quo pacto dicamus quod Societas non exhibeat externis signa virtutis, cum regulae modestiae luculenter iubeant nos exhibere exterius modestos et modestiae studiosos. Respondeo quod virtus modestiae in Societate praestantissima, locata sit inter duo extrema ; quorum unum est vana quaedam libertas et licentia, quae facit ut homo in suis actionibus ad instar viri saecularis se gerat, absque freno disciplinae et cum scandalo proximorum. Hac de causa B. P. N. has leges nobis tradidit, ut per eas evadamus moderati et in omnibus circumspecti, in incessu, in verbis, in visu, in risu, in tota denique hominis exterioris compositione.

10. Alterum extremum est affectatae cuiusdam gravitatis seu ostentationis immoderatae species, quae plurimum distat a Societatis modestia, quae minime excedit in prodendis signis externis virtutis ullius. Bonis patribus Capuccinis et aliis ordinibus religiosis ex instituto licet et eis

(a) *plus aequo*. om. B.

(1) Matth. 6, 2. (2) id. 6. 3. (3) id. 5, 13.

praescribitur ut habeant statum et singulare silentium. Ita S. Bernardi alumnis, ita Cisterciensibus, ut signis tantum, statis temporibus et locis loquantur. Item ut habeant oculos perpetuo demissos, manus complicatas et conexas vel in vestis manica positas, pedibus nudis incedant, ac fune cingantur, etc.

Societatis vero modestia communis est habetque aliquid naturale et quod communiter servatur a personis honestis et qui profitentur sapientiam. Societas ergo devitat ex una parte levitatem et morum dissolutionem ac laxitatem in conversatione ; ex altera ostentationem gravitatis. Nam haec impediret aliquando fructum qui alioqui fieri potest in proximis. Homo siquidem Societatis non debet abstractus esse et morosus ac difficilis, qui absterreat ab se proximos, ut non audeant accedere et communicare sua secreta et scrupulos. Sed conversatio Societatis debet esse suavis, temperata, benigna, humilis, elegans, affabilis, quae attrahat ad se proximos, eos patienter ferat, sciatque tempore et loco dissimulare iniurias et proximorum defectus.

11. Non debes, mi frater, si doctus es et insignis vel nobilis, propterea efferri, sed omnis gloria tua in Deo debet esse collocata, qui largitus est quae tu habes. Hinc propheta (1) : *Haec dicit Dominus : non glorietur sapiens in sapientia sua, et non glorietur fortis in fortitudine sua, et non glorietur dives in divitiis suis, sed in hoc glorietur, qui gloriatur, scire et nosse me, quia ego sum Dominus.* Hoc est ut cognoscat, si quid boni habet, quod illud a me habeat. Non ergo transeuntia affectemus et quae praetereunt pro nihilo ducamus, ut habet D. Ephraem (2), de Virtute, cap. 10 : « Nam qui ex hac vita excessit, rediturusne fortassis est ad nos post annum ? an post centum, et mille annos ? » Gloriemur ergo in Domino, et dum vivimus, humilitatem et modestiam colamus.

Est igitur modestia Societatis virtus perelegans et eximia, quae ut iuvet proximos, multas occultat virtutes insigniores. Quare fuit necessarium communi honestorum clericorum vestitu indui et communem vitae rationem tenere. Silentium porro servamus in Societate, si instituti studiosi et observantes sumus, ut nimirum, fratres carissimi, non effundamus nos in verba otiosa et vana ac superflua, sed ut non loquamur nisi parce et quando ratio et tempus locusque postulant. Simus vero animis ita comparati, ut rigidum illud quod alii servant silentium, etiam servaremus si gloria Dei id postularet. Alioquin

(1) Ier. 9, 23, 24. (2) S. EPHRAEM. tom. 2. n. 31 (catalogi). Attende, cap. 9. pag. 325 b (Quid porro), in edit. altera, coloniensi (1603) ; [in ed. 1ª Vaticana, t. 2, p. 76 c]. Posthac ad solam ed. 2m referemus.

imitemur Paulum apostolum dicentem : *Non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem* (1).

12. Sexta causa est quod beneficio huius combinationis, videlicet vitae communis et studii comparandae virtutis in summo gradu et perfectione, homines Societatis aspirant ad omnium virtutum complexionem, et — quod ad imitationem Christi pertinet — ut studeamus eas obtinere omnes, sicut Christus eas ab instanti incarnationis habuit in excellentissimo et summo earum gradu, quod cum vita communi valde convenit. Haec etenim capax est omnium virtutum, neque se uni magis quam alteri astringit ; qua in re differimus quidem a ceteris religiosis, qui praecipue uni atque alteri incumbunt — licet in omnibus egregie se exerceant, — v. g. solitudini, asperitati, silentio, orationi, cantui, etc. unde nequeunt omnibus virtutibus pari studio insistere, exempli causa, in salute proximorum procuranda, et iis officiis quae ad eam promovendam pertinent. Non enim vacare iis possunt, dum ex instituto suo peculiaribus illis virtutibus insistunt. Atqui Societas, quae debet se accommodare omnium spirituali necessitati et servitio, habere debet homines expeditos ad exercendas omnis generis virtutes pro diversitate locorum, temporum et occasionum, adeo ut, si opus foret pro salute proximorum servare perpetuum silentium, illud accurate servaremus ; si continenter gestare cilicium, idem faceremus quod Carthusiani et alii ; si frequens ieiunium, hoc etiam susciperemus, et id quidem ex vi et ratione proprii instituti.

En, fratres mei carissimi, [a] ad quam vocati sumus vitae rationem. En perfectio quam a nobis exigit instituti ratio et ad quam Paulus nos exhortatur dicens (2) : *De cetero, fratres, quaecumque sunt vera, quaecumque pudica, quaecumque iusta, quaecumque sancta, quaecumque amabilia, quaecumque bonae famae, si qua virtus, si qua laus disciplinae, haec cogitate quae et didicistis et accepistis et audistis et vidistis in me. Haec agite,* inquit, *et Deus pacis erit vobiscum.*

13. Ex iis quae dicta sunt colligimus nos debere habere desiderium ardentissimum ad omnes virtutes, et studium conatumque ad eas acquirendas in summa earum perfectione, non ostendendo tamen eas exterius externis signis, nisi quando opus est, sicut generosus miles

(a) *ut monet D. Paulus.* add. uterque codex supra l., sed A delevit.

(1) 1 Cor. 8, 13. (2) Philip. 4, 8. 9.

arma corripit, quando usus impellit. Item quod, licet victus et vestitus noster sit communis et commodus, debemus tamen concipere desiderium multa sustinendi incommoda, quando res ita postularet pro salute nostra vel proximorum. Immo interdum, ut regula monet, debemus paupertatem nostra sponte exercere, ut quando incidant occasiones, non sit nobis novum et insolens dura pati et sustinere pro Christo, licet sensualitas urgeat et recalcitret.

Vita etenim nostra militaris est. Generosus autem miles esse non debet delicatus, sed ferendis malis et laboribus assuefactus, ut dormire humi, pati imbres, ventos, inediam ; quare qui sua studiose quaerunt commoda, valde distant ab hac vita, et ii qui in otio tempus suum transmittunt, quaerentes carnis commoda, pati nihil volentes, licet premat necessitas. Item licet ab aliis ordinibus exterius in multis distinguamur, idem tamen debet nobis esse studium, ut quas habent plurimas et pulcherrimas virtutes interiores, illas nos consequi studeamus. Quod nobis concedat qui convocavit nos et conduxit in vineam suam Christus Dominus.

5ª Exhortatio

Quod Societatis institutum sit clericorum et honestorum sacerdotum, et quod nihilo minus cum aliis ordinibus in interioribus conveniat, licet in exterioribus differat

1. In praesenti exhortatione, fratres carissimi, duo praecipue tractabimus : primo, quod Societas vitam habeat communem et — non enim oberit idem argumentum etiam modo tractare, quod et alibi a nobis tractatum fuit — non singularem in victu et habitu ; secundo, quod debeamus nihilo minus a monachis mutuare id quod in eorum institutis est perfectissimum. D. Augustinus in Ioannem dicit (1) monasterii nomen non fuisse in Ecclesia primitiva, sed rem significatam iam ante fuisse ; « monasteria et xenodochia nempe fuerunt postea appellata novis hisce nominibus, res autem ipsas ante nomina sua exstitisse et religionis veritate fuisse firmata ». Et in ps. 132 dicit (2) quod monachorum institutum ex filiis prophetarum, ex Apostolis et aliis Christi discipulis originem duxerit. Attende,

(1) S. Augusт. PL. t. 35. in Ev. Ioann. tr. 97, n. 4 m. col. 1879. (2) Id. PL. t. 37 Enarr. in Ps. 132, n. 6. col. 1732 et 33.

ait, ad etymologiam huius vocabuli et quomodo plures simul viventes monachi vere dicantur, in quibus multi pariter pugnant et tot sunt auxiliarii quot socii. Quare vero haeretici nomini monachorum insultant ? Quia se ab unitate praeciderunt, ideo nomini unitatis insultant. Item quia nolunt habitare in unum cum fratribus, sed sequentes, inquit, Donatum, Christum dimiserunt.

2. Beatus igitur P. N. Ignatius, ita disponente Spiritu Sancto, rem et substantiam monachorum nobis per institutum et constitutiones a Christi vicario confirmatas tradidit, quae definiunt Societatis vitae rationem esse debere communem, secundum hominem exteriorem, quod magni facere debemus. Neque, fratres carissimi, rem esse duxit beata illa anima exigui momenti ; proinde statim ab initio examinis, postquam exposuit Societatis approbationem et vota essentialia quae constituunt eam religionem, istam continuo vitae communis formulam expressit, ut rem instituti substantialem ; quin et multis aliis locis illud ipsum repetit, ut in 3ª parte, cap. 1. 2 et 3. Quod augustius est, eam Bulla Iulii III Pontificis summi, inter alia quae substantialia sunt instituti nostri comprehendit. In his, ait, quae ad victum et quae ad vestitum, etc... vita est communis ; quod attinet scilicet ad speciem externam, quae oculis ipsis patet. Nec habet paenitentias ullas ordinarias ex obligatione ; non enim dicit absolute Christi vicarius nos non habere ex instituto paenitentias — esset quippe illud valde durum et insolens — sed quod illae non praescribantur ulla lege, neque exerceantur ex necessitate ulla et mandato. Nulla siquidem est ordinaria abstinentia, nullum ieiunium, nulla flagellatio omnibus praescripta ; suscipiuntur tamen haec et exercentur, vel quia a superioribus ob causas imponuntur, vel a subditis pro sua cuiusque devotione et maiore suo profectu spirituali petuntur. Sicuti medicina sanis et aegris a medico praescribitur, illis ad conservationem valetudinis, his ad purgationem et sanitatis recuperationem.

3. Habitus in Societate non est singularis, sicuti est in plerisque ordinibus religiosis. Quocumque illi procedunt, habitus eorum clamat homines esse a mundo abstractos ; verum Societatis habitus nihil habet insolens, nihil novum, sed est is quo communiter utuntur clerici honesti et modesti secundum usum in ecclesia Dei probatum, ex cuiusque gentis et nationis, in qua illi versentur, consuetudine. Ratio porro huius constitutionis sumitur ex fine et substantia ipsius instituti, nimirum quod sit religio clericorum. Quae ratio, ut procedit a priori, est persolida. Et porro magni istud refert, estque veluti principium et dignitas, ut loquuntur philosophi de magnis et generalibus suis propositionibus, quibus et singulis bene

intellectis multa consequuntur et sciuntur. Est, inquam, religio clericorum, ut eam Bulla Iulii III vocat, sicut et concilium Tridentinum (1). Quare non debet illa domi forisve comparari cum ordinibus monachorum, nisi in eo quod religio sit approbata, et quod illa, ut ante dictum est, interioris hominis pulcherrima quaeque consectetur. Neque debet reputari res nova in Ecclesia ; familia namque D. Augustini religio erat huiusmodi, et regulam ipse confecit ; quin et libro de ecclesiasticae disciplinae moribus asserit S. Ambrosium habuisse Mediolani duo monasteria clericorum. Et ipse D. Augustinus consueverat neminem ordinare qui non esset obstrictus voto paupertatis, ut ait Possidonius qui eius vitam conscripsit ; ut nimirum omnes essent ad instar Religiosorum a mundo separati, qui Episcopum iuvare possent ad finem quem intendebat, salutem nimirum animarum sibi subditarum. Et sane rationes et instituta antiquorum Patrum et Episcoporum oeconomica, erant ad instar monasteriorum, sicut legimus de sanctis Hilario, Martino, etc. In quibus sustentabantur et conveniebant clerici cum vita et disciplina religiosa ; et ibidem instituebantur alii iuvenes ad instar seminarii, quod nostro saeculo, paulo ante Societatis institutionem in Italia, religio Theatinorum, a Paulo IV antequam Pontifex summus esset instituta, servavit. Habitabant sacerdotes plerique cum ipso Paulo episcopo Theatinensi, sub eadem disciplina ab ipso praescripta. Item Mediolani exstitit religio clericorum, quam Barnabitarum appellant, estque iam utraque in Urbe, illa ad S. Silvestrum, haec ad S. Blasium, neque admiratus est mundus viros religiosos in habitu clericorum. Et sane haec vita communis, hic habitus clericorum, maxime accommodata sunt huic tempori, sicuti sapientissimi quique notarunt et probarunt. Est vero sic instituta Societas nostra propter finem sibi propositum, ut videlicet tractet facilius et amplexetur sollicitius ea quae salutem animarum promovent, docere videlicet proximos, eosdem a peccatis et erroribus liberare, per ministerium denique verbi et sacramentorum easdem e faucibus daemonis eripere ; quae sunt officia propria sacerdotum et hierarchica, ut sunt praedicare, catechizare, confessiones excipere, sacramenta alia administrare, etc.

4. Sed desideratis fortasse penitius cognoscere quare B. P. N. hanc vitae rationem nobis tradiderit. Ut igitur vobis satisfaciam, hoc studio fecit sanctus vir, ut nos ad finem propositum dirigeret. Est autem hic finis, ut cum fideli et sana doctrina Christi Iesu ecclesia iuvaretur, infideles ad verum Dei cultum ducerentur, moribus depravati ad meliora studia revocarentur per veram paenitentiam et sui cognitionem, excitare-

(1) Sess. xxv. c. 16.

tur denique in omnibus et singulis desiderium suae salutis. Quem ad finem debuit Societas imitari hierarchicum Ecclesiae statum, ordinem et dispositionem regiminis ipsius ac media quibus illa utitur ad finem propositum. Quae causa est quam ob rem Societatis gubernatio sit monarchica, sitque in ea unum caput perpetuum, a quo tota directio dependeat, et omnes facultates quae a Sede Apostolica corpori concessae sunt, ab hoc capite ad membra deriventur ; sicut motus et sensus corporis humani a capite ad singula membra dimanant ; ut in ecclesia catholica omnis iurisdictio a Sede Apostolica dimanat ad particulares ecclesias et personas. Quis umquam vidit in ulla religione tantam oeconomiam, tam pulchrum ordinem, tantam a suo capite dependentiam ? Ut vero haec eius gubernatio facilior et stabilior esset, ordo etiam esse debuit inter ministros : sicuti in ecclesia sunt patriarchae, archiepiscopi, episcopi, sacerdotes, ut olim erant apostoli et discipuli, sic in Societate qui iuvant administrationem sunt sacerdotes, professi, coadiutores spirituales et temporales, praeceptores et discipuli, ut habuit antiquus usus ecclesiae, ut colligitur ex concilio Toletano 2° et 4°.

5. In quo etiam studiosi adulescentes dicuntur anno decimo quinto aetatis votum edidisse castitatis. Admittit autem Societas etiam adulescentes —paulo tamen adultiores, ut decem et septem annorum— ut paret operarios idoneos et perfectos, a mundo spiritu et animo seiunctos, qui non solum exoptent pertingere ad virtutis perfectionem, sed qui perveniant ad eum statum in quo possint exercere ea quae perfectionis sunt, hoc est, contionari, docere, catechizare, conversari in domo Dei ut operarii inconfusibiles et irreprehensibiles, ut Paulus loquitur et cum ipso S. Chrysostomus (1) : « Oportet ipsum, inquit, nimirum sacerdotem, iam e terra migrare humanisque rebus evadere celsiorem. » Sed tempus est ut veniamus ad secundam partem exhortationis.

6. Hic videbimus, fratres carissimi, quam remotum sit hoc saeculum ab ea cura quam maiores primorum saeculorum tenebant in instituenda et informanda prole, quae aptanda esset ad ministeria ecclesiastica ; nam dicit D. Leo (2), laudans usum antiquum asciscendi ad sacros ordines, praecipue ad sacerdotium, nimirum « ut illi solum admitterentur quorum

(1) Legitur in margine : Hom. 4 sup. 1 ad Tim. c. 4. Est autem ex Hom. 10 sup. 1. ad Tim. cap. 3, suntque ipsa verba ed. Keerbergii (Antverp. 1614), in ed. autem Mignensi PG. t. 62. col. 549 m. (Oportet illum iam ex terra...). Haec aliis quoque locis Chrysost. obtinguntur. (2) S. Leo M. PL. t. 54, Epist. 12. col. 660 a (lin. 4). — Cfr. Dist. 61, cap. 5. « Miramur ».

aetas a puerilibus exordiis usque ad provectiores [a] annos per ecclesiasticas disciplinas decurrisset ». Assumebantur in seminarium seu monasterium ii qui facto voto castitatis ab anno decimo quinto aetatis, seu decimo octavo, usque ad tricesimum se exercuerant, et probati fuerant variis virtutis exercitiis. Quod si delinquebant in eo ad quod obligabantur, e vestigio excludebantur. Quin et sacerdotes facti, si peccatum admittebant quod corporale vocabant, hoc est carnis, degradabantur. Immo et qui tractassent negotia saecularia vel aulica, dimittebantur et gradu suo privabantur. Natura non fert, ut quod ars fabrilis ferraria pollicetur se effecturam, id per figulinae artis opificium consequamur. Sic nec potest bene formari et aptari iuventutis indoles ad ecclesiastica ministeria inter saeculares degens : nam horum mores necessitudine assidua induit ; neque ad bravium et coronam pervenire potest propositam qualicumque lyrae studio et canendi usu quispiam. Nam ad singulos singularum artium fines obtinendos, accommodanda peculiaris earum uni cuique est quaedam industria. Proinde non potuerunt formari ad Ecclesiae ministerium convenientius et melius adulescentes quam in seminariis. Sic si quis animum suum studiumque ad perfectionem conciliandam vel ad gratiam Dei obtinendam religiosus adhibere pro instituto voluerit, ab omnibus prorsus mundi huius sollicitudinibus eundem avocare debet, seseque prorsus a quavis re unde animo menteque distrahi possit, abducere.

Quam ob rem Apostolus matrimonium ut sanctum, sicuti est, commendat ; dicit tamen ad Corinthios (1) : *Qui sine uxore est, sollicitus est quae sunt Domini, quomodo placeat Deo. Qui autem...* Opponit videlicet unum alteri.

Legimus quod D. Gregorius, interrogatus an miles admitti posset, respondit posse, post tertium annum probationis, sumere et portare habitum monachalem (2), sacerdotem autem fieri nullo pacto ; fortassis considerabat vir sanctus malos habitus qui ex bello contrahuntur. Illa erat videlicet, fratres mei, puritas quam exquirebat, et porro nunc requirit ordo religiosus, praecipue sacerdotalis. Hanc B. P. N. exoptans renovari, multa experimenta, varia examina, plurimas probationes voluit in Societate servari et multa eorum ordinationem sacerdotii praecedere, ut debite animi ad illud praepararentur. Felices ergo nos, fratres mei, sumus, qui in medio tanti thesauri conversamur et in tot exemplis egregiarum virtutum quae ex fratribus nostris habemus. Infelices autem nos, nisi ditari studeamus. Periculum vero maximum, nisi faciamus ne cum virginibus prudentibus vitam

(a) *perfectiores*. A. B.

(1) 1 Cor. 7, 32-33. Cfr. S. Basilium. PG. t. 31. col. 919 ext. (2) S. Gregor. PL. t. 77 Epist. lib. 8 Ind. 1, ep. 5 col. 910 a.

agentes, inter fatuas ob ignaviam nostram referamur ; cum tanta habuerimus et habeamus luminaria, quae nostros singulis diebus ac noctibus illustrant oculos. In illorum, quaeso, lumine ambulemus, vestigiis ipsorum insistamus. D. Gregorius Magnus, ut habetur dist. 92 can. 2. « In S. Rom. Ecclesia » profert quaedam quae possunt nobis consolationem ob Societatis disciplinam tam bene ordinatam afferre. « Dudum, inquit (1), consuetudo est valde reprehensibilis et aliena ab eo quod S. Petrus docuit et a distinctione clericorum quam statuit, et ab officiis in quibus eos occupavit et instituit ; est autem haec : quod iam admittuntur ad sacerdotium et diaconatum, qui bona voce praediti sunt ad cantandum, neglectis partibus et talentis sacerdotio convenientibus et necessariis. Sacerdotes porro occupari non debent, ait S. Pontifex, in cantu, sed in praedicatione verbi Dei, et diaconi in distributione eleemosynarum et in catechismo ; pro choro autem facite scholas cantorum. » Hanc sententiam secutus D. Thomas dicit (2) quod episcopi et diaconi debent occupari in verbi Dei praedicatione, nec debere cantibus insistere, quod illud maioris sit momenti quam istud, affertque illum ipsum locum S. Gregorii.

7. D. Ambrosius ponens differentiam inter monachos et clericos, dicit (3) : Vita monachorum est assuefacta ad paenitentiam et patientiam, vita clericorum ad moralitatem et commoditatem [a] disciplinae. Vita illa videlicet est virorum qui tractare solent aspera et austeritatem ieiunii, qui colunt quae paenitentiae sunt,et haec cum magno exercitio patientiae.Hinc S. Chrysost. monasteria vocabat domus fletus (4), quod in eis tractabatur continenter de recollectione et solitudine,nec eis permissum erat agere cum externis neque domi inter se facile conversari ; adeo ut D. Gregorius (ut habetur 122 cap. Luminoso) dicat non probari quod in eis monasteriis missas cantarent sollemniter, propter commercium eorum qui ad eas adventabant et perturbabant pacem et quietem monasterii ; hoc enim non expedit animabus eorum, inquit (5).

Ordines mendicantium, licet sint monachi, videntur tamen non nihil ab eo rigore recessisse, ut [b] commodius Ecclesiae deservirent et eam iuvarent. Retinuerunt tamen magnam partem antiquae austeritatis, ieiunia, silentium, flagellationes, chorum, habitum differentem.

(a) scripsit huius loco librarius *comitatem.* (b) *quia videlicet missi fuerunt ut sanctam Ecclesiam iuvarent.* B.

(1) S. Gregor. ibid. Append. ad Epist. col. 1335 lin. 1 sqq. (2) 2, 2ae, q. 91, a. 2, ad 3. (3) S. Ambros. PL. t. 16 Epist. 63 col. 1208, 71 in. (4) S. Chrysost. PG. t. 62 in Ep. 1 ad Tim. c. 5, Hom. 14, n. 3. col. 574 extr. (5) S. S. Gregor. PL. t. 77 Append. ad epist. col. 1342 a.

8. B. autem P. N. Ignatius noluit usurpari a nobis haec externa ex obligatione, quia, ut dicebat : Dominus Deus Societatem dedit Ecclesiae ad curandam salutem animarum ; et quia [a] hoc institutum nostrum hominum non est sibi solummodo attendentium. Propterea noluit eam occupari in choro neque aliis observationibus et caerimoniis exterioribus, ut liberiores essemus ad incumbendum iis quae instituti propria sunt, et ut locus nulli esset dicendi, dum vocaretur ad officia caritatis : Sum defessus ex choro, ex cantu, non possum confessionibus excipiendis ac aegris visitandis vacare ; quibus ex instituto alacriter et cum laetitia vacare debemus, non aliter quam qui invitantur ad convivia. Alii religiosi non sunt quidem otiosi, quia assidui sunt in laudibus divinis et sanctis occupationibus, illisque Ecclesiam aedificant et exornant. Societas nisi se occupet in suis ministeriis, ad quid utilis ? Iure illi conveniet quod de sale dicit Dominus infatuato : *Ad nihilum valet ultra nisi ut mittatur foras* (1). Et de sterili arbore mandat ut succidatur.

9. D. Ambrosius epistola 82 ad Euseb. dicit (2) quod episcopi simul cum suo officio tenere debeant etiam virtutes monachales ad perfectionis integritatem, vitamque interiorem quae tanto est perfectior quanto est difficilior. Nam ut idem ait, monachi fugiunt inimicos, sacerdos eis occurrit; illi secedunt in desertum seu solitudinem clerici fortiter decertant in theatro mundi huius. Hoc ipsum dicit D. Greg. Nazianz. (3), videlicet quod Deus sacerdotes non collocavit nec abscondit in eremo, ut sibi tantum attenderent, sed in arena ut sibi et aliis utiles essent (4), ensem vibrando a dextris et a sinistris, hosti arma auferendo, sua retinendo, se et proximos armis instruendo opportunis. Sed, heu, non omnes, postquam viri, hoc est docti et bene instructi evaserunt, suam matrem reverentur et colunt ut deberent, sed suo iudicio et ingenio se regunt et sua disponunt, quia labores pariendi et nutriendi non intellegunt. Omnes tamen cum Ecclesia tum religionis status sustinet et fovet. Sic et Ioseph malos et impios in Aegypto sibi adversantes fovit, sed bonos teneriore affectu quam improbos.

10. Fuit praeterea necessarium ad finem propositum, sicuti alibi diximus, ut Societas haberet exterius habitum et conversationem communem cum honestis et probis clericis, quod negotium habeat cum tanta homi-

(a) *quod.* B.

(1) Matth. 5, 13. (2) Epist. non ad Eusebium, sed ad Theodosium. S. Ambros. PL. t. 16. col. 1207, n. 66, et cfr. nn. 68, 71 in. (Eusebius...) (3) S. Greg. Naz. PG. t. 35 Or. 2ª apologetica. col. 407, nn. 1, 3. Cfr. col. 180. Citatur ad sensum. (4) Quae sequuntur non habet Gregorius.

num nationumve diversitate ; haereticis, paganis, turcis, moscovitis, germanis, iaponibus, bonis et malis. Debet ergo homo Societatis assuefieri, ut ante ex D. Ambrosio diximus, ad moralitatem et commoditatem disciplinae ; debet esse affabilis, sed affabilitate religiosa, non mundana, non scurrili. Ex quibus patet quod cum vita Societatis sit communis in exterioribus, in interiore tamen esse debet singularis et excellens, instructa egregiis virtutibus, egregia passionum mortificatione, insigni cum Deo coniunctione ; praeclaro denique praedita animarum zelo. His enim praesidiis multo magis egemus, fratres carissimi, quam alii religiosi, quos habitus et tonsura continent in officio, et esse [a] faciunt apud sapientes in bona opinione ac populo valde commendabiles. Quae adiumenta Societas cum ex obligatione non habeat, nec inde gratiam apud plebem et magnates sibi conciliet, necessarium omnino illi est ut in ea interiora suppleant, et ea redundent exterius per sanctam conversationem, modestiam ac virtutem, ut eam exornent. Nam si nos videant saeculares contra frigus pluribus et bonis vestibus munitos, neque videant interioris hominis indicia quae magnam prodant virtutem, quam habebunt de nobis opinionem ? Necesse est ergo ut in nobis magna sit virtus, magna modestia in verbis, in gestibus et motibus totius hominis, suavis mansuetudo, pietas insignis, luculenta humilitas, dulcis affabilitas, accensus zelus Dei ac salutis animarum, ut quicumque nos vident dicant : revera hic est religiosus Societatis Iesu et eiusdem verus alumnus. Est, inquam, de semine illo cui benedixit Dominus. Dicebat S. Ephraem suis monachis (1) : « Considera habitum quo indutus es, monache, et cerne quantum sit inter hunc saecularemque, discrimen, diligenterque adverte quidnam ille designet. Constat quippe quod saecularium institutorum sive etiam rerum significet abiectionem, spiritualiumque operationum recordationem afferat. » Quando virtutes iam commemoratae desunt, quae hominem exteriorem componant, non agnoscimus vera et genuina Societatis membra, sed filii degeneres reputamus.

Hoc ipsum dicit D. Ambrosius seminaristis suis (2) : habitus, inquit, mentis, in corporis cernitur habitu ; hinc noster absconditus aut levior, aut iactantior, aut contra maturior aestimatur. Vox quaedam est animi, corporis motus et plerumque speculum mentis in verbis refulget. Advertamus igitur, fratres dilectissimi, ne ignavia detrudat nos in officii nostri oblivionem, et ne, dum externis videmur aliquid esse ob Societatis existimationem et exteriorem nostram compositionem, evadamus tamen sicut

(a) *Faciuntque coniuncta cum asperitate vitae et disciplinae studio eos apud.* B.

(1) S. Ephraem. Tom. 2. De Virtute. cap. 9 in., p. 303. (2) S. Ambros. PL. t 16. De Off. cap. 17. col 44, n. 71.

vas vini fissuram, licet parvam, habens, qua vinum sensim deperditur ; quod quidem qui aspiciunt, ignorantes quid intus sit, arbitrentur plenum esse ; verum re explorata et distillatione perspecta, mox palam fit omnibus vacuum esse ; ita et nos inanes et vacui in oculis Domini inveniamur, licet ab hominibus ut pleni honoremur, tales nimirum qui in die illa tremenda, dum ad regem et iudicem ducentur : *Domine,* inquient, *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus* ? audiant respondentem regem : *Numquam novi vos, discedite a me qui operamini iniquitatem* (1).

6ª Exhortatio

De fine societatis, de officio et dispositione eorum, qui de societate illum promovent ; tertio loco de impedimentis incidentibus et eorum remediis

1. Omnis scientia moralis et practica, ut est institutum Societatis, semper considerat et intendit finem suum, quem philosophi « propter quid » vel « gratia cuius » vocant. Ex huius finis consideratione ratio et dispositio ceterorum, hoc est mediorum ducitur, et de ipsis hoc quidem eligitur ut conveniens,illud repudiatur ut noxium vel inutile.Hac regula mensurantur omnes actiones et studia vitae politicae, et quae a ratione est, et ut uno verbo dicam, actiones omnes humanae semper oculos coniectos habent in scopum et finem suum, adeo ut quando homo vicinus est fini, vel operando ipsum attingit, bene diem et tempus laboresque suos collocasse se putet, gaudeatque plurimum. Hic scopus seu finis agricolam recreat, facitque ut alacriter sustineat labores et aeris intemperiem, utque confidens sementem suam terrae committat et caelestibus influentiis, quam prius servabat in horreo. Et quid movet militem, obsecro, ut tot se incommodis et periculis exponat, nisi honor quem sibi finem statuit ? Quis mercatorem inducit ut aestus et fluctus maris ac naufragii discrimina adeat, nisi spes divitiarum quas ob oculos mentis positas habet ? Haec exempla Cassianus affert (2).

Finis ergo Societatis est totis viribus et studiis incumbere in salutem et perfectionem propriam et proximorum. Hic finis tessera est et symbolum proprium Societatis, quo multum ipsa illustratur et ab aliis ordinibus distinguitur, necnon in Ecclesia Dei peculiarem locum et gradum obtinet.

(1) Matth. 7,22. (2) Cassianus. PL. t. 49. Coll. 1ª, cap. 2. col. 483 sq.

Hodie igitur hac de re agemus, Deo concedente, dividentes nostram exhortationem in tres partes : 1ª erit ostendere quid sit nostrae Societatis finis et quae eius dignitas ; in 2ª parte agemus quales in Societate debeant esse ministri ut fini suo respondeant ; in 3ª denique parte, quae impedimenta cavenda sint nostrae Societatis hominibus ostendemus.

2. Ad 1ªm quod attinet, ex fine, ut paulo ante insinuatum est, religionis praestantia ducitur ; non a vitae asperitate, non a solitudine, sed ab utilitate et perfectione nostra, et ex mediis quae nos facilius deducant ad summum bonum et ad ultimum finem, ut habet D. Thomas (1), et egregie philosophatur concludens illam religionem esse perfectiorem, quae etiam se occupat in actione status hierarchici — ut est contionari, catechizare, confessiones excipere, sacramenta administrare, saluti demum animarum vacare — quam sint illae quae circa solam contemplationem versantur ; tum quod augustius sit illuminare alios quam lumen in se continere et saluti suae vacare, quia illuminare supponit prius lucere in se : Societas autem amplexata est hunc finem. Missis igitur comparationibus,quae communiter inter homines sunt odiosae,solum hoc dicam, quod licet Societas a B.P.N. minima vocetur, quia est omnium fere ultima, agnoscit tamen grata animi memoria largam Dei erga se manum, et ad affectuosam gratiarum actionem perpetuumque huius finis sui studium obligatam valde se sentit. Iam vero doctis omnibus constat, quod praedicare et sacramenta administrare, officia semper in Ecclesia exstiterint valde laudabilia et sublimia, fueruntque semper officia episcoporum et aestimata prorsus apostolica.

3. Clara sane res est, ut ad 2ªm punctum veniamus, quod olim non instituebantur sacerdotes ut solum sacrum celebrarent, sed etiam ut docerent et saluti proximorum insisterent. Quae causa forte fuit ut D. Dionysius Areopagita (2) ponat primo loco populum,secundo monachos,tertio clerum, postremo episcopos ; praeferens videlicet monachis clerum, quod esset hic status valde sublimis et ministerium iuvandi animas praecellens. Quod, fratres carissimi, serio pensitare debemus considerando ut qui tam praestantem et excelsam vitae rationem Dei gratia elegimus, vitam agamus tanto statui congruentem et qualem meretur finis nobis propositus. Nam concilium Toletanum 4ªm dicit in haec verba : Tales sint Sacerdotes ut possint populum aedificare doctrina fidei et disciplina morum. D. Bernardus (3) : lingua, ait, praedicantium, nummo confessionis sibi comparat tria aromata : 1ªm modestiam in increpando, 2ªm copiam in exhortando,

(1) S. Thomas, 2. 2ae q. 188-189. (2) S. Dionys. PG. t. 3 de Eccl. hier. cap. 6, col.530-534 ; vel PL.,t. 122, col. 1101, sq. (3) S.Bern.PL. t. 183. 2 Serm. de ressurr. col. 286. n.9.

3um efficaciam in persuadendo. Idem in Cant. (1) : Illius doctoris libenter audio vocem, qui non sibi plausum sed mihi planctum movet. Idem, serm. 2° de Resurrectione (2) : « cuius vita despicitur, restat ut praedicatio contemnatur ». Hunc finem cum se habere Societas profiteatur, ut religio est presbyterorum, debet ex instituto, quod per Dei gratiam facit, doctrinam fidei et disciplinam morum servare et profiteri ad aedificationem proximorum. Constat quanta fuerit disceptatio inter Patres sive Praelatos in concilio Tridentino de loco quem habere deberet P. N. Iacobus Laynez, praepositus Societatis Generalis. Volebant Generales monachi illum inter se sedere, sed decretum fuit ut locum non inter monachos haberet, quod praeesset religioni non monachorum sed presbyterorum. Constitutio seu Extravagans Gregorii VI « Ascendente Domino » haec habet verba : Praecipuus finis Societatis est religionis defensio et propugnatio animarumque salus, etc... et paulo post, media ad eum finem dicit esse praedicare, confessiones excipere, docere, catechizare, etc.

4. Possent huc adduci multae sententiae et documenta sanctorum Patrum, sed unus atque alter sufficiet. S. Basilius (3) movet quaestionem unam, utrum integrum sit religioso vires corporis ita paenitentiis et asperitatibus extenuare, ut sanitas illi depereat et inutilis fiat ad vitam activam tractandam in auxilium proximi ordinatam. Respondet autem non licere, quod vita activa sit utilior ac maioris perfectionis, quando coniuncta est cum contemplativa, quam haec sola. Et ad id asserendum adducit exempla Eliae, Ioannis Baptistae ac Christi Domini, qui sub finem vitae aggressi sunt hoc vitae genus, ut sigillum perfectionis et consummationem seu culmen vitae spiritualis. D. Gregorius Nazianzenus (4) affert ad magnam Basilii laudem quod sciverit unire utramque vitam, activam scilicet et contemplativam ; nam monachi, ait, in deserto non sunt tam utiles Ecclesiae quam in civitate, et sicut mare et terra sibi invicem communicant bona sua, ita activa et contemplativa vita inter se ; quia contemplativa virtutem et vim dat activae ; haec vero contemplativae auxilio est. Item in oratione quam habuit de laudibus D. Athanasii (5), dicit quod sanctus ille vir duo se docuerit, unum ut teneret contemplativam actionem et actuosam contemplationem ; alterum, ut quam monachi vitam degebant in deserto, teneret ipse in mundi medio.

5. Cum hic finis quem commemoravimus tam excellens sit et eximius,

(1) PL. t. 183. col. 1063 in. (2) ibid. col. 287, n. 11 in. (3) S. Basil. PG. t. 31 Const. Monast. cap. 4. col. 1346 nn. 1. 6. 7.. (4) S. Greg. Naz. PG. t. 36 Orat. in exseq. Basil. col. 578 b. (5) S. Greg. Naz. PG. t 35 Or. 2 Apol. c. 6. col. 1087.

ut revera est, requiratque a nobis magnam virtutum copiam, ut paulo ante etiam vidimus,debemus saepe, fratres carissimi,mente agitare illud Nazianzeni, apologia 2ª, quod presbyteri officium caelestem quandam vitam requirit. Primo enim purgari ipse debet, deinde purgare alios, sapientia instrui et alios sapientes facere, lumen fieri et alios illustrare, accedere ad Deum et alios ad ipsum adducere, sanctificari et aliis sanctitatem afferre. Ex neglectu autem huius ordinis et processus, videlicet proficiendi primo in se, ut deinde [a] aliis quis prosit, nascitur ut tractet [b] de spiritualibus absque spiritu, et de divinis absque sensu. Quod tam grave ac molestum erat D. Gregorio ut, sicut fatetur (1), in desertum secesserit ne sentiret ac videret quosdam praedicatores tractare de spiritu sine spiritu, et praedicare verbum Dei cum lenocinio verborum ad placendum hominibus.

Hanc ob causam dicere solebat B. P. N. Ignatius hominibus Societatis magno opus esse spiritus thesauro, et, ut loquuntur negotiatores, capitali devotionis, praecipue ad contionandum et conversandum, quod magni momenti negotium sit, rebelles et duras movere ad bonum voluntates, mortificare emollireque corda ad instar saxorum indurata. Requirit nempe hoc officium magnam gratiam et virtutem. Ratio siquidem postulat ut salutem et perfectionem proximi procuraturus, incipiam a me ipso. Dicimus porro perfectionem esse spectandam ; non enim contenti esse debemus qualibet proximi quocum agimus virtute ; neque permittere aut pati ut quem iuvandum in spiritu suscepimus, in quovis gradu virtutis ille subsistat ; sed dare operam debemus ut quemque promoveamus continenter ad perfectiora secundum cuiusque statum et indolem.

Nam continuus hic stimulus faciet ut fugiat peccata, neque deicere animum debemus si statim non obtineamus quod volumus ; ut enim animae liberae sunt, et quidem usque adeo, ut ipsarum libertati nihil quod creatum sit vim inferre possit, aut eas [c] cogere ut malum invite admittant ; ideo arte et pio dolo opus est ut inducantur ad id suscipiendum quod malum esse sibi persuadent, ut intellegas quam infeliciter cum ipsis agatur, quae non nisi volentes permittunt se traduci in potestatem hostis sui et daemonis.

Verum quia sunt hic peregrinae et consequenter ignarae, ut quod solo lumine naturali sive rationis vel etiam fidei ducantur, sintque conclusae in carcere tenebroso et innumeris paene necessitatibus oppressae, facile fit [d] ub imponi sibi permittant, et suadente carne vel daemone appetant quod noxium est, praesertim si exhibeatur tamquam commodum et suave vel

(a) om. B. (b) *n. tractare.* B. (c) om. B. (d) *sit.* B.

(1) S. Greg. Naz. PG. t. 35. Or. apol. 2a, n. (82 ad) 90. col. 494.

honorificum vel corpori necessarium. Nam cum quidpiam apprehendit [a] anima libera ut sibi bonum, ita illi adhaeret ut vix ab eo avellatur ; certe non avellitur nisi persuasione forti. Ut enim animus liber traducatur in id quod odit, hoc est, amet et velit verum et solidum bonum, malumque reiciat et abominetur quod falso bonum sibi esse persuadet, duobus opus est, magna perspicuitate veri et boni, deinde magna significatione amoris et caritatis, vel certe auctoritate aliqua insigni opus est. Explicatio itaque rei integra necessaria est, praesertim si is cum quo agis capax sit.

6. Nam apud eos qui minus sunt rationis capaces, valet praecipue caritatis significatio aut certe miraculorum exhibitio. Haec enim hominis mentem disponunt, ut id quod proponitur cum aliqua veneratione suscipiatur, licet eius rationem non capiat. Quando autem proximi sunt tam male dispositi, opus est magna patientia, multa oratione, perseveranti longanimitate ac virtutis exemplo. Sicuti morbo letali laboranti magna opus est medici industria, magna etiam patientia, sufferendae sunt iniuriae et id genus alia, ut aeger curetur ; sic et vobis, fratres mei, medici animarum, vicarii Iesu benignissimi, ut aegram animam, ut voluntatem lapideam revocetis ac reducatis ad Deum, multa opus est patientia, caritate magna, perseverantia indefessa.

Monebat praeterea B. P. N. ut haec officia praestaremus subnixi gratia qua Deus sperantes in se adiuvat, speciatim autem gratia vocationis ; haec siquidem utrumque studium comprehendit, perfectionis scilicet nostrae et proximi. Nemo enim in Societatem vel ingreditur vel admittitur ut se solum salvet, sed ut pariter incumbat impense in salutem proximorum. Qui vero hac in re languet vel tepidus est, argumentum evidens dat quod etiam erga se sit tepidus et quod parum proficiat ; vel sane illusus est a daemone qui *tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret*, ut ait D. Petrus (1).

7. Neque debent Societatis alumni eius insidias ignorare, neque multos esse daemones in circuitu huius familiae insidiantes et plures forte quam in reliqua civitate. Sentit enim damnum quod ex laboribus et industria vestra, mei fratres, orationibusque vestris accipit.Sed Deo sit laus quod nihilo minus haec familia circumsaepta sit diligenti sui cuiusque custodia, oratione multa, studio disciplinae, custodia angelorum, et quod caput est, Dei misericordia et auxilio, ut difficillime aliquem prosternat, licet fortiter et maligne impugnet.

(a) *Cum vero illud apprehendat.* B.

(1) 1. Petr. 5, 8.

In mundo videtur res magna ut aliquis inveniatur qui bene credat et integram fidem habeat. Haec autem familia, quae insignis Dei gratia est, non attendit tantum ut integram fidem servet, sed ut et magna operetur pro Dei servitio et gloria ; neque solum in suam, verum et in proximorum salutem ac perfectionem incumbat. Hoc cernit hostis ac ferre nequit ; ideo contra ipsam habet *iram magnam* (1). Videt siquidem illam Dei gratia et praesidio fulciri, videt haereticis esse formidabilem, infidelibus fidei lumen praebere, peccatoribus esse valde propitiam.

Videt probos quosque eius consuetudine delectari et ad meliora promoveri. Proinde versipellis circuit ut illudat et decipiat ; adoritur vero nos semper specie recti, aliquos ut sibi solis attendant, alios ut se totos iuvandis proximis tradant, parum autem sibi attendant ; alios specie zeli incitat contra alios, alios impatientia percellit, cum aeque fere malum sit religiosum sentire id quod sibi malum a fratre infertur, quam illud fratri inferre. Debet siquidem quisque nostrum tam mortuus esse sibi, ut ne sentiat quidem iniuriam a fratre acceptam, aut iniuriam esse reputet. Initiis vero advigilandum est, maxime iuxta illud : Principiis obsta. Nihil diabolus quaerit quam iuxta nomen suum separare et dividere ; ideo a D. Iacobo vocatur « qui segregat inter fratres ».

Atque utinam, fratres mei, arma nostra interdum non conseramus [a] contra nos mutuo, et sagittas inter nos [b] retorqueamus, ne litterae et scientiae nos inflent, et quae a Deo datae sunt in salutem nostram et proximi, per elationem in perniciem propriam disponamus. Bonae sunt litterae et necessaria eruditio et scientia. Sed quid prodest, ut ait Thomas de Kempis, alta de Trinitate disputare, si nostris moribus displiceamus Trinitati ? Quid prodest contentione multa procurare salutem proximi tui, si tuam, mi frater, neglegas ? Advigilemus, ne propriis armis nos diabolus confodiat. Bellum militum huius saeculi — quod serio velim attendamus — breve est, sed religiosi pugna durat donec ex hac vita emigret. Idcirco omni custodia ac vigilantia rem nostram auspicari et promovere satagamus.Et quod dicebat acclamabatque Romanus ille in sacrificiis : age quod agis, id nos etiam faciamus in servitio Dei.

Legimus in Genesi (2) de magno illo patriarcha Iacob quod in extremo vitae et in tempore obitus se collegerit in lectulo suo, iungendo manus et pedes, ac sic transiit ad alteram vitam. Ita nos ut aliquando felicem obitum sortiamur, per Christi merita et misericordiam, debemus iungere manus et pedes. Secundum Augustinum, per pedes significantur desideria et affectus : sicut enim corpus movetur et graditur pedibus, ita anima per

(a) *connectamus*. A. B. (b) *in invicem*. A. B.

(1) Apoc. 12, 17. (2) Gen. 49, 32.

desideria et affectus ; per manus autem in sacris litteris opera denotantur, quibus ut proficiamus in spiritu et in bonum finem ea referamus, debemus eis adiungere [a] pedes, id est, affectiones et desideria, immo praemittere.

Si quis v. g. habet [b] bonum desiderium vitam suam emendandi, aut proficiendi, iungat his desideriis opera et actiones. Si quis movetur desiderio deserendi malam et improbam societatem, absque mora opus et exsecutionem adhibeat. « Ne, ait D. Ephraem (1), praebeas te ignavum, sed viriliter adversario resiste, et aditum per quem ingredi consuevit inimicus ad praedandum vel laedendum tu praeclude, ut non amplius inveniens ingressum, re infecta recedat. Hoc autem occludere ipsi aditum est, munire sensus per quos in animam ingreditur, visum, auditum, odoratum, tactum, gustum ac cogitationes, ne extra id quod decet evagentur. »

8. Quod 3° loco proposuimus iam aggrediamur ; id enim video vos exspectare, quae nimirum impedimenta incidere queant, et quo pacto debeamus ea cavere. Triplicis generis sunt ad quae praecipue attendere debemus, imperfectiones scilicet, et pravi habitus, et passiones inordinatae ; nam haec multum impediunt profectum nostrum spiritualem, efficiuntque ut instrumenta nos non praebeamus Deo concinna, et ad curandam salutem nostram et proximorum idonea.

Non debemus porro nostras imperfectiones componere cum iis quas in saeculo habuimus, sed cum statu praesenti nostro, qui status est perfectionis. Debemus igitur examinare nos crebro de re quavis inordinata etiam minima. Religio enim est saeculari licentia nitidior et strictior : proinde et examen et confessionem multo accuratius facere debemus. Statuendum etiam nobis est in futurum, non tantum a rebus noxiis et occasionibus peccatorum cavere, sed etiam a rebus quas plerique saeculares nullius esse iudicarent ponderis. Expendamus an quae operaturi sumus bona, ut est legere, laborare, studere, pure et simpliciter in Dei amorem et obsequium actualiter referamus ; an fortassis quia omnis homo naturaliter scire [c] et honeste agere desiderat.

Quod ad habitus pravos attinet, diligentes nos esse oportet ut eos evellamus qui ex peccatis maxime remanent in nobis, et ut pessimi inimici nos incitant ad resumenda peccata quae deflevimus per paenitentiam, et ad male agendum. Illi igitur sunt constringendi vinculis timoris Dei, ne noceant.

Passiones autem, quae magis latent, coercendae sunt exercitatione

(a) *et praemittere.* add. B. (b) *Si quis vero habet.* A. *Verbi gratia, si quis h.* B. (c) *bene.* B : legit ergo *scite.*

(1) S. Ephraem. t. 2, n. 31 Attende tibi ipsi, cap. 9, p. 325 a.

disciplinae ac mortificationis, ne invalescant. Nam etsi peccata non sint, ad peccatum tamen inclinant et ad evertendum nos, quando nobis non satis attendimus. Sicut equi effrenati, qui nobis quidem dati sunt ad iter instituendum in caelum ; sed equi domandi sunt et bene parandi ut iuvent, non ut [a] impediant : et porro [b] militi equus generosus utilis est, sed si bene regatur. Conemur igitur, fratres carissimi, — quod institutum nostrum postulat — exhibere nos Deo et Societati ministros bene mortificatos et actuosos, ut bene serviamus ei qui vocavit nos per misericordiam suam in hanc sanctam Societatem. Quod donet Christus redemptor noster pro sua immensa bonitate. Amen.

7ª Exhortatio

De instrumentis et personis quibus Societas utitur ad finem suum consequendum

1. Debuit Societas, ut ad finem suum perveniret, parare sibi operarios ad munia sua obeunda idoneos ; nam ut artes omnes omnia media componunt et disponunt ad finem, ita Societas agere solet. Architectus provisiones facit lignorum, saxorum, calcis, arenae, ferramentorum, ut domum commodam et elegantem exstruat absolvatque ; multos parat operarios qui ei subserviant ad eundem finem. Respublica pacem et tranquillitatem populi, quem finem sibi habet praestitutum, omnia disponit.

Hanc ob rem videas imperatores et duces in ea institui et sub eis copias multas variasque personas : hic machinas, hic arma, hic thesauros, hic annonae copiam, hic magistratum curat et administrat, et ut summatim dicam, omnes suos cives gradatim disponit ad commune bonum et tranquillitatem, adeo ut minime neglegat eos qui purgent et verrant plateas, qui egerant sordes et vilissima quaeque obeant. Quemlibet autem in suo loco et gradu quietum et [c] contentum esse vides ; et vicissim respublica singulos etiam infimae sortis homunciones fovet et protegit.

In Ecclesia videre est Pontificem summum, deinde Cardinales, Primates, Archiepiscopos, Episcopos, Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, exorcistas, summa sapientia a Spiritu Sancto in corpore dispositos,

(a) *ut.* del. A. (b) *sicuti.* B. (c) *qu. et.* om. B.

ut sapientissime notavit D. Apostolus (1). Nam ut in corpore varia membra sunt et singula sua habent officia, omnia tamen sibi invicem subserviunt ; ut si gaudeat unum membrum, gaudeant et reliqua ; et si doleat unum, compatiantur et cetera ; caput servit pedibus, pedes capiti, manus omnibus membris : sic Deus in corpore mystico Ecclesiae optime omnia membra disposuit.

2. Et ut Societas Ecclesiam, ut exemplar eximium et divinum, secuta est ad dirigenda omnia ad finem sibi propositum, sic varias habet personarum classes, quae in universum ad quattuor reduci possunt : Noviciorum, Scholarium, Coadiutorum et Professorum. Novicii non sunt adhuc penitus admissi et incorporati, sed pulsant ad ianuam ut permittantur intrare. Studiosi iam probati, ingressi sunt quidem, sed aptantur nihilo minus ad ministeria, et ipsi se praeparant ad ea ex superiorum directione.

Idem de coadiutoribus spiritualibus et temporalibus non formatis censendum est ; sed hi illud habent amplius, quod ministeria Societatis illis credantur et committantur, sicuti perfectioribus. Professi vero et coadiutores formati iam sunt omnino incorporati, et in corpore Societatis secundum suam capacitatem collocati, ut ei ministrent in rebus magis arduis ac difficilioribus. Ad hoc argumentum potest adduci magna ex parte sermo D. Bernardi 63 et 65, quos brevitatis causa praetermitto, ut vobis explicem magis perspicue discrimen istarum classium.

Hoc igitur colligitur ex intentione instituti [a], ex forma, ex exercitiis seu ministeriis. Nam intentio novicii est intrare, et superioris illi aperire illumque admittere ; intentio scholaris et coadiutoris non formati est comparare se ad opus et labores, superioris vero intentio est ipsos ad hoc dirigere convenientibus mediis, et sancta caritate fovere ; intentio professi et coadiutoris formati est strenue atque egregie laborare, et exponere se libenter et alacriter omnibus incommodis, quibusvis laboribus et missionibus ad eum finem ; intentio autem superioris est iis uti in rebus magis arduis, et ubi opus sit operariis industriis, constantibus et inconfusibilibus.

3. Forma utique est etiam diversa, nam novicii sic admittuntur ut vota non faciant, et si qui paulo [b] post ingressum faciant, illa edunt privatim et absque testibus, neque ea a superiore seu Societate acceptantur ; sed fieri

(a) om. B. (b) om. B.

(1) 1 Cor. 12, 12 sqq. ; Eph. 4, 11 sqq. ; Rom, 12, 4. 5.

solum permittuntur [a] ad maiorem facientium consolationem et stabilitatem. Scholastici et coadiutores non formati vota quidem edunt, et illa admittuntur a superiore publice, sed cum condicione, et promittunt se ingressuros in Societatem, id est, ad eam eius classem et ordinem ac gradum quem eis decernet superior ; condicio autem est, ut si necessitas aliqua contingeret seu causa legitima, illum possit Praepositus Generalis, non alius, dimittere.

Coadiutores formati non promittunt se ingressuros, sed collocantur et stabiliuntur in loco et gradu qui ipsis perpetuo manebit. Includitur nihilo minus in hac stabilitate quae illis defertur, implicita quaedam condicio, ut si casus et necessitas contingeret, ad ipsorum maiorem quietem et Societatis bonum, ipsis prospiciatur. Ac tum soluti omni nexu et obligatione, in saeculo sibi prospicere possunt, quantum ratio et ipsorum condicio postulat. Ecclesiastici enim possunt adire beneficia, coadiutores temporales officia politica.

Professi faciunt vota sollemnia sine ulla condicione explicita vel implicita, et tribus essentialibus votis addunt quartum sollemne, missionum ad pontificis voluntatem.

4. Sed possuntne, petet fortasse aliquis, ex quavis classe a Societate recedere [b] absque peccato ? Respondeo novicios posse, causa occurrente legitima ex se, et sponte etiam, non consentiente superiore, recedere quam diu versantur in probatione, si tamen votis privatim se non obstrinxerint. Scholasticis et coadiutoribus post vota publice facta nullo pacto licet abire ; dimitti tamen possunt, si causa magna urgeat. At quae causa esse potest ? Ea primum propter quam dimitteretur etiam professus, videlicet quando esset aliis perniciosus et incorrigibilis. Secundo si occultum celasset impedimentum in ingressu ; item si peccatum et scelus grande admitteret unde scandalum probabiliter emergeret, nisi per dimissionem provideretur Societati. Item propter necessariam curam valetudinis ex iudicio medicorum et utriusque partis communi consensu. Ut verbi gratia, si quis valde afflictae in Societate continenter valetudinis esset, et is extra Societatem commode curari posset, vel vitam licet aegram commodius ducere quam in Societate. Is, inquam, dimitti posset. Expedit tamen multo magis ut in ipsa Societate valetudinarius vivat et moriatur.

5. Qui autem morbi alicuius occasione importunis precibus dimissionem extorqueret, ego eum non iudico, quia Domini est iudicare ; certum

(a) *post longam probationem, ad minimum anni unius.* add. B supra lin. ; est ergo librarii nota. (b) *dimitti.* B.

tamen est non absque periculo conscientiae ex religione emigrare. Augustinus fuse ostendit (1) id esse Spiritum Sanctum in Ecclesia, quod anima est in corpore humano, et addit : « Sed videte quid caveatis, videte quid observetis, videte quid timeatis. Contingit ut in corpore humano, immo de corpore aliquod praescindatur membrum, manus, digitus, pes : numquid praecisum sequitur anima ? Cum in corpore esset, vivebat ; praecisum amittit vitam. Sic et homo christianus catholicus est, dum in corpore vivit ; praecisus, haereticus est factus : membrum amputatur, non sequitur spiritus ». Dum quis est in Societate, spiritu vivit Societatis ; abscinditur : non sequitur illum spiritus Societatis.

6. Quae differentia est inter coadiutores et professos qui dimittuntur ? Respondeo : utrique si sponte egrediuntur, excommunicati sunt et infames, et incapaces officiorum et beneficiorum ecclesiasticorum ; neque possunt participare divinis, donec resipiscant et convertantur a laqueis diaboli. Quod si propter incorrigibilitatem et contumaciam, quod neque quieti vivant neque suo exemplo aliis prosint sed officiant, dimittantur, vel potius eiciantur, non sunt quidem excommunicati ; tamen si professi sint, aliam religionem ingredi debent, vel correctis moribus pristinam repetere ; quia a votis suis non possunt absolvi a Societate, eo quod sollemnia sint. Non ita de coadiutoribus sive spiritualibus sive temporalibus formatis ; quia licet propter importunitatem et incorrigibilitatem dimissi sint, possunt tamen post egressum absolvi et in saeculo relinqui ; quia non ediderunt vota sollemnia, neque professionem fecerunt. Huiusmodi tamen dimissiones et absolutiones non conceduntur nisi post valde longam deliberationem, primum cum consultoribus Provincialis et senioribus provinciae ab ipso Provinciali habitam. Sed neque hic statur ; sed omnium iudicium, causae et circumstantiae omnes ad ipsum R. P. Generalem referuntur.

7. Sic dimittebat D. Basilius suos religiosos pervicaces et scandalosos : vide Reg. brev. 3, 4, 6, 7, 15, 20, 44, 45 (2). Et Gregorius XIII in sua constitutione « Ascendente Domino » asseruit potestatem quam

(1) S. Augustin. PL. t. 38. Serm. 267. col. 1231. n. 4. (2) Regulas 3, 7 et 20 possis quidem de *dimissione* interpretari, reliquas vero non ita. Namque advertas proprie et expresse agi de *dimissione* in sola regula brevi 44 et in reg. fus. tr. 28 (PL. t. 31. col. 987). Idem occurrit in reg. 28 S. Benedicti (PL. t. 66), ubi vide commentarium, col. 522 b-d ; et in utraque hac reg. 28 eadem fere sunt verba : « *medicorum* exemplo a communi corpore *resecare* » et « abbas faciat quod sapiens *medicus*,... utatur ferro *abscisionis* ». Quod ad reg. br. S. Basilii, notandum est praeterea multum interesse inter *dimittere* et *excommunicare*, i-e. communi mensa et choro alicui interdicere, quae est excommunicatio regularis seu monastica. Cfr. de hac re PL. t. 66 in reg 23m et 25m S. Bened. Comment. col. 503 et 509 sqq.

Societas habet ad dimittendos scholasticos et alios non professos, nimis esse necessariam ad ipsius conservationem, et in subditorum quorumcumque utilitatem eam redundare. Nihil enim magis religionis statum potest labefactare quam improbitas eorum qui illam profitentur, ut fuse ostendit D. Bonaventura quaest. 14ª super regulas. Fuit ergo et Societati haec potestas maxime conveniens, ut se conservaret, et ut membrum putridum resecaretur, ne reliquum corpus corrumperet[a], ut ait Hieronymus, et habetur capitulo « Resecandae » 2, q. 9 « ut ovis morbida a reliquis separetur, ne totum gregem inficiat ».

8. Melius est etiam saepe ipsis subditis ut a religione liberi dimittantur, quam in ea teneantur inviti. Non autem possent postea ab omni votorum obligatione liberi dimitti, si professionem emisissent. Proinde Societati bene consulitur, dum pauci ad professionem admittuntur. Quamvis vero aliae religiones soleant huic malo per incarcerationem et vincula occurrere, eos affligendo donec resipiscant, perspicuum tamen est multo facilius ac melius provideri familiae religiosae, et interdum etiam ipsis delinquentibus per dimissionem : *Eice*, inquit Sapiens, *derisorem* a concilio *et exibit cum eo iurgium* (1).

9. An professi possint aliquando dimitti ? Respondeo exemplum nos habere aliorum ordinum, et posse in aliquo casu a religione dimitti. Patet ex reg. S. Benedicti in qua dicitur quod propter aliqua gravia crimina possint monachi dimitti, praecedente prius monitione et correptione praelatorum, ut constat titulo « De excommunicatione culparum » cap. 23 (2), et ex Turrecremata declaratione eiusdem regulae, cap. 151. Et D. Benedictus expresse dicit (3), quod si post adhibita remedia monachus remaneat contumax, « abbas utatur ferro abscisionis ». Quibus consentit Apostolus dicens (4) : *Auferte malum ex vobis ipsis ;* et iterum : *Si infidelis discedit, discedat.* Idem habet reg. D. Augustini secundum Navarrum, cap. « Non dicatis » 12. q. 1ª n. 65. Et haec de multis sufficiant.

10. Causae vero ob quas a Societate legitime quispiam dimitti possit, — non enim potest dimitti ullus absque causa legitima, ut dicitur examinis cap. VI. in declar. ubi dicitur quod solum Societas, Congregatio Generalis et eius Praepositus Generalis possint dimittere, neque sine causis

(a) *corrumperetur*. B. Sic prius A. sed *ur* delevit.

(1) Proverb. 22, 10. (2) S. Bened. PL. t. 66, col. 501. Vide notam (2) pag. 52. (3) Id. PL. t. 66, col. 520, cap. 28. (4) 1. Cor. 5, 13 ; 7, 15.

iustissimis — hae expressae sunt parte II cap. II et reducuntur omnes ad quattuor.

Prima est, si in Domino iudicaretur fore contra ipsius divinum honorem et gloriam, aliquem retinere ob peccata quae divinam offendunt maiestatem, a quibus videtur corrigi non posse.

Secunda, si aestimaretur in Domino quod aliquem retinere foret contra Societatis bonum, quod cum universale sit, haud dubie bono particulari alicuius praeferendum est. Talis autem esset causa, si in probationis decursu aliqua impedimenta vel insignes defectus tacuisset, qui tempore procedente detegerentur ; vel si malum allaturus videretur malo vitae exemplo, ut si se inquietum ostenderet, et verbis et operibus offendiculum aliis praeberet.

Tertia, si iudicaretur id fore non solum contra Societatis, sed etiam contra ipsius personae dimittendae bonum, ut quia non possit se componere ad vitae religiosae et oboedientiae leges, eo quod nequeat vel nolit proprium sensum vel iudicium frangere.

Quarta, si cerneretur id fore contra bonum illorum qui de Societate non sunt ; ut si tempore procedente detegeretur vinculum matrimonii aut servitutis legitimae, vel aes alienum magni momenti, quibus de rebus initio examinatus veritatem subticuisset.

Et hae quidem sunt causae quas constitutiones habent, ob quas nostri non professi possint dimitti, quae omnes maxime sunt rationi consonae.

11. Observandum porro est, discrimen esse magnum inter vota simplicia et sollemnia ; quia in his continetur mutuus quidam contractus, ut habet Panormitanus cap. « Porrectum » n. 10 de Regularibus. Ex quo contractu nascitur inter partes mutua obligatio, nimirum inter religionem et professum, ut nec professus possit sine scelere a religione recedere, nec religio ipsum absque noxa dimittere, nisi forte in casu rarissimo, ut superius notatum est in reg. D. Benedicti et D. Augustini. Peccaret enim religio contra iustitiam si professum sine gravissima causa eiceret, et teneretur eiectum recipere ; quod si nolit, Episcopus et alius quivis superior legitimus ad id debet monasterium compellere. Atqui in scholarium et coadiutorum votis non includitur haec mutua obligatio ; nam quamvis Ecclesia approbans religionem Societatis, eorum vota tamquam verae religionis acceptet, sive probet, Societas tamen non cogitur ea admittere, et de facto non admittit ut professorum vota ; et ideo in manibus superioris non fiunt, ut habetur parte 4ª, § 3. c. 4 litt. D.

Dicitur autem Societas ea non admittere, non quia promissionem in ipsis inclusam, quae sibi fit, non acceptet; sed quia vi talis acceptationis

ipsa non remanet obligata ad retinendum voventem incidente causa aliqua ex quattuor praedictis. Ideo non sequitur quod Societas nullum ius acquirat sibi — sicut aliqui nobis obiecerunt — ex vi talium votorum in voventem, sicut Greg. XIII habet in sua constitutione. Sicuti exemplo promissionis de matrimonio contrahendo patere potest : primo, si per modum sponsaliorum fiat promissio, et sic includit quendam contractum et mutuam utriusque obligationem ; nam sicut vir manet obligatus ad ducendam mulierem, ita mulier ad nubendum viro. Secundo, per modum cuiusdam stipulationis ex parte unius, quae ab altera acceptatur ; et sic non fiunt proprie sponsalia, sed est quoddam pactum obligans ex parte stipulantis ad contrahendum si altera pars consentiat, quam tamen obligat ad consentiendum ; et huius generis quidem est promissio quae in scholasticorum votis includitur, per quam ex sua parte manent Societati perpetuo obligati.

Quamvis vero res ita se habeat et promissio sit de futuro, includit tamen traditionem de praesenti, quod non accidit in stipulatione ante memorata. Exemplum esto in mancipio, et hoc quidem manifestius : si enim quis alteri in perpetuum mancipium se tradat, et dominus traditionem acceptet, ille quidem vere in statu servitutis perpetuae domino manet astrictus. Atqui dominus licet ex vi donationis et acceptationis verum ius acquirat, non tamen manet ad retinendum eum obligatus ; sed potest eum aut manumittere aut pro sua voluntate alteri vendere. Sic scholares Societatis se tradunt Societati, et haec eos admittit, non tamen errat eos dimittendo causa legitima, ut dictum est, incidente. Neque fit eis iniuria, quia toto biennio probationis datur illis examen considerandum, quo expresse haec facultas dimittendi exprimitur, cap. 1°, § 13, litt. A, item c. 7°, § 8, litt. A. Unde sciens et prudens illud amplectitur ; quilibet autem suo privato commodo valet renuntiare, ut habetur capitulo « ad Apostolicum » de Regularibus.

Licet autem voventi modo coadiutorum non obligetur Societas ratione votorum, obligatur tamen vi suarum constitutionum ad illum retinendum. Notandum tamen est non tolli obligationem voti per modum irritationis, sed quia desinunt dimissi obligari ob condicionis defectum, a qua natura sua dependebant. Includunt enim intrinsece in se dependentiam a voluntate libera alterius, qua cessante, necessario et illa cessant. Quem ad modum si quis haberet votum ingrediendi religionem in particulari, si ab ea non admittatur, non amplius obligatur eo voto, et hoc quidem, non quia fuerit irritatum votum, sed quia religio a qua eius exsecutio intrinsece dependebat, illum admittere renuit : ita de votis scholarium et coadiutorum.

De obligatione autem quam retinet professus a Societate dimissus,

sicuti dimissi ab aliis religionibus, nota Navarrum cap. « Non dicatis » n. 36 : Quod si per sententiam definitivam fuit expulsus, manet tutus in saeculo, nec procurare tenetur ut iterum in religionem ingrediatur. Probat [a], quia res iudicata retinenda est Lege « de re iudicata » ff.[b] de Reg. Iuris. Item quia durissimum est et iniustum videtur ut eiectus definitive contra voluntatem suam reducatur ad religionem, ubi vix aequo animo possit ferre improperia, quae alii de more obicient. Vide Sotum lib. 7. de iust. et iure, q. 2. a. 1. ad 3[um] in fine, ubi dicit quod licet teneatur emendare se et procurare, quantum in se fuerit, ut iterum accipiatur, tamen si postquam id tentaverit, non admittatur, manet non solum liber a vinculo religionis, sed etiam ab oboedientiae voto, quia praelatus eum abiecit. Est similiter liber a voto paupertatis, quia conventus eum non alit. Videtur tamen haec sententia Navarri et Soti esse paulo laxior. Nam ut ait D. Bonaventura, q. 2. in regula et q. 14. super eandem : Professus eiectus a religione propter suam incorrigibilitatem tenetur se emendare, ut iterum recipiatur ; nam quam diu per illum steterit et se non emendaverit, non est tutus in conscientia.

Silvester, verbo Religio (1), 6, 9, 12, idem sentit ; et probatur ex capitulo finali « de Regula », ubi statuitur ut eiecti et fugitivi quaerantur. Si autem, inquit Pontifex, inoboedientes inveniantur, praelati eos excommunicent, et tam diu faciant ab ecclesiarum praelatis publice denuntiari excommunicatos, donec humiliter revertantur. Ex quibus constat non esse securos in conscientia professos dimissos a superiore, propter incorrigibilitatem, de Societate, sed debere se corrigere et humiliare ac subicere se poenis imponendis pro contumacia.

Verum latius exspatiati sumus in molesta hac materia, fratres carissimi, quam fuerat intentio. Revocemus igitur nos per modum epilogi ad institutum exhortationis finem.

12. Scholares igitur non sunt adhuc absolute operarii, sed instruuntur ac formantur ad opus. Coadiutores formati spirituales et temporales parati sunt quidem, si doctrinam spectes, fidem, virtutem, prudentiam in sacerdotibus, constantiam in omnibus ; sed minus habent et habere tenentur doctrinae et industriae, quam professi : nam hi operarii consummati esse debent et virtute valde perfecti, requiriturque in ipsis doctrina plus quam mediocris — quae tamen coadiutoribus sufficit, — vitae sanctitas, industria magna, tractandi etiam cum magnatibus gratia. Ad hos si-

(a) *probatur*. B. (b) His codicis siglis putamus significari « digesta ».

(1) Apud utrumque huius nominis Papam (Migne, t. 8 et 139) nihil id genus sub hac inscriptione aut alibi reperimus.

quidem pertinet in congregationibus generalibus cum praeposito Generali de rebus praecipuis ac de negotiis universae Societatis magis arduis tractare et definire. Debent ipsi portare praecipua onera Societatis ; nam ipsi eligunt Generalem et ex eorum ordine Generalis esse debet. Ex ipsis sunt Assistentes, Provinciales, Procuratores provinciarum ad congregationem generalem : debent ergo esse docti et magni iudicii ac Societati fideles.

Ex his patet quam studiose Societas suos operarios formet nullique velit eos loco esse astrictos, nulli amicitiae peculiari devinctos, sed omnino liberos, ut erat gentilis ille philosophus Socrates, qui dicebat se civem esse mundi, non civitatis alicuius : sic Societatis alumnus universum mundum habere debet pro domo. Ideo Societatis homines a quocumque praelato possunt ordinari, ut decrevit Greg. XIII.

Admirabilis est, fratres mei, Societatis oeconomia : ecquis, obsecro, audivit umquam alibi de tertio anno probationis post studia ? Accurate tamen illum habet et servat Societas, cuius ratio declarata est a Greg. XIII in constitutione « Ascendente Domino », ut videlicet, si qua in re disciplinae ac virtutis fervor per litterarum occupationes intepuisset, per earundem virtutum exercitationem, vires et calorem resumat. Gratias agamus Deo, fratres mei, quantas possumus de gratia vocationis, et quod nos hucusque in Societate conservaverit, caveamus a vitio ingratitudinis : nam quo altiore loco constituti sumus, inde periculosius caderemus. Quod si faciamus, etc.

8ª Exhortatio

IN QUA OSTENDITUR QUOD VITA MIXTA
MELIOR SIT QUAM CONTEMPLATIVA

1. Laudare se ipsum vel sua [a] est interdum valde honestum et utile. Sic D. Paulus se laudavit dicens (1) : *Vos me coegistis : ministri Christi sunt ? plus ego....* Et iterum alibi (2) : *Gratia in me vacua non fuit, et abundantius aliis laboravi.* Gregorius denique Magnus super Ezech. (3)

(a) *vel sua.* om. B ; A supra lin.

(1) 2 Cor. 12, 11 ; 11, 23. (2) 1 Cor. 15, 10. (3) S. Gregor. PL. t. 76 Hom. 9. col. 878, n. 19. Cfr. Moral. l. 18, c. 7. col. 45 b.

dicit esse bonum quandoque, nimirum quando servis Dei est utile et proximis salutare. Possumus ergo laudare Societatis nostrae institutum, inter nos praesertim ; nam apud externos melius et modestius esse non dubito, ut alii nos ipsos et nostrum institutum laudent, operaque nostra nos commendabiles faciant, quam ut nos ipsos commendemus.

2. Ad Dei ergo gloriam et nostram communem consolationem, quia apud nos loquor, fratres mei carissimi, dico finem Societatis esse altissimum, oeconomiam praestantissimam, dignitatem maximam, quam Deus omnipotens Societati dedit saeculo valde depravato, ut ab iniquitate pro gratia accepta et modo suo illud revocaret ab impuritate, veritatisque luce eius tenebras illustraret.

Haec Societas itaque nostra, dilectissimi, non incongrue depicta videtur per Isaiam dicentem : Dominum de vertice montium vocem suam exaltasse : *Laudate,* inquit (1), *habitatores petrae, de vertice montium clamabunt.* Quod non existimo dictum quia primus et fundator Societatis ex montibus Biscaiae provenerit, sed quia de montibus doctrinae et sanctitatis vocem sonoram dedit et dat eius [a] Societas per universum orbem. Ipsa impietatem ex multis regnis profligavit, ipsa vitiorum sordes in Europa passim excussit, ipsa lasciviam in ecclesiasticis plurimis repressit, vitae puritatem et continentiam induxit, et per eam ipsa castitas refloruit ; ipsa haereticorum impetus fregit, — neque enim sunt modo tam audaces et potentes haeretici quam olim fuerunt — per eam veritas in multorum cordibus illuxit, per eam inferni vires debilitatae sunt, per eam angeli de paenitentia peccatorum laetificati. Hanc praelati amant, reges et principes honorant audiuntque libenter.

Est igitur, fratres mei carissimi, quod gaudeatis et cuius soboles estis recognoscatis. Sed attendamus ad rem conceptam ; proposuimus siquidem vobis [b] exponere primo in quo consistat perfectio de qua saepe loquimur ; ostendemus secundo vitam mixtam esse omnium perfectissimam ; deinde quae sint partes nostrae singulorum, ut officio nostro bene perfungamur.

3. Perfectio igitur ultima hominis consistit in possessione sui ultimi finis, a cuius consecutione cum impediri soleat occupationibus mundanis et terrenis, ideo religiosi ordines in Ecclesia sunt instituti, ut homines a negotiis et curis saeculi remoti, ad sui finis consecutionem commodius faciliusque animum conferrent [c], in cuius assecutione ultima hominis

(a) om. B. (b) *nobis.* B. (c) Sic in utroque cod. ; non autem *conservent.*

(1) Is. 42, 11.

perfectio posita censetur. Religiones porro omnes eo sunt ordinatae, ut perfectionem obtineant ; haec autem in eo simpliciter consistit, ut talem finem sibi propositum habeant, ut una quaeque secundum suas leges et disciplinam vitam instituentes, ultimum suum finem consequi possint.

4. Hinc sequitur quod cuiusque religionis perfectio ex perfectione sui finis simpliciter aestimanda est, et perfectio sui finis ex ultimo illo ad quem omnes ordinantur, sit metienda. In eo videlicet quod magis sit [d] accommodatus ac facilior ad illius consecutionem : perfectio enim mediorum ex ordine ad finem sumitur. Cum vero finis religionis medium quoddam sit comparatione ultimi finis, ideo eius perfectio ab eodemmet fine sumitur. Ex quibus patet cuiusque religionis perfectionem consistere in eo, quod expeditissimum habeat finem ad ultimum illum finem consequendum ; et quia ultimus ille finis sine caritate acquiri nullo modo potest — ex caritate enim *universa lex pendet et prophetae,* ut ait Christus (1) ; et Apostolus (2) : *Caritatem si non habuero, nihil sum* —, consequitur quod ille religionis finis sit ad ultimum finem consequendum paratior, qui plura et maiora opera caritatis comprehendit. Cum igitur vita mixta caritatem, cum erga Deum per contemplationem, tum erga proximum per actionem exerceat, fit ut religio quae ad Deum per vitam mixtam est instituta, merito ceteris omnibus praeferatur.

5. Quamvis enim haec vita mixta non sit tam intensa in contemplatione quam pure contemplativa, nec tam intensa in actione quam pure activa, ex tali tamen minus intensa contemplatione et minus intensa actione vitae activae, resultat unum quid perfectius utraque illa per se sumpta in sua peculiari ratione, quia contemplatio vitae mixtae, quae comparatione vitae pure contemplativae dicebatur quodam modo imperfecta, haec eadem in ratione mixti est perfectissima : omne siquidem totum perfectum quid est, vel saltem perfectius sui parte seorsum sumpta. Vita enim mixta totum quoddam est, contemplativa et activa ut partibus constans ; perfectius ergo quid est quam quaelibet earum separata.

Quod autem contemplativa et activa partes sint vitae mixtae, patet ex verbis Domini dicentis (3) : *Maria optimam partem elegit.* Unde Caietanus : Optimam, inquit, partem dixit Dominus, non amplius. Non melior est igitur contemplativa quam mixta, sed melior quam pars altera, videlicet activa, ex sententia Christi.

(d) om. B.

(1) Matth. 22, 40. (2) 1. Cor. 13, 2. (3) Luc. 10, 42.

Deinde perfectius est lumen in se accipere et aliis communicare, quam in se acceptum retinere ; retinet autem qui propriae tantum, non etiam alienae vacat saluti. Hinc D. Bernardus dicit (1) « solitudinem non a quovis esse quaerendam, sed potius aciem multorum pariter pugnantium, ubi tot sunt auxiliarii quot socii : congregatio enim terribilis est, ut castrorum acies bene ordinata ». Societatis porro institutum est militare, et debet iugiter esse quisque in ea paratus ad pugnam contra peccata et daemonem in auxilium proximorum, non ad quietem et contemplationem tantum. Non enim finis Societatis est, ut saepe audivimus, propriarum animarum saluti et perfectioni solum cum divino auxilio vacare, sed etiam impense in salutem et perfectionem proximorum incumbere, quod optimum esse nemo potest dubitare.

Nam et exemplo Christi id comprobatur, qui licet ab instanti suae incarnationis primo, omnem haberet perfectionis plenitudinem, nihil tamen facere praetermisit, quod videretur ad suam ipsius et aliorum salutem perfectionemque posse pertinere. Immo sane quicquid fecit, ad hoc tamquam in finem rettulisse visus est ; nam si perfectionem maiorem adipisci potuisset, non aliter suas actiones instituisset, ut suo exemplo nos doceret nobis ita esse [a] faciendum, ut nimirum qui imperfecti sumus, pro salute nostra omnia faceremus quae ipsum fecisse ex sancto Evangelio cognovimus.

Secundo docemur ita agere [b] exemplo Angelorum, qui ita propriae perfectioni vacant, divinae bonitatis et maiestatis dulcedine fruentes, ut tamen non obliviscantur nostri, qui multa nobis et generi humano revelant ac suggerunt in auxilium ac levamen mortalium.

Tertio Apostolorum, qui quantum in propriam, quantum in alienam, id est proximorum salutem desudarint, nemo qui christianus sit ignorat.

6. Hic tamen advertendum, quod ut aliis quis prosit, debeat ipse prius in se profecisse. Quem ad modum enim hypocausta, ut alios calefaciant, oportet prius accendi, sic ut aliis ignem caelestem, Spiritus Sancti videlicet gratiam, tamquam ministri verbi Dei impertiamur, purgatos et accensos nos esse oportet. Ideo in Societate prius vacatur profectui spirituali proprio in domibus probationis et per exercitia interdum spiritualia, per frequens examen conscientiae, per ordinarias meditationes, per frequentem sacramentorum usum, per paenitentias et superiorum vigilantiam et exhortationes.

Haec enim eo tendunt ut unus quisque se interius ante perficiat ; quod

(a) om. B. (b) *ea praestare.* B.

(1) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 3 de circumc. n. 6 m. col. 139.

qui fecisse putantur, tunc destinantur ad opus Dei : hic ad docendum in scholis, ille ad praedicandum, alii ad catechizandum, alii ad confessiones excipiendas, alii ad missiones et opera caritatis, ut faciant non aliter in salutem animarum atque is qui campum asperum et silvestrem est inflammaturus prunis accensis ; hic namque unam primum partem, deinde aliam et aliam accendit, donec totus ager ardeat et purgetur. Sic Christus docuit esse faciendum suo exemplo et verbo : *Ignem veni,* inquit (1), *mittere in terram,* etc. ; sic et [a] B. P. N. Ignatius nos suos filios animabat quando ad missiones mittebat. Ite, inquit, in nomine Domini et omnia inflammate igne caritatis et doctrinae et ignitis affectibus. Neque enimvero contemplationem haec actio impedit, sed promovet, sicuti nec opera et labor quem pia mater suo impendit infantulo, impedit vim amoris et dilectionis internam erga prolem. Unde et D. Gregorius alicubi (2) scriptum reliquit : « Cum contemplationis arcem aliquis tenere desiderat, prius se in campo per exercitium corporis probet ».

7. Omnibus porro quos ad hanc minimam Societatem Deus vocavit, tale desiderium et propositum indidit, quale B. Ignatio, neque id solum, sed et auxilium et gratiam largitus est, non quidem parem sed omnino similem, ut quicumque sese ipsi adiungerent, mirabiles essent in oculis hominum. Sunt autem in Societate varii personarum gradus et varia talenta, sed par omnino omnibus inest desiderium et propositum. Sunt aliqui superiores, sunt alii inferiores, sed neque hi sine illis, neque illi sine istis consistere possunt. Nam ut Societas sine hominibus consistere nequit, ita tales solum habere ipsa satagit, talesque in ea servat Dominus, qui eundem spiritum susceperunt et disciplinam eandem servant et promovent. Quod attente, fratres mei, considerare debemus, et in eundem scopum omnes collimare. Neque dicat coadiutor : ego nihil facio, vel parum, quia non sum sacerdos neque professus ; non sum rector, proinde parum promoveo. Neque superior aliis se praeponat aut aliquid se esse reputet ; ne schisma nascatur in corpore, et dicat pes : *Quia non sum manus, non sum de corpore ;* et auris : *quoniam* [b] *non sum oculus, non sum de corpore. Num enim ideo non est de corpore ?* (3) ; nec si dicat : non sum utilis, non est ideo [c] fructuosus ?

Omnes intellegant, sibi in vicem servire et se mutuo fovere, esse pernecessarium. Non erit superior si tollas [d] subditos ; sacerdos nihil operabitur

(a) ac sic. B. (b) quia. B. (c) *nec dicat quasi non sum utilis, non sum.* B. (d) *tollis.* B.

(1) Luc. 12, 49. (2) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 6, cap. 37, n. 59 in. col. 763. Cfr. t. 76, l. 31, c. 51, n. 102. col. 629 ; et ibid. Hom. 3 in Ezech. n. 9 sqq. col. 809 sqq. (3) 1. Cor. 12, 15 sqq.

in proximos si desit coadiutor. Agnoscat quisque divinam providentiam erga se et suum statum, sitque suo loco contentus, ut qui particeps est omnium bonorum timentium Dominum.

Coadiutor audit confessiones cum sacerdote, contionatur cum contionatore ; Deus ordinator universi ordinavit Societatem sapientissime. Ille agricola est, nos autem Dei agricultura sumus (1) : ipse novit agrum suum et quid in eo serere debeat. Ille prudens est architectus, qui in domo sua lapides aliquos posuit in fundamento, alios in fenestris, alios in fastigio, alios alibi pro sua voluntate. Pictor ordinat et collocat varie suos colores : hic aureum, illic ceruleum, illic album, alibi nigrum, atque alibi alios et alios pro suo iudicio et arbitrio.

Non debes, mi frater, tristari, si brachium tu es, non caput ; si pes, non brachium, quia Deus ita de te statuit. Age gratias sapientissimo opifici qui dignatus est te in suam domum admittere et in ea operarium utilem te facere : attende ut operarius sis inconfusibilis. Nihil quidem in corpore humano cerni potest pulchrius ac venustius facie bene composita, neque pulchrius modesto, gravi, devoto et bene composito superiore ; sed pes propterea non optet esse facies, sed contendat ut in suo se gradu perficiat ; facies vero studeat se mundam et nitidam servare, elegantioremque continenter in oculis summae maiestatis se praestare.

Verum ut redeam ad propositum, ut in Societatem sumus vocati ex diversis mundi partibus et in nomine Iesu congregati, ita pientissimus Iesus in omnes universi partes brevissimo tempore eam transmisit magno animarum lucro.

8. Non habent singuli de Societate dona linguarum ut apostoli, sed ipsa illa habet in filiis ut omnes gaudeant in Domino, in cuius nomine laborant et a quo omnes sunt fructus qui colliguntur et in horreum Domini importantur, cuius singuli sunt participes. Omnes ament ipsam Societatem ut matrem, eam colant, et pia eius studia ubique promovere studeant precibus et Deo gratis operibus.

Dedit porro Deus hactenus — quae est peculiaris eius in Societatem providentia — optimos Generales, et huic corpori caput admirandae bonitatis ac virtutis. Moderno vero capiti nostro eum dedit spiritum, caritatem, prudentiam, pietatem, vigilantiam ac sollicitudinem, quae hoc in primis tempore exoptari poterat et debebat, hoc est praestantem et excellentem.

Ad ea autem praestanda quae [a] nos conservent et perficiant, adhibet opti-

(a) q. *hoc tempore,* add. B.

(1) Cfr. 1 Cor. 3, 9. 10.

mus Pater primo indefessam orationem,cuius est studiosissimus. Secundo, sollicitudinem ut bene prospiciat de superioribus, qui ipsius vices per universum diligenter fideliterque obeant. Tertio, adhibet magnam curam et studium, ut sapientissimis mandatis et ordinationibus tamquam vallis firmissimis castra Societatis communiat. Quarto, advigilat diligenter ne necessariae desit rescriptioni ad eas litteras quae ex universo orbe ad ipsum perferuntur. Quinto, simili studio curat [a] ut omnium locorum et personarum necessitatibus vel per se vel per alios subveniat.

Quis scandalizatur et ipse non uritur ? est utique ingens optimi patris labor et continua sollicitudo. Advertamus igitur ut per Dei auxilium stemus, et eius bonitati confidamus quod custodiet et proteget Societatem et alumnos eius, sicut olim protexit populum suum die ac nocte, largiens illi columnam ignis et nubis (1). Proteget, inquam, tabernaculum suum, quod posuit in medio terrae, neque abiciet nos anima eius, quia habitabit in medio nostri (2) : *Habitabo*, inquit, *in medio filiorum Israël et non derelinquam populum meum Israël* (3). Ut enim Ecclesiam suam protegit, sic et Societatem hucusque protexit, non minimum eius membrum ; licet ipsa, ut fere semper Ecclesia, variis fluctibus ac motibus agitetur. Ideo dicit (4) : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te.* Et (5) : *Noli timere, quia ego tecum sum.* Conemur igitur, fratres carissimi, rogo per Christum, audire vocem Domini, illi confidere, illique magno et indefesso animo deservire et perpetuo gratias agere pro beneficio accepto. Amen.

9ª Exhortatio

Quod Religiosus sit res Deo dicata

1. B. Petrus nomine omnium Apostolorum Christo dixit (6) : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te* ; quasi dicat : ecce nos firmo ac constanti proposito relictis omnibus secuti sumus te : *quid ergo erit nobis ?* Quid vero, fratres mei, B. Petrus cum fratre S. Andrea reliquerat ? Uxorem, naviculam, rete, et tenuem supellectilem qualem piscatores habere solent. His tamen [b] verbis et hac bonorum cessione, D. Thomas

(a) *et cura.* B. (b) om. B.

(1) Exod. 13, 22. (2) Levit. 26, 11. (3) 3 Reg. 6, 13. (4) Is. 43, 2. (5) Ier. 46, 28. (6) Matth. 19, 27.

affirmat (1) apostolos Petrum et ceteros [a] edidisse vota substantialia religionis : nam hac professione declarant se dedicasse totos et integre Deo et eius servitio ; sicuti religiosi sua faciunt professione et votis religionis essentialibus, demonstrantes sui ipsorum traditione personas se obligatas et dedicatas Deo, artiusque obligatas ad ei serviendum quam prius erant ; et quidem per opera caritatis sub certis regulis et legibus, renuntiassequc omnibus eis quae impedimento esse possent tali proposito.

2. Esse igitur religiosum includit oblationem ac sui donationem factam Deo inter vivos, ut loquuntur legisperiti, exemplo SS. Apostolorum ; suae, inquam, personae, sui esse, suae facultatis, suae potentiae, suae scientiae, suae libertatis, sui iudicii et propriae voluntatis, remanereque Deo ut rem ad eius peculium proprie pertinentem. Quod considerans D. Gregorius dicit religiosum facere de se ipso holocaustum Deo verum (2). Non facit quidem sacrificium, nam de sacrificio et offerens et sacerdos suas partes retinebant ; verum hic nihil prorsus retinetur, quia totum cedit Deo, et Deus integram hostiam per ignem accipit. Quando offerebat quis olim hostiam pacificam, ut fecit Helcana (3), in gratiarum actionem pro beneficiis acceptis, et pro iis [b] quae continenter recipiuntur a sua divina bonitate, dividebatur hostia seu oblatio in diversas partes. Nam una pars, videlicet adeps, offerebatur Deo et cremabatur in ipso altari ; altera pars erat sacerdotis, videlicet pectusculum et umerus sive armus dexter ; ceterae partes erant eorum qui offerebant sacrificium. Religiosus igitur potest dicere cum propheta [c] : *Anima mea illi vivet et semen meum serviet ipsi* (4), hoc est, tota vita et omnes actiones meae in aeternum Deo dicatae manebunt, ad eius sanctum servitium et beneplacitum.

Anna Samuelis obtulit filium suum Samuelem Domino (5), et in sorte Domini, sive ecclesiasticus per totam vitam permansit, altari deserviens. Sicut calix Deo consecratus Deo manet, nec fas est ei qui obtulit eum repetere, nec potest deinceps profanis usibus deservire. Quod populus tabernaculo, et quod postea templo obtulit, temporibus Moysis et Salomonis, ut Deo dicatum remansit, nec ulli fas fuit illud ad se retrahere, quicquid illud fuisset, sive aurum, sive argentum, gemmae, cuprum,

(a) *Pet. et cet. ap.* B. (b) *p. iis.* om. B. (c) *ad Deum loquente.* addit B.

(1) 2ª 2ae, q. 188. 189. (2) S. GREGOR. PL. t. 76 in Ezech. l. 2, hom. 8, n. 16. col. 1037. In codicis margine legitur : *hom.* 20 ; unde patet in editione qua utebatur auctor noster, homilias in duos libros non fuisse divisas. (3) 1. Reg. 1. (4) Psalm. 21, 31. (5) 1. Reg. 1. 24.

aes, sive lignum, sive pili caprarum, etc. Deo aeternum haec remanebant.

D. Basilius praeclare docet (1) « Non licere cuiquam Deo dicato avellere abscindereve se a fratrum coniunctione ; sicuti qui foedus inter se inierunt et pactum, sine scelere a condicione recedere nequeunt ac se praecidere ; alioqui si hoc facit, gravissimis a Deo constitutis suppliciis se addicit. Sicuti mulier a coniuge suo recedere nequit, cui coniuncta est matrimonio ; neque membrum a corpore separari potest, quia naturali sunt foedere et vinculo coniuncta, et quae avelluntur emoriantur continuo necesse est : ita religiosus a corpore cui se coniunxit pacto et voto, solvere se nequit, quod sit ei quasi[a] conaturale, nempe ex pacto quod is cum sancto spiritu contraxit ; alioqui si hoc agit, et animae vitam amittit, et una cum ea gratiam spiritus sancti, utpote qui initum ipso auctore foedus violaverit. »

Neque dicat quis aliquos esse in loco improbos, ut vero improbus esset, Societatem se non inivisse. Non enim propter paucos ceteri damnari debent, ait D. Basilius ; neque Petrus, Andreas et Ioannes propter Iudam a corpore se praesciderunt. Noli, frater mi, propter unum atque alterum non ita bene compositum turbari. « Sedatio animi[b] et requieta constitutio, ait Basilius (2), virtutis est argumentum certissimum. »

Accedamus modo ad secundam partem[c] exhortationis, quomodo habere nos debemus coram Domino Deo circa animam, circa corpus, circa actiones nostras. Ex paulo ante dictis sane constat et iudicium et voluntatem, quae praecipuae animae sunt facultates, Deo esse consecratas ; neque licere nobis religiosis eis in futurum uti pro nostra voluntate, sicuti nec doctrina, nec ingenio, nec viribus animae.

Ait siquidem Dominus (3) : *Si quis virorum votum voverit aut constrinxerit se iuramento, non faciet irritum votum suum, sed omne quod promisit implebit.* Ananias et Saphira nobis sint exemplo (4). « Non est enim res ludicra, ut ait D. Ephraem, (5), religiosae vitae exercitatio, sed cautela, ut cum diligentia curetur recte salus animae », et reddamus Domino vota quae distinxerunt labia nostra.

(a) *quod est quasi.* B. (b) Uterque codex refert ad verbum quod habet ed. Cl. Sonnii « Sedata animi ». Ast haec erronee posuit *Sedata*, cum in graeca oratione legatur τάξις γὰρ ψυχῆς : *Sedatio...* uti est in ed. Mignensi : « Animi ordinatio ac sedatio ». (c) *Dicamus ergo pro secunda parte.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Constit. mon. cap. 21. col. 1394. (2) Id. ibid. cap. 7. c. col. 1366. (3) Num. 30, 3. (4) Act. 5. (5) S. Ephraem, tom. 2, n. 4. Hypomn. p. 275 d. De votis reddendis Deo habes ibid. p. 281 d.

Gregorius ostendit(1) votum esse persolvendum, et quanto in periculo sit qui se ipsum Deo subtrahit resiliendo a voto. Et Augustinus ait (2) in haec verba : « Quia tenetur apud Deum sponsio tua, non te ad magnam iustitiam invito, sed a magna iniquitate deterreo : non enim talis eris si non feceris quod vovisti, qualis mansisses si nihil tale vovisses. » Et paulo post : « felix est necessitas quae in meliora nos compellit. » D. Gregorius Nazianzenus (3) de Saule dicit ipsum periisse et in reprobis numeratum esse, quod retinuerit proprium iudicium, nec se totaliter abnegaverit sicut oportuerat.

Cavendum est igitur, fratres mei, ne in minimo ab oboedientiae linea et superiorum directione recedamus, nostram voluntatem facientes quam Deo per sacrum votum dedicavimus. Ita neque sensibus corporis et toto ipsius corporis usu, quo nos abdicavimus, pro nostro arbitrio abuti possumus ac debemus. Nam et illud Deo consecratum est et Dei iumentum constitutum ; ut ergo iumentum Deo consecratum, in Dei et Ecclesiae usus permanere debet : sic et iumentum corporis nostri Deo mancipatum, non aliter quam velit applicare debemus ad ullum officium. Sic faciebat Propheta ; dicit enim (4) : *Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum. Tenuisti manum dexteram meam, et in voluntate tua deduxisti me.*

Et haec de secunda parte. Accedamus ad tertiam.

4. Dicit S. Petrus Christo Domino : *Et secuti sumus te.* Non enim satis est, fratres mei, omnia reliquisse, neque omnibus nuntium remisisse : nam et id philosophi aliqui vanitate humanae gloriae fecerunt illecti ; sed istud « secuti sumus te » nostrarum praecipue est partium. Est namque nostra perfectio in vera et constanti Christi Domini imitatione posita. Vult autem ipse benignissimus Iesus ipsum in tribus praecipue sequamur :

Primo in crucis humilitate, et ut libenter cum ipso feramus opprobria, contemptum nostri, ab omnibus irrideri et subsannari ; velimus denique in Societate vilissima quaeque officia propter ipsum obire et abiectissima quaeque habere in victu, in vestitu, in habitatione, et ut nobis illud sit volupe. *Exemplum enim*, ait Christus (5), *dedi vobis, ut quem ad modum ego feci vobis, sic et vos faciatis.* Quod D. Cyprianus

(1) S. Gregor. PL. t. 77 Lib. 2. epist. 27. col. 562. (2) S. August. PL. t. 33 Ep. ad Armentarium. col. 486. nº 8. (3) Non in or. de S. Baptismo, ut notat codex, sed in or. apologetica ad patrem suum Gregorium, praesente Basilio magno. PG. t. 35. col. 822, a. b. (4) Psalm. 72, 23. 24. (5) Ioann. 13, 15.

sermone de Cena Domini (1) ad totius vitae Christi decursum referendum dicit, non ad solam pedum ablutionem. Et Apostolus nos exhortans dicit (2) : *Hoc enim sentite in vobis quod et in Christe Iesu, qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem Deo, sed exinanivit semet ipsum formam servi accipiens.* Audiat ergo servus nequam, ait D. Ephraem in quadam exhortatione, qui cum natura et condicione ac necessitate servus esset, servire detrectans, accipere sibi conatus est libertatem et aequalitatem Domini sui ; Christus vero cum Deus esset, non tantum formam servi accepit sed ministerium servi implevit, humilians semet ipsum usque ad pedes famulorum suorum, et in medio eorum sedebat sicuti qui ministrat.

5. Aliqui induunt aliquando, vel ioco vel necessitate, formam et imaginem servi, ut vel alios recreent, vel periculum aliquod evadant : Christus vero Dominus, nulla necessitate sed infinito[a] nostri amore servi formam et ministerium suscepit. Sed oboedivit, inquiet servus ingratus, tamquam servus patri, quod parum fuit. Immo enimvero plus quam servus servivit servo suo. Factus quidem erat homo ut serviret creatori ; id enim iustissimum erat, quia sine ipso esse non poterat. — Et quid porro beatius quam servire illi cui servire regnare est ! — Non serviam tamen, inquit homo, creatori. Ego ergo serviam tibi, inquit creator homini ; tu recumbe, pedes tibi lavabo ; tu quiesce, ego labores tuos portabo et infirmitates ; utere me ut lubet, non tantum ut servo, sed ut iumento in omni necessitate tua ; si fatigatus es aut onere gravatus, ego onus tuum feram, ut legem meam prius impleam. Implevisti, pientissime Iesu, implevisti omnia, ut iure optimo in extremo vitae dixeris : *Consummatum est.*

Et Apostolus similiter (3) : *Factus est,* inquit, *sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret.* Vides eum circumcidi, vides in templo praesentari et pro eo sacrificium offerri, vides illum plorare in praesaepio, orare pro te in templo, pro te ieiunare in deserto ; vides in itinere eum pro te fatigari et modicum aquae pro te emendicare in sua siti ; vides denique eum perferre opprobria crucis, quae tu merueras, illum mortem suscipere et obire. Si esuris, mi frater, ipse tibi panis factus est ; si sitis, en suum sanguinem ipse tibi propinat. Debes sacrificium ? ecce agnus paratus ad victimam, ecce agnus qui tollit peccata mundi. O quanta, carissimi

(a) *virtutis et.* add. B.

(1) In hoc, ut patet, nihil huiusmodi invenies ; at vid. Lib. de bono Patientiae. PL. t. 4. col. 626 m. : haec rei convenire videntur, nec aliud quicquam invenimus.
(2) Philip. 2, 5. (3) Gal. IV, 4. 5.

fratres, a benignissimo Iesu bona accepimus! Ne grave igitur nobis sit ipsum imitari, quin et nos libenter propter ipsius amorem deprimamus et abiectissima quaeque officia obeamus.

6. Secundo, Christum imitari debemus in imitatione studiosa omnium aliarum virtutum eius, et ut omnem navemus operam ut eas acquiramus. Neque tantum ut eas acquiramus et possideamus quocumque modo, sed ut eas obtineamus in summa earum perfectione et gradu ; ut nimirum, mi frater, si sanctus es, sanctificeris adhuc ; si castus es, evadas castissimus ; si mansuetus, mansuetissimus ; si denique bonus, ut fias optimus.

Hoc enim facere debemus ex ratione et principiis instituti nostri, et B. P. N. exemplo et cohortatione ; ubique etenim et passim in constitutionibus monemur ad maiorem Dei gloriam actiones nostras instituere. Magnorum igitur laborum et certaminum est ingentes has virtutum divitias comparare. Necesse est profecto ut nos totos ex toto pectore, ex totis viribus et fortitudine Deo addicamus, ac crucifigamus nos ipsos anima et corpore per veram nostri abnegationem. Et sane si terreno regno et transitorio acquirendo summis laboribus et sudoribus opus est, quid non faciamus ut regni caelestis possessionem adeamus, virtutes eius imitando, ut cum ipso in aeternum regnemus ?

7. Tertio imitari debemus Christum, ut saepe audivimus et diximus, per vitam communem : ipse enim Christus hanc rationem semper tenuit. Sed absit, fratres carissimi, ut vitae huius ratio Societati nostrae tam necessaria occasionem ulli praebeat laxioris disciplinae, et ut magna licentia cum proximis utamur, sicuti non nullis accidit, qui falso honestae libertatis pallio[a] levitatem suam contegunt, et urbanitatis amictu se convestiunt, caput elatum et extentum gerunt, oculos sublimes tenent, gestus habent incompositos et motus saeculares, rident, cachinnantur et in congressibus mensisve garriunt, saecularium more calices etiam exhauriunt et in cibos quosvis absque modo se effundunt.

Haec, fratres mei, indicant hominem interiorem non bene coli, neque bene esse compositum, hinc offenduntur et scandalizantur quos aedificari oportuit. Absit, absit ut hanc esse dicamus Societatis disciplinam, absit ut haec laxitas ex vita communi, quam dicimus Societatis et quam Christus tenuit, promanare censeatur ; sicut et affectatio gravitatis et artificiosa quaedam virtutis repraesentatio. Non volumus, fratres, vos esse morosos et insuaves, vos affectare gravitatem et virtutem ostentare, sed ut[b] nihil — ut verbis D.Ambrosii utar — sit in vobis fucatum, absit[c]

(a) *titulo*. B. (b) *sed ut*. om. B. (c) *studium desit et*. B.

affectatio ; si quod in natura vitium est, industria emendet, ars non desit, non absit correctio[a].

8. Hinc accidit ut qui ita agit quando opus est maxime modestia et disciplina, eam minus prodat, quod homo interior male sit ordinatus et virtute vacuus ; ex interiore autem homine nasci debet virtus ad exteriorem ; ab interna enim compositione externa manat membrorum compositio, capitis, oculorum, verborum, gestuum motuumque, denique totius corporis ; sicut unguentum in capite, quod descendit in barbam, barbam Aaron, et quod descendit in oram vestimenti eius. Oportet ergo haec inveniri in singulis nobis Societatis hominibus, modestiam, inquam[b], mansuetudinem, affabilitatem, humilitatem, caritatem, spiritus recollectionem, ut omnes agnoscant et sentiant nos esse verum Societatis semen, cui benedixit Dominus. Alioqui cernentes in nobis licentiam seu libertatem saecularem, cognoscentes pariter in nobis non esse spiritum Societatis, dicent : O hominem superbum ! O quam solutus est et levis sacerdos iste ! quis tam liberum hominem illum credidisset ? Debent singuli Societatis homines exemplum dare bonum proximis, etiam coadiutores temporales ; nam omnibus dictum est (1) : A me videbitis et sic facietis. Item ab Apostolo (2) : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.* Sed in primis sacerdotes et praeceptores hoc exemplum bonum dare debent, maxime iis quos susceperunt efformandos. Quod nobis concedat qui potens est Deus... etc.

10ª Exhortatio

DE OFFICIO NOSTRO SOCIETATI DEBITO AC DE NOSTRO PROFECTU SPIRITUALI

1. Ut in spiritu bene proficiamus, non occurrit ratio convenientior, quam ut benignitatem imitemur illius qui solem suum oriri facit super iustos et iniustos. Quia vero Deus invisibilis est, ex bonitate eorum quae fecit, praecipue vero ex legibus et mandatis quae nobis dedit quaeque ad ipsius seu Christi Domini imitationem disposita sunt, viam

(a) *quia violenta est, et nullum violentum perpetuum.* add. B. (b) *nempe.* B.

(1) Cfr. Iudic. 7, 17. (2) 1 Cor. 4, 16.

et rationem capere debemus. « In vita saeculari, ut ait D. Ephraem (1), disertus et loquax magnus dici solet ; at[a] in vita religiosa[b], quae summam moderationem et modestiam in omnibus tenet, qui quietem et silentii mensuram decentem sectatur, apud Dominum magnus est. In vita saeculari, qui suum ornat corpus et subinde vestimentum mutat, humanam obtinet gloriam ; at in Societate, qui ista contemnit et solum necessaria corporis usui habet, gloriam sibi in caelis et in Societate acquirit, iuxta illud Apostoli (2) : *Habentes autem alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* In saeculari vita, qui corporis robore et divitiis eminet, magnus apud homines dici solet ; apud nos vero, qui humilitatem colit, a Domino exaltatur, iuxta illud (3) : *Quae stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, et infirma mundi elegit Deus, ut confundat fortia.* »

2. Debemus ergo, fratres carissimi, amare et consectari in Societate ea quae perfectiora sunt, et quae magis nos promovere possunt, quia haec est voluntas Dei, et hoc a nobis postulat institutum ab ipsius spiritu datum et factum. Opus, inquam, tuum est, bone Iesu, qui et spiritu et nomine tuo Societatem hanc fundasti, ornasti et promovisti. *Tu fecisti nos, Domine, et non ipsi nos* (4) ; tu, inquam, fuisti B° P. N. auctor, ut nos in omnibus viis tuorum mandatorum foveret ac dirigeret, ut laudaremus nomen tuum et ad tui nominis gloriam totos nos iuvandis etiam proximis impenderemus.

3. Nostrum porro studium, fratres, quantum et quale esse debeat, ex industria et studio aulicorum qui regibus et principibus deserviunt, deducemus. Pudere etenim nos debet, si segniores nos exhibeamus in imitatione Christi et eius servitio, quam illi in suo famulatu erga mortales. Notabimus autem octo industrias quas aulici servare solent ut gratiam apud suos principes ineant.

In primis consideranda nobis est Dei erga nos largitas et benignitas, ne ingrati simus : ingratitudo enim fontem benignitatis et liberalitatis exsiccare solet. Hanc ob rem aulici magnum studium ponunt ut omnem ingratitudinis notam devitent, ac se perpetuo beneficiorum ac benevolentiae memores exhibeant, ac pro talibus a principe suo habeantur. Hinc illi in omni occasione suum principem laudant ac praedicant. Sic igitur et nos, si augeri velimus erga nos Dei gratiam, gratos nos et beneficiorum memores cum frequenti gratiarum actione exhibeamus, eius-

(a) *ac.* B. (b) *nominatim in Societate.* add. B.

(1) S. Ephraem. tom. 2, n. 31 Attende. cap. 9 c. d. pag. 325 (accommodate) ; non autem, ut notatur, de Virt. cap. 12. (2) 1 Tim. 6, 8. (3) 1 Cor. 1, 27. (4) Psalm. 99, 3.

que dona et beneficia, tum corporalia tum maxime spiritualia, saepe meditemur et humiliter agnoscamus. Neque enim repugnat humilitati magnificare dona quae a Deo accepimus, et nostros ubique defectus eorumque malum usum donorum agnoscere et cum confusione nostra deflere, modo caveamus[a] eos comparare cum aliis quibusvis, aut nos donaque accepta praeferre ipsis eorumque donis ac virtutibus. Debemus, inquam, magna cum animi demissione considerare ac ponderare divinorum beneficiorum copiam ac magnitudinem, dignationemque Dei admirari et collaudare.

4. Secundo, moveri solent principes quando intellegunt suos ministros magnum habere zelum et rationem honoris sui, eosque non solum bene loqui et praedicare sui principis beneficentiam et virtutes, verum et detrahentes reprimere ac pro virili honorem domini sui defendere. Et in huiusmodi famulos, liberales et munificos principes se exhibere solent. Quare et nos similiter[b], fratres carissimi, magnum zelum honoris Dei et eorum quae ad ipsum pertinent, habere studeamus, atque eius honorem et servitium pro virili promovere contendamus, cum propheta dicentes[c] (1) : *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.* Item (2) : *Odivi ecclesiam malignantium*, et[d] (3) : *Facientes praevaricationes odivi ;* et iterum (4) : *Odivi omnem viam iniquitatis ;* et denique (5) : *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam ?* Doleamus[e] cum Deus offenditur ; et quando utiliter et cum fructu fieri potest, prudenter et in sancta caritate peccatores admoneamus, imitantes eum qui dicebat : *Tabescere me fecit zelus meus* (6).

5. Quod si vero[f] de alienis peccatis sanctus propheta ita commovebatur, quid de peccatis nostris facere debemus ? En quem[g] zelum declaravit nobis[h] Christus Dominus, cum scribas et pharisaeos, necnon[i] et suos discipulos tam gravissime admonebat[j]. Hunc et nos zelum consectemur et eo accendamur[k] quando aliquid a nobis vel ab aliis contra leges et institutum committi advertimus. Debemus, fratres, recognoscere matrem nostram, debemus matrem amare et observare, et eos qui eam colunt et ornant peculiari etiam affectu complecti. Quod si quos inordinate ambulare cernamus, decet caritatem vestram illos precibus et bonis exemplis

(a) *def. caventes.* B. (b) om. B. (c) *ut cum propheta dicamus.* B. (d) *simili zelo.* add. B. (e) *similiter,* add. B. (f) *quod si de.* B. (g) *Similem.* B, (h) *persaepe,* add. B. (i) *quin.* B. (j) *graviter admoneret.* B. (k) *consectari debemus et eo accendi.* B.

(1) Psalm. 102, 1. (2) Psalm. 25, 5. (3) Psalm. 100, 3. (4) Psalm. 118, 104. (5) Psalm. 138, 21. (6) Psalm. 118, 139.

iuvare. Neque porro quod aliqui parum prudentes faciunt, ob paucos minus bene compositos, minorem habere convenit de statu nostrae[a] Societatis existimationem. Nam sicut fulgentissimum aurum ex aspersione luti, licet maculas recipiat, non desinit propterea esse purum et perfectum, neque propterea ullum accipit detrimentum ; sicuti neque speciosa margarita ex aspersione pulverum deperdit de sua existimatione et pretio : ita nec Societatis institutum ex paucorum imperfectionibus[b]. Considera et perpende potius[c], mi frater, in quo sis ordine et loco a Deo constitutus, quae pacta cum Deo feceris, quae vota tu edideris, quam multa et bona exempla continenter ante oculos habeas, ac perge animo erecto talenta a Deo accepta bene collocare.

6. Tertio, id maxime movet[d] principem ad ministrum suum ad sublimiora officia et dignitates promovendum[e], si scientia magni momenti et in rebus quae ipsi maxime sunt cordi praestiterit[f] ; eiusmodi siquidem ministri solent a principibus magnanimis et cordatis valde extolli. Sicuti et milites generosi, qui nullam occasionem praetereunt rei bene gerendae, licet subeunda sint pericula et immanes labores exantlandi, sed in prima acie consistere student[g], ut rara ac egregia facinora faciant. Hi primi muros impugnatae civitatis conscendunt, valla transiliunt, hostes continenter infestant et sternunt. Hos ergo nos imitemur : carni, mundo, daemoni, qui Dei hostes sunt, generose nos opponamus, ac de ipsis gloriosam victoriam referre studeamus. Faciamus interdum praeclara et heroïca facinora, sicuti sanctos fecisse legimus, ut gloriam Dei magis promoverent et hostibus resisterent. Erit autem Deo gratissimum obsequium, si indefesse iuvandis in spiritu proximis, ut eis a peccatis eruendis et ad viam salutis traducendis incubuerimus. Hoc a nobis instituti ratio postulat et ad id sacra mysteria nobis tradita sunt ; ad hoc iuventutis et rudium institutio nobis commissa, et omnia denique alia officia quae Societas ad reducendas ad Deum animas usurpare solet. Neque nobis satis sit ut converti faciamus peccatorem ab errore viae suae, sed anniti praeterea debemus ut in gratia et caritate Dei crescat : est etenim id summo regi Deo acceptissimum ; nam ut D. Gregorius ait : Deo gratissimum est sacrificium, zelus animarum ; sicuti et D. Dionysius etiam docuit.

7. Quarto, ratio demerendi principes una est efficax, fidelem ac diligentem se praestare in ipsorum servitio, ad bellum pro ipsorum honore arma, pecuniam, vestes elegantes, principis insignia studiose comparare ; nam huiusmodi militibus et ministris solet princeps praemia et honores

(a) om. B. (b) *ita... imperf.* om. B. (c) om. B. (d) *moveret.* B. (e) *min. s. promov. a. s. o. e. d.* B. (f) *praestitisset.* B. (g) *appetunt.* B.

largiri. Quid nos agere decet, fratres mei[a] , qui contra hostes Dei militiae Christi nomen dedimus ? pulchris[b] virtutis ornamentis nos ornemus, armis spiritualibus muniamus, omnibus instrumentis et omni apparatu ad Dei et Ecclesiae servitium[c] nos instruamus. In hunc finem Societas tam in linguis discendis quam in liberalibus disciplinis capessendis suos alumnos instituere satagit, ut commode contionentur, et ministeria sacra concinne obeant, frugiferi in omni conversatione exsistant.

8. Si petat quispiam quid studiosi seu scholares Societatis agere debeant ut in studiorum suorum munere ad maiorem profectum spiritualem tum suum tum proximorum se disponant, respondeo : aliqua erga Deum ipsum sapientiae fontem, alia erga res ipsas quibus vacant esse instituenda. Cum enim *Omne datum optimum et donum perfectum...* a Deo sit (1), ut hoc scientiae doctrinaeque donum ab eo accipiamus, primo vas mentis nostrae capax reddi debet, in intellectu per fidei sinceritatem, in affectu per conscientiae puritatem, et humilem in utroque submissionem. Nam *Sine fide impossibile est placere Deo* (2) ; nec scientia inflans ad augmentum caritatis prodesset, sed ad damnationem aeternam gradum strueret. Sine puritate autem conscientiae nihil utiliter addiscitur, quia in malevolam animam non introibit sapientia ; et sine humilitate scientia inflat, nec aedificat. Secundo, illud vas mentis rectum consistere debet, ut sapientiae pretiosum liquorem retineat ; rectum, inquam, per intentionem, ut dirigat studia et omnem doctrinam ad honorem Dei, ad proprium profectum, ad bonum et salutem proximorum, non ad curiositatem, non ad vanitatem. Vas ipsum mentis impleri debet crebra oratione, iuxta illud Iacobi (3) : *Si quis vestrum indiget sapientia, postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter, et non improperat.*

Oratio ergo praecedat lectionem seu studium quodvis, offerendo illud Deo et petendo gratiam bene intellegendi ; post studium oratio item sequatur, de intellectis gratias agendo et gratiam bene utendi petendo. Inter studendum oratio non impediat studium, sed interrumpat identidem parumper, elevando mentem ad Deum breviter, ut ipsa magis illustretur praesentia lucis aeternae.

Erga res ipsas quibus vacandum est, necessaria sunt :

1°) Diligentia in audiendo et annotando quae vel praeceptor quem audimus, docet, vel auctor quem legimus, proponit.

2°) Eadem diligentia utendum est in meditando ea quae audita sunt vel lecta, ut penetrentur, digerantur, in memoriae promptuario reponantur.

(a) *Hos, fratres, consectemur*. B. (b) *inquam*. add. B. (c) *necessario*. add. B.

(1) Iac. 1, 17. (2) Hebr. 11, 6. (3) Iacob. 1, 5.

3°) Acris et tamen modesta subsequi debet disputatio, cum aliis scholasticis exercitationibus ; hac nimirum ratione fiet ut et in doctrina proficiamus et per eam in caritate crescamus.

9. Quinto, aulici industrii magna munera et mercedes a principe solent obtinere, cum propter ipsius servitium, et ut ipsi rem gratam faciant, magnos labores et pericula subeunt, ut magis ac magis eum[a] demereantur ; item sua commoda et quietem, quam domi habere possent, posthabeant et neglegant propter servitium principis et ut ipsius voluntati obsequantur. Hos imitemur[b] ministros[c] ; nullis laboribus, nullis vigiliis parcamus, si vitae discrimen vel inter infideles et haereticos, vel inter catholicos male agentes oporteat[d] adire ; non reformidemus[e], cum ad Dei honorem et animarum salutem ita fieri oportere dirigente superiore cognoscemus. Hac enim ratione et via disponemur ad magnam perfectionem.

10. Sexto, aulici industrii solent observare diligenter quae res praecipue placeant suo principi, et ad donandum gratiasque concedendum eius animum inducere solent, et si animadvertant viam aliquam esse opportunam et quam tenentes alii beneficium acceperint, eandem et ipsi viam tenere student, ut animum principis sibi concilient[f]. Hos imitemur, et cum media aliqua efficacia fuisse aliquando compererimus, quibus [Deo praecipue placuimus][g], ea amplexemur et strenue[h] servemus : magna[i] in suscipiendis sacramentis reverentia, insignis paenitentia, ardor et lacrimae in oratione. Caveamus[j] a remissione et acedia ; nam haec multum obsunt. Legimus (1) quod rex David remansit in Ierusalem desidiosus et parum sibi attentus ; et prolapsus est in peccatum. Et in Proverbiis (2) mittimur ad indefessum studium formicae. Eodem spectat quod dicitur (3): *Egestatem operata est manus remissa ;* et ab Apostolo (4) monemur ut *sollicitudine non pigri* simus. Etenim animi remissio et acedia displicet Deo (5) : *Utinam frigidus esses aut calidus,* etc. Et apud Marcum (6) : ficul-

(a) Uterque codex non *eum* scripsit, sed *eos*, quasi antecederet *a principibus*. (b) *imitabimur*. B. (c) *fratres car., si... parcemus*. B. (d) om. B. (e) *reformidabimus*. B. (f) *pr. parent erga se ad magnam beneficentiam*. B. (g) Post verbum « compererimus » et ante « ea » supra lineam scriptum est integre (i. e. sine notula) « *quibus* » et sequitur « *&caeter..* » ; quod ita interpretamur, quasi librario suo scriptor comparationis explendae curam commisisset (vid. supra, pag. 24, notam f.). Quod cum ille non fecerit, quae desunt addimus ad mentem. Ceterum inter « opportunam et quam » et « ardor et lacrimae » multae sunt immutationes inceptae et partim deletae. (h) *diligenterque*. B. (i) *ut est* (ante *magna)* induxit A, retinuit B. (j) *Cavendum enim nobis est*. B.

(1) 2. Reg. 11. (2) Prov. 6, 6. (3) Prov. 10, 4. (4) Rom. 12, 11. (5) Apoc. 3, 15 sq. (6) Marc., 11, 13, 21.

nea fructum non faciens maledicitur. Et (1) tollitur mna ab eo qui eam utiliter non expendit. Placet autem acedia diabolo, quod patet ex Iob (2) : *Circumdabunt eum,* ait, *salices torrentis.* Per torrentem cuius aquae cito defecerunt, voluptas intellegitur praesens, quae cito finitur ; et sunt salices infructuosae,quae circumdant diabolum, quasi facientes ei umbram et refrigerium praebentes. Nocet et personae ipsi tali vitio laboranti, ob mala quae infert, et bona quae aufert : infert enim malum culpae et poenae. Est denique remissio iniqua in Deum, quia acediosus defraudat eum de talento ipsi commisso ad illud exercendum.

11. Septimo, aulici studium est vigilantem et alacrem se praestare[a], tum per se tum per alios, tempore et loco in gratiis et beneficiis a suo principe petendis, maxime quando liberalis est et munificus, non tam gaudens parva et pauca quam pretiosa et magna largiri. Horum et nos vestigiis insistamus, et tam per alios quam per nos ipsos Deo simus importuni, neque nos tales esse pigeat aut pudeat : importunitas etenim huiusmodi Deo est gratissima, ut ait Tertullianus in Apologetico (3). Scriptum enim est quod violenti rapiunt illud. Cur vero magna ab ipso non speremus et petamus ? licet enim nos magnis indigni simus, ipsum tamen decet et delectat magna dare, cuius thesauri nec exhauriri nec deminui possunt. Adhibeamus praeterea mediatores et patronos, B. Virginem in primis, deinde sanctum Angelum custodem et alios tutelares sanctos nostros.

12. Octavo, aulici solent suis principibus multum honoris et reverentiae deferre, et magnam animi demissionem in ministeriis prae se ferre, ut magis se amabiles faciant et eos munificos experiantur : ita nos facere decet erga summum principem Deum, ut ab eo augmentum gratiae accipiamus ac meritorum cumulum augeamus ; nam timor reverentialis Deum nobis mire conciliat. *Timete,* inquit psalmista (4), *Dominum, omnes sancti eius, quia non est inopia timentibus eum.* Si nihil deest, caritatis ergo perfectio libenter ab eo conceditur. Dixit enim Isaias (5) : *Divitiae salutis, sapientia et scientia ; timor Domini, ipse est thesaurus eius.* Quod Cheremon apud Cassianum exponit (6) : Divitiae nostrae salutis quae in vera sapientia et scientia Dei consistunt — hae autem caritatem includunt — non nisi a timore Dei conservantur. Ideo in Eccle-

(a) *promptum e. a. s. exhibere.* B.

(1) Luc. 19, 24. 26. (2) Iob. 40, 17. (3) Tertullianus. PL. t. 1 Apolog. cap. 39. col. 468. (4) Psalm. 33, 10. (5) Is. 33, 6. (6) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 11, cap. 13. col. 865 sq.

siastico (1) Timor Dei corona iustitiae dicitur et paradisus benedictionis. Quod ad animi demissionem et humilitatem attinet, patet ex apostolo Petro (2) quod *Deus resistit superbis, humilibus autem dat gratiam.* Ideo ait D. Bernardus (3) : « In veritate didici nihil tam efficax esse ad gratiam Dei promerendam, recuperandam et conservandam, quam si omni tempore inveniaris coram Deo non altum sapere sed timere. » Humiliemur ergo et in timore reverentiali Dei perpetuo vivamus, fratres mei, ut illi placeamus. Nam quamvis Deo nihil accedat utilitatis ex nostro servitio, sed totum in bonum nostrum parens optimus convertat, placet tamen illi maxime studium nostrum, praesertim quando promanat ex intenso affectu ; nam actus seu conatus intensus illi plus placet quam mille remissi, plusque valet ad gratiae augmentum. Iuvat ergo plurimum ardenter exercere nos ; nam qui sic agit, plus proficit in spiritu brevi tempore, quam alii multis annis.

11ª Exhortatio

DE MAIORE DEI GLORIA IN OMNIBUS QUAERENDA

1. Deus licet nec laudibus humanis indigeat, nec glorificatione ullius creaturae gloriosior evadat — gloriosus enim est in natura et essentia suae maiestatis et gloriae suae magnitudine — delectatur tamen laudibus nostris et pura intentione creaturae suae in iis quae ipsa agit. Nam caritas eius, nostrae salutis cupidissima, se ipsa ad nos ita inclinat ut dum a nobis glorificatur, in ipsa quoque nos magnificemur et laudi ac gloriae participemus. « Certus sum enim, clementissime Deus, ait D. Ephraem (4), quod haec caritas gratiae tuae praestoletur atque suscipiat omnem ad te accedentem ; cumque omnino praenoscas, Domine, accedentem ad te, cor ipsius intueris, et priusquam ad ianuam pertingat, tu ei aperis ; antequam tibi procidat, manum ei praebes ; antequam lacrimas promat, tuas super eum miserationes effundis ; antequam sua tibi debita confiteatur, indulges atque remittis. Non improperat Deus quod male transegisti tempus tuum, quomodo aetatem consumpsisti ; non perquirit quantitatem libelli in quo scripta sunt peccata nostra,

(1) Eccli. 1, 11 ; 40, 28. (2) 1. Petr. 5, 5. (3) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 54 in Cant. col. 1042. nº 9 d. (4) S. Ephraem. tom. 1, n. 32 Anima afflicta. p. 63 b. c.

nec revocat in memoriam quantum eum exacerbaverit neglegentia nostra, non quanta neglexerimus beneficia ; sed humilitatem potius et clamorem et bonum affectum cordis prospiciens clamat : *Cito proferte stolam primam et induite illum, et mactate vitulum saginatum* (1) ».

Quid retribuamus, fratres mei, tantae caritati, tantae in nos clementiae et amori ? Nulla re possumus hunc Dei in nos affectum compensare, quam amore, ut ipsum videlicet redamemus totis visceribus nostris. Quod ut indesinenter faciamus, studendum nobis est ut in omnibus quaeramus maiorem eius gloriam et honorem.

2. Quod B. P. N. vocat in constitutionibus saepe maius Dei servitium et obsequium, hoc porro studium fuit in B. P. N. luculentissimum, adeo ut Societas per traditionem istud « ad maiorem Dei gloriam » acceperit tamquam symbolum sibi proprium, ac tamquam principium nascens ex substantia seu essentia Instituti[a] : quod est procedere semper ulterius in servitio Dei et quaerere iugiter sui perfectionem, quae consistit in puritate amoris et caritatis Dei. Haec autem in hoc consistit desiderio, ut Deus Dominus cognoscatur et aestimetur et serviatur et honorificetur maxime : quanto enim maior in nobis est caritas, tanto maius est hoc desiderium. Quia vero in B. P. N. fuit maximum et audentissimum, eius scintillae semper erumpebant ex beato eius ore.

Afferre loca constitutionum in quibus hoc principium B. P. repetit, esset numquam finire, quia vix est paragraphus in quo non exprimatur illud « ad maiorem Dei gloriam », vel « ad maius Dei obsequium », vel aliquid simile. Omnia denique quae ab ipso ordinantur et praescribuntur, hoc fulciuntur fundamento ; cui adiungere possumus alterum principium eidem beato viro valde familiare, quod est spectare continenter maiorem nostram humiliationem et nostri contemptum. Nam super his duobus lapidibus fundavit hoc Societatis aedificium. Ideo semper appellabat societatem « minimam » imitatus Christum dicentem (2) : *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum.... et sequatur me.* Hoc officium est vere religiosi ut exeat scilicet ex se ipso, et se ipsum neglegat quod ad carnis curam attinet ; abiciat se et libenter excutiat[b] ventosam illam vanitatem propriae existimationis, quam natura corrupta invexit[c].

3. Hac de causa Dominus, ut sapientissimus pater, aliquando nos consolatur, aliquando nos cum siccitate relinquit in oratione, aliquando dat nobis notitiam nostrorum defectuum, aliquando non, sed in tene-

(a) *Societatis.* B. (b) *et illam libenter, atque evertat.* B. (c) *et quaerit.* add. B.

(1) Luc. 15, 22. (2) Matth. 16, 24 ; Luc. 9, 23.

bris nos versari permittit. Ut pius pater aliquando dat filio panem candidum, aliquando atrum[a], aliquando filiolum manu ducit, aliquando solum incedere permittit.

Societas a B. P. N. vocari solebat « minima », ut dictum est ; causae, praeter humilitatis studium, ipsius esse putantur :

1ª) quia instituebat eam ut pugnaret contra mundi vanitatem eique opponeretur. Debuit ergo esse humilis, et parva quaerere ac despicabilia, non excelsa.

2ª) ut qui se ei adjungerent, intellegerent debere se esse humiles et parvos, quales omnes esse debemus in oculis nostris.

3ª) quia ad instituendos parvulos mittebatur, et ut erudirentur rudes adulti doctrina fidei seu catechismo.

4ª) quia ultima tunc erat religio inter alias.

4. Quare vero Societas vocatur ?

1°) Quia nomen suave est et unionem significat in officio praestando. Olim christiani vocabantur sancti (1), fideles, societas sanctorum, societas Iesu, si qua societas spiritus.

2°) Quia alter alterius onera portare debemus, ut membra eiusdem corporis, sicuti pedes portant totum corpus, oculi totum dirigunt, etc.

3°) Quia est bonorum spiritualium communio et lucra singula omnium esse censentur.

4°) Quia negotia in omnibus provinciis et in toto terrarum orbe eadem facimus, uti mercatores qui etiam suas societates habent.

5°) Propter mutuam caritatem quae omnes, etiam Iapones et Peruanos nobis unit et coniungit.

6°) Propter communicationem litterarum, quae inter nos est permagna.

Sed digressi sumus a proposito : ad illud modo redeamus.

5. Maxime proprium est Societati quaerere in omni re et actione maiorem Dei gloriam ; neque porro quaerere eam decet communi et vulgari modo, sed modo raro et exquisito. Non est in primis dubium, quin omnia quodammodo tendant in gloriam Dei, non tantum quae bona, verum etiam quae mala, adeo ut etiam in inferno ipso per viam iustitiae Deus glorificetur, dum punit peccatores. Sed quia haec gloria non datur Deo a damnatis et impiis ipsorum studio et intentione — quia Deo potius sunt contrarii, sicuti et ipsorum actiones consequenter — Deus hanc gloriam colligit ex iis sua virtute et omnipotentia.

(a) *nigrum*. B.

(1) 1 Cor. 14, 33 ; 1, 9. etc.; Philip. 3, 13. 17.

6. Societas porro non sic dicitur quaerere aut promovere gloriam Dei ; sed multo hoc gradu altius conscendit : facit enim opera per quae Deus glorificetur, et in universo mundo Dei amplitudo et maiestas praedicetur[a]. Sed et hic modus quoque inferior est quam velit et intendat genuinus Societatis filius : nam ille modus omnibus creaturis communis est. Et sane inanimata ipsa glorificant suo modo Dei magnitudinem, ostendendo quam admirabili ordine et sapientia omnia creaverit et disposuerit. Manifestant et ipsius potentiam, bonitatem et sapientiam ; unde psalmista (1) : *Caeli enarrant gloriam Dei.* Et tres pueri dicunt (2) : *Benedicite omnia opera Domini Domino.* Ascendit, inquam, Societas superius, quia non tantum verbo gloriam Dei annuntiat et communi modo aliarum creaturarum, sed vult et eligit hunc finem omnium operum suorum, ad quae facienda movetur motu affectus, ut Deus magis ac magis glorificetur ; et ordinat ac dirigit sua omnia, ut gloria ipsius magis manifestetur.

Propter hunc finem renuntiat rebus omnibus inferioribus, non tantum natura sua malis, ut sunt illicitae[b] voluptates et delectationes carnis, sed etiam licitis, ut sunt divitiae, honores, deliciae, libertas, quibus homo uti potest licite et sine Dei offensione ; hoc autem facit Societas, quo libera et soluta curis omnibus terrenis, non habeat aliam intentionem[c] , non alium omnino finem in omnibus actionibus suis, quam Dei gloriam, dedicando se totam sancto eius servitio.

7. Sed desideratis fortassis, fratres carissimi, ex me audire qui fiat quod tanta sit interdum in nobis remissio et tantus languor in hoc fine quaerendo. Ut ergo faciam vobis satis[d] , certum illud est quod defectus hic[e] non proveniat ex[f] Deo ; nam cum hic finis sit maxime proprius Societatis, non deest procul dubio nobis bonitas illa divina[g] , si partes nostras agamus. Ad ipsius siquidem providentiam pertinet finem creaturis suis assignare, et media ad eum convenientia liberaliter largiri : quod fecisse cernimus plantis, vermiculis et omnibus creaturis irrationabilibus, quas quasi manu suae providentiae ad finem suum perducit. An dubitabimus nos quin nobis eadem praestet ? Praestat certe et eo quidem libentius quo finis creaturae rationalis nullis naturae viribus comparari possit, quod excedat omnem naturalem facultatem ; hoc autem non evenit in ceteris creaturis, quarum finis est satis clarus[h] . Videmus porro quod quoties-

(a) *gl. Nam per eam i. uni. m. D. amp. e. mai. manifestatur et praedicatur.* B. (b) om. B. (c) *t., occupationem aliam non habeat, intentionem non aliam.* B. (d) *u. e. f. v. s.* om. B. (e) om. B. (f) *a.* B. (g) *b. i. d.* om. B. (h) *pervius.* B.

(1) Psalm. 18, 2. (2) Dan. 3, 57.

cumque materia est bene disposita, semper forma educitur, semper effectus sequitur. Accipito candelam accensam, admoveto lapidi vel ligno viridi et humido : illud non accenditur ; admoveto alteri candelae vel stuppae aridae, ligno sicco : nullo negotio accenditur.

8. Defectus itaque noster ex nobis male dispositis procedit, et ex remissa operatione seu cooperatione nostra, non ex Deo, qui semper praesto est, paratior ad aperiendum et dandum quam nos ad pulsandum et accipiendum. Is hortatur nos ut excitet (1) : *Pulsate*, inquit, *et aperietur vobis*. Arguit quod non petamus (2) : *Usque modo non petistis quicquam in nomine meo*. Certe si diligenter consideraremus aestimaremusque Dei benignitatem, et donum vocationis quod accepimus, voluntas et affectus noster non ita langueret. *Non fuerunt*, inquit Propheta (3), *memores multitudinis*[a] *misericordiae tuae*. Et sane nos videmus de nostris fratribus, Deo sit laus, plurimos, omnes suo fervore aedificare, et procul dubio habere semper ob oculos in suis actionibus maiorem Dei gloriam, iuxta illud (4) : *Concaluit cor meum intra me, et in meditatione mea exardescet ignis*.

Notate quod ubicumque erat illa columna populi Hebraïci, ibi continuo erat Moyses (5) ; ubi vero Moyses, ibidem tota sequens turba exercitus filiorum Dei. Sic accidit in rebus nostris : ubicumque enim est columna lucens intellectus et mens meditabunda, ibidem est voluntas affectuosa[b], amans illud ipsum quod ab intellectu et mente ei repraesentatur esse bonum ; ubi vero voluntas adest apprehendens et desiderans, ibidem continuo praesto est totus exercitus sensuum et potentiarum partiumque hominis. Nam quo propendet voluntas, statim concurrit oculus, auditus, memoria, cogitatio, etc. Cognitio ergo[c] et contemplatio nostri status nostraeque vocationis, plurimum nos promovent ad Deum amandum et ad proficiendum in spiritu. Dum magis enim admiramur, maiori amore inflammamur.

9. In Levitico (6) legimus animalia quae non ruminabant fuisse vetita populo, ne ederentur et offerrentur. Quo significatum a Deo Patres dicunt, non posse esse Deo gratos qui vitiis illis laborant quibus laborare naturaliter ea animalia videntur. Porco verbi gratia, naturale est pronum esse ad volutabrum luti quaerendum et locis foedis et foetidis oblectari : ex eo collige quod Deo ingratus est qui caeno peccati et foetidis actionibus se commaculat. Aquila et animalia fera et rapacia significabant

(a) *magnitudinis*. B. (b) *affectiva*. B. (c) *Concludamus ergo quod cognitio*. B.

(1) Luc. 11, 9 ; Matt. 7, 7. (2) Ioan. 16, 24. (3) Psalm. 105, 7. (4) Psalm. 38, 4. (5) Exod. 13, 21 sqq. (6) Levit. 11, 3 sqq.

rapacitatem et feritatem, quas aversatur Deus in hominibus ; camelus gibbum portans, tumorem superbiae denotat, quam odit Dominus in nobis ; mures et talpae, amorem terrenorum, cui Dei voluntate et misericordia nuntium remisimus.

Ex prohibitione igitur talium animalium docebatur populus similia vitia fugere. Volebat praeterea Deus ut discerent ruminare et commemorare meditarique beneficia caelitus accepta. Hinc psalmista (1) : *Mandata tua meditatio mea est.* Et alibi (2) : *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus eius in ore meo.* Excutienda est, fratres mei, totis viribus ingratitudo, et laudandus Deus ; dicitur enim (3) : *Magnificate Dominum mecum, et exaltemus nomen eius in id ipsum,* id est : simul et unanimiter, una sit omnium nostrum harmonia, quae exaltet nomen Dei, eius bonitatem ac maiestatem. Neque tantum ore sed totis viribus iuxta illud (4) : *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius.*

10. Abstrahamus vero nos in nostris actionibus ab omni amore proprio, ab omni interesse et ab omnibus denique particularibus commodis : tanto enim quis perfectior et insignior evadit, quanto istud facit sollicitius. Hoc desiderium, haec fames gloriae Dei et nostri neglectus vigeat in nobis[a]. Simus indifferentes ad omnem superioris dispositionem de nobis, non propendeamus ad ullum officium, ad ullum locum, ad haec vel illa studia, ad hunc vel illum gradum, ut oboedientia caeca niteat in nobis. Non enim nostra salus in eo consistit ut simus in hoc vel illo gradu, in hoc vel illo officio. Ianitor sis, coquus, rector, coadiutor, professus, in hoc praecipue tibi incumbendum est, ut officium tuum accurate ad maiorem Dei gloriam praestes. Nam si officium, quodcumque obeas, illud neglegenter tractaveris, procul dubio poena erit sustinenda, vel in hoc mundo vel in altero, nisi lacrimarum aqua illam abstuleris.

Debemus etiam laetari quando defectus nostri per alios innotescunt superioribus[b] , quia hac ratione melius possunt nos ad maiorem Dei gloriam dirigere. Caveamus ne imitemur ignavos dicentes : mihi sufficit mediocritas, satis est ut salutem consequar ; quamvis non sim habiturus tantum perfectionis et gloriae, mihi perinde est, curabo tantum ut non habeam peccata. Non sic, fratres carissimi, non sic ; nam neque contenti esse debemus ut bonum opus faciamus, quia opus ex sua natura bonum, ad opus melius comparatum, malum censeri potest ; tenemur autem ad

(a) *neglectus, quo maiora sunt, hoc tandem suaviora.* B. (b) *superiori.* A. B.

(1) Psalm. 118, 143. (2) Psalm. 33, 2. (3) ibid. 4. (4) Psalm. 102, 1.

meliora nos semper, iuxta Apostolum, extendere. Iethro, socer Moysi, illi dixit quod stulte et male agebat, quando solus populum iudicabat, consuluitque ut sapientes eligeret : bonum opus Moyses faciebat, sed melius illud instituere poterat, et ad maiorem Dei gloriam, sicuti postea fecit (1).

11. Quod ad salutem proximorum curandam attinet, debemus etiam maiorem Dei gloriam quaerere, sicuti faciendum docet Societas, quae nos non astringit alicui particulari loco, sed indifferentes nos vult esse ad omnem locum, ut Dei maius obsequium postulat. Cor nostrum quilibet habere debet latum, amplum ac generosissimum, neque contenti esse debemus ullo animarum lucro, licet illud magnum appareat, neque terminum ullum ponere huic appetentiae et fami lucrandi Christo animas ; sicuti avarus semper inhiat amplioribus divitiis, numquam iis quas possidet contentus.

Non decertat homo Societatis contra unum peccatum, sed contra omnia, conitendo viribus omnibus omnia peccata destruere et evertere totum regnum diaboli, omnes haereses, universum gentilismum, blasphemias omnes pessum dare. Conatur iuvare in spiritu omnis condicionis homines, parvos, magnos, pauperes, divites, aegros, sanos, ecclesiasticos, politicos, supremos, medios et infimos, maritatos, caelibes, rusticos, pueros, omnis denique condicionis homines, et in omnibus casibus ac caritatis operibus, ut non tantum opus unum aut alterum aggrediamur, sed, ut habent regulae missionum, omnia quae iudicabuntur Dei gloriam et honorem posse promovere[a].

Ex dictis colligitur quod unus quisque nostrum animum grandem, animum, inquam, monarchae et Alexandri alicuius, cui parvus et parum erat unus mundus ad amplificandum imperium suum, habere debet. Istud est ambulare in latitudine cordis, sicuti *Dei mandatum* est *latum nimis* (2). Tale habuit et B. P. N. quia exoptavit semper ministeriis societatis universum mundum ad Deum attrahere.

12. Incumbit praeterea Societas his studiis et operibus modo non vulgari, sed perfectissimo ; nam quando concurrunt varia media ad opus aliquod faciendum quod ordinatur ad Dei gloriam, omnia ipsa complectitur, modo prosint. Et incidentibus duobus operibus caritatis, eorum illud eligit, in quo relucet maior Dei gloria. Non omittit denique industriam ullam aut medium, licet minimum sit et humile, si conducere

(a) *prom. posse.* B.

(1) Exod. 18, 13 sqq. (2) Psalm. 118, 96.

putat ad maiorem Dei gloriam vel ad sui proximorumque maiorem perfectionem. Ex dictis patet finem esse cuiusque nostrum quaerere Dei gloriam maiorem modo perfectissimo in duobus :

1°) in perfectione sui ipsius,

2°) in salute et perfectione proximorum.

Ad quod nos invitat ipsum dulce nomen Societatis a Christo acceptum ; quod licet Sixtus V tollere voluerit, non est tamen passus Deus ut faceret, quoniam ipsum, bulla iam fere confecta, evocavit ad se. Christus benedictus huius finis nostri exemplum dedit tota vita luculentissimum et multiplex. Nihil enim non est passus incommodorum et cruciatuum, ut nos in libertatem filiorum Dei assereret (1). In hunc finem sustinuit famem, sitim, sudorem, fatigationem, contumelias, probra, sputa, clavos, colaphos, coronam spineam, mortem ignominiosam crucis. Hoc exemplo a Dei filio nobis proposito, quo pacto audeam ego, vermiculus et peccator, cogitare magnos esse labores quos in tui nominis honorem et proximorum salutem, Christe Iesu, sustineo ! Cogitemus, fratres, breves esse labores, momentanea esse haec incommoda, si componantur cum mercede illa beata et infinita quae nobis praeparata est in caelis. Sic faciendo omnia erunt nobis propter Christum levia.

12ª Exhortatio

DE IMITATIONE CHRISTI, ET QUAERENDA IN OMNIBUS DEI GLORIA

1. Omnis homo secundum naturam[a] habet quandam similitudinem cum Deo ; habet nempe animam immortalem, habet intellectum, voluntatem, etc... sed in participatione fit similior. Sicuti duo corpora, si alba sint vel nigra, si nigro adicias aliquid alboris, tunc accedit ad similitudinem albi puri ; si adieceris amplius, adhuc magis ac magis pro quantitate eius quod adiecisti : ita et nos ad Dei similitudinem accedimus, quo magis de eius virtutibus et gratiis accipimus et participamus ; v. g. Deus est immortalis, et nos immortales sumus secundum spiritum ; Deus est sapientissimus, est iustissimus, Christus Dominus

(a) *sec. nat.* om. B.

(1) Rom. 8, 21.

est humillimus, sic et nos eius gratia et nostra cooperatione conemur nos fieri sapientes, iusti, humiles, spiritu pauperes ; nam quo his magis ornabimur, Deo similiores evademus, et ad eum propius accedemus ; quo magis denique proficimus in virtutibus, ei similiores sumus. Unde ipse dixit (1) : vos *dii estis et filii excelsi omnes*. Summa ergo cura nobis esse debet, fratres carissimi, ut Christo Domino, qui est vera imago et figura patris, nos conformemus, et eius imaginem similitudinemque per piam imitationem induamus. Considerabimus igitur in hac exhortatione primum virtutes quas Christus suo exemplo nobis designavit, deinde quod studium et quam viam inire debemus, ut eas obtineamus et perfecte imitemur.

2. Quid ergo Christus ad nostrum exemplum praestitit ? Summo studio per vitam totam curavit promovere Dei gloriam et honorem[a] . Ipse enim Christus nobis a patre datus est non solum in pretium (2), ut videlicet pretioso suo sanguine de captivitate diaboli nos redimeret, et debitum quo iustitiae divinae ob culpam admissam obstringebamur pro nobis misericorditer persolveret, sed et nobis doctor, magister et via esse dignatus est. *Ego*, inquit (3) *sum via, veritas et vita* : via, quam debetis tenere et per quam debetis ambulare ; exemplum enim dedi vobis, ut quem ad modum ego feci, sic et vos faciatis. Ego sum veritas quam amplecti debetis et sequi, ut tenebrae errorum et peccatorum vos non apprehendant. Ego sum vita, cuius vi, spiritu et merito vivere potestis et debetis, ac moveri ad omne opus bonum. Hac vita Paulus vivebat et ad iuste operandum movebatur : *Vivo*, inquit (4), *iam non ego, vivit vero in me Christus*.

O beatam vitam ! o felicem illam animam, fratres, cuius vivere Christus est, cuius operari et moveri Christus est ! qui in se habet veram vitam Christum, et Spiritum Sanctum in se manentem. *Qui manet*, inquit (5), *in me, et ego in eo*. Nam qui talis est, filius Dei est, convivificatus Christo ; qui autem filii Dei sunt, spiritu Dei aguntur (6).

3. Tota autem vita Christi consistebat in duobus maxime :

1°) In quaerendo et promovendo toto affectu honore divino, seu patris aeterni.

2°) In quaerenda salute animarum. Haec duo indefesso studio cogitabat atque quaerebat. *Non quaero*, inquit (7), *voluntatem meam, sed eius qui misit me* Patris. Quin ipse *semet ipsum exinanivit, formam servi accipiens* (8). Natus

(a) *quod B. P. N. Ignatius curandum et imitandum nobis tradidit.* add. B.

(1) Psalm. 81, 6. (2) 1 Cor. 6, 20. (3) Ioan. 14, 6. (4) Gal. 2, 20. (5) Ioan. 15, 5. (6) Rom. 8, 14. (7) Ioan. 5, 30. (8) Philip. 2, 7.

est pauper in stabulo, vixit pauper in mundo, ab omnibus contemptus, a plurimis irrisus. Abiectus factus est ut *opprobrium hominum et abiectio plebis* (1). Sed haec omnia ad Dei gloriam summo amore ordinabat. Studium vero et zelus animarum quam admirabiliter in eo eluxit ! Quanto igne caritatis accensus et inflammatus in omni loco et tempore actioneque exstitit ! Non tepide egisti, Domine Iesu, et operatus es salutem nostram, sed exsultasti *ut gigas ad currendam viam* (2) oboedientiae.

4. Vultis, fratres mei carissimi, vobis ponam ob oculos inflammatum cor et spiritum Christi ? En ad passionem Hierosolymam proficiscens, praecedit apostolos et discipulos (3), prae siti et desiderio patiendi pro nobis, et mirabantur discipuli eius. O ardorem ! o eximiam, et, ut cum Apostolo loquar (4), *O nimiam filii Dei caritatem !* En aliud exemplum per parabolam Lucae nobis insinuatum (5) : nonaginta novem oves relictae sunt in deserto, et incensum caelestis pastoris studium perquirit unam perditam, inventam umeris illam gestans ad gregem rettulit. Propter hanc enim oviculam, propter te, inquam, mi frater, Christi oviculam, ieiunavit innocentissimus Iesus, laboravit per desertum mundi huius discurrens et praedicans, docensque veram ad salutem viam, exhortans ad paenitentiam, suavitate conversationis ad virtutem nos alliciens, a morbis et daemonibus liberans. Ad hanc liberandam oviculam flevit ; probra, verbera, sputa, fel, acetum, arundinem, crucem, clavos, coronam spineam, mortem denique ignominiosissimam sustinuit. Morte, inquiunt impii, turpissima occidamus eum (6). Non tepide ergo, dulcissime Iesu, egisti causam nostram, non tepide servivisti in peccatis nostris, sed animam etiam post gravissimos dolores pro nobis impendisti. Detestabilis sane, fratres carissimi, est superbia hominis, humiliare se et servire in abiectis non raro contemnentis. O fratres mei optimi, Christus nos exemplo suo invitat, et sequi eius vestigia renuemus ? Humiliat se Christus nostri causa, et nos superbiemus ? Abiectissimum servitium subit Dei filius, et sedet in medio nostri sicut qui ministrat, immo pedes in terram abiectus nobis lavat, et ministeria humilia detrectabimus ? Haec, haec, fratres, nos docent quid agere debeamus.

5. Christum igitur, ut secundam partem exhortationis aggrediamur, imitantes iuxta exemplar nobis in monte propositum, nos humiliemus, neque quaeramus laudem nostram in hoc saeculo ; honoris et existimationis nostrae curam Deo relinquamus : ipsi enim cura est de nobis. Ne

(1) Psalm. 21, 7. (2) Psalm. 18, 6. (3) Luc. 19, 28. (4) Eph. 2, 4. (5) Luc. 15, 4-5. (6) Sap. 2, 20 ; Ierem. 11, 19.

simus tam solliciti de nobis, sed hanc curam Deo et superioribus nostris relinquamus ; ipse eius curam geret, id enim se facturum recepit : *Si quis*, inquit (1), *mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus* qui est in caelis. Quin Heli sacerdoti olim dixit (2) : qui honorificabunt me non erunt ignobiles. Nolo tamen tam scrupulosus esse, ut fratres nostros simpliciores in scrupulos inducam, putentque propter verba mea se nullam prorsus existimationis suae debere habere rationem ; scio etenim scriptum esse, quod melius sit *nomen bonum quam divitiae multae* (3). Ostendamus ergo cum S. Thoma (4), quod gloria in hoc mundo admitti et desiderari possit absque peccato duobus modis, immo cum merito :

Primo, quando quis recogitat bonum opus quod fecit, et putat dignum esse laude, probatque illud ut opus virtutis, desiderans ut ipsum laudetur ab aliis in Dei honorem et gloriam. Sic enim faciendo implet praeceptum Christi Domini datum : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona* (5). De hac gloriatione dicit Apostolus (6) : *Qui gloriatur, in Domino glorietur.*

Secundo, potest quis desiderare ut opus suum bonum laudetur in utilitatem proximi, et istud est meritorium. Ad huius gloriae conciliationem movet[a] nos Apostolus dicens (7) : *Providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus.*

6. Dicunt doctores duas res esse christiano necessarias, scilicet conscientiam et famam bonam (8). Conscientia est necessaria in ordine ad Deum, bona fama propter homines. Sane qui bona sua conscientia contentus neglegit famam suam, imprudens est, licet religiosus possit cum merito humiliare se, gaudere de sui vituperatione, et ut dicit B. P. N. et regula nostra, appetere etiam iniurias, malam famam, opprobria, ut induat Christi vestem, eique in his assimiletur ; nullam tamen debet famae malae de se spargendae occasionem dare. Contingit vero religiosum desiderare laudem humanam inordinate cum peccato veniali, ut cum quis cupit laudari a re quae non meretur laudem, ut libenter tractando de parentum divitiis, de commodis quae reliquit, de parentum stemmate, de honoribus habitis vel quos poterat in mundo habere. Hic enim peccat venialiter propter vanam gloriam ; omnia enim vana sunt quae mundus habet ac diligit. Est autem vana gloria peccatum veniale, etiam quando cum deliberatione non appetitur, sed immiscet se cum aliquo consensu

(a) In neutro codice liquet utrum scriptum sit *monet*, an *movet*.

(1) Ioan. 12, 26. (2) Reg. 2, 30. (3) Prov. 22, 1. (4) S. Thom. 2, 2ae. q. 132. a. 1. (5) Matth. 5, 16. (6) 2. Cor. 10, 17. (7) Rom. 12, 17 ; 2. Cor. 8, 21. (8) Decr. Grat. (Taurini 1620.) 12, q. 1. Cap. 10, « Nolo ».

actionibus bonis. Hunc enim pulverem Christus Dominus iubet excuti de pedibus seu affectionibus nostris (1).

7. Potest vero quis quaerere laudem humanam ut non vilipendatur et parvi fiat ; et quando fecit opus virtutis, gaudere quod fecerit, et quod laudetur opus suum, praesertim quando gerit personam publicam — ita tamen ut finem suum non constituat laudem hominum —, quia ut opera mala trahunt secum confusionem et ruborem, ita actiones virtutis gaudium et exsultationem. Si ob mala opera recipiat quis confusionem et ruborem, quare de bono opere non accipiat laudem et laetitiam ? Id consentaneum est sententiae Apostoli (2) : Nos instrumenta sumus quibus Deus operatur, omnis ergo gloria boni operis ipsi debetur. Quem ad modum, si pictor absolutam ac pulchram imaginem penicillo efformasset, laudem non tribueremus penicillo sed pictori. Quod si defectus et macula acciderit, non Dei sed nostro vitio id fit, quia Dei perfecta sunt opera. *Omnia opera nostra operatus es nobis, Domine* (3). Deus operatur omnia in omnibus (4). — *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (5). *Gloriam meam alteri non dabo,* dicit Dominus (6). *Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honor et gloria* (7).

8. Potest autem, ut ait Chrysostomus (8), accidere ut vel in principio operis boni, vel in eius medio, vel in fine, irrepat vitium superbiae et vanae gloriae. In principio quidem, quando opus bonum inchoatur ob vanam solum gloriam et conciliandam apud homines probitatis maioris opinionem. Hoc opus vitiosum et malum est, quia provenit ex radice non bona, sed mala et vitiosa. Huiusmodi ergo opus deserendum est potius quam prosequendum, quia Christus hanc rationem operandi prohibet (9) : *Attendite ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis ;* vel intentio mutanda est et corrigenda.

In medio subit aliquando vana gloria, ut quando quis aggreditur bonum opus recta intentione, sed quando tale opus tendit versus finem vel circa medium, irrepit motus aliquis vanae gloriae ; quod propterea omitti non debet, sed continuari et ad perfectionem deduci, excussa cogitatione, si

(1) Matth. 10, 14. (2) Rom. 13, 7. (3) Is. 26, 12. (4) Philip. 2, 13. (5) Psalm. 113, 1. (6) Is. 42, 8. (7) 1. Tim. 1, 17. (8) In cap. 6. Matth. — Duae sunt Chrysostomi Homiliarum in Matth. series : prior genuina [PG. t. 57-58], altera quae inscribitur « Opus imperfectum » incerto auctore [ib. t. 56]. Plerumque verba refert Oliverius noster iuxta editionem quam KEERBERGIUS (Antverpiae 1614) haud dubie imitatus est. Huius tamen loci verba frustra l. c. (1ª ser. hom. 19-22) quaesivimus ; videtur porro quasi compendium Hom. 19, nn. 1-3 [PG. t. 57. col. 274], ubi de vana gloria. Cfr. tom. 63 Eclog. hom. 16. col. 671-678. (9) Matth. 6, 1.

excuti potest ; sin secus, imitari D. Bernardum convenit, qui dum contionaretur et a tali suggestione daemonis molestaretur, dicebat intra se tentatus tentatori : Non propter te incepi, nec propter te omittam.

In fine boni operis vexat interdum etiam vana gloria seu complacentia ; sed complacentia non potest vitiare opus iam factum ; quare non est curanda. Et est res valde naturalis, ut homo laetetur de opere bono et laudabiliter facto, ut dicitur libro Proverbiorum (1). Quin sancti et valde perfecti viri gaudere solent de operibus bonis quae faciunt ad Dei honorem, et de iis gratias Deo agunt. Vide glossam ordinariam in psalmum 118 (v. 112) super illud : servavi mandata tua *propter retributionem.*

9. S. Chrysostomus in cap. 6° Matth. (2) dicit quod vana gloria difficulter vincitur ob tres causas :

1° « Quia nascitur ex bono opere, ut ex veste nascitur tinea quae rodit vestem, et ut vermis nascens in ligno quod totum corrodit, et ut eruca quae ex herba nascitur, et eam absumit a qua sumpsit originem. Debet ergo contemni.

2°) Quia cum cetera vitia et peccata habeant virtutes oppositas a quibus vincuntur, ut superbia humilitatem, avaritia liberalitatem, invidia caritatem, haec non habet tam manifestam.

3°) Quia quanto magis refrenatur, tanto magis crescit et augetur. Ratio Chrysostomi est, quia omne malum nascitur ex malo, sola vana gloria ex opere bono ; hinc fit ut non facile vincatur ; debet tamen homo se tunc humiliare in oculis Dei iuxta illud (3) : *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus.*

Non est porro, iuxta Chrysostomum (4), remedium aliud contra hoc vitium quam oratio, et haec nihilo minus subiacet vanae gloriae, nisi magna cautio et vigilantia adhibeatur. Inde Chrysostomus etiam dicit quod cum cetera vitia sedem tantum collocent in improbis et servis diaboli, haec sola vana gloria eam invenit in viris iustis et perfectis servis Dei. » *Non efficiamur*, inquit Apostolus (5), *inanis gloriae cupidi.*

10. Secundum exemplum (6) quod nobis reliquit Christus inter alia innumera, est, ut honoremus patrem aeternum quantum possumus. Nam [primo] Christus eum super omnia amavit et coluit, immo quantum voluit et quantum ipse pater meritus est, quia infinito amore eum amavit.

(1) Prov. 23, 15. (2) S. Chrysost. PG. t. 56 Hom. 15. in col. 715 ; vel Keerberg. p. 348. Neque haec ad verbum citantur. Cfr. not. 8. pag. 87. (3) Luc. 17, 10. (4) ibidem. (5) Galat. 5, 26. (6) Primum vide supra, n° 5.

Eius exemplo amemus Deum ex tota anima nostra, ex tota mente nostra, et ex totis viribus nostris. Secundo dilexit nos Christus propter Patrem aeternum, cum inimici essemus, propter nimiam caritatem suam qua dilexit nos ; *Et cum essemus mortui peccatis, convivificavit nos in Christo, cuius gratia estis salvati*[a] (1).

Demum nihil magis nobis Christus commendavit quam caritatem in Deum et proximos, et ut amaremus nos invicem. *Haec mando vobis*, inquit (2), *ut diligatis invicem.* Item (3) : *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos.* Item (4) : *In hoc cognoscent quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.*

11. Tertio, humilitatem verbo et exemplo nos docuit usque in finem, et hanc nobis valde commendavit : *Discite*, inquit (5), *a me quia mitis sum et humilis corde.* Natus est inter bestias, assumpsit speciem peccatoris, dum voluit circumcidi[b] et baptizari, fugit in Aegyptum ut cederet furori Herodis, quem verbo virtutis suae statim potuit exstinguere ; voluit tentari, a nequissimo spiritu portari (6), mysterium transfigurationis et alia pleraque divina mysteria voluit taceri, et imposuit silentium discipulis et leproso sanato (7).

Quartum exemplum dedit paupertatis. Natus voluit visitari a pauperculis pastoribus, voluit offerri pro se par turturum more pauperum, non agnum more divitum ; pauperem vitam duxit ; Apostolos piscatores (8) et pauperes elegit, cum pauperibus ordinarie conversabatur, nudis pedibus incessit, non habuit ubi reclinaret caput (9), in cruce nudus mortuus est.

Quinto, admirabilem praeterea patientiam nos docuit verbo et exemplo. Sustinuit alapam a vilissimo servo, iniurias plurimas ; spoliatus est omni honore suo, quia irrisus est, appellatus est Samaritanus, vorax et potator vini, daemone agitatus, seductor habitus et inter latrones deputatus, ut nos doceret patientiam habere : *In patientia vestra*, inquit (10), *possidebitis animas vestras.*

Sexto, docuit, verbo et exemplo, oboedientiam per totam vitam ; immo nihil fecit nisi ea imperante. *Descendi*, inquit (11), *de caelo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me* Patris. Item (12) : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Neque tantum oboedivit

(a) *Item et magis proprie* Eph. 2, 13 : *Nunc autem in Christo Iesu vos qui aliquando eratis longe, facti estis prope in sanguine Christi ; ipse enim est pax nostra, qui fecit utraque unum.* Haec in cod. A sunt inducta. (b) *dum circumcisus.* B.

(1) Eph. 2, 5. (2) Ioan. 15, 17. (3) Ioan. 15, 12. (4) Ioan. 13, 35. (5) Matth. 11, 19. (6) Matth. 8, 5. (7) Marc. 1, 44. (8) Matth. 4, 18. (9) Luc. 9, 58. (10) Luc. 21, 19. (11) Ioan. 6, 38. (12) Ioan. 4, 34.

patri aeterno, sed et hominibus ; neque tantum bonis, ut parentibus, sed et impiis et inimicis.

12. Septimo, castitatem inconcussam toto vitae suae decursu et a primo instanti conceptionis, ut intellegeremus quantum eam amare et colere deberemus. Ex purissima et castissima virgine nasci voluit et ex apostolis S. Ioannem virginem habuit, et alios saltem caelibes ; et uxores quas habebant sororum loco haberi voluit. Hinc Paulus : *Numquid non habemus potestatem sororem circumducendi ut Cephas ?* (1)

Octavo, amavit contumelias, probra, dolores ; ideo diem passionis nominavit diem *desponsationis* suae (2) propter laetitiam et caritatem quam habuit ea perferendo. Ut impleretur prophetia (3) : *Conscidisti saccum meum et circumdedisti me laetitia.* Ideo dixit (4) : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum ;* id est, venire ad crucem propter vos et ecclesiam meam.

13. Debemus ergo fratres mei, imitari Christum Dominum in his virtutibus et ceteris omnibus, et currere ad propositum nobis certamen, ut monet Apostolus. Hac enim veste indutos, hoc symbolo improperiorum ornatos agnoscet et excipiet nos Deus in filios, et ostendemus re ipsa et moribus nostris, nos esse veros eius discipulos ; hac veste ornati non habebimus, fratres, unde[a] timeamus, nec unde displiceamus Deo vel[b] hominibus[c]. Hac vestiti, placebimus non tantum Deo sed et superioribus et fratribus ; aedificabimus proximos nostros sancta et pia nostra conversatione. Eam petamus a patre aeterno et eam largietur nobis, quia ex nobis eam comparare nequimus, nisi per gratiam eius et Christi filii eius infinita merita. Advertite vero Apostolum dum monet nos (5) ut induamus nos Christum Iesum, non dicere ut vestem purpuream vel inconsutilem induamus, sed Christum ipsum, id est eius spiritum, mores, virtutes, conversationem, afflictationem et patientiam. *Exemplum*, inquit (6), *dedi vobis, ut quem ad modum ego feci, sic et vos faciatis.* Et D. Paulus dum dicit (7) : *Imitatores mei estote, sicut et ego Christi.*

14. Velim autem, fratres mei, ut induamus Christum totum. Inveniuntur etenim, bone Iesu, qui parte vestis tuae contenti imitari te volunt[d] : castitatem tuam studiose imitantur, sed mansuetudinem tuam negle-

(a) *quo.* B. (b) *nec.* B. (c) *Sumus pauperes quidem et viles, sed vestis haec nos mire decorabit et ditabit.* add. B. (d) *satagunt.* B.

(1) 1 Cor. 9, 5. (2) Cant. 3, 11 ; Ierem. 2, 2. (3) Psalm. 29, 12. (4) Luc. 22, 15. (5) Rom. 13, 14. (6) Ioan. 13, 16. (7) 1. Cor. 11, 1 ; Eph. 5, 1. 2.

gunt imitari ; caritatem induunt, patientiam non item ; paupertatem amplectuntur, sed oboedientiam lacerant, quod non est perfecte te imitari. Da fratribus meis, optime Iesu, plenum spiritum tuum, cor ardens, studium disciplinae perfectum. Bonae sunt virtutes quidem illae et laudabiles quas usurpant, sed non laudabilis disciplina quae est mutila.

Non laudatur equus propter iubam quam habeat elegantem, caput bene compositum, frontem bene variis coloribus interpunctam, oculosque micantes, sed cui tota corporis compositio recta et elegans est ac bene proportionata. Similiter non sufficit nos habere multas virtutes, sed ut omnes actiones nostrae unum elegantem concentum et harmoniam habeant virtutum omnium necesse est. Multo vero foedius et turpius est vestes habere pannosas et laceras, videlicet[a] veteris hominis imperfectiones multas et exuberantes ; qui autem hanc lacernam veterem non exuit, Christum induere nequit, quia Christus et mundus, caro et spiritus, lux et tenebrae simul esse nequeunt. Dicet fortassis aliquis se reputare Christum induisse, quod conscientiam sedatam habeat, nihil eam pungat, nihil mordeat ; atqui *lucerna ardens et lucens* (1) abscondi nequit, sed super candelabrum ponitur ut luceat omnibus qui in domo sunt : *Videant opera vestra bona* (2), ut pater caelestis glorificetur.

15. Latere volebat Paulus eremita, Antonius, Hilarion, Basilius, Benedictus, Gregorius uterque, latinus et graecus, et alii plerique sancti ; sed latere non potuerunt : virtutis splendor eos detegebat, et populis manifestos faciebat. S. Ioannes Baptista laudatur quia lucerna ardens erat et lucens, ardens nimirum interius, lucens exterius ad proximos : ardens Dei et proximi amore, lucens verbo et pietatis exemplo. Non dat tibi Deus gratias et dona sua, frater mi, ut te inutilem et obscurum in domo sua esse sinat; nec tuas virtutes, si quae sunt, sub modio esse et latere vult, sed vocavit te ut luceas et ardeas.

Te ipsum ergo ad pietatem excita. Pietas ad omnia utilis est, et disciplina bona promissionem habet vitae quae nunc est, et futurae.

Qui ardent vere et ignem habent caritatis, se mutuo admoneant, quia a S. Spiritu id mandatur (3) : *Qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte et operiet multitudinem peccatorum.* Si imperfectiones nostras non vicerimus, quocumque abierimus, in nobis portabimus a quibus impugnemur. Has vincamus, obsecro, et habebimus requiem ubicumque resederimus et in quocumque loco et officio fuerimus.

(a) *et*. B.

(1) Ioan. 5, 35. (2) Matth. 5-16. (3) Iac. 5, 20.

Huc omnes vestras curas et sollicitudines conferte, ut veri Dei cultores ac Christi imitatores sitis.

Nihil vobis, fratres, utilius, nihil honorificentius esse potest ; hoc requirit ipsa vitae iucunditas, quam habent fratres devoti et bene in disciplina exculti. Virtus siquidem laetitiam animo ingenerat, et toti homini incolumitatem. *Animus* siquidem *gaudens aetatem floridam facit* (1), et *secura mens quasi iuge* (2) *convivium* est. Quod nobis concedat Christus Dominus.

13ª Exhortatio

DE COMMODIS ET UTILITATE QUAM ACCIPIT RELIGIOSUS EX SUO STATU, ET A QUIBUS CAVERE DEBET

1. Homo in religionem ingreditur ut, si non est in gratia, eam studeat a Deo obtinere, et eius bonitate proficere. Non enim satis est, fratres carissimi, religiosos[a] esse in gratia. Nam ut hoc ipso quod quispiam officinam apertam tenet, v. g. sartores, chirurgi, aurifabri, etc... hoc ipso profitetur se artem callere quam profitetur : ita sub disciplina in religione vivens, prae se fert continuum studium et propositum perfectionis. Neque satis illi esse debet bonum et probum esse, sed virtute superare bonos saeculares debet[b], et omni virtute ornatus atque conspicuus esse. Saeculari non datur admodum[c] vitio si bonus est et non studeat ad perfectiora conscendere ; at religioso vitio datur si in ipsius moribus et conversatione naevus vitii cuiuspiam animadvertatur. Et qua hora dicit religiosus « satis mihi est », retrogreditur.

Quin S. Thomas (3) non putat satis esse in conscientia tutum, qui designat non progredi ulterius ad perfectionem. Est quidem asperum et durum hoc studium incipientibus, sed confidendum est divinae bonitati, qua opitulante facilis est via et processus. *Omnia possum*, inquit Apostolus (4), *in eo qui me confortat*. Nitatur ergo religiosus anchora tridente, et in hoc pelago confidenter naviget. D. Basilius in reg. brev. interr. 14 mandat ut desertoribus qui votum ediderunt, non pateat ianua mona-

(a) *f. c., nos r. e.* add. B. (b) *debet, inquam, omni vitio carere.* add. B. (c) om. B.

(1) Prov. 17, 22. (2) Ibid. 15, 15. (3) S. Thom. 2, 2ae q. 186. art. 2 et 9. (Non ad verbum refertur.) (4) Philip. 4, 13.

sterii ut sub tectum se recipiant. Idem. cap. 35 Constit. monast.[a] (1).

1°) Nulla procellarum, nulla fluctuum immanitas ipsum a proposito dimoveat.

2°) Gaudeat et gratias Deo agat continenter de dono vocationis, amoremque instituti suscepti diligenter foveat, ac magnam in Deo fiduciam collocet.

3°) Numquam de sua vocatione cum ullo disputet, multo minus cum daemone, si quae irreperent perturbationes[b].

2. Ut autem multum et constanter suum amet institutum, vel sola utilitas quam percipit, si eam penitius secum reputet, movere poterit. Est enim[c] multiplex utilitas et magna valde, quam haurire, fratres mei, possumus, et quidem de ea in praesenti exhortatione dicemus.

Et ut a votis incipiamus — quoniam ipsa omnia removent impedimenta et quaecumque retardare possunt a libera et continua dilectione Dei, in qua summa huius vitae perfectio consistit —, magnum sane, fratres dilectissimi, per haec largitus est nobis Deus beneficium. Quando vero ? Quando cordibus nostris, dulcissime Deus, immisisti desiderium vitae religiosae ac relinquendi nos ipsos totos et omnia quae huius saeculi sunt, ut ad tuum servitium et ad maiestatis bonitatisque tuae contemplationem nos conferremus. Omnes quidem[d] esse volumus beati, quod datur caelitus Deum videndo atque perfruendo ; sed concupiscentiis huius mundi[e] allecti, ab eo fine interdum[f] abducimur, ut Deum, quantum in hac vita possumus, non videamus, dum beato aspectu et visione fruitioneque beari non meremur ; sed Deo sit laus, illud[g] expectamus. In hac ergo mortalitate, quantum fas est, versari debemus in meditatione et elevatione mentis in Deum, quod fit per orationem. Tunc enim maxime accedimus ad beatorum statum, sumusque per contemplationem beatis simillimi.

Sed heu ! non dat[h] Deus hoc solacium et bonum, dum remissius agens sino mentem meam volutari in rerum harum inferiorum cogitationibus. Quomodo vero ausi simus condonationem priorum defectuum

(a) Librarius erravit ; lege ergo *interr. 74* et Const. mon. 33. Reg. br. remittit ad Reg. fus. disp. 36. Quod autem in fine Const. mon. 33 legitur τῆς ὁμιλίας εἶρξαι optime vertit auctor noster *nec pateat ianua* (Liddell. *to shut out)*, quod in editis versionibus non reperies. (b) *Sive cum suis, si quae irreperent, perturbationibus.* B. (c) *autem.* B. (d) *Nam omnes, bone Deus.* B. (e) *fratres mei.* add. B. (f) *saepe.* B. (g) om. B. (h) *aufert mihi.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 74. col. 1134, et Reg.fus. tr. 36 col. 1007 ; Const. mon. cap. 33, n. 2 extr. col. 1423. Cfr. Reg. fus. disp. 14.

nobis a Deo efflagitare, si non obliviscamur conversationis pristinae ? aut quomodo Deo coniungar, si veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria carnis, non exuam ? non enim virtus nova conciliatur, dum veteribus defectibus insistimus ; dicit enim salvator (1) : *Nemo immittit commissuram panni* veteris vestimento novo ; *tollit enim* eius firmitatem, *et peior scissura fit. Neque mittunt vinum novum in utres veteres, ...sed vinum novum in utres novos, et ambo conservantur.*

Impedimenta ergo coniunctionis cum Deo si tollere optamus, concupiscentias in nobis minuamus, per gratiam eas frangendo et domando ; ut iis saltem domitis, liberius expeditiusque in contemplatione mentis oculos ad ipsum attollere et ardentibus affectibus et suspiriis ad ipsum ferre possimus. Non datur tamen, ut cernimus, omnibus donum hoc religionis ineundae, quod nobis datum est, nec omnes capiunt verbum istud (2), verbum abbreviatum quod fecit Dominus ; fecit, inquam, tibi, mi frater, quando tetigit cor tuum, ut se regem sequereris (3).

3. Commoda etiam nobis maxima accedunt ex ipso personarum consortio et convictu fratrum nostrorum, ac bono exemplo quod plurimum valet ad bene vivendum ; adeo ut sine illo, vix ullus recte vivere possit. Nam etsi nemo viventium iuvaret nos exemplo, at iuvant exempla mortuorum, B. P. N. Ignatii, B. P. Francisci Xaverii, B. P. Rodulphi Aquaviva et aliorum qui in Societate fortiter egerunt pro Dei amore et animarum salute. Atqui, Deo sit laus, non desunt eorum etiam qui vivunt viva virtutis et perfectionis exempla, quae nos iuvent et quae per oculos intrent in animum, altiusque inhaereant quam ea quae auribus hauriuntur.

Proinde, quae homo solus alias facere non auderet, facile ea apud nos praestat,dum apud nos alios quam plurimos eadem videt praestare : surgit, orat, ieiunat, paenitentias agit, domi se continet, quia multos alios videt ea facere ; horum nihil faceret, si solus esset. Ita docentur equi indomiti et boves non assueti aratrum ducere et iugum ferre ; sic muli onerarii legitimo passu et modo deportare onera, quando iunguntur et copulantur bene domitis. Et muli quidem ut discant alios sequi gressu congruenti, alligantur ad caudas praecedentium et mulorum domitorum : ita religiosi discunt sibi temperare et bonam servare disciplinam aliorum et sociorum exemplo ; attentique sunt observandis omnibus in caritate Christi.

4. Superior iuvat bono[a] exemplo et curatione ac directione ; debet

(a) *A superiore praecipue discunt eius.* B.

(1) Matth. 9, 16. 17 (accommodate). (2) Matth. 19, 11. (3) 1 Reg. 10, 26.

etenim fratribus suis subditis operam boni pastoris, ad cuius partes pertinet pascere et curare : pascere verbo et exemplo, curare monendo, corripiendo, paenitentias, ubi opus sit, iniungendo. Dicit enim Apostolus se constitutum cum aliis apostolis ministrum Christi ad corripiendum omnem hominem, et ad docendum in omni sapientia : *Ut exhibeamus*, ait(1), *omnem hominem perfectum in Christo Iesu*, *in quo*, inquit, *et laboro*.

Secundo, oratio cuiusque fit ex multitudine potentior, dum aliorum orationibus coniungitur. Sic D. Iustinus, in apologia sua ad imperatorem pro christianis, dicit (2) christianos non ad seditiones coniurationesque comminiscendas, sicuti a paganis ipsis imputabatur et obiciebatur, sed ad vim Deo multitudine precantium faciendam congregari ; quia Deus gaudet simili violentia, et regnum suum violentis libenter largitur.

Tertio, praesto est[a] religioso instructio et consilium[b] in dubiis ; quae magnum habent emolumentum : nam perseverantibus in religione solet se Deus magis ac magis communicare ; et aliorum consilio possunt insipientes[c] dirigi, et ubi opus sit, erigi et promoveri, ut alios postea possint instruere et iuvare ; quin et adulti in religione interdum non parum etiam a iunioribus lucis possunt accipere.

Quarto, aliorum meritis confovemur ; non secus atque duo qui in eodem lecto cubant, unus ab altero fovetur et calore reficitur, solus non ita : *Vae soli : si dormierint duo, fovebuntur ; solus quomodo calefiet ?* (3)

5. A loco habet subsidium ; nam subtrahuntur religioso multae occasiones peccandi ; occasionem autem effugisse dimidia est victoria. Patere potest exemplis sacrae scripturae, quod occasio multos perdat, ut Dinam et cum ea totum oppidum Sichimorum. Regem David similiter occasio praecipitem dedit in peccatum ; occasio duos senes sacerdotes lapidavit, Thamar incestu foedavit. Contra vero qui occasiones fugerunt et peccatum, a Deo evecti sunt : ut Iosephus et exercitus anachoretarum et sanctorum plurimorum, etiam virginum, ut Barbarae. Vae miseris qui occasiones non fugiunt ! nam non raro qui boni erant, in peccatum prolapsi et gratia Dei privati sunt. Miserrimus autem status est eius qui est in peccato mortali, quia non participat bonis operibus iustorum et ecclesiae ; sicuti nec manui aridae, licet corpori coniuncta sit, prodest succus et alimentum quo recreantur membra viva, quia non informatur

(a) *adest.* B. (b) *praesto.* add. B. (c) sic A ; at B *incipientes*, quod forsan melius opponitur sequentibus : quin et adulti.

(1) Coloss. 1, 28. (2) S. Iustini op., edit. Sylburgii, 1593. pag. 76. med. (3) Eccle. 4. 11.

eadem anima, quia abest[a] . Propterea leprosus solus extra castra agebat ; quae lex optime statuitur in peccatorem, qui vere spiritualiter leprosus est et eicitur e castris iustorum, quod non communicet cum ipsis in bonis et meritoriis operibus ; privatur enim participatione bonorum operum iustorum ac vitae denique spiritualis, hoc est, caritate, quae vita est spiritualis[b].

Nam sicut anima omnibus membris quae informat, tribuit[c] vitam, et licet extrema sint corporis, beneficio tamen animae cibus in stomacho receptus prodest omnibus membris, licet a se invicem multum distantibus : ita fidelibus et iustis, quia unum corpus sunt in Christo, una inest ipsis anima, hoc est, una caritas et gratia, per quam quod factum est opus bonum ab uno, prodest omnibus ; licet unus sit Bruxellis, alius Romae, alius in Iaponia.

Quod voluit indicare Propheta cum dixit : *Particeps ego sum omnium timentium te et custodientium mandata tua* (1). Hoc dicebat quia caritatem habebat et gratiam, quae iustos omnes coniungit. Sunt videlicet omnes qui caritate coniunguntur, sicuti illi qui vivunt in aliqua communitate bene ordinata : sartor vestes, sutor calceos omnibus aptat, coquus omnibus cibum parat.[d] Ita de iustis qui in gratia sunt et caritate : quando meretur unus, sibi meretur et omnibus aliis, et tantum laetabitur post mortem de gloria proximi, quantum de propria.

6. Quod sane tamen intellegendum est. Nam duobus modis istud intellegi potest : uno modo quoad meritum essentiale gratiae gratum facientis et gloriae,quo modo unus non meretur pro altero. Nam iuxta Apostolum : gratia gratum faciens et gloria correspondet operibus cuiusque propriis. Unusquisque enim accipiet propriam mercedem et praemium secundum laborem suum : ut peccatori videlicet Deus condonet peccata et infundat gratiam, non meretur id unus pro altero immediate.

Altero modo unus mereri dicitur pro altero, videlicet orando pro ipso ut Deus dignetur movere eius voluntatem, quo exerceat actum intensiorem, velut moveatur eius voluntas ad promerendum, quando accedit ad agendum aliquod opus bonum, vel ut Deus ipsum impediat ne peccet, quando alioqui videlicet esset peccaturus. Sic S. Stephanus iuvit precibus S. Paulum ; sic S. Monica suum filium S. Augustinum. Ita similiter censemus quod Deus per preces sanctorum et iustorum suorum non statim et immediate nos castiget ; item quod nos non sinat mori in malo

(a) *mortua est.* B. Levit. 13. (b) *vitae d. s. Caritas enim qua caret peccator, vita est spiritualis.* B. (c) *influit.* B. (d) *ita in religionibus et nominatim in Societate.* add. B.

(1) Psalm. 118, 63.

statu, quae est gratia insignis. Quod vero ita sit, constat Exodi (1), ubi Moyses orans dicit : *Recordare,* Domine, *Abraham, Isaac et Iacob,* et sequitur quod *placatus est Dominus.* Sic Azarias, libro Danielis (2), orabat Deum, ut patet, pro populo. Et nos dicimus quod Deus condonet omnem poenam, vel partem quae debebatur ob peccatum, post paenitentiam.

Sic etiam concedit victoriam contra hostes, sic concedit bona temporalia, dat tempus commodum, nec statim punit peccatores quando peccant. Hinc Dominus (3) : *Si stetissent in consilio meo... avertissem utique eos a via sua mala,* e. q. seq. Deus pepercisset quinque civitatibus propter preces Abraham, quas alioqui propter peccata erat perditurus, scilicet Sodomae, Gomorrhae, Seboim, Adamae et Segor (4). Vide Ambrosium de Vocatione Gentium, lib. 2. cap. 2.

7. Haec omnia commoda, fratres carissimi, habemus in Societate a personis, et a loco, et exercitiis. A regulis habemus, quod nobis proponuntur per eas omnia media iuvantia ad perfectionem comparandam, et prohibentur omnia provocantia ad neglegentiam et ad dissolutionem. Omnia, inquam, impedimenta per eas submoventur, omnia quae conferunt subministrantur. Sicuti vero aegroto, si causae omnes mortiferae adimerentur, omnia sanitatem promoventia adhiberentur, cito convalesceret, si tamen illis uteretur : sic religiosus, si regulas suas servaret, cito perfectus evaderet. Cum igitur tot tantaque bona ex nostro statu accipiamus, quomodo eum non amemus vehementius ? Amor ardens et vehemens appareret, quia[a] magna semper operatur, facitque ut augeatur profectus et manifestus fiat.

Debes autem[b] collocare tuam, et eam quidem magnam, in Deum[c] fiduciam ; ut autem illam habeas, vel hoc[d] tibi, frater mi[e], satis esse debet, quod te vocavit in hanc Societatem, in qua tantis te beneficiis affecit. Non enim qui tanta tibi et tam multa largitus est, negaturus est necessaria ad animae et corporis salutem. Id ad ipsius providentiam pertinet, videlicet suae creaturae finem praestituere, et adiumenta ad eum conferre. Non est utique dubitandum quin te ad finem Societatis tibi propositum perducat, si quae tuarum sunt partium et quod possis feceris. Quin[f] *pullis corvorum invocantibus eum* (5) providet ; quomodo ergo tibi non provideat ?

(a) *app.q.* om. B. (b) *in Deo.* add. B. (c) om. B. (d) *vel illud.* B. (e) *vel hoc.* add. B. supra lin. (f) *Quandoquidem et* B.

(1) Exod. 32, 13. (2) Dan. 3, 26. (3) Ierem. 23, 22. (4) Gen. 18, 23 sqq. (5) Psalm. 146, 9.

8. Debes, quod saepe audivisti et in Societate frequenter solitus es audire, in omnibus tuis actionibus quaerere maiorem Dei gloriam ; nam hoc studium te multum iuvabit et inflammabit ad vitam tuam religiose et ex Societatis principiis instituendam. Non enim istud temere B. P. N. in suis constitutionibus tam crebro inculcat. Non enim satis esse duxit S. Pater, ut in omnibus actionibus nostris et officiis Dei gloriam quaereremus, sed et nos obstrinxit ex principiis et vi instituti nostri, ut ulterius progredientes maiorem semper Dei gloriam quaereremus.

O Dei in nos bonitatem ! o caelestis patris benignitatem et boni nostri divinum desiderium ! Tu, mi fratrer, scribis, tu studes, tu culinam curas, tu ianitoris officium obis, et quidem pie ac diligenter, quod bonum est ; sed apud te considera an quod bene agis maiore caritate et studio agere possis, et ita agere allabora. Sic confessarii, contionatores, praeceptores, et adeo superiores ipsi, et alii quique in suis ministeriis et conversatione similiter meditentur ; et ad id quod melius est animum inflectant, ut in oculis Dei magis placeant ipsorum actiones.

Quam ad rem bonum erit initio actionum nostrarum oculos nostros in caelum attollere dicendo[a] (1) : *Deus in adiutorium meum intende,* ut videlicet maior Dei gloria nos moveat ad opus quod aggredimur [b]. Cogitemus, inquam, et rogemus Deum, ut eius gratia adiuti nostras actiones sic instituamus, ut quam maxime ei placeant ; reputantes eam esse Dei voluntatem ut sic agamus, ac proinde nostram voluntatem in divinam transformemus, omneque gaudium, commodum ac quietem nostram esse ducamus, ut in exsecutione non aliter faciamus quam ipse velit.

Nam etsi constitutiones nostrae nullam nobis peccati obligationem imponant ut hanc vel illam viam teneamus, imponunt tamen ut oculos mentis semper coniciamus in maiorem Dei gloriam. Caveamus vero, hac via neglecta, eam consectari quae ad imperfectionem ducit, caveamusque ne beneficiorum Dei in nos collatorum copia nobis causa sit remissionis, quod esset summum flagitium et animi ingrati argumentum, a quo liberet nos Deus Pater et Filius et Spiritus Sanctus.

(a) *dicentes*. B. (b) *illudque ipsa consequatur*. add. B.

(1) Psalm. 37, 23 ; 69, 2.

14ª Exhortatio

De beneficii accepti memoria seu gratitudine, et qua ratione eam habere et retinere possimus

1. Inter ea quibus maxime ad spiritualem profectum et ad consequendum maiora disponimur, in primis censeri solet beneficii accepti grata memoria et gratiarum actio. Nam vitium contrarium plurimum affert damni, quod ante D. Bernardum (1) D. Augustinus (2) testatum fecit dicens : « Ingratitudo est origo totius mali spiritualis, exsiccans omne bonum et obstruens fontem divinae gratiae et misericordiae in homine, qua et bona opera moriuntur et mortua amplius non revertuntur. » Ingratitudo parit malum multiplex, quia facit ut Deus tollat ab ingratis quod dedit. Unde Glossa super illud ad Romanos (3) : *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt,* quod Deus, ait, dederat gratis, abstulit ingratis. Et D. Gregorius : « Non est dignus dandis qui non agit gratias de datis. » Nec solum privat bonis, sed et poenas addit ; nam Ezechias rex mox punitus fuit de ingratitudine et aegrotavit ad mortem (4).

Innumera porro et maxima sunt Dei beneficia de quibus gratias agere perpetuo debemus. Nullum enim bonum quod a Deo procedat nequit non esse maximum, sive ad corporis sive ad animi perfectionem pertineat. At quae praecipue nobis et maiore ac maiore affectu recolenda sunt cotidie, haec sunt : incarnatio, redemptio, ac vocatio nostra. Quis enim, positis creatione, conservatione, iustificatione, sacramentis, auxiliis generalibus ac particularibus, ac praeservatione tam a temporali quam ab aeterna poena, nec non praemiis iam praeparatis, ceterisque omnibus, horum trium beneficiorum valet fructum utilitatemque assignare ?

Hic incomprehensibilis Dei erga nos amor fit manifestus ; hic eximium opus divinae bonitatis propter nos miseros ab ipsa susceptum elucet ; hic misera nostra condicio a peccato invecta demonstratur ; hic reparatio nostra ac immensa Dei clementia praedicatur ; hic nostrae in Deo salutis desiderium ac studium manifestatur ; hic ex inferni faucibus ad beatas sedes nobis paratum esse regressum patet.

Quae beneficia tanta sunt ut ea recolere uno die non sufficiat ; sed haec nocte, haec mane, haec meridie, haec vespere usque ad extremum vitae spiritum meditari deberemus ad conservandam augendamque divinam

(1) S. Bern. PL. t. 183 Serm. de div. 27, nn. 7, 8. col. 615. (2) S. August. PL. t. 40. Solil. lib. unus, cap. 18 p.in., col. 979. (3) Rom. 1, 21. (4) Is. 38, 1.

in nobis gratiam. Sic faciebat Propheta : *Memor*, inquit (1), *fui operum Domini*. Item (2) : *Memor fui Dei et delectatus sum*. Item (3) : *Memor fui in saeculum testamenti tui*. Et sane sapiens suggerens remedium contra peccatum dicit : (4) *Memorare novissima tua, et in aeternum non peccabis*.

2. Sed adverte quod beneficii et doni memoria non sit collocanda in charta aut in verbis solis, aut nudis conceptibus intellectus, sed in ipsis animae medullis. Animam etenim totam attingit beneficii magnitudo ; proinde eam totam afficere ac penetrare debet. Sic qui vocati sumus [a], fratres mei dilectissimi, ad coetum horum filiorum Dei. qui, inquam, hoc donum a Deo accepimus [b], non debemus esse contenti, ut reponamur in numero eorum qui in nomine Domini congregati sunt, et quod utamur iisdem vestibus, eadem ratione victus, eorundemque consuetudine, quod habeamus easdem leges et constitutiones, illasque intellegamus, atque adeo faciamus quem ad modum alios videmus secundum exteriorem hominem facere ; haec enim omnia aut habere aut facere potest quilibet non omnino malus, huc[c] vocatus, et tamen vere non faciat officium eius qui vere vocatus est, ac proinde non faciat debitos[d] progressus, non[e] proventum colligat ullum. Sed oportet unum quemque conari ut eam dispositionem in anima sua illi vocationis gratiae comparet, qua per eandem vivificari, illuminari, animari accendique valeat ad inquirendam et prosequendam veram salutem ac perfectionem suam et proximorum, ad maiorem gloriam Dei conditoris ac redemptoris omnium ; idque per illa exercitia quae is qui vocationis est auctor praescripsit, et in dies facienda praescribit. Nam ut quicumque ex vocatis assequuntur propositam salutem per exercitia praescripta, illam per hanc gratiam consequuntur : sic per eandem gratiam nemo assequitur finem qui proponitur, nisi et animum[f] exserat ut gratiae acceptae fortiter[g] cooperetur.

3. Quem ad modum si rex aliquos pauperes, qui procul dissiti sunt[h], ad se aulamque suam advocet, illisque ad tantum iter conficiendum viaticum mittat quantum satis sit ad iter peragendum, ut regis vocationi satisfaciat[i] duobus illi opus est : primo, ut vocationem admittat, hoc est ut consentiat vocanti ; secundo, ut velit id ipsum, quod rex intendit aggredi, pro-

(a) *Qui voc. sunt*.B. (b) Sic etiam B, quamquam supra scripsit *sunt*. (c) *ab aliis* B. (d) *ullos*. B. (e) *aut*. B. (f) *gratiae illi recipiendae praeparet, ac deinde* exserat. add. B. (g) om. B. (h) *sint*. B. (i) Haec, ut iacent, non cohaerent, quia oblitus est scriptor subiecto *unus quisque*, quod erasit, aliud substituere. Legas igitur :... peragendum, ut illorum quisquam regis vocationi satisfaciat, e. q. sq.

(1) Psalm. 76, 12 ; (2) Psalm. 76, 4. (3) Psalm. 104. 8. (4) Eccli. 7. 40.

sequi ; ac tandem venire ad eum. Alioqui, nisi consentiat et illud idem velit quod rex, numquam ad aulam perveniet, etiamsi viaticum accipiat : non enim efficient centum aurei coronati ut proficiscatur et perficiat iter praescriptum, nisi primum ire constituerit ; deinde ut impendat suos conatus : nam ut illi non suppetunt vires ad iter peragendum nisi adsit viaticum, sic non efficiet viaticum ut iter absolvat, nisi velit et cooperetur ; sic enim defoderet in terra acceptum talentum domini. Ita omnino contingit in negotio vocationis nostrae. Vocati sumus ad salutem et perfectionem nostram et proximorum a Christo Domino, et ab eo viaticum necessarium accepimus : oportet nos vocationem admittere et gratiae cooperari, praestando debitum officium.

Permagni ergo refert perpetua mentis agitatione voluntatem Dei et gratiam repetere. Nam et Apostolum videmus (1) ita fecisse et non raro fateri et repetere[a] quod esset indignus apostolatu et gratia Dei, qui blasphemus exstitisset et in Dei cultores contumeliosus, qui Dei ecclesiam persecutus fuisset, adeo ut quod esset, ab illa Dei misericordia et gratia esset : *Gratia Dei,* inquit (2), *sum id quod sum.*

Ex hac consideratione minime dubitandum est beatum Apostolum plurimum in spiritu profecisse ; quem enim ad grati animi officia non permovisset illa cogitatio, qua expendebat se summi amoris beneficio summaque benignitate tum fuisse affectum, cum in discipulos eius a quo tam multa beneficia accipiebat et acceperat, minas et furores spiraret, et in suum benefactorem maxime esset blasphemus[b] ?

4. Ergo pio affectu omnes imitemur Apostolum ac sectemur grati animi eius insigne exemplum. *Certus sum,* inquit (3), *quod neque mors, neque vita...* ac tandem *neque creatura ulla poterit nos separare a caritate Dei, quae est in Christo Iesu.* Hinc allatis historiis et rebus a se gestis testatum facit non tam agnovisse beneficium, quam qua potuit ratione amoris vicem aliquam reddidisse. *Ter,* inquit, *virgis caesus sum, semel lapidatus sum, ter naufragium feci,* etc. (4) Hoc ipsum sensisse D. Petrus de gratia accepta videtur, dum tam alacriter offert Christo operam suam dicens (5) : Ego *animam meam pro te ponam.* Et illud : *Etsi omnes scandalizati fuerint in te, ego numquam scandalizabor* (6). Item in horto cum nullo timore perterritus servo pontificis amputavit auriculam ; item (7) quando post passionem tertio interrogatus an amaret, contristatus est, quasi diceret id certissimum esse et quidvis pro ipso se passurum.

(a) *non raro fassum esse.* B. (b) *Considerate ergo, fratres mei carissimi., pio....* B.

(1) 1 Tim. 1, 12 sqq. (2) 1 Cor. 3, 10 (3) Rom. 8, 38. (4) 2 Cor. 11, 25 sqq. (5) Ioan. 13, 37. (6) Matth. 26, 33. (7) Ioan. 21, 15 sqq.

5. Inde procul dubio factum postea quod non se dignum putarit qui eodem modo crucifigeretur, quo Christus magister eius. Nam quid sanctum illum apostolum sensisse putamus, dum considerabat a navicula illa se vocatum fuisse ad orbis totius praefecturam, atque ad illam maiestatem ut solo verbo interimeret (1), solo verbo ad vitam mortuos revocaret ; quanta, inquam, cum animi gratitudine hanc gratiam animo versaret perpetuo, gesta ipsius et multiplices cruciatus manifeste declarant. Observate quoque aliud insigne genus gratitudinis in D. Matthaeo, dum se ipse scribit (2) fuisse publicanum, quod sane dicebat ex humili consideratione vocationis suae. Sic et Zachaeus dum vocatus a Christo statim prosiliit ad hanc admirabilem perfectionem et vocem : *Dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus, et si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum* (3). Quo denique fuit animo Abraham, eo redactus angustiae ut a barbaris detineretur sua uxor (4), et iussus esset immolare unicum filium suum ? ea, inquam, fuit animi gratitudine ac constantia, ut semper rectus et inconcussus, excelsus ille animus exstiterit.

Hi denique omnes, et innumeri alii, accurate perpensa gratia vocationis, ita se conformarunt divinae voluntati, per integram abnegationem sui iudicii et caritatis perfectionem, ut in virtute et obsequio Dei usque ad mortem immobiles perstiterint, posteris illustrissimum suae gratitudinis et oboedientiae exemplum relinquentes.

Afferam et exemplum de B. P. N. Quo enim modo expressius et magnificentius animi sui gratitudinem et vocationis gratiam[a] potuit declarare, quam parabola illa de vexillis duobus, et altera illa de rege : quibus universae posteritati testatum faceret quantopere beneficium acceptum existimaret ? Aliunde enim non videtur profecta similitudo quam ex ponderatione beneficii accepti.

6. Sane Deus maximam semper curam habuit ut memoria beneficiorum quae conferebat, perpetuo retineretur. Manna in tabernaculo servari mandavit (5), in memoriam escae caelestis quam in deserto populo tribuerat. In novo testamento sacrosanctum sacrificium corporis sui in memoriam suae passionis qua redempti fuimus instituit, et in aeternum celebrari voluit (6). Et scribitur (7) : *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus, ut custodias et facias omnia quae scripta sunt in eo. Tunc diriges viam tuam et intelleges eam.* D. Bernar-

(a) *ad nostram doctrinam.* add. B.

(1) Act. 5, 5. (2) Matth. 9 ; 9. Marc. 8, 14 ; Luc. 5, 29. (3) Luc. 19, 8. (4) Gen. 20 ; Gen. 22. (5) Exod. 16, 33, 34. (6) Hebr. 9, 11 sqq. Luc. 22, 19 sqq. (7) Iosue. 1, 8.

dus in sermone de septem misericordiis, de ingratitudine sic scribit (1); « Illa peremptoria res est, hostis gratiae, inimica salutis. Nihil ita Deo displicet, praesertim in filiis gratiae et in hominibus conversionis [Vide locum]. Ostendunt ii, ait, pronitatem ad levitates, ad risum, ad verba scurrilia, ad murmur, ad impatientiam. » Et in sermone contra vitium ingratitudinis (2) multis hortatur ut ab eo vitio studeamus longe fieri, ut ab hoste maximo et nequissimo, et ut non tantum nos exhibeamus gratos verbo et lingua, sed opere et veritate. Item (3) : « Perversi cordis est, ait, occasiones ingratitudinis investigare. » Ingratitudo est gratiae contraria, et eam numerat Apostolus (4) inter magna mala quae erunt in novissimis temporibus.

7. Iam videamus quomodo animi gratitudinem obtinere possimus, et in quo maxime consistat haec virtus. Duo[a] in primis debemus petere a Deo, unum ut intellegamus magnitudinem beneficii accepti ; alterum ut viam nostram secundum illud dirigamus, respondeamusque vocationi nostrae. Consistit ergo, fratres carissimi, virtus haec gratitudinis non solum in cognoscendo beneficio, sed et in recognoscendo, et eo bene pensitando cum iugi gratiarum actione, quia cum non possit homo Deo par beneficiis acceptis reddere, saltem debet pro viribus gratiarum actionem referre et vitam Deo gratam ducere.

Tanto igitur vocationis dono indignos nos esse agnoscentes, continuae laudes resonent in ore et corde nostro, admirantes cum confusione vilitatem nostram, et quod divinae gratiae tam ingrati fuerimus, ut ex ea non profecerimus sicut par erat. Hinc etiam spem indubiam excitare in nobis debemus, quod qui nobis tam multa et magna suis meritis contulit, auxilia quoque ad salutem necessaria concessurus sit. Immo qui grato est animo, non acquiescet, nisi totis viribus ad Dei servitium in omni occasione se excitet et animum adiciat. Qui autem gratus esse volet a quattuor cavere debet : 1°) ne obliviscatur beneficii ; 2°) ne ad servitium rependendum invitus et mandati vi accedat ; 3°) ne tardus sit et oscitabundus in praestando officio et ministerio suo. 4°) ne pudeat se humiliare et demittere ad officia abiecta.

D. Bernardus in sermone contra vitium ingratitudinis (5), ostendit magnam misericordiam Dei fuisse quod eripuerit nos a vana nostra conversatione saeculi, in quo eramus aliquando sine Deo — quando nimirum

(a) *igitur.* add. B.

(1) S. Bern. PL. t. 183 Serm. de div. 27 col. 339. (2) id. PL. t. 183. ib. col. 616 b. c. (3) id. PL. t. 183. Serm. 14 in psalm. Qui habitat. col. 239 d. (4) 2 Tim. 3, 2. (5) S. Bern. PL. t. 183. Serm de div. 27, col. 612 b.

otiosi nulla de re bona et utili cogitabamus, aut de profectu nostro spirituali minime solliciti eramus — aut quod est exsecrabilius, contra Deum agebamus, quando scilicet peccabamus voluntarie ; id enim contemptum Dei includit, ut quidem ante insinuavimus [a].

8. Ezechias rex quia post caesa de exercitu Sennacherib Dei virtute et miraculo centum octoginta quinque milia armatorum, non reddidit Deo debitas gratias, largitori tam illustris victoriae, cecidit in gravem morbum, ex quo fuisset secundum causas secundas moriturus, sed lacrimae et paenitentia eius Deum placarunt.

Moyses et Maria soror, videntes se liberatos et submersum Pharaonem, egerunt Deo gratias, et laudes ei cecinerunt ; ita fecit mater Samuelis Anna, et canticum similiter cecinit (1). Sic facere solitos fuisse iustos docent multis in locis sacrae scripturae. Seneca, licet gentilis, in secundo de Beneficiis (2) comparat legem gratitudinis cum ludo pilae ; quia dum luditur, unus pilam alteri tradit, et iste reddit sine intermissione ; nam si ille qui debet reddere cessaverit, tunc ludus bonus et iucundus esse desinit. Sic dona et gratiae se consequuntur, et Deus semper copiosius largiusque refundit. Haec porro memoria divinorum beneficiorum donum Dei est, sine cuius beneficio ne quidem bonum valemus cogitare.

9. Petenda igitur est gratia — quae solis illis datur qui conscientiam mundam et omni peccato vacuam habere student —, ut tali digni fiamus beneficio ; nam ut ait D. Paulus (3) : *Finis praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta.* Nec ita in religiosis intellegenda est puritas haec et mundities, quasi satis nobis sit a peccatis gravioribus et mortalibus liberos esse, a quibus etiam saeculares abstinere oportet, sed ne in minimo quidem ac levissimo delicto conscientia commaculetur. Hoc conscientiae curandae studium diligens propter Deum, optima est gratiarum actio et animi gratitudo, in primis Deo placens. Debemus tamen et ore et pectore grati animi memoriam declarare per laudes Dei et gratiarum actiones ; hoc autem optime curabimus, si ut saepe audivimus faciendum esse, omnes actiones nostras ad maiorem Dei gloriam, honorem et obsequium referamus.

Aliquis forte dicet quod suam intentionem dirigit semper ad finem Societatis et ad perfectionem : bene quidem ipse facit, verum illud non

(a) *u. q. a. i.* om. B.

(1) 1. Reg. 2, 1-10 (2) Seneca. Benef. lib. 2, cap. 17 similitudo Chrysippi. Cfr. ibid. cap. 32. (3) 1 Tim. 1, 5.

sufficit. Nam, ut ait D. Bernardus in tractatu quem fecit de praeceptis et dispensatione, c. 2 : Ille optimus censeri debet etc... (Vide locum) (1). Ex ea porro doctrina colligimus quod non debeamus tam solliciti esse, ut id quod mandatum est et ordinatum exsecutioni mandemus, quam illud exsequi intentionis oculo ad finem intento, propter quod[a] datum est mandatum. Sicuti faber murarius ad singulos lapides quos locat, adhibet plombum et amussim, ut bene et congruenter ad finem disponat : ita bonus religiosus et amator oboedientiae, non contentus esse debet facere quod facit ex habitu, sed debet niti et contendere actuare se in eo, ut ad finem propositum operis sui cogitationes suas referat. Addit S. Bernardus (2) non esse satis habere bonam intentionem erga finem, sed debere etiam associari cum bona electione et convenientibus mediis. Oportet igitur nos considerare et sumere media nobis praescripta.

10. Sed desiderabunt fortassis aliqui ex fratribus meis intellegere quare, sicuti intentio mala facit totum opus et actionem malam, ita bona intentio sola non sufficiat ad faciendum opus vere bonum, cum dicat Dominus (3) : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit*, etc... Quare ergo mala intentio efficacior est ad improbandum et condemnandum opus, quam bona ad sanctificandum ? Theologus quidem respondebit : Quia bonum consurgit ex integra causa ; malum autem ex singulis defectibus. Quare ut bonum opus sit, oportet ut fines et media bona sint ; ut vero malum sit, sufficit ut malus sit finis vel media mala. S. Bernardus exponens verba Christi Domini dicit (4) : « Ut interior oculus sit vere simplex, necessariam illi esse caritatem in intentione. »

Debemus ergo, fratres mei, bene attendere ut electionem faciamus mediorum quae constitutiones nobis indicant pro fine Societatis, et ut exsecutionem faciamus cum magna caritate. Omnia enim inveniemus pulcherrimis et salutaribus documentis nobis praescripta et declarata.

11. Debemus igitur[b] agere gratias Deo de omnibus donis eius, gratiis et beneficiis : 1°) Quia res est digna ut haereat perpetuo memoriae et quae magni fiat, et opus ipsum est iustorum et sanctorum in caelo et in terra. 2°) Quia gratiarum actio auget beneficiorum acceptorum cumulum ; provocatur siquidem Deus ad plura nobis largienda quam recepimus. Ad

(a) corrige: *propter quem.* (b) *autem* A.

(1) Locus ille his verbis incipiens non legitur in c. 2 ; neque invenimus cc. 12, 20. (2) S. Bern. PL. t. 182 de Pr. et Disp. col. 881, n° 36. (3) Matth. 6, 22. (4) S. Bern. PL. t. 182, de Pr. et Disp. col. 881, n. 36.

locum, ait Bernardus (1), unde derivantur gratiarum rivi, ad eundem debent reverti, ut iterum affluant. 3°) Quia gratias agendo confitemur et colimus divinam maiestatem, quod sit Dominus noster et verus Deus noster. Levitico (2) Deus mandabat ub adeps animalis immolandi sibi offerretur, quod significabat laudem et gloriam et gratiarum actionem illi esse deferendam. Quando anima aliqua considerat id quod a Deo accepit, tota se ipsi illa resignat in perpetuum eius servitium, desideratque ut offerantur occasiones se impendendi, ut Deus a se valde glorificetur, agnoscens quod ipse, ob suam celsitudinem ac maiestatem, omnem gloriam et honorem humanum ac angelicum superet. Sic affectus Daniel dicebat (3) : *Tibi, Domine,* gloria et *iustitia, nobis autem confusio.*

In hanc sententiam et effectum B. P. N. in exercitiis spiritualibus tradidit doctrinam de tribus gradibus humilitatis, qua meo iudicio meliorem ad nos transmittere nequivit. Eam porro ponit pro fundamento electionis : ut nimirum, si sese offerrent res duae aequalis gloriae Dei, eligamus id quod cum maiore coniunctum est difficultate et incommodo nostro, ad maiorem nostri neglectum et contemptum, ut actualiter Christum imitemur, sicuti status ipse religionis postulat. Quae eligendi ratio non tantum ad electionem vitae et status pertinet, sed in omni actione applicari et usurpari a nobis potest.

Sic ergo faciamus, fratres carissimi, ut Deo grati simus et proficiamus semper in melius.

15ª Exhortatio

De profectu spirituali et damno eorum qui non proficiunt

1. *Iustorum semita quasi lux splendens procedit et crescit usque ad perfectam diem* (4). Quod consentit cum ea sententia (5) : *Qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus est, sanctificetur adhuc.* Omnes vocamur in Societate ad perfectionem. Religio namque est schola virtutis et perfectionis : ibi docetur humilitas, castitas, oboedientia, caritas. Si quis frequentans scholas philosophiae aut rhetoricae, non facit progressus, contem-

(1) S. Bern. PL. t. 183. In Cant, sermo 13.col. 834, n. 1. extr. (2) 3, 3. 16. (3) Dan. 9, 7. (4) Prov. 4, 18, (5) Apoc. 22, 11.

nitur et excluditur. Quid de religiosis diceretur[a], qui cum habeant bonos et idoneos magistros, tot praesidia et adiumenta, tam multa et rara virtutis exempla, ipsi non proficerent[b] ? Et quid, heu mihi, de iis qui non tantum non proficiunt, sed cotidie imperfectiores fiunt ?

D. Ephraem dicit (1) quod « quanto per[c] gratiam amplius anima proficit, tanto ipse hostis est molestior, tamquam pulvis ante faciem venti, et si potest, illum acriter vulnerat, quia cogitationem non permittit evagari » (2). D. Basilius (3) : adversus eum qui obstinate pergit peccare, ita esse debemus animati atque iussit Dominus, cum dixit (4) : *Si autem ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* ; et ut Apostolus docuit dicens (5) : *Ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate et non secundum traditionem.* Deo vero sit laus et gratiarum actio, fratres carissimi, quod etsi pauperes semper habeamus inter nos, non sint tamen enormes et omnino intolerabiles defectus in ullo.

2. Sed nihilo minus[d] allaborandum nobis est ut iuvemus nos mutuo, ut ne minimae quidem imperfectiones appareant in nobis. Dicit enim[e] sapiens *quasi lux splendens,* ut paulo ante dictum est[f] de iustorum semita. Comparatio vero lucis est, quod res sit spiritualis, et prae ceteris aliis qualitatibus corporeis aptissima ad declarationem rerum spiritualium: inde scriptura sacra saepe ea utitur. Ut ergo lux matutina exordium suum sumit per vicinitatem solis in hemispherio nostro sive superficie terrae nostrae, procedit autem cursus solis et tunc lux[g] crescit donec perveniat ad meridianum nostrum, unde emittit ad nos radios suos rectos, quatenus fieri potest : sic iustus cum gratiae lumine progreditur per operationem, crescitque in virtutibus depellendo a se tenebras omnes peccatorum et ignorantiae usque ad meridiem ; nimirum[h] quando sol iustitiae ad nos accedit[i] et emittit[i] radios sui sancti numinis, non amplius obliquos, ut nunc quando per creaturas et fidem — non aliter — eum cognoscimus. Inducunt siquidem nos [creaturae] ad aliquam ipsius cognitionem, sed obscuram ; fides vero[k] quam caelitus nobis largitur

(a) *dicetur*. B. (b) *proficiunt*. B. (c) *quantopere per*. B. (d) om. B. (e) *Ideo dicit*. B. (f) *ut initio diximus*. B. (g) *tunc lux*. om. B. (h) Locus hic eo intricatus est, quod scriptor, post verba *per creaturas*, priorem scribendi rationem emendare volens, partem quidem immutavit, reliqua, ut fit, congruenter mutare oblitus est. Quare exscripsimus locum sicuti exstat in A, excepta interpunctione, et uncis includendo quae ad loci intellegentiam supplenda videntur. (i) Codex A habet *accedens, emittens ;* quae si servabis, carebit subiectum *sol* verbo suo finito. (k) *nam fides*. A : quod est mutandum ; opponitur enim fides creaturis, neque ulla ullius rei ratio datur.

(1) S. Ephraem. tom. 2, n. 90 Panoplia, p. 481 a. extr. (2) Cfr. Psalm 34, 5 sqq. (3) S. Basil. PL. 31 Reg. br. tr. 9. col. 1088. (4) Matth. 18, 17. (5) 2 Thess. 3, 6.

Deus, luce quidem creaturarum clariorem [cognitionem inducit], sed non omnino tamen perfectam et absolutam[a] ; sicuti quando directos gloriae suae et lucis beatificae radios ad nos effundet, quando erimus sicut angeli cernentes sanctam faciem eius, et donabimur lumine gloriae. Tunc enim nulla remanebit in nobis obscuritas ignorationis, quoniam agnus illuminans civitatem Dei erit lumen et lux nostra (1).

3. Vita autem et opera iustorum dicuntur quasi lux, quia iusti per participationem gratiae et per coniunctionem cum Deo, luce increata, facti sunt lux. Unde Apostolus (2) : *Eratis aliquando tenebrae, nunc autem lux in Domino*. Per hanc eandem coniunctionem dicuntur etiam filii lucis ; hinc dicitur (3) : *Ut filii lucis ambulate*. Deinde ob bonum exemplum quod aliis per bona opera[b] iusti praebent : opera siquidem bona, ut paulo ante insinuatum est, quia ex luce gratiae fiunt, merito etiam lux dicuntur (4) : *Sic luceat lux vestra coram hominibus ut videant opera vestra bona*. In hac quidem vita mortali non possumus plene cognoscere bonum quod a Deo accepimus, neque omnino hanc lucem gratiae ; cognoscemus autem postea, si in vocatione perseverantes et ad vitae perfectionem contendentes ad vitam beatam perveniamus.

Sit nobis exemplo Iosephus ille sanctus adulescens[c] : dum is oves pasceret, non subito gratia quam acceperat ipsum ad summa perduxit ; sed multis quasi praeparationibus exercuit. Neque sanctus adulescens intellegebat quid secum ageretur, sicuti neque nos[d], quando ad hoc vitae genus divina gratia nos[e] adduxit, neque etiamnum intellegimus[f] quid in nobis[e] et de nobis[e] facturus est Dominus ; sciemus[f] autem postea. Debemus ergo facere quod sanctus Ioseph agebat. Sinebat nimirum se regi a divina providentia [g], et bonis insistebat operibus [h]. Quando vero diadema ipsi ut regi gratia eadem imposuit, tum demum utilitatem eius intellexit, tunc ideo se captivum fuisse cognovit ut ab ea gratia ad illum splendo-

(a) Totum hunc locum : *nimirum quando... absolutum*, prouti iacet in B, cum codicis interpunctione subiungimus : « nimirum quando sol iustitiae ad nos accedens, et emittens radios sui sancti numinis non amplius obliquos ut nunc quando per creaturas non aliter eum cognoscimus, ille[1] enim nos inducunt ad aliquam ipsius obscuram tamen cognitionem ; sicuti et fides quam caelitus nobis largitur illa quidem luce creaturarum clariorem, sed non omnino tamen perfectam et absolutam ; sicuti quando.... » (b) *bonis operibus*. B. (c) *Considerate, fratres mei, Iosephum illum adulescentem*. B. (d) *vos, fratres mei*. B. (e) *vos.vobis*.B. (f) *intellegitis.scietis*.B. (g) *Sic et nos permittere nos debemus divinae providentiae et superiorum directioni*. add. *B*. (h) *et b. i. o.* om. B.

(1) Cfr. Apoc. 21, 23 sqq. (2) Ephes. 5, 8. (4) ibid. (4) Matth. 5, 16.

(1) *ille* : lapsus calami, pro *illae* (creaturae).

rem erudiretur. Sic et nos, fratres mei, gratia vocationis exercet per tentationes, mortificationes, amaritudines, imperfectiones, sicuti exercuit Iosephum per fratrum improbitatem, per mulieris obscenitatem, per carcerem, denique et per pincernae ingratitudinem, ut ad regni tabernacula et praecipuam a rege dignitatem eveheretur.

Ita nimirum[a] tuos electos, Deus optime, erudis et exerces exterius interiusque, ut probati fiant ac tandem dignos illos invenias beata gloria tua. Exploras et fratrum nostrorum studium, diligentiam et animi gratitudinem variis modis et probationibus, ut postea eos corones aeterna gloria. Sic pia mater carissimum filium bonis artibus excolit, sed adhibet interdum verborum asperitatem et virgas, ut ardor naturae lentescat et infantulus aetate crescendo adolescat et virtute.

4. Procedit lux et crescit. Notate, fratres, primo iustum procedere, deinde crescere. Procedit, inquam, per bona opera[b] gratia in nobis operante, deinde crescit in ista gratia, iuxta illud redemptoris nostri (1) : *Habenti dabitur, ei autem qui non habet, quod videtur habere auferetur ab eo ;* qui scilicet se non exercet, sed otiosam in se retinet gratiam et donum Dei, ut de servo illo pigro in evangelio dicitur (2) : *Auferte ab illo mnam, et date illi qui decem mnas habet.* Auferetur videlicet talentum quod accepit, et dabitur illi qui plus habet, id est[c] , illi qui impigre operando et gratiam acceptam exercendo meritus est ut pater familias liberalissimus ei multiplicet et augeat dona (3).

Oportet ergo eum qui est in semita iustorum, procedere et crescere de virtute in virtutem O quam inique igitur et ignaviter agunt qui cum debuissent in religione, quae vera semita est iustorum, multum profecisse, imperfectiores tamen sunt quam initio. Ingrati plane Deo, qui gratia peculiari deduxit eos ad statum religionis, extra pericula et illecebras mundi huius, de servitude durissima Pharaonis infernalis, de tenebris Aegypti, traducens per mare rubrum et per aquas lacrimarum et paenitentiae, de conversatione pessima ad viam iustitiae. Haec, optime Iesu, agnoscimus, agnoscimus inquam, haec[d] te in nos contulisse beneficia maxima. Dignare, obsecro per bonitatem tuam infinitam, ignem amoris tui in nobis augere[e], ut dirigamus vias nostras ad maiorem gloriam tuam.

5. Infelices sane[f] sumus nos, fratres, qui adhuc tam imperfecti sumus, — et mei similibus loquor[g] — qui cum simus[h] in via et in itinere ad per-

(a) *et.* B. (b) *facta.* add. B. (c) *i. e.* om. B. (d) *i. h.* om. B. (e) *in nos immittere.* B. (f) *prorsus.* B. (g) *novi enim perfectos plerosque inter nos esse.* B. (h) *adhuc.* add. B,

(1) Matth. 13, 29. (2) Luc. 19, 24. (3) Cfr. Matth. 25, 20 sqq.

fectionem, et ut perveniamus tales[a] ad terram promissionis, repetimus tamen affectu non numquam res saeculi, cum uxore Loth respicientes retro. Atque heu mihi ! utinam non inveniatur aliquis conversus in statuam salis et sterilis effectus, et ne, quod peius esset, inveniatur etiam qui in terra sanctorum interdum iniqua gerat, obnoxius maledictioni quam propheta subicit his verbis (1) : *Non videbit gloriam Dei.* Displicent enim valde Deo, qui donis eius, maxime vero religionis, abutuntur. Ideo cum indignatione dicit (2) : *Contaminastis terram meam.* De quibus ipse dolens et quasi invitus ad punitionem descendens (3) : heu, inquit, *consolabor super hostibus meis, et vindicabor de inimicis meis !*

Ad anteriora ergo nos extendamus, ut monet S. Paulus (4) : *Aemulamini*, inquiens, *carismata meliora.* Quasi dicat, estote continenter cupidi maioris virtutis excellentiorisque caritatis. Ut vero hoc assequamur, et ut gratia Dei cum donis in nobis multiplicetur, tria inter alia docent nos nostrae constitutiones.

6. Primum est, ut velit quisque ita ad incrementum spiritus iuvari. ut quidquid ab aliis in moribus suis notatum fuerit obesse in ipso virtutibus aut perfectioni, illud referatur ad eum qui praeest, quo melius iuvari queat. Hoc autem desiderium et voluntas praesupponit cognitionem propriae infirmitatis, quod satis sibi esse nequeat[b], tum ad perfectionem consequendam, tum ad cognoscendos et corrigendos proprios errores. Favet enim quisque sibi impensius, adeo ut in eis quae ad proprias virtutes pertinent, fere decipiatur. Ex hac denique cognitione, tum ex humilitatis ac perfectionis studio, tale auxilium ab aliis postulatur. A qua cognitione propriae infirmitatis maxime procul absunt, quem ad modum et ab humilitatis et propriae perfectionis studio et spe, illi qui non libenter ferunt defectus suos ab aliis notari, sed aut vitia sua extenuant, aut, quod peius est, pertinaciter et inverecunde defendunt, aut notantem incusant alterius erroris. Deinde vero absunt et illi iidem aequali distantia ab observatione instituti. Certe gravi ille errore involveretur, qui cum ita iuvari nollet, cuperet tamen haberi et humilitatis et perfectionis atque instituti studiosus.

7. Alterum caput est ut parato sit animo quisque nostrum, sibique persuadeat ut quae sive ad cibum, sive ad potum, sive ad vestitum atque id genus alia, quae ad sustentandam hanc vitam pertinent, ea sibi fore

(a) om. B. (b) *quispiam.* add. B.

(1) Is. 26, 10. (2) Ierem. 2, 7. (3) Is. 1, 24. (4) 1 Cor. 12, 31.

subministranda quae erunt omnium abiectissima. Hoc autem desiderium provenire solet aut ex consideratione propriae indignitatis, aut ex studio vincendi cupiditates suas, aut denique exquirendi aliquas virtutes, aut certe ex opinione quam de aliis concepit maximam, quod videlicet infimum locum inter alios mereatur. Haec porro opinio de se et desiderium inferioris condicionis, quia nititur partim virtute, partim veritate, ut exercitium eius vitam insigni quodam splendore exornat, ita merito ab instituto et commendatur et praescribitur. D. Ephraem (1) suum discipulum ut in debita temperantia confirmaret, dixit, loquens de Elia Propheta : « Vides, carissime, quibus alebantur prophetae ! aqua videlicet, et buccella panis (2), ut Elias apud viduam, et quidem cum angustia. Omne quippe studium ponebant in bonis quae ipsis in caelo reposita erant. »

8. Tertium est quod ex instituto magnopere curandum, ut animus cuiusque abhorreat ab iis quae mundus appetit, ut sunt propria aestimatio, magni nominis opinio, fama, honor, atque id genus alia ; afficiatur vero ad ea quibus Christus Dominus noster ob utilitatem nostram, utque nos exemplo suo ad imitationem provocaret, vestiri voluit. Ea sunt iniuriae, criminationes, falsa testimonia, stultum reputari, etc... Haec enim sancta mentis agitatio et sollicitudo est velut gemma in anima, et quidem pretiosissima. Efficit enim ut et mundo moriamur et Christo vivamus, quod est vere religiosi esse[a] ; hoc enim praestare est Christum sequi, quod utique sancti, ac nominatim B. P. N. Ignatius et B. Franciscus Xaverius non tam intellexerunt quam gustare visi sunt, quando oblata est occasio Christum imitandi aut quando aliquid ignominiae incommodive sustinendum fuit.

9. Adiungam et quartum, ut corripientem videlicet superiorem aut fratrem monentem admittam cum gratiarum actione. « Ne te doceat, ait S. Ephraem (3), inimicus improbus dicere : non tristor de contumelia qua affectus sum, sed quod in praesentia fratrum me conviciis exceperit. Hoc te conturbat, ait, serve Domini Iesu Christi ? Sed ubi arma tua reliquisti, o miles Christi ? Dico autem de cruce, quae crux est humilitas, sicut scriptum est : *Humiliavit semet ipsum, factus oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (4). » Accipe et exemplum David qui contumeliis affectus a Semei, in conspectu omnium qui comitabantur ipsum, non reddidit ipse maledictum. Revolve etiam mente ipsius S. David oblivionem

(a) *religiose vivere.* B.

(1) S. Ephraem. tom. 2. n° 77 Paraen. 41, pag. 415 c. (2) 3 Reg. 17, 10. 11. (3) S. Ephraem, t. 2, n. 68. Paraen. 32, p. 391 b. extr. (4) Philip. 2, 8.

iniuriarum erga Saul, cum in eius vita, tum post eius mortem. Quare et nos, fratres, longanimitatem colamus alter alterius onera portantes. Nam, ut ait D. Bernardus in sermone primo ad fratres (1) : « Videre est in omnibus fere religiosis congregationibus viros aliquos repletos consolatione, superabundantes gaudio, iucundos semper et hilares, ferventes spiritu, mente collectos et per piam meditationem ac mentis elevationem crebro suspicientes in caelum et puras manus in caelum levantes in oratione, sectatores bonorum operum, quibus suavis est disciplina » ; alios contra, similes brutis animalibus, inclinatos deorsum, quos etiam ipsi maligni spiritus irrident, illuduntque dicentes (2) : *Incurvare ut transeamus;* plenos suspicionibus et censuris aliorum, incompositos et biliosos. Unde vero, quaerit D. Bernardus (3), spiritualis gratiae his inopia tanta, cum aliis copia tanta exuberet ? profecto nec avarus nec inops est gratiae distributor, sed ubi vacua vasa desunt, stare oleum necesse est. Undique se ingerit amor mundi cum consolationibus, immo desolationibus suis, observat aditus, per fenestras irruit, mentem occupat, sed non eorum qui dicunt (4) : *Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei et delectatus sum.* Qui ergo praeoccupatus est his terrenis desideriis animus, consolationis illius spiritualis sanctaeque delectationis non est capax. Non possunt simul esse balsamum et liquor foetidus, vinum merum et acetum. Oportet ergo mentem esse vacuam et bene dispositam, ut caelestis consolatio ab ea recipiatur.

10. Quinto oportet moderate ferre fratrum infirmitates. In congregatione enim illae multae sunt sive corporum sive morum. Utramque infirmitatem patienter ferre status monet religiosus, et utrique aliquando iuvat condescendere ; id aliquando etiam iubet caritas. Gratias ago Domino Deo, de cuius munere venit ut multos hic videamus quorum mens ita intenta Deo est, ut longe sit ab omni immoderatione et impatientia, immo qui iuxta se positos infirmos, debiles et imperfectos prorsus ignorent, se minus omnibus facere existimantes ; atque utinam tales essemus omnes, fratres carissimi. Ut porro tales evadamus, ad Deum recurramus : cupit Deus videre lacrimas, sititque paenitentiam intueri, iis gratulans qui serio paenitentiae virtutisque studio se dedunt.

In me igitur, Domine, immensa pietatis tuae viscera ostende : sicut in mari turbato discipuli ad te confugerunt teque excitarunt, et per benedictam vocem oris tui procella venti cessavit et tempestas maris facta est

(1) S. BERN. PL. t. 183 Serm. 5 in Ascens Dn. col. 318, n. 7. Fueritne hic sermo primus ad Fratres nobis non liquet. (2) Is. 51, 23. (3) l. c. col. 319, nº 8 b. (4) Psalm. 76, 3. 4.

tranquillitas ; ita quoque suspiria exaudi mea. De profundis clamo ad te, Domine, exaudi vocem meam, et alta desideria mea te excitent pro tua bonitate et misericordia. Annos duodecim medici laborantes non potuerunt curare fluxum sanguinis in muliercula, sed molestiam potius quam sanitatem aegrotanti afferebant ; at quod non potuerunt illi, tu praestitisti, bone Iesu, remediaque absque ullo labore largitus es. Existimabat mulier illa se latere, et clam vestimenti tui fimbriam tetigit, et sola vestis tuae fimbria malum sustulit.

Adiuva nos similiter, Redemptor misericordissime, et animas nostras ab imperfectionibus omnibus et vitiis quae te offendunt libera. Ostende in nobis misericordiam tuam, et vulnera animarum nostrarum sana, et animae decorem optatum, et quo tibi placeamus perpetuo ingere et concede, qui vivis et regnas in saecula saeculorum.

16ª Exhortatio

De perfectione hominis religiosi et de tepiditate seu remissione

Docebimus in hac exhortatione tria :

1°) Quomodo acquiratur perfectio quam nobis constitutiones praestituunt.

2°) Unde contingat remissio spiritus quae hanc perfectionem retardat.

3°) Quae sint remedia contra hanc remissionem et tepiditatem.

1. Quod ad primum attinet : nemo repente fit perfectus. Ut enim natura procedit ab imperfecto ad perfectum, sic in rebus spiritualibus nemo potest subito attingere culmen virtutis. Flamma, ut experientia docet, incipit a fumo, fumus inflammatus assurgit et in altum se exserens manifestatur. Granum frumenti in terram coniectum putrescit, et putrefactum germinat, ac paulatim de terra emergit, sensimque crescit usque ad perfectionem. Arbor non omnino fecunda transplantatur, sed ut id fiat utiliter, truncantur illi rami, et sic quasi emortua manet ; paulo post revirescit, ac demum flores et fructum profert. Infans in utero primum embrio est, vivitque anima vegetativa, deinde organizatus incipit vivere vita sensitiva, ac demum intellectiva.

Aedificia magna non uno die absolvuntur, sed primo loco iaciuntur fundamenta, parietes deinde assurgunt, tectum demum superinicitur. Deus in principio legem dedit naturae, deinde scriptam, tandem legem dedit gratiae et amoris.

Qui ergo vult perfectus evadere et cum Deo magnam coniunctionem habere, imperfectum quidem se esse agnoscat, non tamen ob imperfectiones spem abiciat, sed initio conciliet precibus et suspiriis magnam displicentiam vitae praeteritae, defleat peccata admissa, et in confusione sui ad tempus versetur, ut hac exercitatione conciliet sibi Dei gratiam et amorem ; deinde devotionem[a] et fervorem.

In primo statu mortificatur homo, ut *granum frumenti cadens in terram* (1) ; in secundo, germinat et egreditur de terra crescens et exserens se ad altiora ; in tertio statu fructus bonorum operum pulchros et suaves homo profert.

2. Sed nota quod arbor non transplantatur absque labore et sensu eius — ut ita loquamur — ex terra sterili et mala in meliorem, sed[b] illi succiduntur radices, rami detruncantur et instar mortuae denique iacet, ac demum plantatur. Sic homo religiosus et imperfectus, vitae praeteritae pertaesus, ut transeat ad statum meliorem frugemque faciat optatam, prius se mortificare debet cum labore et poena, resecare debet omnia quae fuerunt illi noxia, ut sunt commoda et deliciae ; debet iacere quasi inutilis, abiciendo omnem de se vanam opinionem, ad officia humilia et abiecta animum adicere, et quae prius illi erant suavia, iam debent ipsi esse amara, et quae amara, ipsum modo debent oblectare, ut iactis bonis firmisque radicibus fructum faciat in patientia. Ad hanc perfectionem, fratres carissimi, non perveniemus nisi multis precibus, et magno studio et conatu declinantes a malo et facientes bona (2).

Certe qui mundi huius principibus serviunt et ministrant, virtutum suavitatem nec quaerunt nec degustant, sed solum commoda et praemia terrena[c] . Videas tamen eos nihil laboris refugere, nulla declinare pericula, nulla prorsus negare obsequia, ut gratiam ab homine inveniant. Atqui nos in hac sancta Societate caelum et caelestes thesauros speramus et requiem interminabilem in caelis exspectamus. Nobis igitur, fratres carissimi, labor nullus videatur durus, sed respiciamus in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum. Thesaurus ille caelestis non nisi fide, spe et labore comparatur. Qui autem in laboribus hominum hic non sunt, et cum hominibus non flagellantur a Domino per

(a) *ignem*. B. (b) prius *aut*. A. (c) *exspectant*. add. B.

(1) Ioann. 12, 24 ; Marc. 4, 3-20. (2) Cfr. Psalm. 36, 27.

mortificationem voluntarie susceptam, cum daemonibus postea in inferno flagellabuntur.

Consideremus quibus quantisque periculis terra marique mercatores se exponunt ut divitias brevi perituras acquirant et augeant ; quos aestus, quae frigora, quae a latronibus et piratis, quae a praecipitiis et a feris pericula subeunt ; quem item laborem, quam esuriem, quam sitim perferunt nobiles venatores ut feram unam capiant. Secari et uri homines patiuntur ut dolores temporarios redimant ; pro honore et exiguo stipendio quid milites periculi, quid laboris non tolerant ! Atqui multo certius ac felicius nos sancta remunerabit caritas, quam sua illos cupiditas.

3. Unde vero nobis haec ignavia, fratres carissimi ? D. Ephraem (1), parabolam affert huic proposito valde congruentem. « Duo, inquit, viri proficiscebantur ad quandam civitatem quae stadiis aberat triginta. Cum autem duo vel tria iam confecissent stadia, incidentes in silvam amoenam, quae prata et fluenta aquarum habebat, alter captus amore loci et veritus aestum ingruentem, sub vesperam cum discedere et progredi statueret, in loco remansit. Venit interim fera sub eandem vesperam, et eum traxit in antrum suum. Alter civitatem ad quam tendebat ingressus est feliciter. » Deinde subiungit interpretationem. « Duo, inquit, homines sunt qui ad pietatem iter instituerunt ; inimicus autem impedire cupiens, desideria ipsis ingerit daemoniaca, videlicet inanem gloriam, ambitionem, superbiam, ac quaecumque alia his similia ; quorum ille qui ista respuit, ad supernae vocationis bravium, Dei cooperante gratia, sollicite properando pervenit ; alter amoenitate visibilium et mundi captus et detentus, a caelestibus mentem avertens a diabolo in antrum peccati pertrahitur. Quia, ut dicitur (2) : *Concupiscentia cum conceperit parit peccatum, peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem.* Et (3) : *Qui facit peccatum servus est peccati.* »

4. Sed coniecto[a] vos exspectare ut causas huius languoris et solutionis vobis exponam. Tepiditas causa est una huius mali (4) : est enim qualitas media inter frigidum et calidum ; neutrum vero horum est, sed provenit tepiditas vel ex calido paulatim frigescente, vel ex frigido quod paulatim calefit ; vel fortassis a natura hoc habet, ut sunt quaedam aquae minerales. Ex quacumque autem causa tepor nos occupet, ille noxius est et malum pessimum. Si ex frigido incipimus calere et non progredimur, malum est ; ulterius procedendum fuit, non consistendum in eo gradu. Nam ibi consis-

(a) *Video.* B. (b) *eas* add. A. supra lin. Deest in B.

(1) S. Ephraem, t. 2. n. 23. Attende tibi ipsi. cap. 2. pag. 309. (2) Iacob. 1, 15. (3) Ioann. 8, 34. (4) Cfr. Apoc. 3, 15-16.

tere, malam est gratiam referre Deo, qui de iniquitatibus nostris per suam misericordiam nos educebat. Si vero ex calido frigescimus, id multo peius est, quia id est Deum quasi irridere. Non qui incepit, sed *qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (1). Quod si vero tepidi natura sumus et permanemus, et illud est pessimum[a], quod cum multa debeamus Domino, numquam debitis nos exsolvamus. Si quis a domino suo accepisset mille aureos et eos nec negaret nec redderet, sed ita se gereret ac si nihil deberet, is certe significaret non agnoscere se ipsius esse[b] debitorem ; quare ad iram dominum suum merito provocaret. De talibus dicit sapiens (2) : *Vult et non vult piger.* Sed quos effectus habet haec tepiditas ?

5. Primum generat indevotionem. Indevotio autem est quaedam ariditas spiritualis quae provenit 1° ex acedia. Ceterae creaturae otio impinguantur ; anima humana contra labore pinguescit, otio et deliciis tabescit. Piger vult et non vult, *anima autem laborantium impinguabitur.* 2° Provenire potest ex defectu cibi spiritualis, videlicet meditationis vel sacramentorum : *Aruit cor meum quia oblitus sum comedere panem meum* (3). 3° Quandoque ex superbia, significata per montem Gelboë, in quem nec ros nec pluvia cadit, originem trahit.

Secundo generat tepiditas tristitiam in divino servitio et operibus caritatis. Nocet autem haec homini plurimum. Primum eum affligendo : *Sicut tinea vestimento et vermis ligno, ita tristitia viri nocet cordi* (4). Secundo nocet obscurando et retardando[c] : Vincula pedum impedimenta sunt cursoris, et tristitia impedimentum est spiritualis profectus ac divinae visitationis. Tertio nocet inferendo detrimentum alteri ; saepe enim est alteri peccati occasio : *Tristitiam longe repelle a te, multos enim occidit tristitia* (5).

6. Tepiditas tertio generat taedium vitae ; hoc autem provenit ex tristitia et languore in divino servitio. Esse tamen possunt aliae diversae causae taedii ; nam aliquando ex Dei amore et desiderio caelestis patriae taedium huius vitae nascitur ; quandoque ex consideratione malorum quibus mundus plenus est, quandoque ex vehementia tribulationis : *Taedet animam meam vitae meae* (6). *Supra modum gravati sumus, ita ut taederet nos etiam vivere* (7).

(a) *Excitare siquidem nos debemus ; grave sane malum.* add. B. (b) om. B. (c) *Legimus in vitis Patrum.* add. B.

(1) Matth. 10, 22 ; 24, 13. (2) Prov. 13, 4. (3) Psalm. 101, 5. (4) Prov. 25, 20. (5) Eccli. 30, 24. 25. (6) Iob. 10, 1. (7) 2 Cor. 1, 8.

Ille porro tepidorum gradus est pessimus, quo quis in sua tepiditate statuit permanere, et in suis inhaerere defectibus. Eos vero qui huiusmodi sunt S. Thomas (1) dicit non esse tutos in conscientia ; nam hi tenentur in perfectionem animum intendere, quia sunt in statu perfectionis non acquisitae, ut Episcopi, sed acquirendae. Et regnum caelorum requirit a nobis ut nostras cupiditates spiritui et rationi subiciamus, et inordinatos frangamus motus et affectus, ut hanc vim nobis inferendo regnum caelorum obtineamus. Servus ille inutilis non propter homicidium vel aliud crimen illatum proximo iussus est in carcere conici, sed quia talentum a Domino acceptum non exercuerat utiliter (2).

Sed dicet fortasse quispiam : misericors est Deus. Sententiae ipsius subscribo ut verissimae ; sed attende, mi frater, quod non solum misericors est, sed et infinite iustus et tepidis inimicissimus. Non potest eos ferre, ait D. Bernardus (3), in stomacho ; dicit enim : *Quia tepidus es, incipiam te evomere de ore meo* (4). Addo quod qui in hoc miserabili statu est, continenter fiat debilior contra hostem, et hic contra illum evadit instructior. Quid vero turpius est quam suam neglegere perfectionem ? Pueri qui non proficiunt in scholis, post verbera, a praeceptore cum ignominia eiciuntur. Quis laudet negotiatorem, qui cum possit insigne lucrum facere, prudens tamen et volens elabi sinit lucri faciendi occasiones ?

7. Sed ad remedia veniamus.

Primum igitur est convertere se serio ad orationem, et ardenter petere a Deo gratiam ; nam nostra industria, fratres mei, numquam eam nancisceremur : a Deo petenda est facultas. Audi quid dicat Deus cuidam episcopo, ut eius nos exemplo doceret : *Suadeo*, inquit (5), *tibi emere a me aurum ignitum probatum*, id est amorem et gratiam. Illud tu emis quando tu facis quod in te est ut gratia doneris ; quod si otiosus et quasi palabundus haerebis,[a] in aeternum non obtinebis. O quam facile vobis est, fratres mei, hanc gemmam comparare, hunc amorem Dei obtinere ! Si adhibeatis lignum aridum igni, en subito accenditur ; si speculum aliquod obiciatur radiis et sphaerae solis, quo tempore viget magnus aestus, emittit tandem quasdam scintillas ignis, quin et ignem excitat in materia disposita. Sic nobis non est aliud praesentius remedium quam ad Deum accedere per affectum amoris.

Secundum remedium est impense et continenter desiderare fervorem et vitae emendationem, considerando Deum optimum maximum id esse

(a) *manebis*. B.

(1) Supra, p. 92, not. 3. (2) Cfr. Matth. 25, 30. (3) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 3 in Ascens. Dni, n. 7 extr., col. 308. (4) Apoc. 3, 16. (5) Apoc. 3, 18.

promeritum de nobis, ut illum amemus et ardenter ei[a] serviamus, quod summe bonus ille sit et perfectus, et nos amore suo immenso praevenerit, adeo ut filium suum unigenitum dederit nobis in pretium et exemplum.

Tertium remedium, considerare quam magna illa sint praemia quae pro laboribus hic eius amore exantlatis repromisit in beata illa vita ; glorificationem scilicet animae et corporis ; et quam detestabile sit nos otiari et tepescere, qui in via positi sumus ut thesaurum illum adipiscamur.

Quartum remedium, considerare quot et quanta peccata hactenus nobis remiserit, quam patienter nos huc usque tulerit, quam paratus sit nos iuvare et nobiscum onus in nostrum bonum comportare.

Quintum, ut moveant nos exempla tam multa sanctorum Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Martyrum et B. P. N. ac sociorum, qui olim et hodie tam strenue vineam Domini colunt per universum mundum.

Sextum, consideremus pericula in quibus in praesenti versamur, quod apud Matthaeum insinuatur (1) : *Vigilate*, inquit, *et orate ut non intretis in tentationem.*

Septimum, consideratio poenae futurae ignavorum et improborum : *Quid tu vides, Ieremia ? Virgam vigilantem* (2) ; est videlicet virga vigilans a somno acediae et pigritiae, consideratio poenae aeternae.

Octavum, consideratio praemii aeterni, Christi societas, quem non piguit pro nobis laborare, sed *exsultavit ut gigas ad currendam viam* (3).

Nonum, consideratio abyssi iudiciorum Dei, et quam multi viri magni, qui cum diu vixissent in magna opinione sanctitatis, brevissimo tempore perdiderunt omnem gratiam et perseverantiae donum, vel ob tepiditatem, vel ob occultum aliquod vitium quod Deus deprehendit in ipsis. O quam *terribilis es*, Deus optime, *in consiliis tuis super filios hominum !* (4) *Vere respicis*, benignissime Deus, *vias hominis*, ut dixisti per sapientem (5) : quare debemus diligenter excutere conscientiam nostram et nos excitare.

Decimum, consideremus denique quanto affectu et caritate nos exspectant iusti in caelis, ut ipsis associemur ; quin et Pater caelestis nos exspectat ut filios et heredes, ut stabiliat nos in regno suo ; Filius nos exspectat ut fratres et coheredes in plenitudine bonorum suorum ; Spiritus sanctus denique nos exspectat, qui est summa et infinita caritas.

8. Neque te excuses quod aliqui per suum fervorem corruerint in graves morbos et facti sint inutiles ; item regulas nostras mandare ut habeatur cura valetudinis. Hoc enim non ignoramus ; sed respondemus non id

(a) om. B.

(1) Matth. 26, 41. (2) Ierem. 1, 11. (3) Psalm. 18, 6. (4) Cfr. Psalm. 65, 5. (5) Prov. 5, 21.

provenisse ex fervore et devotione, sed ex indiscretione, quae prohibetur a sanctis et a nostris constitutionibus et regulis persaepe ; fervor autem numquam prohibetur, sed laudatur, et coniuncta semper adesse debet directio patris spiritualis.

Opera nostra, ait D. Bernardus (1), in fervore agenda sunt, et desiderio cordis, ut *sint lucernae ardentes in manibus nostris* (2). Et S. Gregorius. « Nisi mentis, ait, intentio ferveat, unda mundi non vincitur, per quam semper anima ad ima revocatur. » Sed et nomen ipsum fervoris excitare nos debet ad fervorem : fervor enim significat amorem ardentem, qui facit multa operari et ardua superare, ut dicitur de aqua bulliente ; tunc enim fervida est et[a] potens ad frigus depellendum. Non reprehenditur ergo fervor nisi quando indiscretioni est admixtus ; nam per indiscretionem opera alioqui bona reprehensibilia sunt et displicent Deo qui prohibuit (3) sibi offerri animal caecum, claudum, imperfectum ; neque voluit sacrificium ullum sibi offerri absque sale. Nam et nobis cibi insipidi displicent, et indiscretio non placet. Deus ignem voluit semper ardere in altari, quem nutrire debebat sacerdos subiciendo ligna singulis diebus (4). Hunc, fratres mei, ignem devotionis et amoris in Deum foveamus in altari cordis nostri, subiciamus ligna bonorum operum ac sanctorum desideriorum continenter, ut crescamus iugiter in spiritu, et nos mutuo bonis accendamus exemplis, ut evadamus veri alumni Societatis et operarii inconfusibiles in ecclesia Dei. Amen.

17ª Exhortatio

De studio observandi instituti et de causa remissionis

1. Venimus ad Societatem, fratres in Christo carissimi, asperi et rudes, atque aridi sicut virga Aaronis illata est arida et sicca in arcam foederis. Atque utinam sicut illa reviruit, frondes et flores ac fructum protulit, ita nos hactenus fecerimus et in futurum faciamus in

(a) *tunc enim dicitur fervida et.* B.

(1) S. Bern. PL t. 183 Serm. 1 in Nativ. Dni. n. 6 a. b. col. 118. (2) Luc. 12, 35. (3) Deut. 15, 21. Levit. 22, 19 sqq. (4) Lev. 6, 12.

arca et domo Dei positi ; revirescamus, inquam, per sancta desideria, frondeamus per verba aedificantia, floreamus sanctarum actionum exemplo, fructum feramus bonorum operum in aedificationem nostram et salutem proximorum.

In hunc finem, statum nostrum ardenter amare debemus, neque tantum amare, sed ut[a] amorem nostrum proferre oportet studium insigne[b] honoris Dei et perfectionis nostrae ac proximorum, exemplo Christi Domini, cuius vita in duobus praecipue imitanda nobis exsistit : in honore videlicet Dei promovendo, et in iuvando[c] genere humano. De quibus duabus rebus tractaturi sumus Deo propitio in praesentia.

De priore igitur, quid dicis de te, redemptor optime, Christe Iesu ? *Non quaero,* inquis (1), *gloriam meam,* sed eius qui misit me Patris ; et : Non quaero gloriam meam, *sed honorifico patrem meum.* Quid vero de secundo : *Veni,* ais (2), *quaerere et salvum facere quod perierat.* Et dilectus discipulus tuus de te loquens (3) : Venit filius Dei dissolvere opera diaboli.

2. Haec sunt, fratres mei, quae Christus Dominus suo iure exigit a nobis. Non enim tantum concipere debemus bona desideria, neque solum illi excipiendi proximi, qui salutis suae causa sponte ad nos veniunt ; sed et concipere magnum salutis eorum zelum, et nos excitare debemus ut eos quaeramus, et ad Deum creatorem et redemptorem suum ab errore viae suae reducamus. His desideriis inardescat cor nostrum, illa continenter accendamus ; nam sine illis alget cor nostrum et luxantur animae vires. Caveamus ne ingruat acedia, et evadamus inertes et pusillanimes ; vim nobis inferamus, ut facere solent magnanimi et excitati viatores, qui licet minuantur via et itinere procedente vires, non tamen cadit animus, neque a scopo recedunt, sed se ipsi mutuo consolantur dicentes : Adhuc modicum restat viae, forti animo simus ! Deus autem cernens eorum studium et bonum animum, robur addit, viresque praebet, itineris mollit asperitatem spe imminentis quietis. Similiter et nos hoc iter ingressi excitemus nos mutuo et voluntates nostras urgeamus ; fingamus voluntatem nostram esse stomachum, desiderium autem in voluntate ut cibum esse in stomacho : ut enim homo stomacho vacuo languet, at saturo multo est agilior et expeditior, sic nos bonis desideriis voluntatem nostram impleamus et expediti simus ad omne opus bonum.

3. Dicit enim Greg. lib. 9 Moral. cap. 30 (4) : Quod Deus non tam audit

(a) *et.* B. litterae *e* superscripsit *u* codex A. (b) *pr. st. i.oportet.* B. (c) *liberando.* B.

(1) Ioann. 8, 49, 50. (2) Luc. 19, 10. (3) Cfr. 1 Joann. 3, 8. (4) S. Gregor. PL. t. 76 Moral., non quidem l. c. sed lib. 22. cap. 17, n. 43. col. 238.

voces verborum quae os profert,quam desideriorum, ut Deus Moysis verba non linguae sed desideria cordis audivit. Dicit tamen (1) : *Quid clamas ad me ?* tacebat autem Moyses, sed ut ait Glossa, profunda desideria voces sunt apud Deum.

Et forte psalmista de hac voce intellegebat cum ad Deum clamaret : *De profundis*, inquiens, *clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam* (2). Et Glossa super illud (3) : *Sine intermissione orate*, dicit : Iustus numquam desinit orare, quia semper est iustus et semper bona caelestia desiderat.

Quanti faciat Deus bona et copiosa desideria nostra patet ex Daniele (4), ubi ab angelo *vir desideriorum* appellatur ; et quia talis erat, dedit ei Deus per angelum revelationem maximorum mysteriorum. Ut sol calore suo aperit malum punicum ostenditque eius viscera rubicunda et amoena, ita voluntas nostra amoris calore inflammata ac sanctis desideriis et zelo honoris Dei et religiosae disciplinae plena, aperit viscera caritatis et patefacit spiritum intus latentem per sancta et copiosa opera cum admirabili decore, quem adiungit cum Deo coniunctio.

Huiusmodi desideria eruperunt ex corde Annae Samuelis (5). Haec desideria, fratres mei, quando in nobis sunt viva et efficacia, conservant nobis amicitiam cum Deo, augent meritorum cumulum, ius nobis acquisitum regni caelestis inconcussum servant. caritatem fovent, vitam spiritualem promovent, templum Spiritus sancti nos efficiunt, et domi fratres meos collucere faciunt ad instar facis accensae, in aedificationem et consolationem omnium.

Ut autem arbor, licet vi tempestatis et procellae patiatur detrimentum, fructus et folia amoenitatemque et decorem deperdat, manet tamen eius substantia ac vita salva, quam diu succus in arbore remanet et cortex[a] radixque illi adhaerens in terra confovetur : ita religiosus licet deperdat interdum aliquid de suo fervore et devotione per peccata venialia, quam diu tamen propositum ac bona desideria retinet operandi, et exsequendi quae regulae praescribunt, salva res est.

4. Villicationem[b] bonam atque laudabilem inivimus, fratres mei : in ea persistamus et desiderium ac studium fervens nos perficiendi foveamus et augeamus, licet non desint procellarum iniuriae, morbi et imperfectiones[c] quae nos remorentur in itinere nostro. Caveamus ne ignaviter haereamus aut per pusillanimitatem concidamus ; esset illud siquidem augere morbum et in discrimen totam negotiationem nostram vocare. Non enim subito morbi redduntur incurabiles, sed malum capientes principium

(a) om. B. (b) *Negotiationem*. B. (c) *n. d. imp. et m. quae*. B.

(1) Exod. 14, 15. (2) Psalm. 129, 1. (3) Thess. 5, 17. (4) Dan. 9, 23. (5) Reg. 1, 11.

ex neglegentia, ad infinitam pertrahunt miseriam. Passiones in anima minima ex causa generantur et neglectae immensum generant rerum divinarum propriaeque salutis neglectum. Cernis in aere seu cupro naevum viridem ac rubiginem, ut alte penetrat et progreditur[a] ; ita facit in anima passio neglecta : nisi eraseris rubiginem non auferes maculam, et nisi te mortificaveris passionesque subegeris initio, vix procedente malo superabis ; nam passiones tempore roborantur adversus naturam. Si quis ferrum tergat ac poliat antequam rubiginem contrahat, nihil est quod deinde metuat : ita si quis virtutis studio animam expoliat et ornet, laborem non posuerit inanem. Sed opus est conatu ; non enim absque labore rubiginem candelabri vel alterius vasis absterseris. Sancti martyres licet infirmi essent, his tamen studiis ac sanctis desideriis honoris Dei et testimonii Iesu Christi inflammati, carceres, ignes, sectiones membrorum, sartagines, terribilia quaeque tormenta passi sunt, nec voluntatem et propositum Deo serviendi deposuerunt. B. P. N. Ignatium legimus heroicas virtutes similiter exercuisse, vestes splendidas cum pauperis lacerna commutavisse, ieiunasse septem dies totos absque cibo et potu, in carcere positum non usum fuisse patrono, Dei providentia subnixum ; sic S. Benedictum volutasse se in vepribus, S. Franciscum in nivibus, ut castitatem intemeratam custodirent.

5. Quae causa vero est, fratres dilectissimi, teporis seu remissionis quam religiosus interdum sentit ? Prima esse potest nimia securitas ; sunt etenim non nulli qui ita securi sunt in pelago huius mundi, atque si portum iam obtinuissent. Est porro haec securitas temeraria nimis, ut est eorum qui saeviente bello solliciti sunt de triumpho. Dicitur vero (1) : *Ne glorietur accinctus aeque ut discinctus ;* atqui in hac vita quae tota tentatio est, ut ait Iob (2) et Augustinus (3) : « Nemo securus esse debet ». Nulla securitas est vicino serpente dormire, ut ait Hieronymus epistola quadam (4). Qui ita securi sunt, facile a diabolo vincuntur. Timor, virtutum custos est optimus ; securitas, ad lapsum facilis, ut ait Hieronymus, et dicit sacra scriptura (5) : *Beatus homo qui semper est pavidus.* Haec securitas est eorum qui pericula futura non praevident ; de quibus Iob dicit : *Domus eorum* (impiorum) *securae sunt et pacatae, et non est virga Dei super illos* (6). *Ducunt in bonis dies suos* (7) ; *Viri mali non cogitant iudicium* (8) ; et : *Quia non profertur cito contra malos sententia, absque timore* (Dei) *ullo filii hominum perpetrant mala* (6).

(a) *ut pen. et altius prog.* B. Post vocum *rubiginem* deest interpunctio in B.

(1) 3. Reg. 20, 11. (2) Job. 7, 1. (3) S. Augustin. PL. t. 32 Conf. l. 10, c. 32. col. 799 (4) S. Hieron. PL. t. 22 Epist. 22 ad Eust. n. 3. col. 395. (5) Prov. 28, 14. (6) Iob. 21. 9. (7) Iob. 21, 13. (8) Prov. 28, 5. (9) Eccle. 8, 11.

D. Bernardus (1) deplorat quod tot serpentibus vicinis perniciosa securitate et neglegentia dormitemus.Gregorius in cap.29 Iob (2): Saepe multis grave periculum incauta securitas attulit (Vide locum). *Statue tibi speculam, pone tibi amaritudines* (3). *Unius cuiusque ensis super femur suum propter timores nocturnos* (4), id est, tentationes occultas. Ensis est custodia vigilans, et quidem super femur, quia carnis illecebrae sentiuntur et excitant.

Gregorius (5) ibidem cap. 4 : « Sancti viri sic de spe certi sunt ut tamen semper de tentatione sint solliciti, ut quibus dicitur (6) : *Servite Domino in timore et exsultate ei cum tremore*, ut et de spe exsultatio et de suspicione nascatur tremor. » Item (7) *Laetetur cor meum ut timeat nomen tuum*. Non dicitur ut securus sit, sed ut timeat. De Paulo Christus dixerat Ananiae (8) : *Vas electionis est mihi iste*. Iam ad tertium caelum raptus fuerat ; adhuc tamen timidus dicit (9) : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*. « Ecce arridenti sibi divinae gratiae iam credit et confidit per spem, necdum tamen credit per securitatem ». Vide Gregorium in cap. 29 Iob. cap.5. Item cap. 38, 39 et 40 (10).

6. Secunda causa remissionis esse potest neglegentiae vitium, quod abiciendum docet Ieremias (11) : *Maledictus qui facit opus Dei fraudulenter ;* solet etenim qui aliquam pietatis aut sui officii curam habet,tristitiam concipere quando cernit se non esse progressum in spiritu quo usque poterat. Sicuti ille qui adverso flumine navigat, si navigium non impellit continenter, sed cursum navigationis dormitando vel garriendo interrumpit, brevi tempore videt eos quos aequarat longissime esse progressos, se vero contra regressum esse longius ; inde tristatur, agnoscens ignaviam. Similiter qui currum equo trahit in altum montem, si paululum quiescat et equum non urgeat, agnoscit se relabi inferius : oportuit enim semper urgere equum, si volebat ad summum montis verticem pertingere. Movere autem nos debet diligentia eorum, qui curant ea quae pertinent ad honores capessendos, ad commoda familiae, ad augendam rem domesticam, vel denique ad placendum alicui principi mortali. Est quippe magnae socordiae et inverecundiae minus diligenter nos agere coram Deo et angelis ad comparandas virtutes et immortalitatem, quam illos ad comparanda bona temporalia.

Tria porro impedire possunt conatus et studii assiduitatem. Primum,

(1) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 2 de S. Andr. col. 512 a. (2) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. l. 20, cap. 3, n.8 c. col. 139 c. (3) Ierem. 31, 21. (4) Cant. 3, 8. (5) S. Gregor. l. c. col. 140 a. (6) Psalm. 2, 11. (7) Psalm. 85, 11 (8) Act. 9, 15. (9) 1. Cor. 9. 27. (10) S. Gregor. l. c. n. 9 c. col. 140. (11) Ierem. 48, 10.

praecipitatio seu festinatio nimia ; nullum enim violentum, ut vulgo dicitur, est perpetuum. Secundum, curiositas, quae vult videre omnia praesentia, etiam[a] quae sequuntur. Contra haec duo remedium est, animo frenum inicere, nec permittere ut vagetur, sed ut incumbat officio et rei praesenti. Oculus mentis semper nova cernere appetit, sicut et oculus corporis ; quare modus illi ponendus est. Tertium, fatigatio nimia ; unde bonum est, cum aliquis se sentit orando vel studendo fatigari circa aliquam materiam, ut quiescat, sed post quietem ad eandem materiam redeat.

7. Tertia causa remissionis nostrae esse potest, quod nimium nos aliquando effundamus in recreationes vanas et inutiles, quod facere minime debemus. Non enim in vanum accepimus animas nostras, quas tanti fecit Dominus, qui eas sanguine unigeniti filii sui mercatus est. Ezechiel vidit (1) animalia quattuor, quae ibant quo spiritus ferebat ea, nec retrorsum se convertebant. Certe, qui de nobis proni sunt ad cachinnos et ad vana colloquia, quod minime decet religiosos viros, non diriguntur a spiritu Dei ; nam qui saepe animo se colligunt, disciplinaeque sunt amantes et studiosi, non ita se effundunt quo sui appetitus et passiones eos trahunt. Ideo gustum spiritualem quem retinent, fovent et promovent, in omnique loco et officio sibi semper cavent, suntque sibi semper praesentes et gaudent semper in Domino ; illi contra tristitia afficiuntur, dum vident se non promovere, nec rerum caelestium et divinarum gustum habere.

8. Nec possunt hanc suam miseriam in Deum referre : non enim divina illa bonitas deest cuiquam, si rogetur ; quin solet plus dare quam petamus, et si quid interdum aufert, reddit postea multo amplius quam abstulit ; et si quid promittit, dat amplius quam promittit. Hae sunt Dei proprietates. Exemplum primi habemus in Salomone ; nam Deus provocat Salomonem (2) ut petat ; quando petiit, donavit non tantum quam petiit sapientiam, sed praeterea gloriam et divitias immensas ; et dicitur (3) : *Qui dat omnibus affluenter et non improperat.* De secundo, exemplum habemus in Iob ; nam abstulit illi bona multa, sed reddidit duplicia. De tertio, exemplum est in virga Aaronis : non promiserat Deus quod daret fructum, ipse vero fecit ut daret frondes, gemmas, amygdala. Quin provocat ut petamus (4) : *Petite et accipietis,* et illud (5) : *Quodcumque petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.*

(a) *et ea.* B.

(1) Ezech. 1, 12. (2) 3 Reg. 3, 5 sqq. (3) Iac. 1, 5. (4) Ioan. 16, 24 ; Luc. 11, 9. (5) Ioann. 14, 13.

9. Status noster, Fratres mei, status est paenitentiae et perfectionis. Oportet ergo nos abicere omnia quae utrumque impediunt ; nam qui profitetur artem aliquam, et officinam habet apertam, indicat se eam exercere, et si illa neglecta alia omnia agat, ab omnibus reprehenditur ; sic qui suo statu et professione fatetur se paenitere, in imperfectionibus tamen perseverat, damnatur : Si rogaverit te, inquit sapiens (1), inimicus tuus grandi voce, *Ne credideris ei, quoniam septem nequitiae sunt in corde illius ;* et ibidem (2) : *Sicut canis, qui revertitur ad vomitum suum,* et hoc ipso odibilis fit, sic homo reversus ad imperfectiones et vitia sua. Debemus ergo declinare ea quae nos ad vitia et imperfectiones inducunt, licet parva videantur. Ad nuptias, frater mi, Dominus te invitavit ; ne ingratum te praebeas, sed veste nuptiali induere, ut cum ipso collaeteris, et non tamquam contemptor audias (3) : *Amice, quomodo huc intrasti non habens vestem nuptialem* ? Dum autem vestem nuptialem audis, ne de vestimentis laneis id accipias, sed de bonis operibus et de studio disciplinae. Qui disciplinae sunt studiosi et collecti, interiorique homini attendunt, parce loquuntur, in incessu et gestu sunt graves et decorum ubique religiosum servant.

10. Licet vero exterius ob mortificationem humilitatemque videantur nihil esse et despicabiles, sunt tamen similes spicis et aristis aridis, quae plenae sunt pulcherrimo et copioso fructu. Meminerimus nomenclaturae nostrae ; ut enim Augustinus de vera religione (4) scriptum nobis reliquit, sic et S. Antoninus in tertia parte summae suae, ac Lactantius (5) dicunt : religionem dici a religando ; vel ut Augustinus lib. de Civit. ait (6) : Religionem deduci a reeligendo, quasi iterum ac de novo reeligamus Deum, a quo averteramus nos per peccatum seu distractiones. Quam sententiam D. Thomas sequitur (7). Ad hanc reelectionem optime et viriliter faciendam nos invitant regulae nostrae et exercitia omnia nostra, et ad excutiendum omnem amorem inordinatum creaturarum, quae impediunt amorem Dei. Vult autem Deus a nobis amari ex toto corde, ex tota anima et ex tota fortitudine nostra (8) ; ad ipsum ergo debent semper actiones nostrae collimare, et sagittae cogitationum, sermonum et actionum nostrarum tamquam ad scopum dirigi.

11. Non sequitur tamen quod debeamus ob curam et studium recollectionis fugere officia et ministeria caritatis erga proximos nostros, vel officia

(1) Prov. 26, 25. (2) Prov. 26, 11. (3) Matth. 22, 12. (4) S. August. PL. t. 34. col. 171. nº III extr. et col. 172. n. 113 in. (5) Lact. PL. t. 6. col. 536 A. (6) S. August. PL. t. 41. col. 280 extr. ; Cfr. t. 32. col. 605. n. 9. (7) S. Thom. 2. 2ae q. 81. art. 1 c. Utramque etym. approbat. (8) Cfr. Deut. 6, 5 ; Matth. 22, 37.

domestica quae nobis ab oboedientia imponuntur, sed utrumque praestare suo tempore et loco debemus. Sic faciebat S. Ioannes Baptista ex eremo et solitudine ad palatium Herodis progrediens ; quin et Christus ipse, qui semper erat collectus et beatus, ut nos exemplo suo doceret, modo in oratione versabatur, modo saluti animarum vacabat ; et P. N. G. modernus Aquaviva, cum sit valde spiritualis et collectus, quotannis tamen saltem semel vacat exercitiis spiritualibus. Exercitia quippe sunt ut aula caeli, ubi Deus cum amicis suis familiariter tractat, eosque donis suis caelestibus locupletat. Dicitur animae devotae (1) : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.*

Sic affectus religiosus,nec a se ipso nec a disciplinae studio recedit, licet pluribus vacet officiis. Sicut sol, quamvis mutet signa in zodiaco et omnia eius loca pervadat, non tamen abstinet ab effundenda luce sua ad mortales omnes : ita,inquam, religiosus Societatis bene in se compositus, licet mutet loca, officia, studia, cum variis tractet, non ideo tamen perdit de suo spiritu et ardore, nec minus aedificat discurrendo, sed in omnibus locis lucem praebet atque aedificat.

Hanc voluntatem colloquia sancta excitare et augere debent ; item bona exempla, quae in fratribus videmus ; lectio item piorum librorum et officiorum humilium devota exercitatio. Simul igitur conspiremus, fratres, in disciplinae et constitutionum observationem ; pariter victoriam de adversario nostro reportemus ; sanctos angelos qui nos spectant laetificemus ; proximos nostros et eos qui de nobis audiunt, aedificemus ; faciamus ut hoc collegium nostrum paradisus sit refertus fructibus laetitiae et virtutum floribus ; nam sic Deo vere serviemus et eum colemus. Quod largiatur gratiae auctor Deus.

18ª Exhortatio

De sanctimonia ad quam vocamur

1. In hodierna exhortatione, Deo propitio, tractabimus, fratres mei carissimi, de sanctimonia ad quam vocamur. Et primo quidem ostendemus quid sit sanctimonia, deinde quibus mediis eam possimus

(1) Osee. 2, 14.

nobis comparare. Deus ergo non tantum desiderat ut boni aliquo modo simus, sed petit ut quam proxime accedamus ad ipsius similitudinem. Si enim recte de officio nostro iudicamus, nullum studium debet nobis magis esse cordi, quam ut conemur ad primigeniam dignitatem nostram nos revocare, hoc est, ad Dei similitudinem, quam per peccata vitae anteactae deformavimus. Similitudinem ergo Dei, quam amisimus ab eo qui vita nostra est nos seiungendo [a], studeamus recuperare, et eius nos imaginis specie exornare [b], vitae sanctimoniam ad quam vocamur induendo[c] : *Sancti estote*, inquit Deus (1), *quia ego sanctus sum.* Deus enim desiderat ut sancti simus, et *serviamus illi in sanctitate et iustitia coram ipso, omnibus diebus nostris* (2) ; et Apostolus dicit (3), nos *vocatos a Deo ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate.* Idem dicitur Psalmo 85 et 1ª Corinth. 6.

2. Nihil ergo, fratres, nobis est convenientius, immo magis necessarium, quam ut iugiter meditemur rationes eo perveniendi quo vocamur. Atque utinam is essem qui de thesauro cordis ea haurire possem, quibus vobis viam rectam et compendiosam ostenderem. Sed illam habemus certam et manifestam in constitutionibus et regulis nostris, si ad eas animum serio accommodemus.

Hoc vocabulum « sanctum » iuxta propriam significationem et etymologiam suam, idem est quod firmum, ratum, firmiter constitutum seu confirmatum ac denique consecratum. Sed usus obtinuit, tempore procedente, ut quod antiquis sanctum erat paulo generalius, restrictum sit postea ad homines qui haberent insignem aliquam puritatem, integritatem vel excellentiam, et haec ratio appellationis attributa est pontificibus, imperatoribus, regibus. Hodie vero in Ecclesia, restricta magis significatione, sanctitas proprie tribuitur eis qui perfecta et consummata sanctitate in beatitudine caelesti perfruuntur, quae tantae excellentiae et perfectionis est, ut alio vocabulo non potuerit apte significari. Haec porro consistit in beata visione Dei.

Sed de hac hodie nobis non erit sermo, nisi quatenus sanctitudo a Deo ad nos derivatur. Nam quia Deo nihil est nobilius, nihil altius, nihil excellentius, ideo iure optimo ipse solus sanctus est, sicut *solus potens, solus bonus* et *solus immortalitatem habens* ab Ecclesia dicitur (4) ; quia hoc habet a natura sua et a se ipso, non participatione nec ab alio, et quia ipsius sanctitas fons est et causa omnis alterius sanctitatis et perfectionis,

(a) *et ab... nos seiunximus, ad eius gratiam redire studeamus.* B. (b) *exornemus.* B. (c) *induentes.* B.

(1) Levit. 11, 44. (2) Luc. 1, 74. 75. (3) Eph. 1, 4. (4) 1 Tim. 6, 15-16 ; Luc. 18, 19

adeo ut nulla omnino res perfecta sit, immo nec bona, nisi quatenus de ipsius bonitate perfectioneque participat, nihil sanctum, nisi quatenus ipsius sanctitati[a] communicat.

3. Quod cum ita sit, et neminem a se bene dispositum repellat, quo propius quispiam ei adiungitur, hoc abundantius recipit de sanctitate ipsius, magisque perficitur. Christus autem Dominus, Deus et homo, sanctus sanctorum est, et sanctus sanctificans, a quo et per quem omnis sanctitas in mortales derivatur. Spiritus sanctus vero unctio est, et qui sanctitatis et perfectionis dona in nos effundit per Christum, infinito suo amore, in vasa quae munda et bene praeparata invenit ; unde qui eiusmodi sunt, sancti efficiuntur et dicuntur. Haec enim unctio et sanctitas seu perfectio, creaturam cum creatore felicissime coniungit, et sponsam cum sponso caelesti, et imaginem cum eo qui ipsam impressit ad sui similitudinem.

His donis, hac sanctitate pollutus purgatur, immundus abluitur, ater supra nivem candescit, advena inter domesticos censetur, peregrinus fit domesticus, fragilis roboratur, humilis et abiectus sedet ad dexteram Dei per Christum et cum Christo, ut sit admirabilis Deus in sanctis suis.

4. Recolite, fratres mei, ac vobis ob oculos mentis ponite leprosos illos, qui Christo Domino occurrerunt et verbo ipsius mundati sunt (1) ; item aegros languidos, ulcerosos, claudos, tristes et afflictos, paulo post factos Dei misericordia et benignitate mundos, vegetos, pulchros, laetos et iucundos, et considerate similiter fieri in vobis per sanctitatem, quam Deus largitur, vos inquam mundatos esse, a servitute peccati liberatos mira pulchritudine exornari, et de languidis robustos et vegetos esse factos, depulsa peccati turpitudine et veterno, miro decore vos esse donatos ; fortitudinem vobis esse concessam ad hostem vincendum et propulsandum, non vestra virtute sed divina. Ita est, ita est plane, bone Iesu : haec omnia abs te omnis boni fonte accepimus, et tota virtus nostra abs te est, et maiora bona de tua larga manu acciperemus cotidie, si dispositi essemus et vocem tuam audiremus.

5. Iam audivistis, fratres dilectissimi, quid sit sanctitas et per quem ad nos veniat ; nunc videamus quomodo nos disponere ad eam recipiendam debeamus. Non infunditur igitur a Deo cordibus impuris et peccati maculis defoedatis. Maximum porro beneficium est[b] ut[c] vocati fuerimus

(a) *de ipsius sanctitate.* B. (b) *quod accepimus a Deo.* add. B. (c) *ne* (vel *nos*) supra-scripsit alia manus in A, loco *quod.*

(1) Luc. 17, 12 sqq.

a Deo in hanc benedictam Societatem, et quod huc usque divina illa bonitas nos conservaverit, et per patres nostros spirituales ut in virtute proficeremus et proximos ad salutem iuvaremus nos direxerit. Nam his legibus quas nobis praescripsit, adiumentis pluribus quae contulit et continenter confert, nos et corda nostra ita disponit et sui amoris igne accendit, ut non solum bona[a] appetamus et eius gratia consequamur, sed ut et proximos nostros ad ipsum adducamus.

Hinc est, fratres mei, quod alios concedere videamus in Indias, alios provincias haeresi infectas petere, alios inter peccatores alacriter versari, ut errantes animas suis laboribus et sudoribus ad Christum adducant, qui eas pretioso suo sanguine redemit et in libertatem asseruit.

Meminerimus illud heroicum factum B. P. N., qui, ut quendam sibi notum et familiarem, quem a peccatis frustra saepe conatus fuerat revocare, quomodo, inquam, ut ipsum a caeno luxuriae cui immersus erat extraheret, aquae profundae media hieme se immerserit, ut homo pertransiens et B. P. verbis acclamantis excitatus ad se converteretur ; intellegens ipsius B. P. verbis sibi fuisse propositum ex lacu congelato non exire, donec promitteret se vitam in melius commutaturum.

Ergo, frater mi, B. P. imitare, ac zelum salutis animarum concipe, et ut te magis ac magis ad gratiam disponas, quandocumque tu solem vides, vides autem cotidie[b], tu verum solem spectato et[c] quaerito, animamque tuam ac conversationem inspicito, num verum lumen sequaris et in eo ambules : quoniam ab his quae foris apparent, discimus alia bona esse[d], quae quaerere debemus et homo intus latens[e] appetere. Non enim venit Iesus ut nobis gratiam aliquam daret, sed ut gratiae plenitudinem, et quantam in hac mortalitate capere possumus, conferret.

6. Noli ergo esse ignavus et timidus, sed quaere, pulsa et pete diligenter ; nam religiosi licet peccatis mortalibus careant, esse tamen caritas perfecta in eis nequit, quando animae eorum venialibus et imperfectionibus commaculatae sunt, quando amore proprio polluuntur ; nam ubi amor proprius pectus alicuius obsidet, non esse potest in eo perfecta sanitas et sanctimonia.

Est enim ille imperfectionum omnium vitiorumque origo, virtutum venenum, hamus diaboli ; is laxat caritatis vinculum, seminat inter fratres discordias, facile murmurat, facile iram accendit, verbis asperioribus fratrem laedit, absque scrupulo existimationem aliorum elevat,

(a) *ut non tantum nos bona.* B. (b) *quem cotidie videmus.* B. (c) *sp. et.* om. B. (d) *app. al. bo. sunt.* B. (e) *debet.* add. B. Sic sententiam intellege : Sunt bona quae foris apparent... bonum vero quod intus latet homo debet appetere.

tardus est ad oboediendum, pronus ad contentiones et decertationes, amat otium et colloquia inutilia, fugit labores, respuit humilitatis officia, quaerit quae sua sunt. Hydrae huius, fratres, caput amputemus, locum apud nos non inveniat vel minimum. Qui se non humiliat in oculis suis, qui se non despicit, qui amat aestimari et laudari ab hominibus[a], certum argumentum habet, quod ab hoc amore proprio occupetur, et quod lateat anguis pestifer in suo pectore.

Non ignoro tamen voluntatem nostram non posse esse amore vacuam : id repugnat naturae humanae ; neque tam durus sum ut omnem amorem proprium condemnem : amare nos ipsi possumus, sed secundum Deum et ut amor nostri obsequatur semper divinae voluntati atque ad eam ordinetur. Laborandum quidem est, ut ita subordinetur semper ; sed usu et studio continuo facilius negotium[b] redditur, licet sit[c] in oculis nostris et iudicio nostro difficillimum. Et quam virtutem consequi possumus sine difficultate ? Si remissiores sumus, facile decipimur ; si minus sinceri et simplices, facile pervertimur, sicuti vinum aqua mixtum, quod facile acescit nec in pretio amplius est. Non facetiis[d] ergo, fratres mei, nobis vacandum est ; non verborum quamvis bonorum copia gaudendum, non tropis figurisve verborum frequentibus attendendum ; nam licet non omnino ex se mala sint[e], ingerunt tamen multiloquia, et licet non noceant aliis, non prosunt tamen nobis.

7. Non erit nobis neglegentibus excusatio, sicuti neque agricolae agrum suum neglegenter colenti. Diligentiam in terra animae nostrae colenda[f] adhibere debemus, ne sinamus eam per otium silvescere, et otiosi iudicemur, sicuti ille, qui cum unum talentum accepisset, illud quia non exercuit a domino condemnatus est. Quod neglegenti illi atque torpenti evenit et nobis sane eveniet, nec parcet inutilibus servis Dominus. Parva vitia neglegentia et torpore grandescunt et animae multum officiunt : potest culex minimus vini saporem corrumpere ; res nullius momenti saepe magnorum malorum causa efficitur, et ex parva neglegentia magna et incurabilia fiunt ulcera.

Sed forsitan[g] aliquis ex nobis agitat animo, quomodo possit hanc animi alacritatem ac voluntatis ardorem assequi, et quare tam necessarius esse putatur. Respondeo nullam viam et rationem esse efficaciorem oratione ; eam ergo alacritatem ab eo petere oportet, qui dixit (1) : *Petite et accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.*

(a) *apud homines.* B. (b) om. B. (c) *quod est.* B. (d) *ridiculis.* B. (e) *nam si haec n. o. m. sunt.* B. (f) *terrae animae colendae.* B. (g) *forsan.* B.

(1) Ioann. 16, 24.

Quod ad alterum attinet, dicunt pii doctores ac pietatis cultores, nulla via et ratione celerius ad culmen perfectionis perveniri, quam hac animi alacritate et spiritus fervore ; et aliquem unius anni spatio in virtutis studio cum fervore plus proficere, quam multis annis et toto vitae decursu eos qui lento gradu procedunt. Caritas, ut docet D. Thomas (1), in qua vitae christianae summa consistit, non remissis actibus, sed vehementioribus et ardentioribus augetur et intenditur, quod in habitibus (2), qui usu et exercitatione parantur est manifestum ; quem ad modum si quis oscitanter et lento studio discat scribere, vix umquam bene addiscet ; contra vero, qui curam et studium magnum adhibet.

8. Quod igitur in habitibus studio acquisitis contingit, idem etiam in caritatis habitu augendo evenire S. Thomas asserit (3), non quidem hic efficienter, sed meritorie (4), ut theologi loquuntur. Haec igitur causa est, fratres mei, cur multi e nobis, qui exercitia orationis et humilitatis, pias ad Deum aspirationes et eiaculationes oscitanter et languide exercent, parum proficiant, et idem in eis languor animae, eadem levitas, eaedem passiones, eadem mentis ariditas resideat, et diu porro residebit, nisi alacriter se excitent, et maiori cum ardore ad sacra mysteria accedant. Utinam, fratres, nos sic essemus cupidi gratiae spiritualis, sicut seculares honoris huius mundi. Valde nos pudere debet, quod ardentius illi perniciosa quaerant quam nos utilia, et citius illi ad mortem properent quam nos ad vitam. Dei autem mos est, ut talem se hominibus exhibeat, quales se illi homines exhibere solent. Sic enim dicit Propheta (5) : *Cum sancto sanctus eris,... cum perverso perverteris,* id est, exhibebis te acrem et acerbum remissis et neglegentibus ; qui autem magno studio et fervore Deum quaerit, bonum eum et paratum ac liberalem invenit, magna quoque ab eo auxilia et beneficia accipit, magnis divinae lucis radiis illustratur.

Magnas vero nec non et maximas gratias agere debemus de saluberrimo dono vocationis, quod nobis impertivit, quo praesertim tempore mundus in maligno positus totus fere peribat, quod nos eripere dignatus sit de mundi huius naufragio, et per vos, carissimi fratres, complures animas ad meliorem frugem reducere. Possumus cum patriarcha Iacob exclamare (6) : Vere *castra Dei sunt haec ;* vere sunt hic tabernacula Iacob ; vere hic civitas fortis et munita, in qua frater a fratre iuvatur. Humiliemus animas nostras coram Domino, ut nos augeat ; nos vero

(1) Thom. 2. 2ae q. 24. a. 6. c. (2) id. 1. 2ae q. 52. a. 3. c. (3) id. 2. 2ae. q. 24. a. 4 ad 3. (4) id. 2. 2ae. q. 24. a. 2. c. (5) Psalm. 17, 26. (6) Genes. 32, 2. Cfr. Num. 24, 5 et Prov. 18, 19.

veluti cotidie initia iacientes, componamus cogitationes nostras, ut ait S. Ephraem ; sic enim et robustiores et paratiores erimus.

9. Ut vero maiorem consequamur a Domino gratiam et sanctimoniam[a], perfectionem avide expetamus, et omnem navemus[b] operam ut virtutem omnem acquiramus, non solum in proprio suo obiecto, sed quod maxime decet Societatis alumnos, etiam quando obiectum incidit contrarium, quod etsi difficile est, est tamen Societati plerumque necessarium. Nam despicere honores quando vilem quispiam gestat habitum, temperantem esse quando non offeruntur nisi asperi et vulgares cibi, non admodum difficile est, nec magna elucet ibi virtus, nec insignis vitae sanctimonia ; at inter honores et principum gratiam, inter laudes, quae ab eis et ab aulicis deferuntur, se conservare humilem, et in mensis lautis et inter delicias esse sobrium ac temperantem, illud insignis est virtutis. Sic de silentio, de patientia, de zelo et de aliis virtutibus, quas Societas studiose consectatur ; quod in aliis religionibus non ita crebro evenit, quia illae non habent tam multas occasiones ex instituto sic exercendi virtutem omnem : quia praecipue et peculiariter aliquas ex instituto suo colunt, etsi omnes habere studeant.

10. Unus quisque de Societate debet cum Apostolo ridere cum ridentibus, flere cum flentibus (1), *abundare et penuriam pati ;* et (2) : *Exhibeamus nosmet ipsos sicut Dei ministros... per arma iustitiae a dextris et a sinistris ;* nostra siquidem conversatio sese effundit pro rei exigentia ad omnium hominum condiciones, ad quaevis negotia spiritualia quovis tempore et loco.

Debemus praeterea petere a Deo magnum et apostolicum spiritum, magnam gratiae copiam, magnam carnis ac passionum mortificationem ; magnam et ardentem caritatem exercere frequentemque orationem adhibere, alioquin, talibus occasionibus tam frequenter contingentibus, adiremus vel conscientiae vel alterius de extremis periculum, nimirum nimiae contractionis vel morositatis, quae proximos offenderet et alienaret ; vel nimiae libertatis et licentiae, non utendo libertate spiritus cum discretione, sed prodentes levitatem saecularem, quae offenderet et gratiam ac meritum exstingueret. Haec ratio agendi temperata prudentia et bono spiritu continet imitationem Christi et apostolorum eius, et hanc nobis tradidit B. P. N.

(a) *quod saepe audivimus.* add. B. (b) *expetere debemus et om. navare.* B.

(1) Phil. 4, 12. (2) 2 Cor. 6, 4 sqq.

Ut hanc gratiam a Deo obtineamus, primo, frequens adhiberi debet a nobis oratio, quia a nobis tamquam ex nobis nihil boni prodire potest. Secundo, crebrae agendae sunt Deo gratiae de tanto vocationis beneficio, illudque saepe magnificare in conspectu eius : *Magnificate Dominum mecum*, ait psalmista (1), *semper laus eius in ore meo*. Item (2) : *Benedic, anima mea Domino, et noli oblivisci omnes retributiones eius*. Oblivio siquidem huiusmodi ex ingratitudine proficiscitur, quae valde displicet Deo. Tertio, cogitandum est de die, et quidem saepius, quid possimus agere unde Deo magis placeamus, eique magis perfecte[a] serviamus. Proinde continenter concipiamus zelum honoris eius et salutis animarum. Quod nobis concedat Dominus, auctor omnis boni.

19ª Exhortatio

De donatione et oblatione sui, quam facit Deo religiosus

1. Vocabulum religionis, fratres dilectissimi, ut aliquando insinuavimus, denotat virtutem quae vinculis caritatis nos cum Deo ligat, ut ei reddamus cultum, servitium et observantiam debitam. Nam per religionis professionem, sacrificium et oblationem nostri Deo facimus salutari nostro, iuxta illud psalmi (3) : *Venite, adoremus et procidamus ante Deum.... qui fecit nos, quia ipse est Dominus Deus noster, nos autem populus eius, et oves pascuae eius*. Per religionem siquidem quandam vivendi rationem intellegimus peculiari modo, strictioreque obligatione dicatam Deo, ad ipsi serviendum perpetuo, sub certis regulis et legibus in operibus caritatis, ut fecerunt apostoli dicentes (4) : *Ecce nos reliquimus omnia et secuti sumus te ;* nam sequi Christum est ipsi se conformare in caritatis operibus in Deum vel proximum ordinatis[b]. Esse ergo religiosum denotat hominem peculiariter Deo dicatum et obligatum ad maius eius servitium et cultum, quam communiter obligentur ceteri christiani. Item cum obligatione peculiari ad certa opera caritatis, sub certis et peculiaribus

(a) add. B. (b) *relatis*. B.

(1) Psalm. 33, 2, 4. (2) Psalm. 102, 2. (3) Psalm. 94, 1. ad Matut. (4) Matth. 19, 27.

disciplinae legibus, cum renuntiatione operum et actionum omnium aliarum quae impedimento illi esse queant.

Dono nos ipsos Deo obtulimus et donavimus[a], neque amplius corporis nostri et iudicii voluntatisque habemus potestatem, ut habet D. Basilius (1) opusculo de institutione vitae perfectae : quomodo amittimus et quomodo recuperamus imaginem Dei, etc.; item, de vera virginitate (2): quo pacto semel Deo dicatum profanare non liceat. — Item, in oratione de virginitate, valde pulchre D. Ephraem (3). — Chrysostomus ad Theodorum lapsum, (4); Ambrosius ad virginem lapsam (5) ; Augustinus ad Paulinam (6), ubi pulcherrime hoc argumentum tractat.

2. In his notamus duo praecipua : 1° Quod res Deo consecratae debent esse in magna reverentia, nec debent revocari ad usus profanos et communes, ut patet in Balthazare rege (7), qui graviter punitus fuit a Deo ob vasa ab avo suo Nabuchodonosore ex templo Hierosolymitano ablata et in convivio profanata, provocante ex eis bibere viros aeque ac mulieres aulae suae nec non et concubinas, cum fuissent antea, ut esse debuerant, habita semper in honore, et profanari manifeste prohibitum fuisset (8).

2° Perseverantiam in Dei servitio ; nam qui Deo sunt dicati, nequeunt ad usum communem revocari, quem ad modum nec vasa illa sacra Deo dicata ; alioqui Deus vehementer[b] offenditur et punit graviter, sicuti punivit Balthazaris temeritatem et audaciam. Commendant vero multa constantiam et perseverantiam : 1° Sacrae scripturae auctoritas (9) : *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat ;* et Apocalypsis (10) : *Id quod habetis, tenete.* — 2° Promissio quae fit perseverantibus (11) : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* ; et : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (12). — 3° Comminatio quae fit contra inconstantes, scilicet quod auferetur illis corona (13) : *Tene quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam.* — 4° Exemplum Dei ipsius (14) : *Complevit Deus opus suum quod fecerat.* Item exemplum Christi (15) : *Opus consummavi, quod dedisti mihi ut faciam.* Item exempla Sanctorum : Iob. 27, 3-6 ; D. Pauli : 2 Tim.

(a) *et d.* om. B. (b) *graviter.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Serm. asc. col. 870. 871, n. 2 d. (2) Id. t. 30 de Virg. n. 41. col. 750, et n. 59. col. 790 b. (3) S. Ephraem, tom. 2 de Virt. Adhort. 1. p. 281 c. d. et Schol. ult. p. 283 d. e. ubi reliqua hic allata invenies. (4) S. Chrysost. PG. t. 47 Paraen. 2 ad Theodorum lapsum, n. 3. col. 312 m. (5) S. Ambros. PL. t. 16 ad Virg. lapsam. n. 48. col. 382. (6) S. August. PL. t. 33 Epist. 127 ad Arment. col. 486, 6 et 487, 8. (7) Daniel. 5. (8) Levit. 27. (9) 1. Cor. 7, 20 ; Iudic. 18 (de quinque viris... v. 9). (10) Apoc. 2, 25. (11) Apoc. 2, 10 ; Rom. 11, 22. (12) Matth. 10, 22 ; 24, 13. (13) Apoc. 3, 11. (14) Gen. 2, 2. (15) Ioann. 17, 4.

4, 7 ; Act. 20, 24. — 5° Bona quae acquisivit, custodit perseverantia, sicuti perdit inconstantia. Similis etenim est ei qui aedificat per aliquot dies, postea vero destruit omnia et evertit quae fecit ; et sicut miles, qui servivit duci suo multos menses, ac tandem per inconstantiam fugit. — 6° Quae dura et difficilia fuerunt, usu et consuetudine fiunt suaviora et facilia, adeo ut mancipia ipsa, tempore procedente, parvi faciant servitutem suam, et remiges[a] plerique vincula sua et compedes. — 7° Perseverantia ipsa est una quae coronat (1) : *Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit ;* et : *Perseverans in cursu accipit bravium* (2).

3. Tria vota essentialia paupertatis, castitatis et oboedientiae religionem quidem constituunt ; sed alia sunt tria consequentia omnino necessaria. Primum, peculiaris quaedam donatio et oblatio atque devinctio sui Deo. Secundum, totalis renuntiatio omnium quae impedimento esse possunt religiosae perfectioni. Tertium, exercitatio perpetua in virtutibus quae ducunt ad perfectionem, vel eam augent.

Ex hac peculiari donatione et oblatione seu dedicatione quam facit religiosus Deo suae personae, sui esse, suae facultatis, sui posse, sui scire et sapere, suae voluntatis et iudicii et bonorum omnium temporalium, sequitur quod ipse omnino transeat in dominium et peculium Dei. Hinc D. Gregorius (3) super Ezechielem hom. 20ª dicit de religioso fieri non sacrificium simplex aut quodlibet, sed holocaustum, quando vota sua edit Deo.

Quod olim S. David fecisse videtur firmo proposito : *Anima,* inquit (4), *mea illi vivet, et semen meum serviet ipsi,* id est, tota vita mea et omnia quae ad me pertinent, meaeque actiones omnes. Sic Anna (5) dedicavit filium suum Samuelem servitio arcae et tabernaculi, remansitque perpetuo in Dei servitio ; sicuti calix consecratus non debet amplius adhiberi profanis usibus. Populus Israeliticus in structuram templi libere obtulit quod voluit, sed oblatum mansit templo, neque retrahi potuit ab eo qui obtulerat : ita religiosus sic se Dei servitio in perpetuum mancipat et obligat suis votis, ut nulla re tamquam sua postea uti valeat. Est proinde religiosus debitor Deo plus quam alii christiani, ut dictum est, quia obligatur ad praecepta et consilia. Haec vero media sunt ad melius illa servanda.

4. Duae porro utilitates resultant atque proveniunt religioso ex hac sui consecratione : prior est, quod inde sit Deo magis obligatus et, ut ita

(a) *coacti*. add. B.

(1) Matth. 10, 22. (2) 1 Cor. 9, 24. (3) S. Gregor. PL. t. 76 in Ezech. hom. 8, n. 15. col. 1036 et n. 16. col. 1037. (4) Psalm. 21, 31. (5) 1. Reg. 2.

loquar, necessitatus ad ei serviendum. Verum, ut ait Augustinus (1), « Felix necessitas quae ad meliora compellit » ; si servire proinde Deo maior est illi necessitas, maior consequenter et felicitas. Sic videmus Deum ipsum quodam modo fecisse nobiscum et cum genere humano ; nam licet summa sit et increata essentialisque veritas, neque fallere quemquam possit, voluit tamen adhibere verbis et promissis suis iusiurandum. Quod notavit D. Apostolus dicens (2) : *In quo abundantius volens Deus ostendere pollicitationis heredibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum.*

Ita nos, carissimi, obtulimus nos quidem primum Deo firmo proposito et voluntate ipsi serviendi in perpetuum ; adhibuimus nihilo minus praeterea votum, ut firmior esset promissio et obligatio nostra, voluntasque nostra magis stabiliretur in futurum. Gabelus, qui debitor erat Tobiae (3), vir integrae fidei et probitatis erat, obligatusque Tobiae ad restituendum debitum et pecuniam acceptam ; ipse tamen non contentus sua verbali obligatione, adiunxit et chirographum, ut firmior esset obligatio : sic religiosus super obligationem serviendi Deo adicit votum. D. Basilius (4) ostendit Deum abhorrere opus religiosi non viventis secundum disciplinam.

5. Quam felices, fratres carissimi, sumus, qui necessitatem hanc induimus Deo serviendi, qui nos in holocaustum Deo obtulimus in odorem suavitatis. Nam quid felicius homini saeculari secundum iudicium humanum contingere potest, quam regi clementissimo in perpetuum servire, et servire quidem in officiis primariis et honorificis ? Quid contra infelicius quam non stare promissis Deo factis, et retrahere ad nos proprium iudicium nostrum et propriam voluntatem, abuti cogitationibus nostris ? Infelix Balthazar rex ille a nobis iudicatur[a] fuisse, quia ut impie egit, sic infelicissime interemptus est.

Rogemus ergo Deum ut donum det constantiae et perseverantiae in proposito. Antiqui, ut videre est Levitici 1, 3 et 9, vitulos, agnos, arietes sine macula in sacrificio Deo offerebant ; nos proprium corpus et animam offeramus absque macula et contagione propriae voluntatis, ne reprobetur sacrificium nostrum. Non serviamus, inquam, Deo oboediamusve superiori pro iudicio, pro voluntate nostra ; nam religiosus, ut ait S. Basilius (5),

a) *iudicatus est.* B.

(1) S. Augustin. PL. t. 33 Epist. 127 ad Paul. n. 8 extr. col. 487. (2) Hebr. 6, 17. (3) Tobiae, 4, 21 et 9, 6. (4) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 29. col. 990-991. (5) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. cap. 23. col. 1410. 1411, et cap. 22, n. 5 b. col. 1410.

pati debet se tractari a superiore sicut instrumentum ad voluntatem artificis, et paratus esse semper debet, sicut illud paratum est.

6. Secunda utilitas quae advenit religioso ex sui donatione seu oblatione est, quod Deus sit illius amantior : *Ego,* inquit (1), *diligentes me diligo ; et qui mane vigilant ad me invenient me.* Ubi notandum est quod non solum amet eos qui ipsum amant, sed quod impensius eos amet a quibus impensius ipse amatur. Quin et magis eius amantes crescunt et promoventur in ipsius servitio ; quae causa est quam ob rem Deus etiam peculiarem curam et providentiam ipsorum gerat, quae cura et favor duplici ratione declaratur : prior est quod manifestat ipsis magis minutim suam voluntatem, modoque insigniore ac certiore ; posterior est, quod succurrat eis copiosius ac maiore gratia ad obsequendum divinae voluntati. In hoc autem consistit totus thesaurus noster, ut nimirum cognoscamus et faciamus Dei voluntatem, quam facientibus Lucae 12° dicit[a] Christus dandum a patre regnum ; *Nolite timere,* inquit (2), *pusillus grex, quia complacuit patri vestro dare vobis regnum.*

7. Licet vero Dei benignitas in nos tanta sit, ut notam faciat nobis voluntatem suam ut amicis, iuxta illud (3) : *Iam non dicam vos servos.... vos autem dixi amicos,* debemus tamen iuxta doctrinam et consilium D. Basilii (4) aestimare nos erga Deum et superiorem, qui eius loco praeest, ut servos et mancipia, non agentes ut qui liberi sunt et qui propriam voluntatem et iudicium retinuerunt. Neque debemus disponere de nostro corpore, eius membris, aliisve rebus quas ad usum habemus, sicuti sensualitas misera nostra vellet ; neque conversari, recreareve nos ad solacium carnis, sed iuxta oboedientiae directionem, sicuti servi et mancipia non habent liberum usum iudicii sui et voluntatis aut corporis, sed totum quod sunt obligatum est domino, et ad eius voluntatem et nutum servire debent ; neque debemus parere superiori ut homini, sed ut Deo, cuius locum tenet et vices repraesentat, et a quo denique auctoritatem habet ; nam Deo nuncupavimus vota nostra, non homini.

Quam ob rem, licet superiorem contingat assignari nobis coquum ipsum, ut quando in culina deservimus, parendum nihilo secius illi nobis est ut Domino ; quia haec est voluntas Dei dicentis per filium (5) : *Qui vos audit, me audit,* quasi dicat : perinde vobis est obsequendum ac si oculis me praesentem videretis et audiretis. Confidite ergo et sequimini ; nam ut

(a) *praecipit.* B.

(1) Prov. 8, 17. (2) Luc. 12, 32. (3) Ioann. 15, 15. (4) Il. modo cc. (5) Luc. 10, 16.

vos non fefelli in ministrandis iis quae vobis necessaria fuerunt vitae vestrae sustentandae, sic, si sequimini superiores, quos vobis constitui directores, continget vobis quod propositum habetis de perfectione assequenda.

Sed ut nemo debet aggredi id quod faciendum recipit viribus suis subnixus, sic nemo debet despondere animo, quamvis id quod mandatur vires superare videatur ; nam potens est Deus opem ferre. Confidenter ergo debemus agere, modo sequamur bona fide oboedientiae directionem ; nam illa praecipua causa est, ex parte hominis, praemii quod a Deo exspectamus, et per Apostolum dicitur (1) : *Oboedite praepositis vestris*.

8. Debemus ergo, fratres mei, hoc nomine quo religiosi sumus, reputare nos Dei mancipia esse ; est enim haec via tutissima. Primo, quia saepe caecutimus ex amore proprio. Quare subicere nos debemus ac pati nos dirigi ab eo qui vices Dei gerit et cui cura est de nobis, permittereque ei ut de nobis iudicet et disponat pro sua sapientia et voluntate, qui non ducitur in mei cura et directione affectibus inordinatis, neque omnino ullis passionibus. Secundo, haec ratio conciliat nobis magnam pacem et serenitatem mentis et spiritus ; est siquidem magnae pacis occasio non sentire aliam voluntatem et desiderium, quam placendi et serviendi Deo. Tertio, est praeterea argumentum boni et modesti animi ita se resignare, ut in omnibus velis et quaeras Dei beneplacitum, et iuxta illud ipsi servire, non secundum propensionem tuam. Nihil itaque utilius est quam ut omnem sollicitudinem nostram proiciamus in Deum et superiorem nostrum, qui eius vices gerit ; et si contingat humilia nobis imponi, gaudere et dicere ut dicebat B. Petrus Faber, dum humilia tractaret : « Dum facio quod mihi imperatum est, aliud non faciam ; elegi abiectus esse in domo Domini. » Quarto, est re ipsa declarare magnam fiduciam in Deo nos habere, quia illud est non dubitare quin ipse nos optime diriget[a] per superiores nostros. Nihil denique est tutius quam recumbere in novissimo loco, quia Deus humilia respicit. Quinto, est etiam ars permagna et laudabile artificium Dei Domini, volentis nimirum ut mereamur et lucremur etiam per ea quae non facimus, dum videlicet habemus voluntatem paratam ad omnem nutum Domini nostri ; sicuti ipse Dominus imputat ad peccatum, voluntatem quam quis habet deliberatam ac paratam ad peccati exsecutionem, licet ad effectum non veniat peccati et operis exterioris.

(a) Sic in utroque cod.

(1) Hebr. 13, 17.

9. Non est enim Deus minus propensus ad benefaciendum nobis quam ad puniendum ; quare debemus superiores multum honorare et colere. Primo, quia Deus ita vult : *Qui vos audit,* ait (1), *me audit ; et qui vos spernit, me spernit.* Accedit vero inde quod Deus superiores honorat titulis honorificis, nam eos in Apostolis, qui populum christianum gubernaturi erant, vocat salem terrae ; *Vos,* inquit (2), *estis sal terrae ;* nam superiores per suam missionem et directionem condiunt actiones nostras et mores. Secundo, conservant a foetore et putredine peccatorum, sicut sal carnes conservat. Tertio, purgant extrahendo malos humores per exhortationes, admonitiones et reprehensiones. Item vocat eos civitatem : *Non potest* inquit (3), *civitas abscondi supra montem posita,* sed ab omnibus videtur. Sic subditi oculos considerationis humiliter coniciunt in superiores et in eorum mandata et directionem, sicuti etiam solemus intueri speculum, ut ex eius intuitu vestes et gestus vultumque componamus.

Sunt praeterea lucerna, sive candela supra candelabrum posita, et iis assistit peculiaris Dei providentia in bonum nostrum, illuminatque eos, ut luceant in domo Dei, ut Deus per ipsos ac per subditos glorificetur. Vocantur etiam pastores ; praecedunt enim superiores ut oves a lupis defendant, bona doctrina nutriant, in via dirigant, in unum gregrem colligant, petulantes baculo pastorali corrigant. Hoc nobis significatur Ioannis 21° (4) : *Simon Ioannis, amas me? Pasce oves meas ;* et Ephes. 4° (5) : *Alios posuit pastores et doctores ;* Ezechiel (6) : *Vae pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos.* Sunt denique legati regis altissimi, sicuti Apostoli (7) : *Pro Christo legatione fungimur.* Legati autem exponunt mandata sui domini ; ita superiores exponunt Dei voluntatem, verbo per exhortationem, et exemplo per bonam disciplinam, docentque regularum observationem.

Cavendum itaque nobis est, fratres mei, ne quicquam faciamus praeter ipsorum voluntatem ; nam Deus dixit Samueli : quod populus petens regem, spreto Samuele, non ipsum sed se sprevissent ; sic ergo nos, fratres, nisi superioribus deferamus eosque observemus ut Dei vicarios, Deus reputabit iniuriam factam superiori sibi factam esse. A quo malo liberet nos Christus Iesus, Dominus noster. Amen.

(1) Luc. 10, 16. (2) Matth. 5, 13. (3) Matth. 5, 14. (4) Ioann. 21, 17. (5) Cfr. Eph. 4, 11. (6) Ezech. 34, 2. (7) 2 Cor. 5, 20.

20ª Exhortatio

De abdicatione bonorum omnium terrenorum et de abdicatione sui integra in Dei perpetuum servitium

1. Propositum initio uni cuique nostrum a Deo datum est, fratres carissimi, ut positis huius vitae curis, uni studio salutis ac perfectionis, cum nostrae tum proximorum, omnino se impenderet, quod iuvante ipsius Dei gratia unus quisque nostrum non solum recepit se facturum, verum etiam in potestatem tradidit se dirigendum, ad illud videlicet agendum quod ipsi mandaretur iuxta leges nostri instituti ; idque arbitrio illius quem Deus assignaverit praefectum, nulla libertate huius vitae sibi reservata. Vita haec itaque cuiusque alumni Societatis Deo dedicata est ad acquirendam salutem et perfectionem propriam et proximorum. Quoniam autem exuit se quisque omni dominio tam rerum omnium quam propriae vitae, videndum nobis est in praesentia quid in se contineant tam cessio haec dominii rerum, seu proprietatis omnis, quam traditio propriae personae.

Ne alterutrum horum, aut utrumque, religiosus Societatis sibi usurpet ; foret enim istud non usurpatio simplex alicuius rei, sed rei Deo dicatae, ac proinde sacrilegium, quod iniuriam Deo insignem inferret. Interest propterea unius cuiusque hoc scire, ut praestare possit quod promisit, quodque praestare tenetur. Nam illa, ad quae praestanda sese quisque in potestatem alterius tradidit, eiusmodi sunt, ut per ea pervenire liceat ad summum bonum, summamque gloriam et felicitatem, et dum haec vita ducitur, operam dare fructuose in salutem proximorum ad Dei gloriam. Refert ergo plurimum ut eadem illa intellegantur.

Cessio haec sive renuntiatio continet absolutam abdicationem proprietatis seu dominii rerum harum terrenarum, videlicet possessionum, agrorum ac cuiuscumque rei qua vita praesens sustentari solet. Sed nec licet quicquam accipere huiusmodi vel nomine eleemosynae ob quodcumque ministerium Societatis praestitum, quod habeat speciem stipendii aut compensationis ; et demum non licet cuiquam nostrum habere quicquam harum rerum tamquam proprium, quod possit dare mutuo vel accipere, aut alio quovis modo disponere.

Ex hac cessione seu abdicatione colligere licet : Primo, quod qui talem paupertatem est amplexus, non possit habere possidereve, ob rationem instituti nostri, unde propriam vitam sustentet. Secundo, nec suis laboribus, quibus ministeria sui instituti exercet, vitam propriam sustentare, ita ut vitae huius conservatio, quatenus ex harum rerum inferiorum

adminiculis pendet, nulla ratione debeat illi tribui ; adeo ut si res istae, quibus fovetur ac defenditur Societatis religiosi vita, loqui possent, iure illi dicerent se nihil omnino debere, nec ullum[a] omnino obsequium ipsi praestare, et quod illius sustentationi serviant non facere se quod ullo iure illi praestare debeant, sed id ex ordinatione divinae providentiae et bonitatis solum facere. Quapropter videat quo pacto iis utatur ; utatur, inquam, non tamquam rebus propriis, sed ex voluntate Dei, et novo eius beneficio ipsi transmissis et concessis. Erit proinde ipsi reddenda ratio quo modo his usus fuerit. Ex his igitur colligat quam sobrie quisque rebus huiusmodi praesentibus uti debeat : non videlicet tamquam suis, sed Domini sui, et in conspectu eius ad sustentandam hanc vitam ; et quidem non sibi, sed ipsi Domino. Atque haec summatim iam dicta complectitur cessio seu expropriatio, quam in Societate paupertatis professores cultoresque faciunt.

2. Veniamus iam ad secundam partem.

Traditio autem sui ipsius, seu translatio proprii iudicii propriaeque voluntatis et corporis, atque adeo totius vitae in potestatem Dei et Societatis, quam requirit institutum, complectitur abdicationem exspoliationemque sui ipsius, et ut religiosus Societatis non tantum veterem hominem exuat, quod iuxta D. Paulum facere debent omnes christiani, sed ut de se hanc unam rem solam sibi servet, ut omnia praestet in Dei obsequium et gloriam perfectissime et quanta possit caritate, quae sive ex constitutionibus, sive ex directione superiorum praescribentur. Tale holocaustum exigit instituti nostri ratio.

Quod reliquum est divinae providentiae committendum est ab eo qui nomen dedit Societati. Nam ut[b] Societatis familiae consistere nequeunt, nisi eos, qui sese eo modo tradunt, admittant et in suum corpus cooptent, ita tales tantum eligit dirigitque in eis divina bonitas. Nam sicuti navis in mediis maris fluctibus posita feliciter regi nequit, nisi auxiliares nautae praescripto naucleri pareant, et operam suam impendant, ubi, quando et in eum usum quem ille constituerit, ita, si secus faciant et quilibet pro suo iudicio remos et clavum agat velaque disponat, pessum eat et fluctibus obruatur necessum est. Salvari enim nequit nisi directione et laboribus iuvetur ; atqui hic non solum non iuvatur, sed impeditur. Oportet itaque navim hanc seu triremem ita se comparare, ut tam vela quam remos, quorum auxilio fertur, uno atque eodem spiritu seu vento impelli curet ; alioqui non in portum destinatum recta tendet sed in gyrum potius agetur, dum hic eo vult tendere, iste alio, et alius

(a) *nullum*. B. (b) *huiusmodi, id est*. add. B.

denique alio. Patet itaque navim nostrae Societatis nolle admittere quemquam ad hoc navigium, nisi qui positis omnibus curis, etiam sui ipsius, se totum in naucleri potestatem tradat dirigendum.

3. Exigunt ergo huius navis leges ab uno quoque nostrum, ut primo rebus et facultatibus omnibus cedat, adeo ut nullam cogitationem, nullum affectum, nullam fiduciam in illis amplius collocare debeat ; sed et parentibus, propinquis et amicis omnibus, quibus ante utebatur, penitus vale dicat, ut neque ullam vel voluptatem vel spem in eis ponat.

Secundo, abdicet se praeterea sive honoribus, sive gradibus, sive commoditatibus, sive officiis omnibus, ut totus pendeat ab huius navis gubernatore, neque ab eius arbitrio vel pilum[a] recedat umquam. Tertio, ut iudicium et sensum proprium exuat, et[b] huius navis naucleri iudicium per omnia sequatur[c], si velit navigationis cursum felicem esse; ut videlicet uno consilio atque uno spiritu agatur et regatur. Nam cum proprium sit nostri instituti maius Dei obsequium beneplacitumque in omnibus inquirere ac sequi, consequenter necesse est homines Societatis non suo niti iudicio proprio ; hoc enim foret magnum impedimentum ad divinam voluntatem cognoscendam et exsequendam ; sed illud penitus abnegantes, ab alterius, id est, superioris voluntate pendere perfecte nos oportet, quod vocamus ab alio dirigi ; et hoc quidem valde consentaneum est divinae providentiae, quo creatura una per alteram iuvetur ac dirigatur, lumen accipiendo, seu voluntatem superioris cognoscendo et faciendo. Non enim semper Deus suam[d] immediate manifestat, neque per proprium cuiusque sensum.

4. Haec porro directio in Societate omnibus etiam superioribus suo modo convenit. Nullus enim est in ea qui suo iudicio vivat et agat, sed cuique praescripta est sua directio, nimirum ut per constitutiones, regulas, instructiones, admonitores, vel immediate per superiores divinum lumen quisque accipiat. Iis qui in missionibus versantur etiam sua a superioribus non deest instructio, et bona Dei manus quae ducat ac dirigat, quia suas, et eas praeclaras et solidas instructiones habent. In collegiis et domibus similiter singuli suam, vel circa actionem quamlibet, vel circa media, vel circa modum procedendi, tum immediate per ipsum superiorem, tum per instructiones et regulas, quas singuli habent ad bene et religiose obeunda sua officia. Ad hanc directionem etiam spectant in Societate, praeter superiores et regulas, confessarii, praefec-

(a) Ita utérque cod., non *hilum* [flandrice — scriptor enim Duacensis erat — neque pilum : *geen haarke*]. (b) Addimus *et*, ne dimidiata sit correctio. (c) *sequens*. B. (d) *eam*. B.

tique rerum spiritualium, praefecti studiorum, praefecti ecclesiae, ac praefecti denique sanitatis et infirmorum, ne dicam de consultationibus et collationibus casuum conscientiae, quae in Societate persaepe habentur.

5. Necessitas autem huius directionis nascitur tum ex imbecillitate humani iudicii, quod facile labi et errare potest in sui directione, tum ex varietate, difficultate et magnitudine rerum quas Societas tractat ; tum vero maxime ob amorem proprium, quo cum ducimur, facile est errare. Quare suadet prudentia ut aliorum iudicio et directione potius nitamur. Scopus huius directionis et veluti fructus est liberatio a periculis et tentationibus, et fuga inordinationis in disciplina : unde securitas magna in vita spirituali et profectus maior nascitur, et demum caritatis augmentum, conciliatioque amoris et amolitio suspicionum.

Addo ex gratia vocationis, ut ex principio et fonte, istam directionem promanare in Societate, sicuti in aliis ordinibus sua etiam ratio vivendi ex suo fonte hauritur. Nulla siquidem est religio sive ordo, qui non habeat a Deo gratiam aliquam peculiarem, qua, quicumque in eundem ordinem cooptatus est, secundum suas leges vivat, quod mire religiones exornat et pulchre conservat. Divina ergo bonitas, fratres dilectissimi, etiam Societati gratiam quandam peculiarem dedit, qua optime et congruenter praestemus id quod instituti nostri ratio finisque nobis proponit et a nobis requirit ; quod donum, neque qui de nostra Societate non sunt, neque qui ab ea recedunt, neque qui in ea non secundum leges et instituta vivunt, accipiunt et sentiunt.

6. Quomodo vocatur haec gratia ? Respondeo : est innominata, sed quantam vim et efficacitatem habeat oculis cernimus et manibus attrectamus. Haec porro data fuit B. P. N. et per eum Societatis corpori, cuius caput ille fuit. Qui vero corporis huius membrum non est, vim et suavitatem gratiae illius non sentit nec ei participat, quia ex radice et stirpe non sugit actionum suarum motorem et directorem spiritum, licet corpore tenus in Societate maneat ; manet enim ut palmes aridus et sterilis : atqui palmes, licet viti adhaereat, nisi de suco eius accipiat, fructum non facit (1) ; immo enimvero sensim arescit, et resectus in ignem mittitur. D. Paulus dicit (2) : *Si quis spiritum Christi non habet, hic non est eius,* id est, qui non instituit vitam suam ad lineam ab ipso designatam, non est ei gratus ; sic qui non instituit actiones suas ad rationem et lineam instituti, licet in Societate sit, non est tamen eius.

(1) Cfr. Ioann. 15, 4 sqq. (2) Rom. 8, 9.

7. Videas Societatis homines cum exigui et ex genere obscuri sint, magni tamen fieri, et libenter audiri in negotiis et monitis a pontificibus, ab imperatoribus, a regibus, a principibus, a magistratibus, a doctis et indoctis, a magnis et parvis, ab amicis et adeo ab hostibus ipsis non raro. Quid hoc rei est, fratres mei ? et quae gratia haec, bone Iesu ? Unde illis paratur hic favor ? unde tanta de illis opinio concipitur ? quia nimirum participant gratiae illi quam tu corpori impertitus es ; quia, inquam, adhaerent radici et de ea, ut viva membra, vim accipiunt et spiritum. Bene contionaris, mi frater, gratiam habes in tractandis paenitentium conscientiis, in efformandis adulescentibus in scholis, in catechizandis rudibus, in visitandis et consolandis aegris, in missionibus obeundis ; unde istud habes ? A te ipso sane non loqueris, sed hoc a radice habes. *Non tu* — loquar cum D. Paulo (1) — *radicem portas, sed radix te.* Vis tu hoc manifestius cognoscere ? Cerne quid faciant, et quo in honore et opinione sint magni illi et docti in oculis suis, qui a Societate defecerunt. Obscuratum est aurum (2) et cor ipsorum, quia amplexati sunt stercora qui vivebant in croceis. Erant in corpore Societatis celebres viri : ab eo resecti emarcuerunt, et omnis decor omnisque virtus in eis deperiit ; in contionibus nihil amplius habent spiritus, in conversatione sunt vani, elati, commodorum suorum amantes ; evertunt modo qui ante aedificabant.

8. Unde nostri in Indiis tanta praestiterunt, et etiamnum praestant ? A spiritu Societatis dato caelitus. Ceteri religiosi, qui in eis locis versantur, quamvis boni et docti, non ita tamen rem divinam et cultum Dei salutemque animarum promovent. Unde est in Europa tota tanta de Societate opinio ? Hanc, fratres carissimi, parit et profert peculiaris illa gratia quam Deus largitus est Societati ad sua munia obeunda, et diligens studium eam conservandi et applicandi suis actionibus, quod illi adhibent qui de radice sugunt et accipiunt singuli secundum virtutem suam et dispositionem, hic quidem parcius, ille uberius. Alii religiosi melius canunt quam nos, meliores voces habent, caerimonias in divinis pulcherrimas, contionantur pulchre et utiliter in ecclesia Dei, sicuti multi pastores et sacerdotes saeculares. Sed Societatis homines peculiare donum habent.

Ad nostras ergo partes attinet, fratres mei, non tantum amare institutum et gratiam acceptam, sed etiam animum accommodare ad directionem humiliter admittendam, de qua ante locuti sumus, et toto pectore amplecti id quod institutum proponit, ut in primis unus quisque sit studio-

(1) Rom. 11, 18. (2) Cfr. Thren. 4, 1. 5.

sus perfectionis suae spiritualis, magno sit animo et strenuo in iis quae ad Dei honorem et cultum salutemque animarum pertinent.

9. Ex dictis colligere licet quod duobus maxime constat vocationis gratia, videlicet auxilio interno, quo adiutus et subnixus animus expedit se facile curis et affectibus, traditque se vocantis omnino voluntati. Item auxilio externo, id est, directione, de qua etiam iam verba fecimus. Curandum proinde est uni cuique nostrum ut utrumque auxilium conservetur, et ut per preces et vota ad Deum augeatur. Quorsum enim facultas expediendi et erigendi se illi tradatur, qui in luto vult haerere; aut aegro quorsum medicina tradatur invito, aut famelico cibus, qui non vult edere; aut quorsum denique dux itineris illi attribuatur, qui erroribus delectatur vultque potius ductori praeire quam ipsum sequi?

Uti ergo debemus duce et directione eius qui praeest, sed attendere ante omnia debet unus quisque nostrum, ut cor habeat bene purgatum, et ab omni affectu inordinato liberum. Debet contemnere omnia oblectamenta, quae religiosos dedecent, abstinere a risu immoderato et cachinnis, a verbis otiosis, ab omni levitate.

Nam, ut ait S. Bernardus (1), consolatio spiritualis res est delicata, nec animis illis insidet, qui alias et terrenas consolationes admittunt; et D. Augustinus dicit (2) tunc omnem consolationem interiorem seu spiritualem cessare, quam diu cor nostrum exterius consolationem capit. Quam diu farina Aegypti duravit, mannae suavitatem populus hebraicus non percepit; quam diu cor nostrum externis et superfluis distinetur oblectamentis, nequit gustare quam suavis est Dominus: quod homini religioso in primis est expetendum. Quod nobis concedat, etc.

(1) S. Bern. PL. t. 184 Declam. 55, nn. 66.67. col. 472. Cfr. t. 183 Serm. 3 in Asc. n. 7. col. 307, et Serm. 4 in Vig. Nativ. col. 100 c. (2) S. August. PL. t. 33 Epist. 55 ad Inquis. Ian., nn. 8.9. col. 208.

21ª Exhortatio

De duobus actibus qui ex instituto in nostris operibus praecipue concurrere debent, intentione videlicet et electione

1. Non temere, fratres carissimi, et ex impetu procedere debemus ad opus quod in Deum referendum est ; sed duo semper a nobis sunt praemittenda. Primum est, intentionem excitare vivam ; alterum, illam associare bona electione. Prior est motus seu actus voluntatis circa ultimum nostrum finem, quo actu se determinat efficaciter voluntas ad eum finem per media convenientia acquirendum, non quiescendo in eo solum quod illum amet, sed fortiter insistendo ut illum obtineat. Cum ergo maior Dei gloria, mediante nostra et proximorum perfectione, finis nobis sit constitutus, non satis esse nobis debet illam aestimare et amare [a], ut rem summe bonam et pulchram ; sed pariter animus noster paratus et promptus esse debet, ut eam toto conatu et studio consectetur, procurando ut Deus glorificetur in omnibus nostris cogitationibus, verbis et actionibus. Sicut, verbi gratia, infirmus, cum habeat pro fine convalescentiam et sanitatem, non solum eam amat et impense desiderat, sed nihil operae praetermittit ut sanitatem consequatur, ac re ipsa facit quod potest ut eam obtineat[b] .

2. Ut vero haec intentio sit perfecta, habere debet duas condiciones. Prior est, ut sit pura et sincera, non intendendo aliud quam gloriam Dei, ut nostrae postulant constitutiones, cavendo[c] ne se adiungat illi quicquam quod hanc puritatem inficere aut maculare possit. Quod efficiemus, si curabimus non solum detestari ea quae contrariantur manifeste gloriae ipsius, ut sunt vitia ; verum etiam declinare ea quae quamvis natura sua bona sunt vel indifferentia, per ea tamen Deus non aeque glorificatur. Quod ut melius intellegátur, ponamus nobis ob oculos balsamum pretiosum non solum infici posse admixtione alterius liquoris corrupti et foetidi, verum etiam liquoris minus boni et pretiosi, ut esset oleum olivarum : dicitur enim res fieri deterior, etiam quando permiscetur rei minus bonae. Hoc ipsum dici potest de puritate intentionis nostrae ; nam primo inficitur, quando admiscetur ei res aliqua terrena et vitiosa, quae sit contraria gloriae Dei ; puritas similiter ipsius minuitur quando

(a) *non debemus contenti esse quod illam aestimemus et amemus.* B. (b) *ut obtineat quam optat sanitatem.* B. (c) *et cav.* B.

res etiam indifferens et non mala per se illi admiscetur. Hinc bonus et perfectus religiosus abhorret ab omni defectu, licet minimo, desideratque moneri et dirigi.

3. Secunda condicio quam habere debet intentio est, ut quaeratur maior Dei gloria, non solum in genere et universim, verum etiam in particulari, et id quidem efficaciter, removendo omne impedimentum, quoad eius fieri potest. Non enim sufficit habere intentionem universalem ; nam qui eam habent eaque contenti sunt, imperfectiones non devitant, licet dicant se teneri desiderio gloriae Dei ; sed oportet devenire ad explicationem applicationemque huius universalitatis, removendo a se quidquid impedit divinam gloriam, et faciendo ea quaé eam promovent : sicut infirmus non est contentus desiderare in genere sanitatem, sed adhibet etiam studium abstinendo a cibis noxiis et sumendo medicinam. Hoc autem consequemur per orationem, eam petendo a Deo ; deinde proponendo Deum ante conspectum nostrum iugiter, sicut Propheta faciebat dicens (1) : *Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

4. Possumus autem habere Deum ante conspectum nostrum duobus modis :

1° Considerando eius divinam praesentiam et maiestatem omnia continentem, omnia cernentem, omnia moventem, iuxta nomen Dei a graecis mutuatum quo significatur Deum omnia cernere et disponere ; quod insinuabat Paulus Atheniensibus, cum eis obiceret quod non considerabant Deum, quem ignotum adorabant et colebant, *In quo*, inquit (2), *vivimus, movemur et sumus.*

Cum ergo Deus nobis semper sit praesens, et intima cordis nostri semper respiciat, si sapio, sollicitus esse debeo ne ipsum cogitatione, verbo vel opere offendam. Si me viderent homines graves aliquid imprudentius agentem, erubescerem sane, et non erubescam in conspectu Dei agere quae non auderem in conspectu hominis ? Decet ergo et omnino expedit, fratres mei, ut nobis hanc perpetuo lucernam statuamus ante faciem et oculos, ut sit nobis instar columnae igneae, quae olim populi Dei viam dirigebat (3),et eius directionem summa voluptate sequebatur. Quod si nos diligenter exercebimus in hac meditatione, voluntas nostra accendetur ilico Dei amore et reverentia, neque quicquam volet agere quod Deo non sit pergratum.

Interesse autem puto inter illum, qui Deum semper providet in conspectu suo et nihil sibi faciendum ducit aut exsequendum, nisi veluti ex

(1) Psalm. 15, 8. (2) Act. 17, 28. (3) Exod. 13, 21 ; Numer. 14, 14 ; Deuter. 1, 33.

eius praescripto, et eum qui, licet Deum amet, vitam tamen suam suasque actiones impendit quo modo existimat sibi commodum, non tamen contra Dei voluntatem aut gloriam, sed absque hac cura et studio ; sicuti interest inter praesentem et absentem. Nam hic sic se gerit sicut qui, absoluta longa peregrinatione, rationem sit ero suo redditurus ; at ille perpetuo sequitur Dominum suum in suis operationibus veluti praesentem et se inspicientem ; neque laborat sollicitudine reddendae rationis absentiae suae, sed ei cura est maxime ut conscientiae suae coram ero suo servet puritatem. Neque enimvero ipsi satis est ut officium praestet communi vel dispositione vel ratione, sed omnino curat ut nihil prorsus admittat, etiam in secreto cubili suo, quod erum vel in minimo offendere queat. Sic religiosus considerans se suasque omnes actiones et affectiones notas esse Deo semper praesenti, curam habet praecipuam ut conscientiam servet purissimam et ab omnibus vitiis, affectibus, propensionibusque inordinatis liberam ; eamque ita praeparatam ac promptam Deo continenter exhibet, ut cui ubique et semper conscientia pateat, et ut ad obsequendum praesto semper sit. O ! quanta laetitia exsultaret spiritus tuus, mi frater, in Deo salutari tuo, si te ita Deo coniunctum ac familiarem cerneres !

Similis simili gaudet, vir bonus probitate alterius ; et inter bruta cernimus, quod quae sunt eiusdem speciei, habeant peculiarem unionem ; quin et omnia unionem quandam habent cum Deo, quia ab eo creata sunt, et ipsius manum bonam in omnibus directricem sentiunt ; atqui homo multo maiorem cum Deo coniunctionem habere debet, qui tam multis ab ipso beneficiis affectus est. Nolo tamen ut anxie et nimia contentione haec facias, sed ut longo usu concilies consuetudinem et habitum, quo cum laetitia et delectatione facilitateque te exerceas, sicuti experimini interdum vos legere et scribere ex habitu sine ulla attentione et molestia.

5. 2° Alio modo possumus habere Deum praesentem per intentionem.Est autem intentio, ut probe nostis, idem quod scopus seu finis. Cum enim omne agens agat propter finem, illud quod ipsum movet ad operandum, et propter quod opus fit, dicitur intentio ; verbi gratia, intentio ignis est formam suam imprimere in materiam subiectam, et producere alium ignem ac se conservare ; intentio artificis sive architecti est domum aedificare, in qua possit habitari, ut ab intemperie aeris inhabitantes serventur. Quod igitur movet agens ad agendum potest dici intentio. Et ut redeam ad propositum nostrum, qui facit aliquod opus ut placeat Deo, vel ut carnem mortificet propter amorem Dei, moveri dicitur amore Dei, et hac intentione seu fine ; si ut placeat hominibus, alia, heu ! movetur intentione, et ea mala.

6. Potest autem idem opus habere intentiones varias, ut una referatur ad aliam ; ut qui ingreditur religionem ut agat de peccatis paenitentiam, et ut in ea perseverando vitam aeternam consequatur. Prima eius intentio fuit agere paenitentiam et servire Deo ; ultima vero ipso Deo frui in vita beata. Sic potest quis carnem suam castigare 1° ut paenitentiam agat ; 2° ut castitatem conservet ; 3° ut luxuriae impetus reprimat ; 4° ut se ipsum holocaustum offerat Deo. Possunt ergo eiusdem operis diversi esse fines et intentiones, sed illa est praecipua quae primarie movet ad operandum, et sine qua opus non fieret.

Hic etiam notandum est, quod opus, bona intentione inceptum, potest vel in medio, vel in fine prava intentione vitiari, nisi diligenter conservetur prima intentio, frequenter eam actuando et suggestiones malarum intentionum propulsando.

7. Intentio autem est multiplex : mala videlicet, dum quis bonum opus facit ut decipiat, vel ad malum inducat ; ut qui ingressus est religionem, ut eius alumnos perverteret. Secunda est hypocritica, ut cum quis laudem ab hominibus ex bonis operibus quaerit et captat vanam gloriam ; quod fuit vitium pharisaeorum, qui ieiunabant et orabant ut laudarentur ab hominibus. *Attendite,* inquit Christus Dominus (1), *ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus.* Tertia, cum aliquod bonum opus fit propter utilitatem et profectum suum spiritualem, quae intentio est bona ; nam quisque tenetur ex debito caritatis saluti suae prospicere. Quarta, propter aliorum exemplum ; atque haec intentio bona etiam est, iuxta illud Apostoli (2) : *Providentes bona, non tantum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus ;* et (3), *Mandavit illis uni cuique* Deus *de proximo suo ;* Item (4), *Neque accendunt lucernam et ponunt eam sub modio ;* et ad Titum (5) : *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum.*

Quinta, ad vitandum supplicium aeternum et ob timorem gehennae, quae quidem bona est intentio, sed saepe alius quidam affectus vitiosus huic coniungitur, quo quis ita apud se statuit : nollem ab istis peccatis abstinere, nisi Deus tale supplicium minaretur ; non parerem divinis mandatis, nisi tantas poenas interminaretur ; qui affectus si absit, laudabile est timore gehennae divina mandata facere. Sexta, propter praemia vitae aeternae ; atque haec etiam bona est, iuxta illud psalmi (6) : *Inclinavi cor meum... propter retributionem.* Septima, propter maiorem Dei gloriam et eius amorem, quae est omnium perfectissima, quia respicit Dei bonitatem et honorem, et non propriam utilitatem. Hanc continenter habebat B. P.

(1) Matth. 6, 1. (2) Rom. 12, 17. (3) Eccli. 17, 12. (4) Matth. 5, 15. (5) Tit. 2, 7. (6) Psalm. 118, 112.

N. Ignatius prae oculis, et ad hanc nos saepissime invitat in constitutionibus. De hac Apostolus (1) : *Sive manducatis sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.*

Ex consideratione divinae praesentiae optima ratio initur ad declinandam vanam gloriam et laudem humanam ; nam cum nullus sit sapientior, praestantior ac iustior Deo, si ipsi quod facio opus probatur, non curabo iudicium eorum qui illi sunt inferiores iudicio et sapientia ; sicuti si pictor iudicat imaginem esse bonam, parum curabo quid sutor vel sartor de ea sentiat, sed praestantis pictoris iudicio acquiescam. Probat autem Deus opus ad ipsius gloriam et ex praeceptorum suorum recta linea factum ; non igitur curabo quid homines de meis operibus iudicent.

8. Media convenientia ad rectam intentionem habendam duo sunt : unum, non determinare se ad rem ullam particularem, neque quicquam de se statuere vel deliberare ; alterum, habere suspectum suum proprium iudicium, et magni facere quod est superioris et eius consilium. Ut vero melius possit cognosci et intellegi quonam pacto istud in praxim redigatur, et ut facilius acquiri possit, augeri et conservari pura intentio gloriae Dei omni in re, poterunt servari tres sequentes considerationes.

Prima est, considerare bonitatem infinitam Dei, qui voluit ut haec gloria sua, cuius est tam zelosus, ob quam[a] fecit omnia, propter quam verbum aeternum incarnatum est, et nobis merita suae passionis applicuit, propter quam denique sacramenta omnia fuerunt instituta, opera omnia miraculosa in Ecclesia facta, voluit, inquam, hanc gloriam suam dependere ex nobis, exponendo eam quodammodo periculo eam interdum perdendi, cum positum sit in nostra potestate ut eam ipsi reddamus mediantibus operibus faciendis cum pura intentione. Debemus ergo multum aestimare et magnificare hanc gloriam, sollicite eam quaerere et promovere in omnibus actionibus nostris, cernentes Deum adeo nobis fidere ac rem tam pretiosam nobis credere et committere. Nam si locuples aliquis credidisset mille aureos pauperculo, ut iis negotiaretur, magnam ille occasionem haberet indefessae sollicitudinis et curae ad augendum et conservandum sua industria hunc thesaurum; sic, et multo magis, quilibet nostrum debet esse sollicitus, ut bene negotietur et tractet hunc thesaurum gloriae Dei, et ut ex eo lucretur ac merita sibi multa cumulet ; nam infinitis partibus excedit thesauros omnes huius mundi. Voluit nimirum divina illa bonitas hoc se modo demittere ad nostram imbecillitatem, quae

(a) Uterque codex addit *denique*.

(1) 1 Cor. 10, 31.

potuit mille et infinitis aliis modis hanc gloriam suam ex quavis alia re, etiam repugnantibus nobis, consequi ; vult tamen ut nostris operibus et laboribus, licet abiectissimis et infimis, ut est dare cyathum aquae frigidae pauperi propter ipsius honorem (1), eam quodammodo illustremus. Haec sane consideratio, si cor non omnino induratum habemus, illud valde penetrabit, et magnam admirationem pariet nobis.

9. Secunda. Considerare possumus, fratres mei, et cum timore quidem, quod qui a Deo ut negotiatores fideles summam tantam gloriae suae accepimus, ut de ea lucrum faciamus, saepe tamen occasionem negotiandi neglegamus ; immo quasi contemptim abiciamus, dum culpas admittimus et defectus multos in religiosa domo, et quidem in oculis eius, quod multis lacrimis dignum est. Nam hae nostrae imperfectiones et inordinatae passiones, suspiciones, iudicia, minuunt procul dubio et extenuant gloriam Dei, de quo reddenda nobis erit aliquando districta ratio, ut patet ex parabola patrisfamilias, qui talenta dederat viris inertibus et pigris (2). Quod nisi curemus diligenter et nos in melius emendemus, periculum sane adimus quod illi subierunt. Hoc porro studium faciet ut nulla amaritudo nos afficiat ; nam sicut nubes et pluviae non pertingunt ad supremam aeris regionem, ita tristitiae et maerores atque inquietudines non attingunt animam in qua Deus est, et in qua manet per conformitatem voluntatis nostrae cum sua, sed perpetua quies est et securitas ac gaudium cum latitudine cordis, dum cupimus et volumus omni in re et actione nostra quod Deus vult, et ut gloria eius per nos multiplicetur. Attendere tamen debemus. quod et hoc studium donum Dei sit immensum, a quo plurima alia bona dependent. Nullis enim viribus naturalibus illud possumus acquirere ; habere tamen possumus desiderium eius, et illud instantissime petere a Deo, et sic denique evacuare cor nostrum omni desiderio et affectu, ut huius unius rei semper sit avidum et cupidum.

10. Tertia. Considerare debemus et attendere, ut continenter magis magisque disponamur ad acquirendum tam insignem thesaurum. Quare prae illo ne pili quidem aestimare debemus in posterum nostrum proprium iudicium, quod experimur non raro sub colore et praetextu boni nos fallere. Quare nobis facile esse debet et iucundum moneri et iuvari non modo a superioribus in re omni quam facimus, sed et ab aequalibus ; quia non habentes nostri veram cognitionem, nec cognoscentes superioris

(1) Cfr. Matth. 10, 42. (2) Matth. 25, 24 sqq. ; Luc. 19, 20 sqq.

nostri iudicium et voluntatem aliam esse quam optimam, debemus ad opus commissum secure procedere.

11. Iam veniamus ad alteram partem partitionis initio factae, id est ad electionem[a] propositam. Debemus ergo, fratres carissimi, nolle quicquam, nec bonum, ut est virtus, nec indifferens, ut est edere, bibere, dormire, etc. agere, nisi quatenus intellegimus quod illud nos ducat ad maiorem Dei gloriam, vel ad illud[b] sane conferat ; ut solum videlicet faciamus ea, de quibus Deus gaudet et sibi complacet, sentitque se glorificari. Hoc pacto[c] potest desiderari et eligi tribus modis, ut docet D. Thomas.

Primus est, ut glorificemus Deum cum ea plenitudine et perfectione quam meretur ipsa eius gloria (1), quae cum sit infinita, meretur amari et possideri modo infinito. Deus autem hoc solus facere potest, nulla vero omnino creatura, quod illa finita sit et tanti non capax boni. Habes tamen, Deus optime, de genere nostro, qui et in hac vita et in caelesti gloria te potuit honorare et glorificare quantum tu mereris (2), Christum videlicet, filium tuum, Dominum nostrum, qui *est splendor gloriae et figura substantiae tuae* (3). Hoc nos recreat, Deus optime, ut, quod nos non possumus propter infirmitatem nostram, possit ille qui sedet ad dexteram virtutis tuae.

Secundus est, ut semper et actu occupati simus, quoad eius fieri potest, in meditanda ea gloria (4), et in laudando et benedicendo Deo, admirantes eius gloriam die ac nocte sine intermissione, quod in hac vita perfecte et absolute facere non possumus, faciemus autem, Deo propitio et confirmante, quando erimus in numero beatorum, qui semper absorpti sunt in contemplatione et amore Dei.

12. Tertius est, qui convenit nobis mortalibus in hac vita : nam (5), etsi nequeamus semper actu occupari in cogitatione et amore Dei, cum etiam aliis attendamus multis operibus, saltem regulemus et referamus omnes nostras actiones ad Dei gloriam, non cogitando, non dicendo, non agendo quicquam, nisi ad eius gloriam et ut ei complaceamus.

Ex hac resolutione colligitur proprium esse nostri Instituti, quod quilibet e Societate, praeterquam in Dei gloria promovenda, debet in ceteris omnibus esse indifferens, ut dicitur in fundamento exercitiorum

(a) *in principio*. add. B ; A vero addiderat *initio*, quod deletum est. (b) Fortasse legendum est *illam*. (c) *porro*. B.

(1) S. Thom. 2. 2ae q. 27. art. 5. c. (2) S. Thom. 3. q. 8. art. 1 et q. 22. art. 1. (3) Cfr. Hebr. 1. (4) S. Thom. 2. 2ae. q. 180. a. 5. (5) S. Thom. 1. 2ae. q. 1. a. 6. ad. 3.

et in principio examinis, ut scilicet Deum et gloriam eius habeamus finem actionum nostrarum. Certum autem est quod Deus etiam interdum glorificetur in tribulationibus et persecutionibus nostris ; immo etiam interdum maior Dei gloria est, ut vivamus inter hostes. Facere itaque debemus fasciculum de rebus omnibus creatis, et indifferenter eis uti ad Dei gloriam. Unde et illud obtinebimus magni momenti, ut omnino simus exuti et spoliati omni affectu erga creaturas quasvis, et ut in omni re sic nos habeamus, ut ad eas non simus affecti per amorem et affectum seu propensionem, nisi quatenus nos incitant et promovent ad Dei gloriam. Et haec quidem magna est dispositio ad recipiendum a Deo magnam gratiarum copiam, ac transformandi se totum in ipsum, ut anima nostra sic nudata sit tamquam tabula rasa, in qua Spiritus sanctus depingere possit veram Dei imaginem et similitudinem.

13. Hac via incedens B. P. N. ad summam pervenit perfectionem, quia scilicet in omni re maiorem Dei gloriam quaesivit, adeo ut, propositis rebus duabus, alteram semper amplexatus sit per viam electionis, commendando se Deo et maius obsequium eius intendens, licet ea quam eligebat durior esset et difficilior. Exemplo sit, quod aetate maturus coeperit discere grammaticam magno labore et molestia, postpositis multis solaciis spiritualibus et illustrationibus, quae ab eo studio illum revocabant. Elegit nihilo minus et retinuit studia, quia videbat ea ad maiorem Dei gloriam pertinere. Ita per electionem Parisiis se a flagellis publicis liberavit, quamvis maluisset se Christo passo pro nobis conformare ; sed declinandum ducebat scandalum et impedimentum multorum bonorum quae verbo et exemplo facere poterat. Sic nos, fratres carissimi, eius exemplo quaeso faciamus, quaeramusque in omni re maiorem Dei gloriam, et quod perfectius est. Quod nobis concedat per infinitam suam bonitatem benignissimus Deus. Amen.

22ª Exhortatio

De votis in genere et de consiliis

Hodierna exhortatio continebit quattuor praecipua puncta. 1° Dicemus quid sit votum et quomodo differat a consilio. 2° Cur vota in religione emittantur. 3° Quae sint voti condiciones. 4° Quae sit voti utilitas.

1. Votum igitur, ut habet Richardus in 4° dist. 38, § 2 (1) dicitur a volo sive volendo, quod est optare sive desiderare. Quod est duplicis generis : nam desiderium unum est deliberatum et plenum ; alterum, quod non est plene deliberatum sed imperfecte et semiplene. Proinde votum fit duobus modis : priore modo, cum deliberata voluntate, et tunc quidem votum firmum est, veram et integram habens voti rationem, quia nullum bonum votum est in actionibus humanis, quod non sit perfecte voluntarium. Secundo modo fit votum cum imperfecta deliberatione ; atque sic factum non habet veram rationem voti, neque dici debet votum, neque obligat ad sui observationem. Ad haec votum requirit ut accedat promissio et intentio se obligandi. Nam etiam haec duo sunt de essentia voti : nimirum promissio et intentio ad obligandum se ad observationem promissi, quamvis haec intentio semper in seria promissione sit inclusa ; nam propositum solum aliquid faciendi, quia cogitatio sola est, non facit votum, etiamsi diu duraret.

Duplex autem est votorum genus : quaedam enim sunt omnibus christianis communia, et de necessitate salutis omnibus, ut vovere fidem in baptismo, vovere abrenuntiationem satanae et operum eius, de quibus non est in praesentiarum futurus sermo. Quaedam vero ex consilio, quae a quibusdam, non ab omnibus christianis fiunt, ut sunt vota essentialia religionis, numero tria, paupertatis videlicet, castitatis et oboedientiae. Item vota peregrinationum, oblationum et similium operum supererogationis. Praecipua vero sunt inter omnia, tria illa religionis.

2. Cum autem eiusmodi vota censeantur inter praecipua consilia Domini, et de ipsis nobis dicendum sit in aliquot exhortationibus sequentibus, operae pretium est ut cognoscamus quae sit obligatio votorum, quae item consiliorum, et quomodo inter se differant, quove pacto consilium per votum fiat praeceptum.

1° Consilium igitur, ut hic accipitur, persuasio est boni melioris ad quod non tenemur ; et in hoc in primis differt a praecepto, quod praeceptum servare sit necessitatis, consilium vero liberae voluntatis. 2° Consilium pertinet ad studium perfectionis, praeceptum vero etiam ad imperfectos pertinet, sed qui perfici possunt ; sicuti permissio ad imperfectos, prohibitio vero ad perversos dirigitur. 3° Praecepta separant nos ab illicitis ; consilia vero etiam a licitis seu concessis. 4° Per praecepta declinamus mala et peccata ; per consilia, peccati occasiones. 5° Per praecepta, praesertim

(1) Erravit librarius ; scribere enim oportuit : « Lombardus », ut patet ex ipso loco allato : P. Lomb. PL. t. 192. Col. 932 At quae ibi habentur, referunt paragraphum sequentem : *Duplex autem...* ; praesentem vero vide ap. S. Thom. 2. 2ae q.88. a. 1 sqq.

negativa, poenam evitamus ; per consilia praemium cumulamus. 6° Consilia servata afferunt praemium, non servata non adducunt supplicium, quia consilia sunt ; praecepta servata praemium afferunt, non servata inducunt supplicium. 7° Ad praecepta constringimur ex debito, ad consilia non nisi ex voto ; consilium vero per votum fit praeceptum, ut habet Augustinus in psalmos super illud (1) : *Vovete et reddite Domino Deo vestro vota*. Vovere, inquit (2), est voluntatis ; reddere, necessitatis. Ex quibus patet quod vovere actus sit religionis, votum reddere iustitiae, quia per votum exhibemus Deo cultum voluntarium ; sed per voti adimpletionem persolvimus debitum necessarium : non igitur ad prius obligamur, ad posterius maxime.

3. Iephte votum de filia immolanda non fuit votum, quia non fuit de meliore bono et fuit indiscrete factum, ac proinde vitiosum. Indiscretum fuit, quia contingere poterat ut animal immundum occurreret primum, quod nefarium fuisset offerre et immolare, v. g. asinus, canis, vel etiam homo aliquis, ut re ipsa accidit, quia prima occurrit filia ; non licebat autem hominem immolare ; laudatur tamen devotio et zelus honoris Dei, et Paulus ad Hebraeos eum commendat et inter sanctos recenset ; sed fortassis fecit paenitentiam. Alii dicunt non immolasse ex consilio sapientum, quos probabile est ipsum consuluisse, dum filia per montes virginitatem suam deflebat ; alii iudicant ipsam fuisse immolatam quoad mortem civilem, et quod ea solum obierit, quia nimirum servavit perpetuam virginitatem. Nam et agri offerebantur Deo, et immolari consequenter debuissent ; sed moriebantur civili modo, quia Deo manebant dicati. Et modo iuris periti praedia oblata Deo, quia remanent Ecclesiae, dicunt ea amortizari (3).

4. In religione autem vota emittuntur : primo, quia vota ad acquirendam perfectionem maxime conferunt. Religio autem ad hoc instituta est, ut perfectio spiritualis acquiratur. Perfectio siquidem ad religionis substantiam pertinet ; non enim religiosis cavendum est solum a malo et culpa, verum etiam a causis et occasionibus : haec autem a nobis vota removent. Omne vero malum, Ioanne teste, triplici ex radice oritur, videlicet « ex concupiscentia oculorum, ex concupiscentia carnis, ex superbia vitae » (4). Per votum autem castitatis a religione arcetur carnis concupiscentia ; per votum paupertatis, concupiscentia oculorum ;

(1) Psalm. 75, 12. (2) August. PL. t. 36 Enarr. in Ps. 75, n. 16. col. 967, et tom. 37 in Ps. 83, n. 4. col. 1058. (3) D. Bonavent., in 4. dist. 38, q. 2 ; D. Thom. 2. 2ae q. 88. a. 2, ad 2 ; Exod. 20 ; Levit. ultim. ; Hebr. 11. (4) Cfr. 1 Ioann. 2, 16.

per votum oboedientiae, superbia vitae. Cum ergo tria haec vota opponantur triplici huic peccatorum origini, pie, utiliter, sancteque usurpantur.

Secunda causa est, quod Christus Dominus, verum exemplar perfectionis, suis verbis et exemplis haec nobis vota commendavit : *Si quis*, inquit (1), *vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me*. Ubi nota consilium : « si quis » ; sermo quippe est suadentis, non obligantis.

Tertia : D. Augustinus ait (2) : Quanto magis Deo inhaeretur, tanto diligitur minus bonum proprium. Cum ergo in unione cum Deo consistat hominis perfectio, ad hanc vero unionem, ut idem Augustinus dicit, iuvet maxime quae per votum fit boni proprii abdicatio, dubium esse non potest quin votum viam ad perfectionem paret commodissimam. Bona autem quae habemus, cum liberi sumus, sunt triplicis generis, ut paulo ante insinuatum est, videlicet bona corporis, bona animae, et bona fortunae. Per votum igitur oboedientiae offerimus Deo praecipuam bonorum naturalium animae partem, quae est voluntas ; per votum castitatis offerimus praecipua oblectamenta corporis, quae cum vitio carnis et luxuriae sunt coniuncta : nam etsi oblectamenta gulae magna sint, non sunt tamen tam vehementia et violentia sicuti illa. Bona denique fortunae, ut sunt divitiae, praedia et quae terrena amantur, per votum paupertatis Deo offerimus.

Quae tria insinuantur impedimenta, per ea quae attulerunt ad excusandum se a regis convivio invitati : nam primi contra oboedientiam fecerunt, renuentes aperte ad cenam paratam venire ; secundi, ita fuerunt immersi et distenti bonis temporalibus, et negotiis terrenis, ut etiam se excusarint : *Habe me*, inquit unus (3), *excusatum, villam emi ;* alter : *Iuga boum emi quinque*, etc. ; tertii vero, impedimenta carnis pro excusatione attulerunt : *Uxorem*, inquit, *duxi.*

5. Quarta causa : per votum confirmatur voluntas in bono. Voluntas autem sic confirmata profert opera magis meritoria, sicuti ex voluntate per obstinationem in malo firmata peccatum maius producitur : est siquidem peccatum in Spiritum sanctum, quod est maximum.

Quinta : quia datur Deo affectus et effectus, potentia et actus, arbor, ut ait S. Anselmus (4), et fructus. Quare, teste D. Gregorio (5), est verum holocaustum religionis votum, sive sui donatio et oblatio, in quo holocausto totum offertur et absumitur ; et iuxta Aposto-

(1) Matth. 16, 24 ; Luc. 9, 23. (2) S. August. PL. t. 42 de Trin. l. 12, c. 11, n. 16. col. 1006. (3) Luc. 14, 18-20. (4) S. Anselm. PL. t. 159 cap. 84. col. 655-657. (5) S. Gregor. PL. t. 76. in Ezech. l. 2, hom. 8, n. 15. col. 1036. Cfr. n. 16 ibid.

lum, qui se Deo votis obstringunt religionis, Christum proxime imitantur (1) ; *Pro omnibus mortuus est Christus, ut qui vivunt, iam non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est.* Neque porro necessitas, ut saeculares plerique dicunt, quae ex voto nascitur, meritum minuit, sed auget, ut quae ex divina dilectione promanat ; unde D. Augustinus, Epist. 45 (2) : «Felix necessitas, quae ad meliora compellit. »

6. Sexta : quia quo plures et perfectiores virtutes ad aliquem actum concurrunt, evadit ille actus et perfectior et magis meritorius ; sed ex voto facta[a], actus sunt iustitiae a religione sive latria imperati. Actus vero oboedientiae sine voto, cum ex sola subditi oboedientia proficiscatur, non tam perfectus est quam qui oboedientiam et votum pariter coniuncta habet pro sui causa. Et sic de castitate servata sine voto et per votum.

Septima : Patres veteris Testamenti usum votorum habuerunt frequentissimum, ut Deo valde acceptum ; noverant ergo opus factum cum voto esse multo melius et praestantius. Optimum igitur est illos imitari in hac re perfectissima, praesertim quod animus hominis sit, ex natura sua corrupta, ad malum pronus et inconstans. Facile illi ergo esset in hoc mari tam tempestuoso et inter tot tentationum fluctus naufragium facere, nisi navis animae hisce votis ut ancora firma et funiculo triplici ad petram, Christum Dominum,alligata firmaretur. Addo quod multo maiora sunt illa quae Deus promittit voventibus, quam quae voventes illi offerunt. Unde S. Franciscus ad fratres suos loquens dicebat : « Magna, fratres, promisimus, sed maiora promissa nobis sunt ; servemus illa, et dabuntur ista. » Quod si Tobias, ob custodiam angeli, quem angelum esse ignorabat, dicebat (3): « Si me tradam tibi servum, non erit condigna remuneratio », quid faciendum nobis erit, fratres carissimi, erga Deum, a quo tot et tanta beneficia accepimus.

Ut autem D. Augustinus dicit (4) : Voveri potest quidquid licitum esse scimus, et ad vitae melioris profectum pertinet. Inde alibi dicit « Non sitis pigri » quibus aspirat Deus apprehendere gradus meliores, « ut Deus ductor sit vester et adiutor » (5). Vide Augustinum in Psalm. 75 et 132 (6): « Debet, inquit, esse impiger animus, ut et voveat et reddat, ne dum se minus idoneum putat ad reddendum, piger sit ad vovendum ; quia numquam plane reddet, si de suo putaverit se redditurum ».

(a) Intellege : *quae ex voto facta sunt.*

(1) 2 Cor. 5, 15. (2) S. Augustin. PL. t. 33, Epist. 127, n. 8 ext. col. 487. (3) Cfr. Tob. 9, 2. (4) S. Augustin. PL. t. 40 de Fide ad Petr. n. 46 extr. col. 769. (5) S. Augustin. PL t. 36. Enarr. in Ps. 75, n. 16 in. col. 967. Librarius omisit verba « non sitis pigri *ad vovendum* » ; quae sequuntur (ut Deus...), ad mentem referunt quae in fine n. 16 leguntur : « Immo utrumque fac... » Intellege ergo : Inde alibi dicit *iis* quibus etc. (6) Ps. 75 l. c. in nota (5). Et PL. t. 37. Ps. 132. n. 2. col. 1730.

7. Verba autem necessaria non sunt ut quis se obliget sua promissione, sed sufficit ut interius sit propositum cum promissione, ut ante diximus, in corde et anima, sine verborum expressione, quoad forum conscientiae. Nam de foro fori, ut loquuntur, sive exteriore, secus est. Hinc votum sollemne, quia illi verba sunt necessaria ad indicandum quod interius est promissum cum determinatione voluntatis, et quia testes adesse debent, necessario promissionem verbalem habet ; quam necessario non habet votum simplex, quia obligat tantum hoc votum ante Deum, qui cor videt. Verba autem et testes sunt signa, indicia et argumenta voti sollemnis.

8. Quod attinet ad tertium partitionis membrum, quod erat de condicionibus voti, sex invenio quae momentum habent. Duas assignavimus ante ex Richardo in quarto (1).

Tertia igitur est condicio, ut debite et ordinate fiat, id est, ut ordinetur in Deum, et ut Deo fiat. Hinc sequitur quod si quis promittat alicui amico suo, etiam manus stipulatione [a], dicendo : si tu ingrediaris in religionem, ego ingrediar, quamvis intentio adesset, non esset tamen votum, nisi intenderet talem promissionem facere Deo ; tunc enim tantum se homini obligaret.

Quarta condicio est, ut sit promissio de opere supererogationis, id est, de re voluntariae perfectionis. Nam votum fieri debet de re ad quam vovens non obligatur peculiariter; nam ad bonum necessarium, ut est quod in baptismo promissum est, quilibet absque voto speciali obligatus est, per votum commune, ut ait Magister sententiarum in 4, d. 38 (2).

9. Quinta est, ut votum fiat cum discretione et prudentia. Quoniam vota indiscrete facta sunt prohibita, ut quando quis vovet facere res nimis graves et onerosas, quae infirmitas virium non ferret, nec ratio ut fiant permittit : ut sunt ieiunia multa in pane et aqua, vigiliae multae, disciplinae graves et diuturnae. Item, si res quae voto firmata esset, non conveniret qualitati personae, ut si rusticus rudis et ineptus voveret se futurum sacerdotem ; quia res tales non cadunt sub rationem voti, propter periculum cerebri vel morbi, vel rei incongruitatem : *Rationabile* sit *obsequium vestrum,* ait Paulus (3). Magister sententiarum, ubi supra, vocat similia vota stulta, quae non debent servari, nec obligant ; sicuti nec haec de non comedendo de capite animalis, in honorem D. Ioannis

(a) *astipulatione.* B.

(1) Vide notam pag. 154. (2) P. Lombardus. PL. t. 192. Sent. l. 4. d. 38, 1. 2. col. 932 ; cfr. t. 191. Comm. in Ps. 75, v. 11. col. 708. (3) Rom. 12, 1.

Baptistae ; vel quod ignis coxerit, in honorem S. Laurentii, aut non pexendi caput die veneris ; quae vota non sunt Deo grata, ut habet Eccli. 5 (1).

Sexta, ut votum sit honestum, id est, de re honesta. Isid. 22 q. (2) in malis promissis noli animum sollicitum tenere ; et, ut ait D. Thom. (3) : nullum opus est Deo gratum, nisi sit virtuosum. Unde sequitur quod de re illicita vel indifferente non debeat votum fieri.

10. De utilitate pauca dicemus, quia ex dictis satis liquet ex voto illam esse multiplicem et magnam. Una sit, quod opus factum cum voto sit multo gratius et acceptius Deo, quam factum sine voto, quia magis cum Deo coniungit et nos cum eo devincit. Est enim votum religionis actus et cultus divini ; religio autem a ligando vel religendo dicitur, ut alias dictum est.

Secunda, quia conformamus nos per votum sanctis patribus antiqui testamenti, qui saepe voverunt, et in primis B. Virgini, quae votum castitatis fecerat ; unde ait (4) : *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco.* Item S. Ioseph, eius coniugi, qui perpetuam servavit virginitatem ; et sanctis apostolis, ut asserit S. Thom. (5) et Rich. in 4 d. 38 (6).

Tertia est, quod ratione maioris obligationis et oblationis Deo fimus gratiores. Est autem maior obligatio, quia votum praeter rem oblatam offert etiam voventis libertatem, quae nullo pretio aestimari potest. D. enim Bernardus liberum arbitrium dicit rem esse divinam, in qua ipse Deus resplendet, ut lapis pretiosus in anulo. Vide Bernardum, serm. in cant. 82 (7) ; et Richardus dicit quod inter bona creata non sit in homine quicquam excelsius libertate voluntatis, nihil ea maius, nihil melius. Hinc in natura videmus animalia omnia, et aves ipsas appetere libertatem, et affligi si non habent. Est igitur res maximi momenti et meriti voluntatem Deo offerre, quod fit in omni voto. Quae vero utilitas maior, quam Deum et regnum caelorum promereri ?

11. Quarta utilitas. Quia in voto duplex ut invenitur bonum, votum videlicet in se, et ipsum opus, sive res Deo oblata, — id enim pertinet ad honorem et cultum soli Deo debitum — sic res est excellentissima et in bonum animae utilissima. Acceptat etenim Deus hoc servitium et opus

(1) Immo, Eccle. 5, 3. (2) Qu. 22, scil. in Vetus Testam., est « de puteis quos fecit Isaac ». At vide Synonyma, PL. t. 83. col. 858. n. 58. (3) S. Thom. 2. 2ae. q. 88. a. 2. c. (4) Luc. 1, 34. (5) S. Thom. 2. 2ae. q. 88. a. 4. ad 3. (6) Hic et paulo infra, idem error ac pag. 154. Ubi vero P. Lomb. haec dicat de B. Virgine, S. Ioseph aut Apostolis nescimus. (7) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 81 in Cant., n. 6. col. 1173.

secundum condicionem quam habet, et tanto amplius res ei placet, quanto maiore affectu illi offertur ab eo qui opus facit. Non potest enim maiore affectu Deo obsequium offerri, quam quod fit per votum ; ideo sacrificium Abrahae de filio suo carissimo Isaac, quamvis solo affectu factum fuerit, Deo fuit acceptissimum, quia votum et propositum Abrahae fuit ex ardore affectus filium vere immolare, nisi a Deo retentus fuisset.

Sed advertite, fratres carissimi, occasione huius affectus et sacrificii, quod Deus praecipue in actionibus nostris intuetur cor nostrum. Ingrata sunt siquidem opera nostra, quae ex affectu et devotione non fiunt ; sicut — heu me miserum ! — vereor in aliquibus etiam inveniri, quod in me saepe animadverto, facere nimirum nos opera bona ex quodam usu et consuetudine, quae etsi propter habitum bonum et generalem quandam nostri oblationem sint forte Deo non ingrata, non tamen habent oleum devotionis quo oblita sint, sicuti Deus volebat ut omnia quae sibi offerebantur haberent adipem, vel oleo inungerentur si adipe carerent. Augustinus in tract. 6° in epistolam D. Ioannis dicit (1) : Sola dilectio et caritas distinguit inter filios Dei et daemonis, inter filios regni et filios perditionis. Baptizantur omnes, ingrediuntur omnes templum, construunt parietes templi et domus Dei, signant se omnes signaculo crucis Christi ; canunt hi Alleluia, alii respondent Amen. Non distinguuntur his officiis filii Dei et perditionis, nisi in sola dilectione et caritate. Si in amore et caritate sunt, filii Dei censentur, si in odio et aversione, filii diaboli. »

12. Officium autem Deo gratissimum et quod in primis a nobis exspectat, est amor et caritas. Nullum praestare possumus Deo gratius hoc obsequium ; et omnia opera nostra, si amore careant, nullius sunt pretii : amare autem Deum et proximum absque aliis officiis et operibus esse potest, quando commode fieri nequeunt. Hinc Apostolus (2) : *Si linguis Angelorum loquar.... caritatem autem non habeam, factus sum velut aes sonans...* Ex his patet, fratres carissimi, quam solliciti esse debemus ut cor nostrum ab omni affectu terreno in omnibus actionibus vacuum et liberum teneamus, utque sursum corda semper habeamus. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

(1) S. August. PL. t. 35. Ep. Ioan. ad Parth. tr. 5, n. 7 m. col. 2016. (2) 1.Cor. 13, 1.

23ª Exhortatio

De paupertatis divisione sive acceptionibus, et de eadem in ordine ad collegia et domos societatis, quomodo videlicet ab eis servari debeat

In hac exhortatione agemus, si Deus dederit, de voto paupertatis ; et primo quidem, quot modis illa accipiatur ; deinde, de ea quae proprie ad Instituti nostri rationem pertinet.

1. Tribus ergo modis accipitur paupertas : nam una est, quae in re consistit et non in voluntate ; altera, quae consistit in sola voluntate et non in re ; tertia, quae in voluntate et in re simul consistit.

Prima est pauperum communium, sive qui usu communi pauperes appellantur, ut quos necessitas non virtus pauperes facit, de quibus nobis non est sermo, quod non sunt de numero eorum quos Christus Dominus beatos vocat, neque tam pauperes sunt aestimandi quam miseri et egeni, et ut sermo gallicus habet « nécessiteux ». Beati sunt nihilo minus et hi, si iusti sunt et patientes, libenterque sustineant paupertatis onus, non collocantes cor suum[a] in desiderio et affectu divitiarum[b], sed interius et coram Deo paupertatem ament[c], licet, cum exterius[d] sordide vestiantur et pannosi sint, apud Deum tamen purpura redimiti sint et gemmis.

2. Secundum genus paupertatis est, quod multi sanctorum sectati sunt, ut Abraham, Iacob, David, S. Ludovicus Galliae rex, de quibus videtur dixisse psalmista (1) : *Divitiae, si affluant, nolite cor apponere*. Illi etenim licet opibus abundarent, de illis tamen non erant solliciti, nisi quantum Dei voluntas et ratio illuminata eos docebat. Haec paupertas vera existimari potest, estque laudabilis, non est tamen perfecta. Paupertas vero philosophorum ut Socratis, Diogenis et similium, qui bona haec terrena omnia abiecerunt ut vacarent philosophiae, non vera sed[e] vana fuit et superba. « Absit, inquit Augustinus (2), ut sit vera virtus in aliquo, qui non fuerit iustus. » Absit ut iustus sit vere, nisi vivat ex fide ; nam, nisi

(a) *neque cor eorum collocatum sit*. B. (b) *et commoditatum*. add. B. (c) Exspectes potius *amantes*. (d) *ut, licet exterius*. B. (e) *n. v. s.* om. B.

(1) Psalm. 61, 11. (2) In margine scriptum est : Tr. 45 in Ioannem. At vide S. Augustr. PL. t. 44 contra Iulianum. col. 745. n. 17.

fidem habeat ut suam in verum finem virtutem referat, quomodo iustus? Virtus enim omnis ad verum et debitum finem referri debet. « Non enim, ut alibi dicit Augustinus (1), officiis, id est actibus, sed finibus a vitiis virtutes distinguuntur. »

3. Tertia paupertas digna est laude et vere christiana, quae ob Dei amorem vel verae sapientiae studium suscipitur et possidetur. Hanc Apostolus se amplexatum gaudet (2) : *Omnia*, inquit, *arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam*. Et haec quidem paupertas est quam sectantur religiosi et quam nos, fratres carissimi, propter Christum complexi sumus et sequimur. Magnum autem illa apud Deum habet meritum. Hanc Christus initio suae praedicationis laudavit ; Apostolis auctor fuit ut eam susciperent et retinerent ; in hac sancta paupertate totum mundum luce fidei illustrarunt ; hanc Christus mirifice coluit, et beatos dixit *pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum caelorum* (3). Ubi notandum, quod usus sit verbo praesentis temporis, dicens : ipsorum *est* regnum caelorum ; in aliis autem beatitudinibus verbo futuri temporis, ut, saturabuntur, consolabuntur, misericordiam consequentur : ut videlicet ostenderet pius Dominus beatos esse iam modo per participationem et praegustationem quandam futurae beatitudinis.

4. Beatos autem dixit pauperes spiritu, ut distingueret inter eos qui pauperes sunt primi generis, vel ut Diogenes et Socrates, et eos qui terrena omnia contempserunt propter Dei amorem. Paupertatem enim spiritus amplecti, est excutere omnem affectum et amorem rerum terrenarum, eorumque omnium quae huius mundi homines quaerunt et magni faciunt. Est, inquam, paupertas spiritus contemptus et renuntiatio rerum omnium quae voluptatem et delicias subministrant, et quae solent divitias consequi et associare, ut sunt honorari, aestimari, voluptatibus sensuum indulgere.

Sed praecipua quadam ratione paupertas spiritualis consistit in duobus : primo, in dando gloriam omnem Deo ; secundo, in dando sibi omnem culpam, ut habet D. Augustinus in sermone Domini in monte (4) super ea verba : Beati pauperes. Dicit enim pauperem spiritu illum esse, qui de bono opere quod facit laudat Deum, et quando male facit, culpam attribuit sibi. D. Chrysostomus in illum eundem locum D. Matthaei (5) dicit quod pauperes spiritu intelleguntur humiles, quia superbus exis-

(1) Item in marg. : Tr. 87 in Ioann. Vide PL. tom. 44. col. 749, n. 21. (2) Philip. 3, 8. (3) Matth. 5, 3. (4) S. August. PL. t. 34. col. 1231, n. 3 ; ib. t. 36. Enarr. in Ps. 73, n. 24. col. 943. (5) S. Chrysost. PG. t. 57 Hom. 15. col. 224. n. 1.

timat se habere omnia et dignum esse omni re. Ascendam, inquit Lucifer superbus, et ero similis altissimo. Et serpens suggerit homini : eritis sicut dii, scientes bonum et malum. Superbia facit ut homo se ipsum magni faciat.

Consistit haec paupertas in tribus : in humilitate secundum vim rationalem ; in diffidentia de propriis viribus, quantum ad irascibilem ; in contemptu, sive amore parvo rerum temporalium quoad vim concupiscibilem.

Denique spiritu pauper dici potest, qui destitutus est et privatus omni re, etiam spirituali, secundum proprium iudicium suum, sicuti David de se[a] iudicabat pauperem : *Pauper*, inquit (1), *sum ego et dolens ;* et Paulus (2) : « non sumus sufficientes cogitare aliquid boni ex nobis tamquam ex nobis » ; et Ieremias (3) : *A, A, A, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum.* Ille ergo qui se spoliat re omni, creditque fumum esse quidquid ipse est, pauper est spiritu ; nam haec sui cognitio et reputatio de se ipso vilis, hominem facit spiritu pauperem, estque haec paupertas valde bona, et eam laudarunt omnes sancti.

5. Quales non sunt qui cupiditate tenentur revelationum, gustuum multorum spiritualium, desiderio elevationis mentis, etc., non quod id omnino malum sit, sed quatenus impedit, propter sollicitudinem et immoderationem, profectum et perfectionem, quando nimirum ea quis cupit per se, nihil cogitans de Deo ; progreditur tamen ad perfectionem quandam, etiam hoc medio ; sed impeditur ipsa perfectio, quando haec non propter Deum et in Deo appetuntur. Alii sunt, qui omnino hic exuti et spoliati sunt hoc amore proprio, et amant Deum super omnia et in ipso omnia, obliti sui et ebrii amore Dei, nullam aliam curam gerentes, quam ut Deus glorificetur in omnibus : hoc capiunt, et hoc unum quaerunt ; hoc autem desiderium et studium fundatum est in spoliatione et abiectione amoris proprii. Haec ergo paupertas spiritualis qualitas quaedam est, quae animam facit omnino capacem Dei et gratiarum eius, estque sicut terra sitibunda, quae recipit aquam in se magna copia. Nam ut impleatur vas aliquod pretioso liquore, evacuandum illud est altero liquore viliore : ita, qui vult repleri amore Dei, debet evacuare se amore sui. Terra compacta non est capax imbrium nec disposita ad aquam imbibendam, sed sinit effluere : sic cor nostrum amore proprio repletum, non est capax paupertatis spiritualis.

(a) Intellige : *de se loquens.*

(1) Psalm. 68, 30. (2) Cfr. 2 Cor. 3, 5. (3) Ierem. 1, 6.

6. Hac de causa constitutiones nostrae nos monent (1), ut semper in his rebus inferioribus sincere attendamus ut serviamus et placeamus divinae bonitati propter se ipsam, et propter caritatem et eximia beneficia quibus praevenit nos, potius quam ob timorem poenarum, vel spem praemiorum — quamvis hinc etiam iuvari debeamus — et in omnibus quaeramus Deum, exuentes nos, quantum fieri potest, amore omnium creaturarum, ut affectum universum in creatorem conferamus, eum in omnibus creaturis amando, et omnes creaturas in ipso.

Sume tibi exemplum a charta candida : in ea potest tam scribi quam[a] imprimi quidlibet ; scripta, nihil recipere potest nitide, sed tantum imperfecte : ita anima imbuta et perspersa propensionibus amoris proprii, capax non est integri et perfecti amoris Dei. Debet ergo purgari paupertate spirituali, nec potest impleri amore Dei anima, quae non evacuavit amorem proprium.

Esse igitur pauperem spiritu, est vere et plene esse servum Dei et religiosum, spoliatum ac vacuatum rebus omnibus, atque adeo se ipso, ac se nihil reputare : est etenim haec vera humilitas, quae maxime Deum invitat ad nos. O ! utinam, bone Iesu, cor nostrum ita vere coniunctum et unitum esset cum corde tuo, ut per unitivam experientiam ex parte cognosceremus stupendam humilitatem divini cordis tui, ac similes essemus D. Paulo dicenti (2) : *Nos sensum Christi habemus,* id est, nos participamus ipsi gustui et sensui quem Christus habuit de rebus divinis. Haec humilitas nascitur ex lumine dato intellectui et ex virtute infusae caritatis nostrae voluntati et affectui.

Hanc lucem habebat propheta in suo intellectu cum dicebat (3) : *In veritate tua humiliasti me;* et tum ardorem habuit in affectu quando irridenti et contemnenti et subsannanti se Michol, dicebat (4) : *Ludam, et vilior fiam plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis,* interius videlicet et in affectu recognoscendo me pulverem ac cinerem. Immo vero propheta adeo se humiliavit, ut diceret se redactum ad nihilum : *Redactus sum,* inquit (5), *ad nihilum, et nescivi,* id est, ignorans fui, nec potui ante apprehendere quod iam apprehendo, nimirum quod nihil sum. Quin et filius Dei, fratres mei, ita inflammatus fuit amore vestri, ita se humiliavit ut diceret : *A me ipso facio nihil,* et iterum ibidem (6) : *Si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est,* qui tamen erat sapientia increata et omnipotentia aeterna. Ita ergo nos humiliemus, fratres mei, quoad eius

(a) Prius : *potest scribi vel imprimi,* dein *sc. et imp. ;* tandem, non deleto *et,* in utraque margine scripsit ipse Oliv. *tam, quam.*

(1) Const. P. 3. cap. 1. § 26 ; Summ. art. 17. (2) 1 Cor. 2. 16. (3) Psalm. 118, 75. (4) 2 Reg. 6, 22. (5) Psalm. 72, 22. (6) Ioann. 8., 28 ; id. 8, 54.

fieri potest ; nam haec humilitas afferet nobis utilitatem maximam.

Verum nimium excurro et digredior a primo proposito. Beati igitur pauperes spiritu dicuntur illi esse, qui voluntate et affectu propter Deum contemnunt bona omnia temporalia, ut Deo tanto expeditius serviant. Tales enim voluit Christus Dominus esse rectores Ecclesiae suae, et hanc paupertatem maxime commendavit in evangelio. Nam praeter primam beatitudinem, quam omnibus commendavit, etiam adulescenti sciscitanti quonam pacto salvus esse posset, respondit (1) : *Vade, vende quae habes, et da pauperibus.*

7. Binas autem virtutes a Christo peculiariter commendatas evangelium nos docet, humilitatem videlicet et paupertatem ; illam cum dixit (2) : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde ;* item, B. Virginem, matrem suam, tam humilem esse voluit, ut illa dixerit : *Quia respexit humilitatem ancillae suae.* Eandem docuit virtutem cum sederet in medio discipulorum sicut ministrator ; cum intrans cum celebritate maxima in urbem asina vectus est ; cum matri denique oboedientiam et honorem per totam vitam detulit. — Paupertatem vero commendavit verbo et exemplo, dicens : *Beati pauperes spiritu,* et ut mater eius benedicta testatur (3) : *Esurientes implevit bonis, et de stercore erigit pauperem.* Ex quibus colligi potest excellentia et praestantia harum virtutum, ut quae tantopere enituerunt in Christo et B. Virgine, ab eisque laudatae et praedicatae fuerunt, et a sanctis eius omnibus in pretio magno semper habitae. *Divites,* inquit psalmista (4), *eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono,* etsi hi pauperes sint.

Quot myriades sanctorum hanc paupertatem voluntariam coluerunt ! Greges et cunei prophetarum, vigente lege scripta, erant in deserto, ut docet liber Regum (5) ; in lege vero gratiae innumera hominum milia in desertis Aegypti et Syriae hanc virtutem secuti sunt. Admirabile vero exemplum illius reliquit S. Alexius in ipso parentis sui palatio. S. Franciscus similiter in domo parentis, et postquam ab ea recessit ; quin et innumeros discipulos ad eius exercitationem allegit.

8. Sed videamus propius et penitius qua magis peculiari ratione paupertas a Societate colitur. Ea igitur in primis est illa quam ceterae religiones profitentur ; illa, inquam, quam et sancti apostoli secuti sunt, de quibus dicit B. Paulus (6) : *Habentes alimenta et quibus tegamur, his contenti simus.* Sed et in ipsa Societate paupertas est multiplex ; eam

(1) Matth. 19, 21. (2) Matth. 11, 29. (3) Luc. 1, 53 ; Psalm. 112, 7. (4) Psalm. 33, 11. (5) 1 Reg. 10, 5-10 ; 19, 20 sqq. — 3 Reg. 18, 11. — 4 Reg. 2, 3 sqq. (6) 1 Tim. 6, 8.

igitur modo considerabimus in ordine ad loca et ad personas singulas, et denique quoad communitatem.

Ut igitur familiae Societatis sunt varii generis — sunt enim domus probationis, collegia, et domus professae —, sic triplicis generis est nobis paupertas : alia est enim noviciatus, alia collegiorum, alia domus professae, sicque votum paupertatis est multiplex : nam professis est sollemne et indissolubile, scholasticis et coadiutoribus sollemne quidem non est, usus tamen rerum est omnibus plane similis. Commune etenim est universae Societati nulla re uti ut propria : pendent enim omnia ex superioris iudicio et providentia. Noviciatus seu domus probationis paupertatem habent similem collegiorum ; nam utraeque familiae reditus habent in communi ad necessariam sustentationem (1).

9. Rationes sunt. Prima, ne civibus inter quos commorantur sint graves, dum nondum sunt illis utiles ministeria Societatis illis impendendo. Secunda, ut ipsa domus probationis sit firmior ac permanentior, sicuti est reditibus certis et firmis stabilita. Tertia, quia non expedit plantas novellas tentationum occasionibus exponi, sicuti certe exponerentur, si pro rebus necessariis ad sui sustentationem eleemosynas domatim quaerere deberent. Quarta, quia evagatio noviciis multas distractiones mentis importaret ; debent autem illi perpetuo intenti esse suo profectui spirituali et collectioni mentis attendere.

Collegia simile fere paupertatis genus habent, et eaedem sunt causae cur census et reditus annuos habeant. Haec una ratio illis addi potest, nimirum ut studiosi hoc melius[a] proficiant in litteris quo minus sunt de necessariis solliciti[b], et bene se comparent, ut aliquando[c] instructi virtute et doctrina adhibeantur[d] curandae saluti proximorum catechizando, contionando, docendo in scholis, ministeria denique Societatis omnia in salutem proximorum obeundo. Hinc necessaria est collegiis fundatio firmis reditibus nixa, ne studiosi faciant, quaerendo eleemosynas et alimenta aliaque necessaria, temporis et studiorum iacturam.

10. Quod attinet ad domos professas, quoniam corporis Societatis membrum est praecipuum et eminentissimum, sicuti Societatis finis est eminentissimus, ita quoque professae domus, seu in quibus professi degunt, genus paupertatis profiteri debent eminentissimum. Proprium itaque est his domibus nullum ius habere ad reditus et bona stabilia seu

(a) *ut stud. bene.* B. (b) *q. m. s. d. n. s.* om. B. (c) om. B. (d) *tandem.* add. B.

(1) Exam. cap. 1, § 4. — Bulla 1ª Pauli III et Iulii III. — Const. item Gregor. XIII, et Gregor. XIV.

immobilia, neque ad legata ulla neque ad ullas eleemosynas perpetuas. Possunt tamen ius habere ad domum, in qua ipsi habitent (1); estque eadem ratio coadiutorum formatorum cum professis, quia nec hi ius habere possunt ullum ad bona temporalia et reditus, neque capaces sunt ullius hereditatis; neque domus, in quibus degunt, ius ullum habere possunt ad praedicta ratione ipsorum, ut perfectius et ipsi colant cum professis paupertatem, ut qui laborare debent in vinea Domini et proximos aedificare et iuvare, lites omnes et occasiones earum declinent (2).

Quandoquidem vero iam agamus de domibus professis, notandum propono quod agamus de personis ipsis professis, quae in domibus agunt. Nam qui in collegiis ob necessitatem collegiorum degunt, quia non ideo professi esse desinunt, aut laxiorem habere possunt paupertatem — manent enim semper aeque pauperes — ideo, quod vivant[a] de reditibus, id est per accidens, sive ex dispensatione. Nimirum, vel quia necessarii sunt collegiis, ut in iis laborent et ministrent, vel certe quia per aetatem et senium nimium illis conceditur per dispensationem, ut in collegiis vitae solacium habeant.

Alioqui, qui statum hunc habent professorum et coadiutorum formatorum, non possunt ordinarie in collegiis habitare neque collegiorum reditibus uti, vel ipsemet Generalis. Immo in ipso Generali praeposito casus esset reservatus, et sufficiens ad illum publice arguendum (3). Sed ex eleemosynis vivere et in domibus professis commorari debent, nisi dum actu in collegio praestant suam operam. Denique, quando a Pontifice mittuntur longius a residentia sua ad aliqua negotia peragenda, nullum viaticum petere possunt ; accipere tamen possunt si a mittente sponte detur ; quin et petere possunt humiliter a Pontifice quo modo velit eos vivere in missione et ad eam proficisci, mendicatione an aliter (4).

11. Professis autem quattuor votorum peculiariter incumbit huius virtutis perfectionem sectari, eamque studiose exercere (5). Quin et formula quinque votorum simplicium quae post professionem eduntur, etiam ad hoc peculiariter obligat, ut numquam passuri sint quicquam de rigore paupertatis remitti. Domos ergo professas oportet [primo] mendicato vivere, et simpliciter petere pro amore Dei ad sustentationem necessaria (6).

Secundo, his domibus, seu earum alumnis, nullo pacto licet suadere

(a) *quod autem viv.* B.

(1) Const. P. 1, cap. 2. (2) Const. p. 6, cap. 2, § 12. (3) Const. P. 9 [a], cap. 4, § 7.
(4) Const. P. 6, c. 2, § 13. (5) Const. P. 6, cap. 2, § 1. (6) Const. P. 6. cap. 2, §§ 6 ; 10.

cuiquam ut leget vel det eleemosynam post mortem tradendam harum domorum alumnis. Possunt tamen cum simplicitate et humilitate necessitatem praesentem exponere, sed definitionem iis quibuscum agunt debent relinquere, nec eos ullo pacto urgere[a].

Tertio, etsi possunt eleemosynas vel reditus aliquos ad fabricam ecclesiae vel domorum accipere, tamen nec dispositio eorum ad Societatem pertinet, nec sit unde Societati competat actio seu ius in illa (1).

Quarto, non possunt hae domus professae habere gazophylacium in Ecclesiis suis, seu arcam ad excipiendas eleemosynas.

Quinto, neque munuscula dare ad obtinendum maiora (2) ; neque umenta ad equitandum ordinarie tenere (3).

12. Collegiorum bona, neque quoad proprietatem neque quoad ius, potest professus accipere, et si quidpiam acciperet vel etiam Generalis sibi appropriaret, peccaret mortaliter, scilicet contra votum, et teneretur ad restitutionem, vel certe domus in qua residet. Generalis autem in tali casu posset deponi. Quamvis vero, ut dictum est, domus professae nullum ius habere possint ad immobilia ulla, si legarentur aut donarentur, ut retineant, possunt tamen ea admittere ut vendantur ad succurrendum suis necessitatibus urgentibus, sicuti et mobilia pretiosa.

Collegia autem ita sunt astricta, ut tota ratio et dispositio bonorum stabilium ex praepositi Generalis arbitrio pendeat, qui tamen vicissim ita artatur, ut nihil omnino in usum suum possit convertere, ut paulo ante dictum est. Professorum vero nemo potest re ulla uti collegiorum vel domus probationis ad suas necessitates, nisi mutuo et ad paucos dies aut breve tempus aliquid acciperet, — videlicet libros, etc. — neque sustentari in iisdem locis sive domiciliis, nisi, sicut dictum est, mitteretur ad aliquod obsequium in ipsorum utilitatem praestandum.

13. Professi igitur et coadiutores formati totum fulcimentum suum reponere debent in Deo et in eleemosynis proximorum gratuitis. Et sic quidem familiae domus probationis, collegiorum, domus professae paupertatem tenere et exercere debent, quam in Societate profitemur temporalem. Nam quod ad spiritualem attinet, ut ad eam redeamus et pauca dicamus : omnes omnino, cuius*(vis)* ordinis sint, omnem fiduciam sui ipsorum in Deo, nullum vero in se fundamentum collocare debent, nec dicere amplius absolute : ego faciam, ego dicam, etc. ; sed dicere debent et cogitare : dicam et faciam quae Deus volet, et quae Deus mandabit ; sicuti ancillae

(a) *possunt.* add. B.

(1) Const. P. 6. cap. 2, § 8. (2) Const. P. 6, cap. 2, §§ 9, 14. (3) Ibidem.

oculi in manibus dominae suae, ita oculos suos in Deum conicere debent. Sic dicit re ipsa pauper saecularis : hoc ego faciam, quia talis dominus mihi bene vult, et me iuvabit ut faciam ; ita ergo dicet pauper spiritualis : hoc faciam quia Deus vult et mandat, meque iuvabit quia potens est.

D. Basilius in regulis (1) monet religiosum, ut statuat apud se ac necessarium ducat, ut suam propriam voluntatem suosque proprios modos relinquat atque abneget, et ut in unam omnes religiosi formam sibi propositam inspiciant, quam imitentur et ad quam se ipsos componant. Sic ergo, fratres carissimi, studeamus omnes facere, ut grati et accepti simus in conspectu Domini.

24ª Exhortatio

De paupertatis dignitate et utilitate, et de eadem in ordine ad personas Societatis

1. Paupertas, licet infimum locum, fratres carissimi, inter tria vota essentialia seu religionis obtineat, est tamen religionis fundamentum, ut habet D. Thomas (2), et secundum Ambrosium (3) est parens quaedam generatioque virtutum ; et ut Theophilactus in Luc. cap. 18, est virtutum omnium caput. Non sequitur tamen inde illam religionem reputandam esse perfectiorem, quae rigidiorem profitetur paupertatem ; paupertas enim non est perfectio, sed perfectionis instrumentum, ut docet D. Thomas (4). Sed licet non sit de essentia perfectionis, est tamen de essentia religionis ; quae non est parva eius dignitas.

Secunda dignitas ad eam accedit, quod Christus eam secutus est et amplexatus, ut viam ad perfectionem nobis verbo et exemplo sterneret. Accedit ad hanc dignitatem quod et B. Virgo et Apostoli omnes eam coluerunt, fundatores ecclesiae militantis, eamque ad nos transmiserunt. Verum quidem est Christum interdum habuisse pecunias, sed eas habuit in communi, et earum administrator fuit Iudas ; et postea secuti sunt septem diaconi, qui in communi res ecclesiae temporales administrarunt.

(1) S. Basil. PG. t. 31. Reg. fus. disp. 41. n. 1. col. 1022. (2) S. Thom. 2. 2ae q. 186. a. 3. c; Cfr. ibid. art. 8. c. (3) S. Ambros. PL. t. 15. lib. 3 in Luc. cap. 8. col. 1650. n. 50. (4) S. Thom. 2. 2ae q. 188. a. 7. c.

Christus tamen nihil penes se tenuit praeter ea quae ad usum habuit necessaria, ut etiam perfectis hominibus vivendi formam exhiberet. Unde Matthaei 8° dicitur quod (1) « Filius hominis non habebat ubi caput suum reclinaret » ; et Lucae 8° (2) : Mulieres ipsum sequentes *Ministrabant ei de facultatibus suis*. Et Apostolis speciatim dixit (3) : *Nolite possidere aurum neque argentum neque pecuniam in zonis vestris*. Quis dubitet quin prius haec opere compleverit ? Omnia enim perfectionis opera ita verbo docuit, ut prius exemplo doceret, iuxta illud Actorum 1° : *Coepit Iesus facere et docere*. Vide D. Thom. Opusc. 17 cap. 25, ubi docet maioris perfectionis esse Christi et apostolorum exemplo et testimonio omnium bonorum proprietatem etiam in communi abicere. Quare, qui ad religionem accessit cavere omnino debet ne quid proprii retineat, alioqui Deo ipse se non dedit[a] totum, quia si[b] quis retinet quicquam mundi, princeps mundi aliquid habet in eo, nec est totus Dei. Vult autem Christus principem mundi nihil habere in servis suis, quia sufficiens ipse est ut prospiciat famulis ; nimisque est cupidus, cui non sufficit Deus ; nec sentit de Deo in bonitate, qui credit quod nolit vel non possit sibi providere. Princeps huius mundi nihil habet in Christo : ita Christus non patitur ut quicquam habeat in servo suo.

2. Tertia dignitas est, quod est beata. Beati enim sunt pauperes. Beata autem est, ut dicit Augustinus ad fratres in eremo (4), quia est plena pacis, in omni loco secura, in omni loco sana et absque laesione, in omni loco omnibus amica.

Quarta dignitas est, quod est sponsa Iesu Christi, ut ibidem D. Augustinus, possessio iustorum, vita beatorum, securitas fidelium, ornamentum religiosorum.

Quinta dignitas est, quod sit omnium locupletissima et supra reges et monarchas, ut dicit Augustinus serm. de verb. Apostoli(5): Non debemus, inquit, despicere paupertatem, quia nihil est ea opulentius. Vis, inquit, nosse quam locuples ea sit : ipsa caelum emit. Quo thesauro vel potius quibus thesauris comparari potest id quod datum est paupertati ? ipsa consequitur et acquirit regnum caelorum. Bernardus (6) : Vis comparare regnum caelorum ? amplexare vilitatem paupertatis, et continuo tuum est. Neque ab hac paupertate spiritus potest se quisquam excusare, dicendo quod nequeat esse spiritu pauper, si credit D. Gregorio

(a) *dat.* B. (b) *quia eius qui r.* B.

(1) Cfr. Matth. 8, 20. (2) Luc. 8, 3. (3) Matth. 10, 9. (4) S. Augustin. PL. t. 40. Serm. de Pace. col. 1238, 1239. (5) S. Augustin. PL. t. 39. Serm. de Vet. et N. Test. col. 1936. 4. (6) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 1 de omn. SS. col. 457, n. 8 b.

dicenti lib. moral. (1) : « Ipsi vere sunt pauperes, qui non sunt inflati spiritu superbiae, quos summa veritas dicit esse beatos ; ipse autem vere est pauper spiritu, quem superbia non extollit ». Possumus autem omnes elationem et superbiam excutere, adiuti Dei gratia ; et possumus esse pauperes spiritu et humiles, si desinimus esse superbi.

Sexta dignitas est, quod propter paupertatem filius Dei in mundum venit (2) : *Evangelizare pauperibus misit me ;* et psalmista (3) : *Propter miseriam inopum... nunc exsurgam.*

Septima. Est valde munda, suavis et amoena. E contrario, divitiae sunt immundae et spinosae, quia pungunt, ut ait D. Gregorius super Matthaeum (4).

3. Quod ad utilitatem attinet, aliqua de ea iam dicamus.

Quamvis nulla esset, fratres mei, alia utilitas praeter Christi Domini imitationem, illa sane magna esset ; quia nihil nobis utilius, nihil gloriosius esse potest quam proxime Christum Dominum imitari. Ipse vero ab hac virtute vitam suam instituit, praedicationem evangelicam inchoavit, ut nos per eam ad beatitudinem traduceret. Notate autem, fratres mei, finem paupertatis esse perfectionem caritatis. Christus porro non ad eum finem eam est amplexatus, qui summa et essentialis caritas exstitit, iuxta illud (5) : *Deus caritas est* ; sed assumpsit, ut nos invitaret ad perfectionem ad quam ipsa ducit, et ad divitias aeternas perduceret : sicuti medicus peritus, licet sanus sit nec opus habeat cibo, praegustat tamen et comedit coram aegro, ut eum animet ad sumendum.

4. Secunda utlitas est, quod iuvat multum ad finem ultimum consequendum et ad perfectissimum Dei amorem. Nam qui se privat et exuit rebus terrenis omnibus, signum est quod se privat amore et cura ac sollicitudine earum, atque hoc modo cor mundatur et purificatur, ut impleatur divino amore. Qua ratione cor fit caeleste, et homo civis caelestis ; nam, *Ubi est thesaurus tuus,* ait Dominus (6), *ibi est et cor tuum.* Et ita homo peregrinus huius mundi dicere potest cum Apostolo (7) : *Nostra conversatio in caelis est.* Utilitas haec sane praeclara est, per paupertatem nobis aditum parari ad amorem Dei. Nam sicut ignis, qui natura levis est, sursum semper ascenderet nisi materia, id est lignum, ipsum retineret, ita cor nostrum nisi a rebus his terrenis et transitoriis inferne detineretur, superne semper ascenderet ad amorem et contem-

(1) S. Gregor. PL. t. 76. Moral. l. 21, c. 16, n. 25. col. 205a. (2) Luc. 4, 18. (3) Psalm. 11, 6. (4) S. Gregor. PL. t. 76 Hom. 15 in Ev. col. 1131, nn. 1, 3 ; et t. 79 in 1 Reg. l. 2, n, 21 m. col. 87. (5) 1 Ioann. 4, 16. (6) Matth. 6, 21. (7) Philip. 3, 20.

plationem Dei. Cum ergo paupertatis virtus mundana haec omnia abiciat, facilem ad caritatem viam sternit.

Ad hanc D. Basilius nos hortatur dicens (1) : « Convenit, ut quem ad modum qui in balneum ingrediuntur, vestimentis omnibus se denudant, ita et qui colendae paupertatis causa ad solitariam sive religiosam vitam accedunt, omni rerum vitae huius materia exui. » Et S. Ephraem (2) : « Agite ergo, fratres carissimi, contemnamus haec momentanea, omnemque cogitationem in aeternis illis bonis nobis promissis defixam teneamus. Non glorietur doctus in doctrina sua, non sacerdos in dignitate sua, non robustus in virtute sua, sed quicumque gloriatur, glorietur in Domino. »

Est quidem nobis semper aliquid amandum, sed si in his inferioribus amor noster occupatur, non libere fertur in Deum ; si vero contemptis inferioribus amor totus ignitus in Deum fertur, ardentiusque illum ferit, ut dicat (3) : *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa,* etc., tunc perfectior est et fortior. Exemplum nobis praebet rusticus hortulanus, qui habens arborem in horto, si videat suboles et vitulamina (4) ex ea proferri, ramosque multos deorsum tendere, vel in partes diversas luxuriantes, volens in altum eam excrescere, abscidit circumquaque surculos exuberantes, ut collecta in unum tota virtute et suco, humoreve arboris, non impediatur ab accremento. Sic nos, si vere abiciamus rerum inferiorum oblectationes, amorem nostrum in Deum conferamus per paupertatem sanctam, superflua omnia resecemus : amor noster, qui divisus est, totus in Deum feretur, crescemus ad perfectionem, copiosiores fructus in horrea Domini reportabimus.

5. Tertia utilitas est, et non minima, quod ad ministeria Societatis per paupertatem sumus expeditiores, quia ea adiuti et recreati aliud non quaerimus quam Dei honorem et proximi salutem propter ipsum ; proximus autem cernens quod suam salutem solum et non commoda nostra quaeramus, facilius ac liberius nostris se accommodat consiliis. Ita fecisse Apostolum docent eius verba (5) : *Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos.* Accedit quod in ministeriis ipsis obeundis maior Societatis elucet sinceritas et puritas ; nam hac ratione omnes agnoscunt nos vere gratis, ut profitemur, omnia praestare, quae gratis a Deo accepimus ; unde sequitur maior aedificatio populi ac monendi libertas (6).

(1) S. Basil. PG. t. 31 Serm. asc. col. 882. n. 1. (2) S. Ephraem. tom. 1, n. 6 de Amore pauperum. in. p. 15, 16. (3) Cant. 4, 9. (4) Vitulamina, i. e. surculos. Legitur vox illa lib. Sapientiae, 4, 3. Cfr. S. Hieron. t. 29. col. 408, nota. — S. August. t. 34 de Doct. Chr. l. 2, c. 12, n. 18. col. 44. — Ducange, Glossarium, a. h. v. (5) 2 Cor. 12, 14. (6) Const. P. 4, cap. 7. § 2 ; et P. 6. cap. 2, § 6.

6. Quarta utilitas est, quod paupertatis exercitatio usum et exercitationem continet omnium virtutum theologicarum. Primo fidei, quia dum terrena omnia propter Deum abicimus, Deum etiam esse ac nostri curam gerere credimus ac confitemur, nec fiduciam in mundo divitias promittente collocamus : qui enim veram fidem habet Deo, non desiderat, ait Augustinus, in his miseriis dives fieri (1). — Secundo spei, quia derelictis omnibus terrenis, nihil in eis sperantes, in Deo spem nostram totam ponimus. Quid vero aliud est, ait Augustinus, in his terrenis sperare, quam de Deo desperare ? — Tertio caritatis, quia, ut paulo ante dictum est, quanto magis animus et affectus noster a terrenis separatur, tanto magis Deo unitur.

Quinta utilitas est, quod qui milites Christi sumus electi ad pugnandum contra hostem eius, esse debemus expediti eius exemplo, neque ad dies tantum aliquos vel menses, sed semper, quia tota vita nostra militia est super terram (2), et tota vita nostra proeliandum nobis est. Cum vero bona temporalia impedimento esse soleant proeliantibus, omnia abicienda sunt, ut dicit D. Gregorius (3), ut leviores et expeditiores simus ad pugnam, exemplo Davidis, qui Saulis arma abiecit, pugnaturus contra Goliath solo baculo et funda cum quinque lapidibus instructus. Sic nos igitur abiciamus mundi arma gravia et onerosa, libenterque instructi simus armis christianae religiosaeque paupertatis, balteo castitatis, baculo crucis, quinque vulneribus Christi cordi nostro infixis. Sic hostem prosternemus.

7. Sexta utilitas est, quod per eam acquirimus veram animi libertatem. Hinc Dominus ad Moysen, et postea per Moysen ad Iosue, cum ei praeciperet populum traducere in terram promissionis (4) : *Solve calceamentum*, inquit, *de pedibus tuis*, id est, affectiones terrenas solve et abice. Volebat Deus nimirum, ut maiori libertate Moyses et Iosue populum suum gubernarent : ita Societatis homines debent omnes affectiones terrenas abicere, ut cum proximis liberius agant eosque facere doceant quae Christi sunt et salutis.

8. Septima ultilitas pertinet ad universam Societatem ; ideo a B. P. N. Ignatio appellata est murus religionis. Vere enim, si introducerentur divitiae et opes in eam, nihil est vitiorum quod tandem non irreperet in

(1) Locum seu potius verba haec S. August. non invenimus. Vide tamen t. 47 Enarr. in Ps. 93, n. 7. col. 1196 ; aut ib. Enarr. in Ps. 131, n. 24 sq. col. 1726. Vel suppleas S. Gregor. t. 76 Mor. l. 22, c. 2. n. 4. col. 213. (2) Cfr. Iob. 7, 1. (3) S. Gregor. PL. t. 76 Hom. 32 in Ev. nn. 1, 2. col. 1232, 1233. Cfr. Breviar. Com. un. Mart. lect. 9a. (4) Exod. 3, 5 ; Ios. 5, 16.

religionem,et recederet ab anima omnis quies ; succederet vero sollicitudo et irrequies maxima. Cognoscens S. Franciscus paupertatis merita in religione, eam nutricem appellavit. Si rem enim bene consideraverimus, ad oculum conspiciemus quod nulla re religiosi mendicantes ab opulentis monasteriis superentur. Templa nempe eorum, cultus divinus, mensa ordinaria Dominicanorum et sancti Francisci nulla in re cedunt aliis, sive nitorem et splendorem in cultu divino et altaribus, sive mensae frugalitatem secundum Deum aestimaveris. Et haec quidem in rerum corporearum genere magna sunt, quae a paupertatis virtute proficiscuntur. Atqui spiritualia bona quae eadem virtus paupertatis et simplicitatis ex se profert, his multo maiora sunt in suo genere. Nutrit paupertas castitatem, nutrit paupertas oboedientiam, nutrit humilitatem, mortificationem, iustitiam, devotionem, etc. Nemo vero est qui nesciat quantum praesidii poni soleat a sapientibus in vallo et moenibus alicuius arcis, praesertim si intus multiplici muro valloque munita sit. Murus[a] duplex paupertatis spiritus, realis seu communis.

9. Octava utilitas paupertatis est, quod sit religioni maxime usui et robori. Nam, quamvis ipsa sit inferior castitate et oboedientia in perfectione, absque illis tamen esse potest ; illae vero sine hac, nequaquam ; ideo in formula votorum nostrorum non abs re primum locum tenet. Quod multum etiam auget eius dignitatem est, quod Christus ab ea suam praedicationem exorsus est (1).

Sed intra se fortassis cogitabit aliquis habere illam magnas difficultates. At quae virtus est, fratres mei, quae laborem non habeat adiunctum ? Non ieiunatur sine labore, non vigilatur sine difficultate, sine tentatione castitas retineri nequit, studia litterarum multum laboris requirunt, demum nulla virtus sine labore est.

10. Iam locus postulat ut dicamus de tertio membro in titulo exhortationis posito, nimirum de paupertate in ordine ad personas, quandoquidem de locorum nostrorum paupertate dixerimus et de ipsius utilitate.

Debent ergo omnes alumni Societatis non tantum affici erga paupertatem, sed omnes interdum experiri debent ex composito aliquos eius effectus, et desiderare res sibi dari semper viliores, ut habetur in Examine (2).

Secundo, nemo debet retinere proprietatem rei cuiusque, licet minimae, immo neque usum ipsum sibi appropriare, aut dicere esse suum ; debetque

(a) *Murus* seqq. in margine utriusque codicis.

(1) Matth. 5, 3 ; Luc. 6, 20. (2) Exam. cap. 4 § 26.

unus quisque istud in praxim deducere ea puritate animi qua possit maxima. Ideo nemo debet rem ullam retinere absque consensu superioris, etiamsi liber esset quo utiliter uteretur. Hanc ob rem, nemo nomen suum inscribere potest libro ulli, neque adeo scribere esse datum in usum suum ; sed omnia nobis esse debent ut res pauperum, a caritate nobis subministratae, cibi videlicet, vestes, libri precarii et alii, et omnia denique, etiam necessaria, in communi possideri debent ; distribui vero singulis, prout opus est, et iudicio eius qui praeest. Ita D. Basilius (1), sic ecclesia primitiva faciebat (2). Cubicula etiam solent in Societate mutari ad nutum superioris, ad paupertatis exercitationem.

Tertio, hic usus rerum adhuc restringitur : cavetur enim expresse ne quisquam quidpiam accipiat vel det absque facultate ; immo ne quidem commutare quicquam, vel arcam clausam cubiculumque obseratum habere[a], ut intellegamus nos res tantum habere ad usum, idque ex voluntate superioris.

11. Quarto, pro ministeriis nostris nihil penitus accipere possumus, neque per modum stipendii, neque per modum eleemosynae, si haec speciem aliquam mercedis habeat aut compensationis ; quamvis aliis ecclesiasticis et religiosis id liceat maxime et iustissime. B. enim P. Noster (3) spectavit hic maxime missiones, quae fieri debebant ad fideles et haereticos, ad tollendam omnem occasionem suspicandi quod propter res temporales Societas huiusmodi laboribus et periculis se exponeret.

Quinto, nemo potest acceptare beneficium ecclesiasticum, quia ex eo ius haberet ad stipendia quae pro ministeriis sunt a fundatore instituta ; Societati autem nihil licet accipere : ideo beneficia quae a Sede Apostolica collegiis aut domibus probationis adiunguntur, supprimi et exstingui solent de plenitudine potestatis Sedis Apostolicae, et onera eorum in ministeria Societatis commutari.

Sexto, nullus habet certam et propriam sedem, sicuti habent alii religiosi ex instituto suo ; quod argumentum est nos nihil possidere proprii, quia circumportare quae nostra essent vellemus. Nullus autem vel apud se vel apud alium, domi vel foris, quicquam habere potest absque facultate superioris.

Septimo, unus quisque debet sibi persuadere quod vilissima quaeque, tum ex culina tum ex officina vestiaria sibi ministrabuntur ; sicuti cuique persuasum semper esse debuit, quod in omnibus tractaretur sicuti Christi pauperculus.

(a) Supple : *licet*.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. ius. tr. 34 col. 999. Cfr. ibid. col. 878. n. 5. (2) Act. 2.
(3) Const. P. 6. cap. 2, § 2. — P. 10, § 5. — Exam. cap. 1, § 3, 4.

12. Octavo, si cuipiam concederetur aliquid, quod vel valetudo vel necessitas postularet, ut cibus delicatior, is debet aestimare id sibi divinam bonitatem concedere, non propter merita, sed ut magis cognoscat Deum gerere curam suorum, ubicumque sint et commorentur. Ut autem Societas amplexata est paupertatem strictissimam, ita nihil pro laboribus, quos in erudienda iuventute subit, accipit, ut purius Deo serviat, — sicuti de ministeriis aliis ante dictum est — et ut amor erga proximos sit perfectior ac purior in muneribus Societatis obeundis. Nam si acciperetur eleemosyna propterea, posset aliquando contingere ut vel confessarius exciperet confessiones, vel alius aliud officium proximis praestaret amore eleemosynae aut mercedis, potius quam studio et zelo salutis animarum ; ac proinde non praestaret officium tam pure et perfecte ob Dei amorem et proximorum salutem, sicuti ex instituto et principiis nostris debemus. Ut enim fragilis est homo et infirmus, allici posset interdum animus inordinato affectu ad spirituales illos labores subeundos, quod minime expedit. Felices nos igitur, fratres, qui a Deo hanc gratiam consecuti sumus, et in eam Societatem aggregati sumus in qua tam pure et studiose haec paupertatis virtus colitur, ut ad summam eius perfectionem contendere Christi amore non admodum laboriosum sit ac difficile.

13. Non omittit vero Societas accipere ea solaciola et media ex ministeriis, quod illicita esse aliis ecclesiasticis et religiosis, praesertim mendicantibus, existimet. Absit illud. Immo, certe sanctum et iustum esse ducit dare et accipere tale subsidium ; nec ignorat Christum dicere ac S. Paulum (1) : dignum esse operarium mercede sua, et neminem militare suis stipendiis ; sed se his mediis privat, ut fecit Paulus, in bonum eorum quorum saluti studebat, et quia mavult Societas suam mercedem a Deo solo exspectare. Nihil autem petere aut accipere pro ministeriis insigne est paupertatis, iuvatque non tantum ad conservationem voti paupertatis, sed etiam ad magnam disciplinae puritatem.

In lege autem naturae ante peccatum omnia erant communia, et fuissent semper nisi homo peccasset ; in lege gratiae similiter, nascente ecclesia, nemo suum aliquid esse dicebat ; in statu gloriae futura sunt omnia omnibus omnino communia. Religiosa ergo vita tanto facilior est, quantum propius ad statum futurae gloriae accedit ac se conformat. Cum autem non possit inveniri status melior in natura quam qui fuit ante peccatum, nec in tempore legis gratiae quam ille quem habuit ecclesia primitiva, nec ullus omnino felicior quam status gloriae : felix sane, fratres mei, nostra Societas, quae in hoc genere paupertatis et

(1) Cfr. Luc. 10, 7 ; Matth. 10, 10 ; 1 Tim. 5, 18 ; 1. Cor. 9. 7.

statum innocentiae, et statum gratiae, et statum gloriae imitatur, omnia habens in communi.

Agimus ergo gratias tibi, Deo benignissime, quantas possimus, quod dignatus sis tantam gratiam nobis conferre, ut in religione tam bene firmata et communita nos collocares. Da quaesumus etiam perseverantiae gratiam, et ut, quam diu in hac mortalitate degimus, vere nobis moriamur ac veri paupertatis cultores ad tui nominis gloriam maneamus.

25ª Exhortatio

De paupertatis gradibus ac praerogativis, de occasionibus proprietatis earumque remediis, et de abusibus

1. Constitutionem de paupertate B. P. N. Ignatius ut faceret, prius a Deo sibi sapientiam per quadraginta dies petiit, et praeter alias exercitationes et paenitentias sacrosanctum missae sacrificium cotidie obtulit, neque umquam sine lacrimis et supernaturali illustratione. Quo peracto tempore, tandem statuit quae forma instituti habet. Quamvis enim Societatis collegia et domus probationis cum aliorum religiosorum monasteriis in hoc conveniant, ut possint reditus et praedia in communi possidere, in non nullis tamen differunt, quae paupertatem earum domorum perfectiorem ostendunt.

Primo, licet proprietatem bonorum temporalium collegia in communi retineant, administratio tamen eorum non absolute ad provincialem seu rectorem, non denique ad collegiales simul congregatos pertinet, sed ad Societatem professam, et eius nomine ad praepositum Generalem, ut bullae habent confirmationis Pauli III et Iulii III, et Gregorii XIII atque Gregorii XIV constitutiones, et 4ª Pars constitutionum (1).

In quo quidem divina sapientia mire elucet, ut nec collegiales bonis abuti, nec Societas professa in suos usus conferre possit, sed studiosorum nostrorum necessitati bona illa subservirent, ut loquuntur sancti illi pontifices. Unde fit ut omnis potestas ineundi contractus non ad collegia, vel ad domos probationis spectet, sed penes ipsum sit praepositum

(1) Const. P. 4, cap. 10, § 1-3. — P. 9, cap. 3, § 5.

Generalem, et ab ipso in inferiores dimanet. Quod confirmatum est per Gregorium XIII et Gregorium XIV, ipsorum Constitutionibus, quo praepositus Generalis omnium bonorum sit administrator, ut melius paupertatis puritas ac quies conservetur.

2. Secundo, licet Generalis hanc administrationem habeat, nec ipse tamen, nec professi in suos usus quicquam eorum bonorum convertere possunt. Tertio, collegia nulla sacerdotia nullasve capellanias admittere ullo modo possunt, quamvis illis id afferret magnum subsidium, et multa monasteria aliorum ordinum magno suo commodo ea admiserint. Quod si quae beneficia videantur habere collegia, ea non habent ut[a] administrent, sed per unionem, incorporationem et exstinctionem eorum habent ; nec plura quam unum atque alterum pro necessariis alimentis scholarium nostrorum.

3. Neque in Societate multa sunt ea collegia, quae pro sua fundatione beneficia habeant ; neque solum collegia seu communitas non admittit sacerdotia, sed neque particulares ipsi studiosi ; et si quod habent, debent illud post primum annum probationis relinquere, si superior mandaverit, ut fere fit. Certe, post secundum annum omnino resignantur. Immo, neque bona sua patrimonialia possunt ulli retinere, sed parati semper esse debent ad disponendum de iis, quando fuerit eis mandatum.

Interim dum hoc illis non mandatur, patrimonium quidem retinere possunt, sed quoad proprietatem seu dominium tantum ; nam totus usus et administratio ex superioris iudicio pendet, ita tamen ut superiores in usum Societatis ea non attrahant[b] . Subditi de suis bonis disponunt in pauperes vel parentes, si opus habeant, ut alii pauperes. Quod si sponte eam[c] Societati voluerint elargiri, potest ipsa[d] admittere aliquam eleemosynam in subsidium ac levamen necessitatum collegiorum[e], sed intra provinciam, non aliter[f]. Dilatio ergo distributionis[g] bonorum propterea fit, quod possit contingere illos a Societate dimitti : esset autem iniquum bonis suis exutos dimittere, quia non haberent unde se sustentarent.

Neque tamen interim minus sunt religiosi quam ceteri, non solum quia Sedes Apostolica ita statuit, et in Societatis instituto confirmavit, sed quia illud non adversatur perfectioni religiosae.Patet ex S.Thoma (1),

(a) *non habent ut ea.* B. (b) *potest tamen Generalis per Provincialem, quando.* add. B. (c) *eam* referas ad « eleemosynam », quae vox, ante correctionem factam, praecedebat. (d) *quod si... ipse* (scil. Generalis) om. B. (e) *Societatis, si sponte eam Societati voluerint elargiri.* add. B. (f) *sed i. p. n. a.* om. B. (g) *Haec autem dil. dis.* B.

(1) S. Thom. 2, 2, p. 184, art. 7. ad 1[m].

qui docet quod abrenuntiatio propriarum facultatum possit dupliciter considerari : primo, secundum quod est in actu, et sic in ea non consistit essentialiter perfectio ; secundo, secundum praeparationem animi, ut videlicet sit homo praeparatus omnia dimittere vel distribuere, et hoc dicitur ad perfectionem pertinere.

Quae sententia mirum in modum confirmat hanc rationem paupertatis, quam tenent et servant fratres nostri scholastici et alii non professi. Quibus addi possunt duo : unum, quod non solum in praeparatione animi, sed etiam in actu nostri renuntiant et exuunt omnem administrationem et distributionem rerum quas possident ; et ita, quantum ad illarum usum — ut duo Gregorii memorati decreverunt — paupertatem nihilo minus religiosam vere observant, quia nulla re tamquam propria uti possunt, neque omnino[a] nisi permittente superiore. Secundo, quia[b] iam votis emissis non sunt in nuda animi praeparatione ad relinquendum dominium, sed ex vi voti — post emissa religionis vota — fit materia non tantum oboedientiae, sed et voti paupertatis.

4. Praerogativae paupertatis sunt, ex sacra scriptura :

Prima, quod Deus habeat peculiarem curam ipsorum, ut eis sit prospectum. Dicit enim propheta (1) : *Tibi derelictus est pauper ;* item (2) : *Factus est Dominus refugium pauperi, adiutor in opportunitatibus, in tribulatione.* Item (3) : *Oculi eius in pauperem respiciunt.*

Secundo, audit eos Deus in suis orationibus et clamoribus, psalmista dicente (4) : *Iste pauper clamavit et Dominus exaudivit eum, et de omnibus tribulationibus eius salvavit eum ;* et (5) : *Populum pauperem salvum faciet* Dominus. Item (6) : *Neque despexit deprecationem pauperis.* Item (7) : *Deprecatio pauperis ex ore usque ad aures Domini perveniet.*

Tertia : non solum deprecatio, sed et ipsa desideria exaudit Deus (8) : *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.*

Quarta, dat eis Dominus oblectamentum (9) : *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus.*

Quinta : vix patitur Dominus ut pauperes persecutiones sustineant a malignis (10) : « Non patitur Deus ut despiciatur pauper, et qui iniuriam ei facit, eam facit Domino et creatori eius. » Et (11) : *Salvos faciet filios pauperum et humiliabit calumniatorem.*

(a) *suis facultatibus uti.* add. B, delevit A. (b) Exspectes : *Alterum, quod.*

(1) Psalm. 10 H, 14. (2) Psalm. 9, 10. (3) Psalm. 10 H, 9. (4) Psalm. 33, 7.
(5) Cfr. 2 Reg. 22, 28. (6) Psalm. 21, 25. (7) Eccli. 21, 6. (8) Psalm. 10 H. 17.
(9) Psalm. 67, 11. (10) Cfr. Prov. 22, 22. 23. (11) Psalm. 71, 4.

Sexta : Vult Deus « ut eis succurratur in necessitatibus, et irascitur ei qui claudit aures ad eorum preces » (1).

Septima : « Dat eis Dominus animum et virtutem, immo est ipsorum virtus et fortitudo » (2).

Octava : *Pauperes evangelizantur* (3).

5. Gradus paupertatis attingemus nunc quattuor.

Primus est[a] eorum qui libenter et cum affectu superfluis rebus utuntur, et avide eas expetunt, qui tamen affectus ita est temperatus, ut non sit contra caritatem. Sunt alii, qui superflua ut superflua respuunt et relinquunt, sed tamen adhuc sentiunt aliquem ad ea affectum, non quidem continuum, sed interruptum ; alii denique sunt, qui superflua penitus resecant, necessariis contenti.

Secundus gradus est respectu necessariorum ; et hic varios gradus habet. Primus est eorum qui libenter et cum affectu utuntur rebus necessariis, sed tamen praeter[b] caritatem. Secundus est eorum qui necessariis utuntur quia necessaria sunt, idque non libenter. Tertius est eorum qui cum nausea illis utuntur, mallentque sine illis posse vivere, si fieri posset. Hi ergo cibis utuntur et aliis necessariis, ut medicinis.

Tertius gradus est[c] respectu bonorum relictorum,aut eorum quae haberi poterant, quae etiam tres gradus habent[d]. Primus est eorum qui saepe de iis meminerunt et cogitant, et quidem cum affectu et iactantia quadam de iis loquuntur. Secundus eorum est qui cogitant quidem aliquando de bonis relictis, sed de iis non colloquuntur cum aliis. Tertius gradus est eorum qui nihil curant relicta, seu nihil se reliquisse cogitant, licet multa reliquerint.

Quartus gradus addi potest respectu eorum, quorum usus est concessus, et hic suos gradus habet : primus est eorum qui propter doctrinam vel laborem quem subeunt vel etc[e]. existimant plus ceteris sibi deberi in libertate, in victu, in vestitu, in cubiculo, etc. ; secundus est eorum qui contenti sunt communi sorte, licet multum[f] laborent ; tertius est eorum qui vilissima quaeque appetunt, quamvis plus aliis in saeculo reliquerint, vel plus aliis in Societate laborent.

6. Sed veniamus ad vitium proprietatis et ad occasiones eius.

Dubitatum est ab aliquibus an superior dispensare possit cum sub-

(a) *respectu superfluorum, qualis est.* add. B. (b) i. e. *iuxta* (Forcell.-De Vit). (c) om. B. (d) exspectes : *qui... habet.* (e) *etc.* i. e. ob aliam rationem. (f) *multis plus.* B.

(1) Cfr. Prov. 21, 13. (2) Cfr. Isa. 25, 4. (3) Matth. 11, 5 ; Luc. 7, 22.

dito, ut aliquid proprii retineat. Respondeo, quod neque superior immediatus, neque provincialis, neque adeo praepositus Generalis dispensare possit ; immo, et de summo Pontifice idem dicitur Extrav. tit. «De statu monachorum» cap. «Cum ad monasterium». Quod si cuipiam concederetur rei alicuius proprietas, si causa illa[a] non esset ruinae, magnae tamen causa esset distractionis et sollicitudinis, tum ut subditus obtineat quod optat, tum ut conservet. Proinde male facit superior, qui permittit alicui, necessitate non premente, retinere aliquid in cubiculo suo, veluti imagines elegantes et pretiosas, item fructus, dulciaria, etc. ; quia praebent haec subdito occasionem distractionum et imperfectionum multarum.

Si dicas te affici erga rem parvam, respondeo : ita sit ; sed attendere debes quod plus noceat rei cupiditas, quam quantitas et ipsa substantia. Religiosus qui habet proprium, licet minimum, non habebit cum proprio Deum. Hieronymus (1) : « Perfectus Christi servus nihil praeter Christum habet, aut si habet aliquid praeter Christum, perfectus non est ».

An vero circa rerum usum superior dispensare potest ? Respondeo, quod non possit dispensare ut religiosus habeat usum rei tam firmum et certum, quin superior pro sua voluntate eam ipsi adimere valeat. Proinde, ita animo comparatus esse debet subditus, ut absque repugnantia passurus sit omnia quae habet in commune conferri. Causa autem dispensationis semper esse debet necessitas, vel utilitas eius cum quo dispensatur ; alioqui dispensatio non est, sed dissipatio.

7. Occasiones porro proprietatis, seu impedimenta verae paupertatis esse possunt :

Prima, re aliqua continenter uti ; nam usus hic continuus et diuturnus facit ut quasi propriam rem illam reputemus, nobisque ut nostram vindicemus. Haec usus appropriatio valde occupat et impedit religiosum, variasque cogitationes et curas ac desideria ingenerat ut rem illam servet, augeat vel multiplicet, v. g. libros, commoda cubiculi, provisiones rerum peculiarium et deliciarum, denique ad sensualitatem, ut sunt boni odores, flores, uvae, poma, lilia, dulciaria, quae in aliis religionibus etsi non male concedantur et permitti soleant, modo religiosi subditi sint animo parati, quando placeat superioris oboedientiae et voluntati, ea relinquere : illud enim sufficit ad complementum voti sui, modo ea non destruant, dent aut commutent absque licentia.

(b) *id.* B.

(1) S. Hieron. PL. t. 22 Epist. 14 ad Heliod. n. 6. col. 351, lin. 11.

Non potest tamen negari quin omnino exuere se, vel ut clarius loquar, eam appropriationem usus deponere, sit multo perfectius et maioris meriti. Nam et non raro pati in religione incommoda et necessitates utile est et plenum meriti ; non enim potest communitas singulis semper suppeditare omnia quae conducerent, neque religiosus habet saepe animum ac libertatem petendi quae communitatis sunt, quam haberet[a] si res ipsi esset in promptu; accedit molestia et sollicitudo obtinendi,immo et retinendi illud ipsum quod in proprium usum concessum est. Quia vero in Societate non permittitur haec usus appropriatio, inde nascitur quod et eas sollicitudines et curas non habeat. Non quaerere autem ea commoda et procurare, perfectionis est paupertatis. Ideo rebus utimur concessis, ut utimur equis mutuo acceptis ; nam in Societate frequenter sunt mutationes, quae ad hoc conferunt, ut nemo afficiatur plus aequo rebus quas habet ad usum.

Debemus imaginari et pie meditari nos esse mancipia Christi et Societatis. Mancipio autem nihil est proprium, sed quidquid habet domini est, ut persona ipsa et filii quos ipse generat utique sunt domini eius. Ita scripta nostra et dictata Societatis sunt ut filii et partus nostri. Animalia videmus non sibi gignere aut laborare sed dominis suis ; nos autem Dei iumenta sumus, iuxta illud (1) : *Ut iumentum factus sum apud te.*

8. Haec porro species paupertatis quam amplectitur Societas, pluris aestimari debet a nobis quam nudis incedere pedibus. Neque sane expedit superiorem in Societate permittere subdito usus rei cuiuslibet, etiam minimae appropriationem, quamvis natura nostra corrupta id appetat eoque delectetur, ut quae valde amica est proprietatis ; et homini ordinarie plus placet modicum proprii, quam multum in communitate habere.

Secunda occasio esse potest, si quis multum studii vel laboris aut temporis alicui rei vel scribendae, vel componendae, vel pingendae impendat ; tunc enim ad rem magis afficitur, putatque eam sibi magis deberi quam alteri.

Tertia occasio est, complacentia alicuius rei, quod illa videatur affectibus v. g. meis convenire ; sed verae paupertatis est non solum carere rebus, sed omnino pauperem esse, et inopiam propter Christum amare et consectari, qui cum dives esset, pro nobis egenus factus est.

9. Quarta occasio est ambitio, radix omnium malorum, quae sola

(a) *utendi.* add. B.

(1) Psalm. 72, 23.

multas religiosas familias potest evertere, sicuti et res publicas multas, quod exemplis quam plurimis constat.

Quinta esse potest indigentia : magis enim diligunt non nulli, qui proprietatis vitio laborant, aliquid habere cum peccato quod amant, quam eo indigere. Atqui propheta ipsis se opponit exemplo et documento (1) : *Ego vero,* ait, *egenus et pauper sum,* quod de viro iusto secundum sensum litteralem dictum est.

Sexta esse potest quaedam diffidentia de promissione divina : sunt enim quidam animi tam angusti, ut semper timeant res sibi defuturas.

Septima est sensualitas et rerum appetentia et studium [a], quod immoderatam hanc curam ingerit, ut non simus contenti iis quae nobis sancta caritas tribuit, sed alia procuramus, licet nos doceat Apostolus (2) ut curam carnis non faciamus in desideriis ; et iterum (3) : *Si secundum carnem vixeritis, moriemini.*

10. Remedia contra has pestes esse possunt :

Primum, mortificare se per frequentem rerum talium, quae nobis carae sunt, non-usum (4) seu carentiam, et petere interdum a superiore ut eas nobis mutet. Certe in Societate, Deo sit laus, hucusque bene prospectum fuit tum regulae et constitutionum efficacitate, tum superiorum diligentia. Constitutiones sunt inter alias P. 3, cap. 1, n. 7 ; P. 6, cap. 2, num. 11. Regula autem sic habet : « Intellegant omnes quod nulla re tamquam propria uti debeant» ; et alia iubet, « ut nihil proprium domi, vel apud alios habeamus ».

Secundum est, vincere desiderium et voluntatem frangere, animumque alio convertere.

Tertium, sibi ob oculos ponere exemplum Christi et sanctorum, qui virtutes in bonis praecipue ponebant, et commoda carnis suae[b] parvi faciebant, quin et ea neglegebant.

Quartum, considerare hoc vitium proprietatis esse valde detestabile ob vitia quae in familiam religiosam invehit. Considerandum igitur est quod vita religiosorum sit vita pauperum, et quod nudi nudum sequi debeant Christum, ut D. Hieromymus dicit in epistola ad Nepotianum (5). Et regula nostra monet, ut quisque cogitet rationem victus, vestitus, lecti fore accomodatum veluti pauperibus, et abiectissima quaeque sibi datum iri.

(a) *sensual. et carnis studium.* B. (b) *et com. sua.* B.

(1) Psalm. 69, 6. (2) Cfr. Rom. 13, 14. (3) Rom. 8, 13. (4) Sic scribimus perspicuitatis gratia. (5) S. Hieron. PL., t. 22 Epist. 52, n. 5, lin. 20.col. 531.

Quintum, ut superior curet cuique necessaria subministrari, iuxta illud (1) : *Dividebant omnibus prout cuique opus erat,* et (2) : *Neque quisquam egens erat inter illos.*

11. Sextum est patientia. Sunt etenim quidam, ut ait D. Gregorius (3), qui pauperes esse volunt, sed sine rerum defectu. Atqui D. Paulus exemplo suo nos docet contrarium (4) : *Scio,* ait, *abundare, scio et penuriam pati.*

Septimum, ut simus praesentibus contenti sine avaritia seu cupiditate, reponentes totam fiduciam nostram in Deo, qui dicit (5) : *Non te deseram, neque derelinquam ;* et psalmista ait (6) : *Iunior fui, etenim senui, et non vidi iustum derelictum ;* item (7) : *Edent pauperes et saturabuntur ;* et alibi (8) : *Divites eguerunt et esurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.*

Octavum, magni facere cohortationem et confortationem Christi factam verbo et exemplo (9) : *Quaerite primum regnum Dei... et haec omnia adicientur vobis.* Exemplum affert dicens (10) : *Respicite volatilia caeli... considerate lilia agri..., non laborant, neque nent,* etc.

Nonum, considerare quod religiosus neque voluntatem suam, neque corpus habeat in propria potestate, cum sit mortuus mundo et omnibus quae mundi sunt ; qui cum per oboedientiam praelato suo haec consignaverit, multo minus sollicitus esse debet de reliquis rebus terrenis, debetque famulus a creatura averti qui ad Deum contendit perfecte converti, et terrenis evacuari qui caelestibus debet impleri. Vult quippe Deus, ut princeps excelsus, famulos habere expeditos et ab omni alia servitude liberos, ut ad omne suum servitium semper sint parati. De Abrahamo legimus (11) quod habuit vernaculos multos expeditos. Non afficiamur ergo, fratres mei carissimi, his rebus inferioribus, sed omnem affectum et amorem nostrum in Deum transferamus, Sic enim facientes magnam cordis pacem habebimus et magnam a Domino consolationem consequemur.

12. Sed tempus est ut veniamus ad abusus, quod erat quartum quod initio proposuimus.

Abusus paupertatis esse potest, vel in quantitate, plus habendo quam opus sit ad suum officium vel ministerium bene praestandum, vel in qualitate, ut qui elegantiora praestantioraque quam deceat religiosam personam retineat apud se, aut concupiscat : ut libros eleganter compactos, pretiosa rosaria, imagines pulchre ornatas.

(1) Act. 2, 45. (2) Act. 4, 34. (3) Immo S. Bern. PL. t. 138. col. 49, n. 5 b.
(4) Philip. 4, 42. (5) Hebr. 13, 5. (6) Psalm. 36, 25. (7) Psalm. 21, 27.
(8) Psalm. 33, 11. (9) Matth. 6, 33. (10) Luc. 12, 26-28. (11) Gen. 14 et 17.

Abusus est, concupiscere vel habere vestes plures, meliores aut pretiosiores quam conveniat religioso statui, vel ut essent filo serico ornatae, globulis elegantibus astrictae ; pileus, qui non bene tegat caput vel ad vanitatem sit comparatus. Est illud argumentum animi elati, qui studeat his externis magnifieri in Societate, existimans nos ut saeculares ex vestitu hominis praestantiam metiri : est autem humilitas socia individua paupertatis.

Abusus est non bene servare quae in usum nostrum conceduntur, vel quae omnibus sunt communia, v. g. vestes neglegenter servare, foedare, lacerare, atterere ; vasa frangere, plantas in horto vellere vel pede atterere, quae etsi parva a non nullis putentur, non promovent tamen virtutis studium.

13. Abusus est in hospitiis plus expendere quam conveniat religiosae paupertati ; curare sibi parari lauta et exquisita ; item, sive domi sive foris comessari, sive potitare extra tempora ad voluptatem.

Abusus est, et gulae vitium ac paupertatis neglectus, in mensis alienis petere de ferculis lautioribus, et praesumere praescindere cibos et distribuere — cum saepe in eo turpiter erretur — : nam iliud est indicare quod saepe utaris talibus cibis et ferculis, et quod usum facilem habeas ad id muneris obeundum. Est porro multo maioris prudentiae et modestiae excusare se ab eo officio, si forte rogeris ut illud praestes, et ingenue fateri nos non assuevisse in mensis nostris escas tales tractare, sed habere nos singulos portiunculas nostras[a].

Abusus est, in mensis nostris accipere portionem a vicino relictam, vel vicino de sua dare. Nam ut id facias nullum ius habes. Datus est cibus tibi tamquam pauperi ut reficiaris, et ut tamquam minister Dei vires recrees ad labores obeundos. Potes sumere de tua portione quantum voles, sed non dare huic vel illi ; immo neque panem in iusculum, si quid relinquas, inferre, ut pauperibus erogetur : quia nulla re uti debemus ut propria. Superioris est dare vel pauperibus, vel in mensa quibus velit de sua portione, vel de penu aut promptuario, quod expedire putat subditis ; et iustum honestumque est ut ipse interdum vicinis aliquid impertiat de eo quod existimat sibi abundare, ad explicandam caritatem suam in subditos.

14. Abusus est, capere quidlibet de cubiculo alterius vel ex communitate sibi quicquam appropriare, seu in suos usus usurpare vasa quaevis etiam abiecta alterius, in loco communi posita ; et est praeter

(a) *nobis paratas.* add. B.

caritatem agere, dareque fratribus perturbationis alicuius materiam.

Abusus est etiam turpis et irreligiosus queri de victu, de cubiculo, de vestitu, estque indicium animi parum compositi et moderati.

Abusus esset insignis contra paupertatem spiritualem, et valde periculosus se existimare ea virtutum copia praeditum, ut sibi satis sit, possitque esse securus, qui cum terrena exterius abiecisset, amore proprio tamen et cupiditate plenus esset. Paupertas vero exterior non est virtus, sed paupertatis amor ; carentia etenim divitiarum privatio est, amor vero est habitus : ideo virtus esse potest, illa nequaquam, quia nihil habet positivi. Non est ergo dignus laude, qui quamvis ex voto pauper sit, non amat tamen paupertatem. Amor quippe paupertatis in eo praecipue ostenditur, si viliora quaeque quispiam ob amorem Dei hilariter amplectitur, et si virtutibus inopem et egenum se reputet, in Deique servitium inertem et ignavum. Ex quibus patet quod paupertas spiritus habet insitam in se paupertatem voluntariam pro Christi amore, et huic esse sociam individuam humilitatem et sui neglectum.

Ut igitur, fratres carissimi, huius virtutis, hoc est paupertatis, veri cultores simus, Christi et apostolorum exemplum saepe mente obversemus. Cogitemus serio eam quidem non esse perfectionem virtutis, sed esse virtutem quae ad perfectionem caritatis et religiosae disciplinae fastigium deducit; immo esse Lydium lapidem quo homines virtutis amantes manifestantur. Caveamus ne sinamus nos induci in cupiditatem ullam rei externae, sed sequamur nudi Christum Dominum nudum, et fortiter constanterque cum ipso paupertatis crucem portemus, et sic faciendo vitam aeternam consequemur, quam nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus.

26ª Exhortatio

De castitate : quid illa sit et quotuplex

1. Votum castitatis, ut inter vota dignitate est secundum et Deo[a] gratissimum ; ita summo studio a nobis de Societate colendum, et per Dei gratiam et bonitatem colitur. De hoc B. P. N. (1) dicit in haec verba :

(a) *est s., Deo factum et illi. B.*

(1) Const. p. 6, c. 1, § 1.

« Quae ad votum castitatis pertinent interpretatione non indigent, cum constet quam sit perfecte observanda, nempe enitendo angelicam puritatem imitari corporis et mentis nostrae munditia.» Quia vero non potest res melius cognosci quam definitione, videamus quomodo D. Augustinus eam definiat. Dicit ergo libro de definitionibus (1) : Castitas est virtus sub iugo rationis impetum libidinis refrenans. Dicitur autem a castigando, quod per rationem concupiscentia castigatur, et in servitutem rationis subigatur, iuxta illud (2) : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo,* etc.

Petet fortassis aliquis ex vobis, fratres carissimi, cur haec sola virtus castitas appelletur a castigando, cum per multas alias virtutes morales aliqui motus castigentur ac refrenentur imperio rationis. Respondeo : hoc merito fieri ; nam licet per omnem virtutem moralem aliquis motus appetitivus castigetur, et large sumpto castitatis nomine, castitas aliqua omnis virtus censeatur, — ut ait Augustinus (3) — est enim ordinatus animi motus subdens minora maioribus, hoc est sensualitas rationi, et bonum secundum sensum bono secundum rationem ; per hanc tamen castigatur appetitus libidinis, qui est vehementissimus, necessario tamen nutritur, quando quidem corpus somno, cibis, quiete foveri debeat ; proinde antonomastice virtus haec libidini opposita castitas dicitur, ut quae hunc castigat appetitum. Unde quem ad modum martyres ob externam mortem voluntarie pro Christi confessione susceptam, martyrii coronam consequuntur, sic virgines donantur aureola virginitatis ob victoriam huius maximae passionis internae.

2. Haec castitas, licet materiam atque obiectum in corpore habeat concupiscentiam delectabilium in venereis, residet tamen in anima. Unde Augustinus ait (4) : Continentia virtus est animae non corporis. Pertinet enim ad castitatem ut secundum iudicium rationis et electionem voluntatis aliquis moderate utatur corporalibus membris. Ex quibus patet castitatem et virtutem animi esse, et circa corpus versari.

3. Quia vero hic locuti sumus de aureola, quae datur virginibus et martyribus, operae pretium videtur ut de ea aliquid in praesentia dicamus.

Assignatur igitur aureola tribus sanctorum generibus (5). Est autem

(1) Librum hoc modo inscriptum novimus nullum, neque in PL. t. 218. col. 699 sqq. sub « indice operum alphabetico » reperimus. (2) 1. Cor. 9, 27. (3) S. August. PL. t. 40 Lib. de Mendacio. col. 499 ext. : Mundus est omnis iustus, etc. (4) S. August. PL. t. 41 de Civit. Dei, lib. 1, c. 18 col. 31. (5) Cfr. S. August. PL. t. 33 Epist.de laud. Hieron. col. 1125 m. (post *Cogitas...*).

praemium seu gloria accidentalis. Datur, inquam, virginibus, doctoribus, martyribus, et consistit praecipue in anima, ex qua redundat specialis quaedam pulchritudo in corpus. Datur autem pro excellente et consummata victoria quam consecuti sunt ex pugna habita cum carne, cum mundo et cum daemone. Non datur vero aureola virginibus, nisi iis quae usque ad mortem perseverarunt in sua virginitate. Neque aureola doctrinae datur, nisi iis qui actu docuerunt, quem ad modum aureola martyribus qui mortem fortiter pro lege Dei et iustitia obierunt.

Notandum est porro sanctos martyres perfectiores esse virginibus et doctoribus. Nam quod doctoribus perfectiores sint patet, quia docuerunt tantum doctores verbo, sancti autem martyres verbo et exemplo. Quod de virginibus etiam patet,ut notat D. Augustinus in libro de virginitate (1), ubi facit comparationem inter martyrium et virginitatem, concludens quod ceteris paribus perfectio martyrii sit excellentior perfectione virginitatis, S. Thomas in 4° dist. 49ª dicit, quod licet una aureola maior sit altera secundum aliquam rationem peculiarem, simpliciter tamen loquendo, aureola martyrum, inquit, est excellentior ceteris aureolis, quia cum bellum, ait, sit in martyrio difficilius, ita victoria est maior et consequenter aureola illustrior. Hac de re loquens Ecclesia in laudem martyrum dicit (2) : « Quaenam lingua retexere potuit, quae tu martyribus munera praeparas ».

4. Castitas potest triplex assignari : corporis, cordis et mentis. Unde Isidorus has species per suos effectus insinuans ait (3) : Castitas est mentis securitas, corporis sanitas, nihilque valet mundum esse corpore ei qui pollutus est mente, quoniam incorruptio corporis ex animi sanitate procedit. Unde Ecclesiasticus dicit (4) : *Ab immundo quid mundabitur*, et S. Basilius lib. de virginitate dicit (5) « Virginitatem corporis ancillari virginitati mentis ».

Castitas ergo corporalis consistit in totali abdicatione omnis voluptatis venereae realis, neque internam animi munditiem postulat : unde castitas haec corporis et exterior mundities nequaquam sufficit ; immo, cum sola est, reprehenditur tamquam inanis et infructuosa. Unde Dominus dicit ad scribas et pharisaeos (6) : *Vae vobis, scribae et pharisaei hypocritae, quia mundatis quod de foris est calicis et paropsidis, intus autem pleni estis rapina et immunditia,* et assimilat eos paulo post sepulcris dealbatis (7), *quae a foris apparent hominibus speciosa, intus vero plena sunt ossibus mortuorum et [omni]*

(1) Augusт. PL. t. 40. col. 423, n. 46. (2) Hymn. ad vesperas. (3) S. Isid. PL. t. 83 lib. Sentent. col. 644. n. 4. (4) Eccl. 34, 4. (5) S. Basil. PL. t. 30.lib. de Virgin. col. 671 n. 2. (6) Matt. 23, 25. (7) Ibid. v. 27.

spurcitia. Non sufficit ergo castitas corporis, sed dominam et matrem habere debet cordis puritatem, quia (1) *Omnis gloria filiae regis ab intus* est ».

5. Castitas itaque vera, cordis est puritas. «Ut enim, ait S. Bernardus (2), corporis natura est sanitas, sic cordis natura est puritas ». Quae, carissimi fratres, quam sit Societati necessaria, vos ipsa experientia saepe didicistis, nostisque in primis attendendum esse valde precibus ad Deum, frequentique recollectioni mentis et studio disciplinae, ut hanc puritatem et cordis munditiam semper foveatis, quae Deo est acceptissima. Sicut enim cor est principium, fons et radix a qua naturaliter vita, motus et sensus in totum corpus dimanant, sic quoque principium et radix verae castitatis est cordis puritas, quae producit castas cogitationes et procul arcet omnem cogitationem impuram, multo vero magis delectationem sensualem. Unde Christus ait (3) : *Beati mundo corde ;* et D. Bernardus de cordis purgatione dicit (4) « Duo nobis esse purganda, intellectum et affectum : intellectum, ut noverit ; affectum, ut velit ». De corde impuro dicitur (5) : *Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, iam moechatus est in corde suo*. Propterea, et stultae virgines exclusae sunt a sponso, quia corpore tantum et non corde virgines erant : deerat quippe illis affectus olei, id est boni propositi ; et hae similes sunt diabolo, qui cum virginitate habet infernum.

Laborandum est, fateor, dum vivimus, nobis in hac vita ; nam egressus ex ea et sepultus nequit se iuvare : sicuti nec pisces ex aqua in terram delati et in vase conclusi. Pugnandum est et confidendum in Domino ; « Nam, ut ait S. Ephraem (6), licet tyrannus sive diabolus insaniens septuplo fornacem succenderit, tamen confidant qui spem posuerunt in Domino, quod paulo post fornax in ventum roris flantem mutabitur, et quem antea timuerunt tyrannum, ipse deinceps eorum umbram contremiscet, propter auxilium quod illis superveniet ab alto. »

6. Cogitate, fratres mei, castum illum Ioseph, ex eo quod vitium istud momentaneum superavit, ab omnibus omnium saeculorum hominibus laudari in caelo et in terra ; contra autem Aegyptiae illius dedecus perpetuo derideri. Similiter et beatam Susannam, quod victrix illius concupiscentiae exstiterit, sempiternis apud omnes gentes praeconiis celebrari. Neque enim suo lapsu confusa, neque comminationem mortis pertimes-

(1) Psalm. 44, 14. (2) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 16 de div. n. 2. col. 580 b.
(3) Matth. 5, 8. (4) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 3 in Asc. Dni, n. 2, col. 305.
(5) Matth. 5, 28. (6) S. Ephraem. t. 2, n. 8 Adhor. 3. pag. 287 e. extr.

cens, suam prodidit pudicitiam. Ceterum seniores illi ac iudices populi, qui gubernare populum videbantur, huic incontinentiae vitio consentientes lapidibus obruti, mortui sunt, cum summa nomini suo ignominiae nota apud posteros relicta. Castitatem amplexatus est S. Ioannes evangelista, et amplectendo meruit super pectus Domini recumbere et B. Virginis custodiam habere. Hanc ergo et nos, fratres mei, servi Domini servemus, amemus, colamus, ut inhabitantem Spiritum Sanctum in nobis sentiamus et gaudeamus.

7. Castitas mentis consistit in firmo proposito abstinendi ab omni carnis libidine et oblectamento, quod per concursum voluntatis mentaliter fieri potest cum abominatione turpium cogitationum. *De corde enim*, inquit Dominus, (1), *exeunt cogitationes malae..., hae sunt, quae coinquinant hominem.* Talis ergo castitas corporis, cordis et mentis arca est illa deaurata intus et foris auro purissimo (2), et huiusmodi castitas tripartita tres habet gradus, supremum, medium et infimum : supremum obtinet virginitas ; medium, vidualis castitas ; infimum, coniugalis continentia.

8. Virginitas, inquit Augustinus (3), est in carne corruptibili incorruptionis perpetua meditatio. Virginitas autem mentis, si semel amissa fuerit, recuperari potest per renovationem propositi ; sed virginitas corporis, semel amissa, irrecuperabilis est.

De statu autem viduali et coniugali non est nobis hoc loco tractandum. Quare revertamur ad virginitatem, qua mirifice exornatur religiosus.

Valde autem haec commendatur, quod Christus ex virgine matre virgo nasci voluit, et quod ipse virgo virgini Ioanni matrem virginem in cruce commendavit.

9. D. Augustinus sic scribit (4) : virginitas est continentia, qua integritas carnis ipsi creatori animae et carnis debetur, consecratur et servatur.

Virginitatis autem nomen sumptum volunt non nulli a virore. Sicut enim virens illud dicitur quod ab exuberantia caloris adustum non est : ita virginitas in ea est persona, quae concupiscentiae adustionem non sentit, nec superata fuit eius oblectamentis. Virginitas igitur pudicitia est mentis cum integritate carnis, non solum in proposito eam servandi, sed etiam in re. Eam[a] habentibus convenit ferre anulum aureum in ecclesia

(a) *Sic excellenter accipitur et eam.* B.

(1) Matth. 15, 19. (2) Cfr. Exod. 25, 11. (3) S. Augustin. PL. t. 40 de Virgin. col. 401 n. 12 (cap. 13). (4) S. Augustin. PL. t. 40 de Virgin. col. 400, n. 8.

militante, in signum quod sunt sponsae Christi ; in ecclesia triumphante aureola redditur.

10. In virginitate ergo perfecta duo sunt : integritas carnis, et firmum propositum voto firmatum. Quae ita sunt necessaria, ut quolibet eorum violato non remaneat virginitas perfecta, si voluntaria fuit immutatio. Nam si involuntaria, aut per violentiam fieret integritatis carnis corruptio, perfectae virginitatis decus et meritum non periret, dummodo voluntas non consentiat in oblectamentum, nec vertitur virgini in detrimento. Unde S. Lucia (1) : « Si me invitam, inquit, violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam ». Hinc constat virginitatem, quae a religiosis et sanctimonialibus servatur et voto confirmatur ad Dei honorem et gloriam, esse omnium absolutissimam.

Notandum autem est quod integritas carnis, in ea quae carnis opus appetit, non sit digna aureola ; sed si corruptio mentis, seu appetitus ille per paenitentiam reparatus fuerit, et finale propositum servandi carnis integritatem affuerit, non privat aureo anulo virginem in praesenti, nec aureola in futuro.

Commendat praeterea virginitatem, quod illa sit pretiosus thesaurus ille in agro corporis repositus[a] (2). Item, quod vita virginum vita regia sit, quando quidem ipsae sponsae sint regis caelestis, et ideo ipsae reginae, quae regnaturae sunt cum sponso in regno caelesti, et in hoc saeculo regnant in regno sui corporis. Demum virginitas principium est spiritualis pulchritudinis : pulchritudo autem sponsae sicut et pulchritudo sponsi consistit in candore et rubore (3).

Notandum etiam quod virginitas corporis semel amissa reparari nequeat, ut dictum est. Potest quidem integritas partium corporis miraculose a Deo reparari ; non potest tamen fieri, ut qui delectationem carnis est expertus, non fuerit expertus, et ut quae facta fuerint, facta non fuerint. Unde Hieronymus (4) : « Audacter, inquit, dicam : cum omnia possit Deus, suscitare tamen non potest virginem post ruinam ». sed virginitas mentis, ut paulo ante diximus, amissa per paenitentiam reparatur, sicuti per solum actum interiorem deperditur.

11. Haec autem virginitas et castitas maxime competit ecclesiasticis et ministris Ecclesiae, 1° quia ipsi debent Deum placare et reconciliare populo (5) : *In tempore iracundiae factus est reconciliatio.* Placare vero non

(a) om. B.

(1) Breviar. 13 dec., lect. 6. (2) Cfr. Matth. 13, 34. (3) Cfr. Cant. 5, 10. (4) S. Hieron. PL. t. 22. Epist. ad Eustoch. col. 397. n. 5 m. (5) Eccli. 43, 17.

possunt nisi placeant ; atqui placere nequeunt si impure vivant (1) : *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt.* 2° Quia locum et vices Dei obeunt ; ideo vivere debent pure et spiritualiter, sicut Deus ipsa puritas est. — 3° Habent angelicum officium, scilicet[a] eidem Domino, cui angeli, servientes ; ideo puritatem angelicam habere debent. 4° Quia tractant res sacras et vasa Domini, et illis mandatur ut sancti et mundi sint. — 5° Quia ipsi ex officio mundare debent alios ; ideo oportet eos esse valde mundos (2) : *Ab immundo quid mundabitur ?* — 6° Quia habent sponsam nobilissimam sine ruga et macula, scilicet Ecclesiam (3) : *Hanc amavi et exquisivi a iuventute mea.* Non enim amat et exquirit ecclesiam, qui non amat et colit castitatem. — 7° Ipsi sunt oculi Ecclesiae (4) : *Oculi mei languerunt prae inopia,* prae inopia, inquam, luminis ; nam macula in oculo lumen impedit. — 8° Sunt ut speculum in ecclesia, et laici oculos in eos coniciunt ut exemplum bonum habeant ; ideo debent ecclesiastici conformare se Christo Domino, et speculum esse sicut ipse est sine macula, quoad eius fieri potest[b]. 9° Quia sunt vasa electionis regi regum ; modica autem macula in scypho reddit vinum contentum ingratum. — 10° Ministris ecclesiae et religiosis per figuram commendatur castitas, nam (5) comesturis agnum paschalem praecipitur ut renes accingant, et dicitur de ministro tabernaculi (6) : *Accingetur zona linea ;* et ut irreprehensibiles sint ecclesiastici mandatur (7) ; et concilium carthaginiense tribus gradibus dicit annexam esse castitatem, episcoporum, presbyterorum, et diaconorum, sub quibus hypodiaconi continentur.

12. Signa castitatis sunt praecipua : 1° Cum quis, qui antea vitio carnis indulsit, postea per paenitentiam ad Deum conversus, effectis declarat praecipuo odio illud se prosequi, animusque eius praeteritarum rerum memoria ita horret, ut sermonem de impuritate sustinere nequeat, et perturbetur obiecto. Tanta enim mutatio fieri nequit nisi gratia Dei et virtute castitatis. — 2° Quando quis mortem potius pati vellet quam minimae cogitationi consentire; tunc enim is habet signum evidens acceptae gratiae castitatis. — 3° Quando fugit omnes occasiones, praesertim videndi mulieres et obiecta ad impuritatem incitantia. Unde Augustinus ad fratres in eremo : non dicatis vos homines pudicos, si habeatis oculos impudicos, quia oculus impudicus impudici cordis est nuntius (8). Quare non temere duo in Societate praescripsit B. P. N. : unum, ut studeamus habere purita-

(a) om. B. (b) *de Christo enim dicitur, quod est speculum sine macula.* add. B.

(1) Rom. 8, 8. (2) Eccli. 34, 4. (3) Sap. 8, 2. (4) Psalm. 87, 4. (5) Cfr. Exod. 12, 11. (6) Levit, 16, 4. (7) 1. Tim. 3, 2 ; Coloss. 1, 22 ; Ephes. 6, 14. (8) S. August. PL. t. 32 ad Fratres in eremo. col. 1380,1381, n. 6. m.

tem angelicam ; alterum, ut diligenter curam habeamus sensuum, maxime oculorum ; nam in hac custodia incolumitas fere posita est castitatis.

13. Ad conservationem castitatis valent : 1° Sobrietas ; excessus quippe in cibo et potu via est ad luxuriam. Exemplum habes in Genesi (1) ; et dicitur (2) : *Luxuriosa res* est *vinum*. — 2° Labor. Spina enim lacerans est quies ignaviae et otiositas, quae est via ad luxuriam (3). — 3° Habitus asper et durus ; nam superbus habitus et mollis via est ad luxuriam. In libro Numerorum (4) habes quare fornicati fuerint filii Israel. — 4° Custodia sensuum, illorum praesertim qui nos ad malum provocant, ut est visus, auditus, tactus. De Dinae curiositate habes exemplum in Genesi (5), et de adulescente qui eam vitiavit. — 5° Fuga occasionum peccandi ; nam opportunitas via est aperta ad praecipitium. — 6° Libenter legere et audire salutaria et verbum Dei, quod est aqua sapientiae salutaris (6) : *Vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis*. — 7° Frequens confessio ; nam ubi confessio, ibi pulchritudo, ibi decor. — 8° Oratio frequens (7) : *Domine, si vis, potes me mundare*. Orando acquiritur castitas et orando conservatur. Augustinus (8) : « Toto vobis figatur in corde, qui pro vobis fixus in cruce. » Et Paulus agitatus stimulis carnis recurrit ad orationem. — 9° Virtus quaedam heroïca, qualis fuit in S. Benedicto, in S. Francisco et in aliis.

Proinde in timore Dei, fratres mei carissimi, nos exerceamus, ut hanc virtutem Deo tam caram, nobis tam necessariam conservemus, et puritatem animi totis viribus consectemur. Certum enim est in damno animae nullum lucrum reperiri. Audiamus Apostolum dicentem (9) : *Cum metu et tremore vestram salutem operamini*, et neque qui adhuc iuvenis est hoc parvi pendat, neque qui senex neglegat : utriusque enim incertus est finis. Sic facientes vitam aeternam consequemur, etc.

(1) Cfr. Gen. 19. (2) Prov. 20, 1. (3) Cfr. Ezech. 16, 49. (4) Num. 15, 38 sq. (5) Cfr. Gen. 34, 1. (6) Ioann. 15, 3. (7) Matth. 8, 2. (8) S. August. PL. t. 40. Serm. ad Fratres in eremo. col. 1235 sqq. Ubi loci illud legatur non reperimus. (9) Philip. 2, 12.

27ª Exhortatio

De Castitatis necessitate et de eius gradibus et effectibus

1. Multa sunt, fratres carissimi, quae nos movere debeant ad castitatis amorem et studium.

Primum est necessitas. Nam cum voluptas carnis devotioni et pietati — quae virtutes sunt nobis necessariae — maxime adversetur, nemo non videt quam debeamus eas amare et consectari, arcere vero quod ipsis est contrarium. Castitas igitur nobis omnino necessaria est, quia sine ipsa devotio haberi nequit, nec affectio illa, quam qui vere pii sunt in oratione sentire solent, retineri ; consequenter vero nec pia et actualis intentio, quam religiosus oculus in singulis actionibus in Deum habere debet, cum sapore et delectatione in Domino nutriri potest, quae tamen ad instar salis in omni sacrificio nostro, ut Deus olim mandavit, adhibenda est. Secundum : quia ad libidinem affectus et pronitas valde impedit omnes functiones religiosorum, mentis recollectiõnem, piam lectionem, solitudinem cubiculi, colloquia pia et devota, contionum fervorem et spiritum, pium studium in salutem proximorum, ministeria denique omnia Societatis, quae nisi valde pure et caste obeantur, nescio qua deformitate asperguntur et defoedantur.

Accedit quod religiosus, non satis castus, evadat multo gravior et tardior ad opus Dei, et ad omne denique opus bonum difficulter mobilis. Cadit siquidem in eos, qui ita affecti sunt, illud (1) : *Terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem*. Et quem ad modum vinum, licet optimum, si in vas infectum illud infuderis, vasis vitio inficitur et taetrum saporem et odorem imbibit, ita officium quamlibet pium et bonum, si aspersionem accipiat levitatis, vel speciem voluptatis carnalis prae se ferat, omnem suum splendorem et pulchritudinem obscurat et defoedat. Pugnat enim voluptas carnis ex diametro cum Dei amore, qui omnes actiones nostras condire debet. Cum vero amor Dei et carnis voluptas, ut maxime contraria, simul esse nequeant, debemus Dei amorem totis animae viribus amplecti, et sane in omnibus actionibus nostris illum exserere, carnis voluptatem excludere et castitatem toto studio consectari nobis est necessarium. Haec porro virtus olim erat maledicta, quia sterilis ; sed Christi

(1) Sap. 9, 15.

beneficio, qui eam in mundum induxit, facta est benedicta et fecunda, habetque plurimos et pulcherrimos fructus.

Sed de eiusdem gradibus ante quam de fructibus loquamur, pauca dicamus.

2. Primus igitur gradus omnibus christianis necessarius est, ut voluntatem habeamus firmam et constantem non offendendi Deum impingendo contra hanc virtutem vitio contrario ; ut quondam fecit sanctus vir Iob (1) : *Pepigi foedus*, inquit, *cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine*. Castus animus et casta caro, grandis est illa visio quam vidit Moyses, rubus videlicet ardens et non combustus[a] (2). Religiosus siquidem colens castitatem, quamvis concupiscentiae fomitem — vix enim funditus exstinguitur — secum ferat, igne tamen concupiscentiae non aduritur ; quando videlicet non consentit in moram et delectationem ullam. Ad quem rubum volens Moyses accedere, iussus est calceamenta solvere, id est affectus et desideria rerum delectabilium huius mundi abicere, et occasiones fugere.

3. Secundus gradus est[b] non solum nihil facere mali, sed etiam motus omnes turpitudinis compescere. Quod quia pulcherrimum, est etiam rarissimum ; unde nec cito nec sine labore acquiritur. Ad hunc quippe gradum obtinendum accersere opus est adiumenta et comites castitatis, abstinentiam, carnis castigationem, orationem, etc. *Datus est,* inquit Paulus (3), *mihi stimulus carnis meae, angelus satanae,* etc. ; *castigo autem corpus meum et in servitutem redigo* (4). Quando equus petulantior est et luxuriat, ei subtrahitur avena : ita carni nostrae, si quando petulans evadit, cibus cum discretione subtrahendus est. Recurrendum etiam ad Deum per preces assiduas, et adhibenda cilicii et flagellationis asperitas ; scriptum est enim (5) : *Regnum caelorum vim patitur et violenti rapiunt illud.* Quod quia carni lascivienti grave et molestum est, opus est spiritu forti et animo heroico. S. Bernardus in lacum se proiecit ; S. Franciscus in nive se volutavit, S. Benedictus in spinis. Quidam sanctus vir in eremo tentatus ob mulieris speciem, quam diabolus visibilem ipsi repraesentabat, digitum suum in candela combussit, et diabolum superavit.

4. Tertius gradus, ut ne quidem cogites quicquam mali, ita ut in ipsa cogitatione, antequam perveniat ad affectum, haec tentatio supprima-

(a) *rubum... ardentem e. n. combustum.* B ; correxit A. (b) delevit B.

(1) Iob. 31, 1. (2) Cfr. Exod. 3, 2. (3) 2 Cor. 12, 7. (4) 1 Cor. 9, 27. (5) Matth. 11, 12.

tur ; ad quem gradum quamvis sit difficillimum pervenire, non est tamen illi impossibile, quem gratia Dei protegit et promovet. Non est tamen peccatum pati cogitationes sive carnis molestias; immo vero saepe magnum hinc meritum conciliatur. Sed haec tam insignis tranquillitas datur tantum a Domino post longam pugnam et probationem. Ut autem fecisse nos intellegamus quantum in nobis est, custodiendi sunt diligenter sensus omnes nostri, quia mors intrat per fenestras ; illis vero bene custoditis, nullae rerum noxiarum species ad phantasiae imaginationem ascendunt, nec conceptus rerum malarum in animo formantur : non enim formari possunt nisi ex iis quae per sensus prius intraverunt. Si quis igitur in mundo neglegenter aliquando sensus suos custodivit, et iam imaginationes malas habeat, intellegat id se pati pro peccatis praeteritis, et pro purgatorio suo incommodum hoc humiliter, sed fortiter tamen tentationi resistendo sustineat in religione et in terra sanctorum. *Quem fructum*, inquit Paulus (1), *habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ?*

5. Iuvat etiam celeritas occurrendi. Non enim inhaerendum est cogitationibus irrepentibus, nec cum daemone disputandum est, sed allidendi sunt confestim parvuli ad petram (2). Aqua per rimulam navim intrans non submergit ilico navim, sed occurrendum est tamen et foramen obstruendum, quia etiam modica aqua nocet et neglecta excrescit ut perdat. Ulcus adhaerens parti sanae si aperiatur ac statim curetur, non inficit, sed neglectum corrumpit. « Principiis obsta (3), ait quidam, sero medicina paratur, cum mala per longas invaluere moras. » Unius mensis diligentia iuvat in totam vitam, si seria illa est ; quando non adhibetur diligentia, momentum unum parit laborem postea longum et difficilem. Qui providi sunt in saeculo, statim ut male se valere sentiunt, vocant medicum : adeamus ergo, fratres mei, medicum quem habemus semper ad manum, quando morbum ingravescere sentimus. Deo sit laus et gloria, quod videamus in Societate castitatem tam studiose coli, et quidem a tanta iuventute, quod[a] notum est.

Postremo, iuvat munire animam piis meditationibus, nam per eas mala ut insurgunt statim opprimuntur. Sicuti si quis venenum hauserit aut cum cibo sumpserit, antidoto statim malum et venenum depellit[b] , vel certe eius vim exstinguit : sic pia passionis Christi meditatio valet ignem omnem turpem et malignum exstinguere.

(a) *cuique vestrum, fratres mei.* add. B. (b) *sumpserit, illud ant. statim sumpto dep.* B ; verba *mal. et ven.* omittit.

(1) Rom 6, 21. (2) Cfr. Psalm. 136, 9. (3) Ov. Rem. am. 91.

6. Caro acer est inimicus noster, et solet nobis malum inferre maximum. Pugnat enim astute et nobis adimit, si neglegentes sumus, obruitque rationem ; sed opponenda est vehementia quaedam affectus, alioqui, si invalescere patimur, nos spoliat et prosternit. Quaedam animalia videmus esse callida et astuta, vincereque astutia multo maiora ; hic inimicus noster non est admodum fortis, sed astutus est. Si quis tecum, frater mi, pugnaret, licet parvus, licet eminus, ac vulnerari te patereris, non vacares culpa : ita nec is culpa vacat, qui carnis oblectamentis succumbit. Accipe igitur baculum crucis ; non opus est magno labore, si bene illo utaris. Natura inimici nostri et ingenium est, ut nihil amet aliud quam sensualitates, sicuti pisces nihil aliud quam aquam et aquosa. Et quia caro[a] cognoscit se servam, totum suum studium et conatum ponit, ut animam pertrahat in suam sententiam, sicque dominetur. Ne simus ergo oscitabundi nec ignavi, ut carnem insolentem reprimamus. Paulus Apostolus sentiebat inimicum et clamabat (1) ; *Quis me liberabit de corpore mortis huius ?* Sed ad Deum recurrebat (2) : *Ter,* inquit, *Dominum rogavi,* et responsum illi est : *sufficit tibi gratia mea.*

7. Quare vero Deus permittit ut ita vexemur a carne, cum statim eam posset domare ? Id permittit ob varias causas : 1° Ut maius inde paremus nobis meritum resistendo et bonis operibus vacando. 2° Ne superbiamus et extollamur prosperitate et pace, si ea daretur, sed humiliemus nos et nostram sentiamus et confiteamur infirmitatem. 3° Ut excitet in nobis desiderium virtutis, detque nobis latitudinem cordis, ut velimus et satagamus diligenter contra eam pugnare. Nam qui virtutem unam per multos annos postulamus et obtentam cum voluptate servamus, nec facile perdimus ; eam, quae tanto nobis constitit labore totque lacrimis comparata fuit, quanto studio servabimus ! 4° Favet[b] Deus nobis impensius et benefacit, gratiamque praebet ut saepe et ferventer ad eum recurramus, sicuti cervi ad fontes aquarum. Scriptum (3) est enim : *Tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat,* id est, scire vos faciat *utrum diligatis eum,* hoc est, si constanter. Novit enim quid nobis expediat.

« Beatus ille homo, ait S. Ephraem (4) qui sollicitus est, quomodo placeat Deo, suumque corpus purum et integrum servare curat, ut sit templum Dei, quod, mi frater, pro tua voluntate formasti ac possedisti, ipse tuapte voluntate tuaque virtute templum Dei factus es, non vi, non

(a) om. B. (b) *hinc.* add. B.

(1) Rom. 7, 24. (2) 2 Cor. 12, 8. 9. (3) Deut. 13, 3. (4) S. Ephraem. tom. 2, de Virtute. Ita notatur in codice ; at verba leguntur t. 1. de Virginitate, p. 126 e. Sic frequenter aliis locis.

coactus, sed spontanea voluntate inductus. Nosti, inquit, quo spiritu, quo sensu te Deo totum dedicasti in templum Domino, iuxta Apostolum.. Attende ergo ut templum Spiritus Sancti mundum sit et nitidum servetur. Esto ipse oculus totus, assidue observans et prospectans illius praedonis insidias ;. . esto potens et vigilans custos templi huius, ne impuris cogitationibus ab hoste maculetur. »

Contendamus igitur, fratres carissimi, ut quo pertinacior est hostis impugnatio, eo templum Dei, quod sumus per gratiam Dei et Spiritus sancti donum, diligentius immaculatum servemus. Nam si sic agamus, ipse Spiritus sanctus pro mercedis retributione largietur aliquando quietem ac iucunditatem, et pro passionibus ac perturbationibus cogitationibusque immundis requiem sempiternam. Templum nostrum servemus sanctum et immaculatum omni studio et cautione, minus tempore procedente laborabimus.

8. Sed veniendum iam nobis est ad considerationem pulcherrimorum fructuum castitatis, quo magis animemur et ad ipsius amplexus aspiremus.

Primus ergo est, quod per eam vincere possimus potentissimum hostem, id est, carnem et vitia quae ipsius carnis voluptati famulantur et auxilium ferunt. Sunt autem duo praecipua et quasi carnis exercitus duces : mundus, diabolus, Est autem caro hostis domesticus et internus. Sensualitas tua, frater mi, dormit in sinu tuo a solis ortu ad occasum, tecumque semper versatur in cubiculo, in recreatione, in lecto, in refectorio, in studiis ; debes nimirum inimico huic[a] benefacere, illum nutrire, illum fovere ; sed quo[b] impensius ipsi benefacis, plus etiam negotii tibi facessit teque magis impugnat, tibi maius malum machinatur. Et anima quidem carnem amat ut sociam sibi adiunctam ; sed eam amat ad bonum, nisi seduci se ac allici a sensualitate permittat[c]. Haec autem te oppugnat armis blandis, et lacessit iis quae placent ; cavendum vero nobis est[d] ab insidiis eius, nec garrulae lascivienti aures praebendum[e] , sed ea magna virtute castitatis procul reicienda[f] . Hanc si sequamur, sensualitatem et carnem prosternemus, victa autem carne vincitur pariter et diabolus. Imitare Paulum dicentem (1) : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo, ne forte cum aliis praedicaverim, ipse reprobus efficiar.*

(a) *debemus i. h.* B, (b) *quo vero.* B. (c) *se perm. et all. a sens.* B. (d) *sed caveamus nobis ab.* B. (e) *praebeamus.* B. (f) *sed eam m. v. c. p. reiciamus.* B.

(1) 1 Cor. 9, 27.

9. Sed petet forsitan aliquis : quare castigem corpus meum ut vincam daemonem ? Respondeo, quia hostis nos impugnat per passiones habitantes in nobis, ut mundus per repraesentationes rerum visibilium ; est quippe ille[a] institoribus, qui merces adulterinas et dolosas circumferunt ad fallendum, similis.[b] Serviunt autem passiones et huiusmodi repraesentationes diabolo ad superandum eos qui fortiter ipsi non resistunt.

Secundus fructus est, quod causat et ingenerat in nobis amorem Christi, qui tota vita eam amavit et coluit, illumque amorem praecipue quaerit in omnibus ; et eum[c] in quo ipse non est, non amat ; qua in re similis est flori qui solisequium appellatur.

10. Tertius est quod, ut ait S. Ambrosius (1), homines sui studiosos facit martyres, spargitque de se suavissimum odorem. Hinc rosae comparatur, quae inter spinas et aculeos consistit inviolata ; sic castitas odorem optimum et suavissimum effundit, et habet nihilo minus suas spinas ac difficultates. Narrat Palladius de quodam adulescente, qui importunitate suorum parentum duxit uxorem, quam cum in thalamum induxisset, ipsa sensit suavissimi odoris fragrantiam permagnam, ac illa permota petiit a sponso unde tanta fragrantia promanaret ; cui cum respondisset quod ex virtute castitatis, cuius firmum propositum haberet, ipsa laetabunda concessit ad ipsius partes et in eodem proposito virginitatis permansit. — Nec porro durat hoc certamen uno vel paucis diebus, ut in martyribus, sed per totam vitam[d].

11. Quartus est, quod castitas nos liberat a consensu peccati, licet non liberet semper a sensu et titillatione sensualitatis. Nam et D. Hieronymus, licet in se valde severus, magnum tamen habuit negotium cum carne, licet eam sic maceraret, ut pellis sua vix[e] adhaereret ossibus (2). Sed has molestias permittit Deus militibus suis, ad splendidiores coronas, illustriores de hoste triumphos.

Quintus. Restituit nos quodammodo in statum illum innocentiae, in

(a) *Mundus autem per rep. rer. similis quippe est inst.* B. (b) *similis* hoc loco om. B. (c) *enimvero.* B. (d) Quae sequuntur in B, deleta sunt in A. «Testis autem sive martyr vere castus est, quia voluptates, quas homines saeculares magni faciunt et consectantur, vanas, fluxas et turpes esse docet, caelestes autem delicias veras esse et sanctas, et studiosissime consectandas ». (e) om. B.

(1) S. Ambr. PL. t. 15 Ev. Luc. l. 7, nn. 125-129. col. 1731. Cfr. t. 16. col. 191. n. 10 : « Virginitas martyres facit. » Alium locum non invenimus. (2) Paulo secus refertur in Epist. ad Eustochium (vid. pag. 191, not. 4) et in eius vita. Cfr. t. 22. col. 204. lin. 7.

quo creati fuimus, habebamusque nos animo omnino contrario praesenti huic nostro statui ; quia tunc nec visus inordinate aspiciebat, nec reliqui sensus ad vitium inclinabant. Nunc vero stare debemus iugiter super custodiam sensuum nostrorum, ne pertrahant nos in peccatum.

Sextus Facit ut puritate et virtute resurrectionem carnis praeveniamus, ut ait D. Basilius (1). Status enim vitae futurae id habet, ut homines nec nubant, nec nubantur. Immo facit nos similes Angelis, qui carnis delicias non sentiunt.

Septimus. Facit nos imitatores Christi Domini, qui de virgine natus, virgo[a] semper permansit, et virgo in sepulcro virgine sepeliri voluit ; placuit siquidem ei castitas, et eam coluit in ortu suo et occasu.

12. Media ad eam consequendam et conservandam sunt :

1° Amor fervens in Deum. Nam talis amor, ut purus est et nitidus, obscenum omnem affectum reprimit et opprimit ; et ubi dominatur amor Dei, debet alter ille procul facessere. Divinus siquidem amor foedas omnes phantasias funditus exterminat, caelestibus speciebus facultates animae imbuens.

2° Timor Dei, quo configere debemus carnem nostram, iuxta illud (2) : *Confige timore tuo carnes meas.* Quem ad modum carnes condiuntur ne putrescant, ubi vero densior est caro, profundius sal inspergitur, quin et foramina et fissurae fiunt, ut commodius inferatur : ita nos, ubi sensualitatem sentimus magis nos lacessere, licentiusque spiritui reluctari, debemus adhibere profundiorem ac ferventiorem meditationem passionis Christi ac vulnerum pro nobis perpessorum[b], ut nos puros et integros conservemus.

3° Est oratio et lectio devota. Nam ut dicitur Sapientiae 8° (3) : « Cognovi, quod nisi Deus dederit, continentes esse non possimus ». Cum ergo Deus dare velit, et nos provocet ut velimus, dicit enim : *Petite et accipietis,* debemus crebro petere et dicere : « Ure, Deus, igne amoris tui renes nostros et cor nostrum » (4).

13. 4° Est humilitas, quae appellatur clavis castitatis. Unde Gregorius (5) : « Cum de ipsa continentia mens elevatione tangitur, plerumque omnipotens Deus, superbam mentem[c] deserens, hanc in immunditiam operis cadere permittit ; nulla etenim est castitas carnis, quam non

(a) *natus virgo.* om. B. (b) sic uterque codex. (c) om. B.

(1) S. Basil, P. G. t. 30 Lib. de Virgin. n. 51 in. col. 771. Cfr. ibid. n. 30. (2) Psalm. 118, 120. (3) Cfr. Sap. 8, 21. (4) Or. litan. Omn. Sanct. (5) Greg. PL. t. 75 Moral. l. 11, c. 13, n. 21, col. 963. et n. 53 ext. col. 758.

commendat humilitas mentis ». Causa adulterii Davidis fuit mentis elevatio, ut notavit D. Basilius super illud Psalmi 25 (1) : *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in aeternum ;* et Augustinus serm. 27 in Matth. (2) dicit castos debere fugere superbiam, quod eis nihil prosit castitas, si sit cum superbia coniuncta. Audeo, inquit (3), superbis dicere : expedit corpore cadere, ut in eo ipso, in[a] quo se extollunt, humilientur. Quid enim eis prodest continentia, si dominetur superbia ? Et Gregorius (4) : Qui de continentia carnis superbiunt in vitium carnis cadere permittuntur. Nec mirum id videri debet ; nam quem ad modum medicus sapiens, ut os aliquod confractum educat et extrahat, vel membro alicui interius male affecto et sanie laboranti, brachio v. g. vel femori, medelam aliquam afferat, carnem exterius abscindit : sic (5) Deus, ut mentem superbam curet, in vitium carnis cadere permittit. Vide Augustinum lib. de Civit. Dei, cap. 2° (6) : Est autem humilitas custodia castitatis, quia humilis omnes appetitus moderatur.

5° Est cibi potusque parsimonia : hac enim fovetur castitas sicut immoderato cibo et potu excitatur luxuria. Unde poeticum illud (7) ; « Sine Cerere et Baccho friget Venus ». Et Hieronymus (8) : Difficile inter epulas servatur pudicitia ; et Bernardus (9) : Periclitatur castitas in deliciis ; et Paulus (10) : *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Sicut enim ignis quantitate lignorum et olei in maximam flammam exsurgit, conservatur autem mediocritate lignorum : ita concupiscentia carnis cibi et potus copia inflammatur, temperato nutrimento conservatur in suo debito gradu.

14. 6° Vestitus asperitas. Nam ea mollitiem repellimus, quae lascivia confovetur. *Qui enim mollibus vestiuntur in domibus regum sunt* (11), quasi dicat : molles et effeminati sunt, ut qui vitam aulicam sectantur[b]. Bernardus (12) : Asperior carduus pannum facit leniorem, sic asper habitus carnem facit castiorem. Vidua Iudith (13) ut castitatem servaret, morabatur in cubiculo clausa, habens cilicium circa lumbos suos,

(a) *in* non repetit B. (b) *hi enim delicatis vestibus utuntur*. add., B ; delevit A.

(1) Basil. PG. t. 32 Serm. 7 de Peccato, n. 10 extr. col. 1211. (2) S. August. PL. t. 40 de Virgin. n. 31 m. et extr. col. 413. (3) S. August. PL. t. 39. Serm. 354, n. 9 in. col. 1567. (4) S. Greg. PL. t. 75 Moral. l. 11, c. 13, n. 21. col. 963. (5) S. Greg. PL. t. 75 Moral. l. 9, c. 57, n. (86), 87 col. 907. (6) S. Aug. PL t. 41 de Civ. D. l. 14, c. 13, n. 2 a. f. col. 422. Cfr. tom. 40, n. 52. (7) Ter. Eun. 4, 5, 6. (8) S. Hieron. PL. t. 25 Comm. in Mich. *(Duces populi)*. col. 1172 a. Cfr. t. 22. col. 554, n. 9 extr. et col. 555. n. 10. (9) Bern. PL. t. 182 de Conv. ad Cl. cap. 21, n. 37. col. 855. (10) Ephes. 5, 18. (11) Matth. 11, 8. (12) S. Bern. t. 82 Epist. 322. col. 527 b *(Memento)*. (13) Iudith., 8, 5 sqq.

ieiunans, etc. Et psalmista (1) : *Cum mihi molesti essent, induebar cilicio ;* et quia carnis mortificatio etiam per ieiunii asperitatem fit, ait psalmista (2) : *Humiliabam in ieiunio animam meam ;* quin et flagellis utebatur ; et ait (3) se flagellatum fuisse tota die. Nam licet de adversariorum vexationibus sermo litteralis sit, certum tamen est quod flagellis caedebat se, ut qui Christi typus erat.

7° Custodia sensuum. Unde Bernardus (4) : « Ascenditur ad montem castitatis triplici continentia, membrorum scilicet, sensuum et cogitationum. In primo cohibetur tactus ; in secundo vitatur aspectus ; in tertio refrenatur affectus. » Inter sensus refrenandus est visus (5) : *Oculus meus depraedatus est animam meam.* David pulchritudine Bersabeae per aspectum captus est. Hac visus licentia ceciderunt senes capti amore Susannae et a populo lapidati fuerunt.

15. 8° Evitatio occasionum et maxime mulierum, exceptis casibus necessitatis. Hieronymus (6) : « Hospitiolum tuum aut raro aut numquam mulieres terant, nec sub eodem tecto manseris, nec in praeterita castitate confidas ; quia nec Davide sanctior, nec Salomone sapientior esse potes, qui per mulieres lapsi sunt. »

9° Resistere celeriter et ferventer primis motibus et suggestionibus daemonis, statim ut sentiuntur. Sicut enim scintilla cadens super vestem, nisi statim excutias, illam violat : ita carnales cogitationes, nisi statim depellantur, aut maculant aut interimunt animam. *Beatus qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (7), id est, primas cogitationes.

Caveamus ergo, fratres carissimi, et viriliter decertemus. Non enim ultro a nobis illae recesserint et sponte, sed a nobis excuti debent. Caveamus ne tyrannum umquam in animum nostrum inducamus, et eum diligamus a fonte vitae recedentes, et in caeno impurarum cogitionum inhaereamus. Continuo Dei recordatione et meditatione turpes animae passiones recedunt, instar maleficorum praetore accedente[a] . Deum igitur semper ob oculos mentis habeamus. Sic facientes, etc.

(a) *et mundum Spiritus sancti habitaculum conservatur*. add. B ; delevit A.

(1) Psalm. 34, 13. (2) ibid. (3) Cfr. psalm. 72, 14. (4) S. Bern. PL., t. 183. Serm. de div. 61, n. 1 m. col. 685. (5) Thren. 3, 51. Cfr. August. PL. t. 40 Serm. 31 ad Fratr. in er. col. 1291 m. (6) S. Hier. PL. t. 22 Epist. ad Nepot. n. 5 col. 531 extr. (7) Ps. 136, 9.

28ª Exhortatio

De castitatis virtute et odio sensualitatis seu vitii oppositi, ac denique de utilitatibus castitatis

1. Quando Deus creavit hominem, tribus donis ac beneficiis illum affecit : 1um fuit, quod dedit illi dominium in omnes creaturas inferiores, omnia subiciens sub pedibus eius ; 2um fuit, quod dedit illi sensus corporales; 3um quod dedit ipsi intellectum et voluntatem, ut ipsum cognosceret et amaret. Primum sua inoboedientia homo pervertit in concupiscentiam oculorum ; secundum ex sensibus corporalibus homo derivavit in concupiscentiam carnis ; tertium homo, sequens hanc concupiscentiam, donum rationis ita infecit, ut factus sit bestiis simillimus. Contra illam sensualitatem pravam seu concupiscentiam dedit homini Deus castitatis virtutem infusam, qua carnalis concupiscentia et affectio mortificaretur. Sed quia difficile est malum superare quod non noveris, et nisi contra illud odium concipias, ut contra sensualitatem nostram odium concipiamus atque eam viriliter decertemus, subiciemus considerationes paucas, quae nos ad id strenue praestandum movere possint.

2. Prima est, quod indulgendo sensualitati assimilamur ac paene pares efficimur bestiis ; nam sola ratione, id est, intellectu et voluntate a brutis homo differt. Cum autem sensualitati consentimus, rationem ei subicimus, et tunc in nos vere cadit illud (1) : *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis.*

Secunda, mala et incommoda omnia, quae in mundo et in inferno homo sustinet, a concupiscentia originem ducunt. Omnes poenae in hoc mundo inflictae a Deo, ob hanc pestem infliguntur, ab ea nascuntur et hactenus[a] profectae sunt. Haec diluvium invexit ; dixit enim Deus (2) : *Non permanebit Spiritus meus in homine in aeternum, quoniam caro est.* Sodomam et Gomorrham cum aliis oppidis igne caelesti delevit. Huius occasione David adulterium et homicidium admisit. Haec S. Ioannem Baptistam capite truncavit. Sed exemplis innumeris commemorandis supersedeo, quia satis pervia sunt, et cotidie experientia nova nobis profert.

Tertia consideratio est, perpendere animo pio quam detestabile sit

(a) *ab ea.* add. B.

(1) Psalm. 48, 21. (2) Gen. 6, 3.

sensualitate carnem coinquinari, quae modo super omnes angelos in Christo Domino est elevata et ad dexteram Dei Patris collocata. Quis non fugiat, fratres carissimi, hanc pestem, quae summam animabus nostris importat perniciem ?

Quarta : nullum est peccatum quod hominem reddit tam debilem et ineptum ad res spirituales quam vitium carnis, quare summo[a] odio prosequi concupiscentiam et sensualitatem debemus, eamque studiosissime mortificare. Nam ut nihil omnino sentiamus, neque fomitis aculeis pungamur, vix est nobis sperandum : paucissimis electis id est concessum. Paulum audiamus dicentem ac deflentem calamitatem suam : *Datus est,* inquit (1), *mihi stimulus carnis meae, angelus satanae, qui me colaphizet.* Hinc dicebat alibi (2) : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius* ? et propter hanc pugnam dixit (3) : *Desiderium habens dissolvi, et esse cum Christo.* Augustinus (4) existimavit sanctum Apostolum hanc carnis vexationem per totam vitam sustinuisse ; propterea ut expertus miles monet ut carnem crucifigamus cum vitiis et concupiscentiis. Et ipse Christus Dominus praedicavit (5) : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

3. Habemus porro in nobis duas partes : mentem, qua similes sumus angelis Dei ; carnem, qua bestiis. Si quando homo, neglecta ratione, subiciat se sensualitati, cum iumentis computrescit in stercore suo : nam ut mala est, mala invexit, quibus incessanter affligimur. Alia peccata post contritionem, confessionem et satisfactionem a Deo traduntur oblivioni ; solum carnis peccatum, ad instar animalis foedissimi, etiam post confessionem spargit taetrum post se foetorem. Proinde Christus carnem suam, in qua nullum prorsus vitium cadere potuit, et quae salutem toti mundo attulit, sic afflixit ut nullus magis, quo nos ipsius exemplum in bonum nostrum sequeremur.

4. Caute igitur debemus, fratres, cum carne tractare, nihilque ei concedere praeter necessaria : fructus eius sunt acerbi et pestiferi. Si quis haberet duas arbores in horto suo, quarum una ferret fructus optimos, altera pessimos et pestilentes, certum est quod illa servata hanc everteret. Spiritus autem et carnis fructus recenset Apostolus (6), ponitque carnis fructus plane erubescendos, et concludit (7) : *Quem ergo fructum habuistis*

(a) Vocem illam habet uterque codex ; sed alia manu scripta est in A supra *et merito* quae tamen ibi non sunt deleta.

(1) 2 Cor. 12, 7. (2) Rom. 7, 24. (3) Philip. 1, 23. (4) S. Augustr. PL. t. 44 de Peccat. meritis. lib. 2, c. 16. n. 24 extr. col. 166. (5) Ioann. 12, 25. (6) Gal. 5, 17 sqq. (7) Rom. 6, 21.

tunc in illis, in quibus nunc erubescitis ? D. Bernardus (1) comparat peccatorem homini se scalpenti, qui in ipso quidem actu sentit voluptatem, sed paulo post magnum dolorem.

5. Commendatur castitas et maxime virginitas a praerogativis quas habet :

1° Quia virgines sequuntur agnum quocumque ierit, hoc est, imitantur Christum in omnibus, ut ait S. Augustinus (2), non solum in integritate mentis, sed etiam carnis, et ideo in pluribus eum sequuntur quam ceteri.

2° Quia cantant novum canticum, quod est aureola et gaudium gloriae quam habent de integritate carnis servata.

3° Quia, ut ait Hieronymus, interpretans locum Matthaei (3), centenarius numerus est primus, qui[a] pro virginitatis corona virginibus deputatur ; sexagenarius, numerus secundus pro continentia viduarum ; tricesimus, tertio loco positus, nuptiarum foedera exornat.

4° Quia virgines habebunt locum peculiarem in gloria. Isaias enim dicit (4) : « Eunuchis meis » id est virginibus seu castis et continentibus, qui propter regnum caelorum se castraverunt, « dabo in Regno meo locum nominatum multo meliorem quam filiorum, et dabo eis nomen aeternum ».

6. 5° Anima casta comparatur lilio (5) : *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.* Lilium integrum redolet, fractum et attritum foetet ; color eius est candidus, decor est pallidus, venter continet grana aurea, figura eius est sex foliorum, nascitur et conservatur in terra, inter spinas crescit nec ab eis pungitur, nec quempiam ipsum pungit : ita castitas integra redolet per bonam famam, fracta sive violata per luxuriam foetet, et per infamiam consequentem ; et sicut lilium odorem remittit si momento[b] debito tractatur[c], sic castitatis odor evanescit per tactus inhonestos. Castitas est candida per puritatem, facitque homines hic candidos in anima et corpore, et in altera vita vestem candidam gloriae accipit ; castitas est pallida per mortificationem ; habet grana aurea per cordis pudici sanctas cogitationes, per verba honesta, per actus et opera caritatis Deo grata ; habet sex folia, id est sex praecipue virtutes complectitur : humilitatem, verecundiam, abstinentiam, silentium,

(a) *est pr. q.* delevit B. (b) *si sine modo.* B. (c) *tangatur.* B.

(1) S. Bern. PL. t. 182. Conv. ad Cler. n° 5 c. col. 837. (2) S. August. PL. t. 40. de Virgin. Cap. 51. col. 426. (3) S. Hieron. PL. t. 26 in Evang. Matth. col. 89 a (vers. 23). (4) Cfr. Isa. 56, 4 sqq. (5) Cant. 2. 2.

occupationem, fugam occasionum; ipsa nec pungit nec pungitur, licet inter tentationes crescat.

7. Castitas duas habet socias, quas nos amare et diligenter colere debemus, videlicet pudicitiam et verecundiam. Pudicitia est in verbis, in vultu, in gestu et in exteriore tota compositione hominis, quaedam scilicet ex animo profluens honestas ac totius corporis cum virtutis splendore moderatio. De qua Augustinus : Virtus pudicitiae nos hominibus honorabiles, Angelis desiderabiles, et Deo placentes ac amabiles reddit. Conservatur autem haec gemma in nobis per abstinentiam, rigidam disciplinam, cautamque interiorum et exteriorum sensuum custodiam. Unde Hieronymus (1) : « Quidquid pudet dicere, pudeat et cogitare ».

8. Hanc porro custodiam docet altera soror seu socia, videlicet verecundia, de qua Ambrosius (2) : Est, inquit, verecundia pudicitiae comes, cuius societate castitas ipsa tutior est. Unde et Bernardus (3) : Verecundia, inquit, soror est continentiae : nullum aeque manifestum indicium columbinae praebet simplicitatis. Hinc Paulus vult mulieres cum verecundia et sobrietate ornare se (4).

Est autem duplex secundum Gregrorium verecundia (5) : una laudabilis, repraehensibilis altera. Verecundia laudabilis est in malo obiecto.sive in malo quod ipsi obicitur, illudque declinat. Repraehensibilis est in bono: nam bonum erubescere fatuitatis est ; et boni erubescentia, incivilitas quae[a] rusticitas appellanda est, potius quam verecundia, de qua Christus ait (6) : « Qui me erubuerit coram hominibus, erubescam ego et eum coram Patre meo. » De erubescentia vero, seu verecundia, qua quis erubescit malum, vide D. Bernardum in Cant. ubi dicit (7) : « Nihil esse amabilius verecundo adulescente, nullam pulchriorem ac splendidiorem gemmam morum verecundia in vita et vultu adulescentis. Est siquidem vera et minime dubia bonae spei nuntia, bonae indolis index, virga disciplinae, expugnatrix malorum, propugnatrix puritatis innatae, specialis gloria conscientiae, famae custos, vitae decus, virtutis sedes, virtutum primitiae, naturae laus et insigne totius honesti ».

(a) *et* B.

(1) Immo S. August. PL. t. 33. Ep. ad Demetr. cap. 21. col. 1114 in. (2) S. Ambros. PL. t. 16 de Offic. cap. 18. n. 69. col. 44. (3) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 86 in Cant nº 1 b. med. col. 1195. Cfr. t. 184. de Ord. vitae. col. 563. n. 4. d. (4) Cfr. 1 Timot 2, 9. (5) S. Gregor. PL. t. 76 in Ezech. lib. 1. hom. 10. n. 17. col. 892. (6) Cfr. Luc. 9, 26. (7) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 89 in Cant. n. 1 b. in. col. 1195.

9. Vitium oppositum castitati et duabus memoratis sociabus est luxuria et lascivia, ex quarum filiabus cognoscere licet fructus et utilitates castitatis et sociarum. Opposita enim iuxta se posita, magis elucescunt ; quam ob rem subicimus luxuriae filias.

Prima igitur filia est caecitas mentis, quia secundum Augustinum et Gregorium (1) in opere luxuriae tota ratio obscuratur. Hinc cernimus luxuriae deditos, leves et temerarios, dicentes et facientes quae cum stultitia et insipientia magna coniuncta sunt.

Secunda est inconsideratio finis in rebus agendis, quae proficiscitur ex illa priore. Hinc vero praecipitatio in actionibus, quae praecipitatio non audit consilium.

Tertia est inconstantia ; nam animus impudicis affectibus et operibus distentus facile distrahitur in diversa, ut modo unum, modo aliud velit et faciat.

Quarta est amor sui circa desiderium ardens vitae temporalis.

Quinta stoliditas ex praecipitatione proveniens.

Sexta odium Dei, propterea[a] quod divina illa bonitas prohibeat illa carnis oblectamenta.

Septima, affectus ad divitias et rerum temporalium atque deliciarum copiam, quo quis liberius vacare possit suae libidini.

Octava est desperatio seu diffidentia de venia et de gloria consequenda, quod homo iam totus imbutus sordibus affectionibus desperet posse se abicere inveteratum usum et consuetudinem. Et hic quidem luxuriae consummatae effectus est.

10. Nocet vero praeterea multipliciter :

1° Quia Deo contumeliosa est : quia eius templum violat, adeo ut etiam per somnium desideriorum ac studiorum praeteritorum consummatio succedat. Et hinc consilio D. Thomae (2) ab Eucharistia sumenda arcetur etiam qui ante peccatum sit confessus. Quod autem sit odiosa patet ex uxore Loth, quae in salis statuam versa est, quod ad Sodomam forte per compassionem impuram fuerat commota et conversa ; Deus autem eorum qui sordibus eiusmodi generis infecti sunt nec emergere volunt, nos non vult misereri.

2° Quia daemonibus grata est ; ideo nobis impensius detestanda.

(a) in margine cod. A.

(1) AUGUST. PL. t. 36 Enarr. in Ps. 34. Sermo 1. n. 9. col. 328. — S. GREGOR. PL. t. 76 Moral. lib. 31 cap. 45. n. 88 col. 621. Cfr. t.75 Moral. lib. 16 cap. 69. n. 83. col. ult. 1162. — Cfr. Richard. a S. Vict. PL. t. 196 Expl. in Cant. cap. 11, col. 441 c. et seq. (2) S. THOM. 3a, q. 80. a. 7. c. et ad 4m.

Hinc Iob dicit (1) quod « *Behemoth dormit.... in locis humentibus.*

3° Proprio subiecto et corpori noxia est. Hinc Paulus (2) : *qui fornicatur, in corpus suum peccat.*

4° Proximum scandalizat. Unde Osee (3) : *Laqueus facti estis speculationi,et rete expansum super Thabor.*

5° Animam propriam suppliciis aeternis addicit. Unde dictum est Davidi ob peccatum cum Bersabea commissum (4) : *Non recedet gladius de domo tua.*

6° Rationem, quae domina est et praeesse debet, vilissimae sensualitati subicit. Hinc dictum est Adae (5) : *Quia audisti vocem uxoris tuae, maledicta terra in opere tuo.*

7° Mentem infatuat ; unde dictum est (6) : *Vinum et mulieres apostatare faciunt sapientes*[a].

Licet igitur nihil conferret aliud castitas, quam mala et pestes iam commemoratas a mortalibus arcere, sufficere deberet ad incitandos eorum animos ad sui desiderium.

11. Atqui non desunt castitati suae utilitates etiam positivae, quarum non nullas hic tibi exponimus.

Prima esto, quod casti sunt similes liliis candidissimis, de quibus ante dictum est. — 2ª Sunt similes Angelis. Propterea B. P. N. paucis verbis nobis commendans nobilissimam hanc virtutem castitatis, iubet ut conemur habere puritatem angelicam, ut nulla prorsus labes animam commaculet. — 3ª Facit homines liberos a multis curis terrenis, nimirum ab educatione et sollicitudine familiae et liberorum, de qua Paulus ait (7) : « Mulier innupta et virgo cogitat quae Domini sunt, quomodo placeat Deo ; nupta autem, quae mundi sunt cogitat, et quomodo placeat viro ». — 4ª Est velut fundamentum omnium virtutum, sicut color albus omnium colorum ; hac enim sublata cetera bona corruunt, ut ex supradictis facile est cognoscere. Quacumque enim virtute polleas, quibuscumque operibus niteas, ait Hieronymus, si cingulo castitatis careas, omnia per terram trahis sicuti si[b] vestem pretiosam quispiam per lutum trahat. — 5ª Valet contra insurgentes tentationes daemonis, sicuti Iudith vidua, absciso capite Holophernis, virtute Dei et castitatis, quam mire amabat et colebat, liberata est ab omnibus periculis et impugnationibus ; nam de ea scriptum habemus (8) : *Confortatum est cor tuum eo quod*

(a) om. B. (b) *ut si.* B.

(1) Iob. 40, 16. (2) 1 Cor. 6, 18. (3) Os. 5, 1. (4) 2 Reg. 12, 10 (5) Gen. 3, 17. (6) Eccli. 19, 2. (7) Cfr. 1 Cor 7, 33. 34. (8) Iudith. 15. 11.

castitatem amaveris. — 6ª Reddit homines Deo gratos, quia[a] unice diligit munditiam cordis : *Qui diligit cordis munditiam habebit amicum regem* (1). Et Isidorus ait (2) : Continentia hominem Deo proximum facit ; ubi ista manserit, ibi et Deus manet. Contra vero S. Scriptura docet Deum dicere (3) : *Non permanebit spiritus meus in homine in aeternum, quia caro est.* Sequitur igitur quod permanebit[b], si spiritualis exstiterit, et carnem spiritui subdiderit. — 7ª Casti sunt grati et iucundi angelis. Nam ut animal simile simili gaudet et diligit, multo magis angelus, divina sapientia plenus, hominem sibi similem diliget. — 8ª Omnibus hominibus casti sunt amabiles, et apud omnes opinionis sunt laudabilis, iuxta illud (4) : *O quam pulchra est casta generatio cum claritate : immortalis est enim memoria illius, quoniam apud Deum nota est* sapientia illius. Quin et apud homines sapientes casti in honore sunt ; immo et laus est casti viri etiam apud carnales. — 9ª Per castitatem acquiritur visio Dei, quia vere casti mundo sunt corde (5) : *Beati autem mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et haec quidem de utilitatibus modo sufficiant.

12. Quantum praeterea[c] placeat Deo puritas et castitas patet exemplo Iosephi (6) ; et omnes sane virtutes absque castitate nullius sunt pretii et valoris apud Deum. Hinc Augustinus (7) : Si habuerimus, fratres mei dilectissimi, oboedientiam cum Abrahamo, patientiam cum Isaac, diligentiam cum Iacob, et non servaverimus castitatem cum Ioseph, quid proderunt nobis omnia illa ?

Quod cum ita sit[d], fratres mei dilectissimi, vincamus et respondeamus carni et pravis cogitationibus hoc modo cum Iosepho[e] : Quomodo possum hoc malum facere ? omnia posuit Dominus meus in manu mea, praeter haec ad quae me impellere conaris. Si Ioseph tam fidelis fuit homini, non ero ego fidelis Domino Deo ?

Praecipuus labor noster poni debet in bene firmanda voluntate. Nam voluntas nostra cum Spiritu Dei coniuncta, multo carne est fortior, et si vera sit et constans, fructus pulcherrimos referet laetitiae. Ut vero firmam et rectam habeamus, cum omnis fiducia nostra ex Deo sit, ab

(a) *cui*. B. (b) *Deus cum eo*. add. B. (c) Vox illa scribitur supra lineam, loco vocis *vero*, quae tamen non est deleta in A. (d) *amare debemus et summo studio colere castitatem. Cum Iosepho igitur, fr. m.* add. B. (e) *c. Ios.* om. hic B. (f) om. B.

(1) Prov. 22, 11. (2) Verba quidem non legimus ; verum sunt quasi commentarius S. Isid. PL. t. 83 Sentent. lib. 2, cap. 39, n. 22 ; vel cap. 40, n. 4. (3) Gen. 6, 3. (4) Sap. 4, 1. (5) Matth. 5, 8. (6) Gen. 39. (7) S. August. PL. t. 40 ad Fratres in eremo. Sermo 16. col. 1202 p. m.

ipso eam petere obnixe et cum magna humilitate debemus. Item adhibendus est conatus et studium in amovendis occasionibus omnibus. Quod ut melius faciamus, sicuti S. Ephraem monet (1) : « Continuam Dei recordationem sinceramque pietatem habeamus. Cernens enim Dominus quod ipsum solum toto corde desideremus, et quae grata atque illi accepta sunt faciamus, non amplius ut servis loquetur nobis, sed tamquam amicos veros ad perfectiores sublimioresque virtutes nos invitabit, dicens : *Amice, ascende superius* (2), id est, ad bonum pulchrumque ascensum in caelos sustollentem, cuius gradus sunt spes, fides et caritas, ceterique fructus spiritus ; ac tandem facti cives supernae Hierusalem, gaudebit cor nostrum, et gaudium nostrum nemo tollet a nobis. » Sic faciamus, fratres carissimi, etc.

29ª Exhortatio

De castitatis necessitate et de sordidis cogitationibus eam impugnantibus, ac demum de earum remediis

1. Sunt qui contra castitatem obiciunt illud Apostoli (3) : *Melius est nubere quam uri.* Sed si illa verba detorqueri debeant ad omnes, nemo hanc ipsam castitatis virtutem umquam excoluisset : non Elias ille Thesbites, non Elisaeus, non Ioannes, non quicumque se castraverunt propter regnum caelorum, castamque suam carnem Deo servaverunt ; sed neque continens ipse fuisset Apostolus, nisi respexisset in retributionem mercedis. Quid ? Dicet forsitan aliquis illos corporis expertes fuisse ? Sed audiat eundem Apostolum dicentem (4) : *In carne ambulantes non secundum carnem militamus : nam arma militiae nostrae non carnalia, sed potentia Deo ad destructionem munitionum*, etc. Clarum vero est quod impugnati sunt tamquam carnem circumferentes ; verum restiterunt strenue. *Castigo*, inquit idem Apostolus (5), *corpus meum, et in servitutem redigo ;* exemploque suo nos quasi manu ducens ait (6) : *Imitatores mei estote sicut et ego Christi.* Necessaria ergo est Dei gratia et castitas ad repugnandum et expugnandum hostem ; maxime vero virginibus utriusque sexus, quibus improbus hostis graviorem movet pugnam, quod illa summopere Deo et sanctis eius placeat.

(1) S. Ephraem. tom. 2, n. 20 de Virtute, cap. 10. p. 305 b et d. (2) Luc. 14, 10. (3) 1 Cor. 7, 9. (4) 2 Cor. 10, 3. 4. (5) 1 Cor. 9, 27. (6) 1 Cor. 4, 16 ; 11, 1.

2. Quod testatum faciunt D. Hieronymus (1) Epist. 22ª ad Eustochium ; S. Martialis, epist. ad Tolosanos, c. 9 ; S. Basilius (2) ; S. Ambrosius (3) ; S. Ioann. Damascenus (4) ; Augustinus (5) ; denique Isidorus (6) ; quibus locis videri licet a sanctis illis viris virgines cum angelis comparari ; immo dicam amplius, non tantum angelis similes dicuntur, verum etiam aequales. Sic enim loquuntur sancti viri, ut dignitatem virginitatis convenientius explicent. Sic S. Cyrillus Hierosol. (7) Catech. 4ª ad illuminatos. Non abs re ergo B. P. N. Ignatius hortatur nos ut conemur puritatem angelicam adipisci. S. Chrysostomus (8) audet dicere virgines aliqua ratione angelis evadere superiores ; nam, si nec nubunt angeli, nec uxores ducunt, ait, attende quod ipsi carne et sanguine non sunt coagmentati, in terris praeterea non commorantur, non cupiditatibus aut libidini sunt obnoxii, non cibo indigent aut potu ; non sunt huiusmodi ut eos dulcis sonus aut cantus mollire, aut praeclara species possit allicere ; nulla denique huius generis capiuntur illecebra : atqui homo castus, virgo in primis, cum natura beatis illis mentibus sit inferior, omni vi studioque contendit ut, quoad eius fieri potest, illas assequatur.

3. Adverte autem hanc angelicae castitatis puritatem egregie explicari ab abbate Cheremone, apud Cassianum (9). Ibi sex eius gradus constituit : 1ᵘˢ est, Ut vigilans, dum impugnatur religiosus, nullo pacto allidatur. — 2ᵘˢ Ne mens eius ullis voluptuariis cogitationibus immoretur. — 3ᵘˢ Ne femineo vel tenuiter ad concupiscentiam moveatur aspectu. — 4ᵘˢ Ne vigilans vel simplicem carnis perferat motum. — 5ᵘˢ Ne cum memoriam generationis humanae, vel de ea tractatus ratio, vel necessitas lectionis ingesserit, mentem voluptuariae actionis perstringat assensus ; sed velut opus simplex quoddam, aut ministerium humano generi necessario contributum, tranquillo ac puro cordis contempletur intuitu, nihilque amplius de eius recordatione concipiat, quam si operationes laterum vel cuiuslibet alterius officinae mente pertractet. — 6ᵘˢ Ne illecebris phantasma-

(1) S. Hieron. PL. t. 23 Adversus Iov. lib. 1, col. 228, n. 12 a. m. (2) S. Basilius. PG. t. 30 de Vera Virgin. col. 771, n. 51. (3) S. Ambrosius. PL. t. 16 de Virgin. lib. 1, cap. 8, nn. 51-53. col. 202. 203. Idem, t. 16 de Instit. Virg. cap. 17, col. 330, n. 104 sqq. (4) S. Ioann. Damascenus. PG. t. 94 de Fide orthod. lib. 4, cap. 24. col. 1210 m. (5) S. August. PL. t. 40 de Virgin. col. 401, cap. 13 ; vel expressius : t. 38 Sermo 132, cap. 3, col. 736, n. 3. (6) S. Isidorus. PL. t. 83, lib. 2 Sententiarum, cap. 40. n. 4. col. 643. Ibid. lib. 2 de Eccl. Off. cap. 18, n. 9, extr. col. 806. (7) S. Cyrillus Hieros. PG. t. 33. Catech. 4 de Decem dogm. col. 486, cap. 24. — Ibid. Catech. 6 de uno Deo, col. 602, cap. 35. — Ibid. Catech. 12 de Christo incarn. col. 767, cap. 34. — Et Catech. 15 de secundo Adventu Dni. col. 902, cap. 23 a.f. (8) S. Ioann. Chrysost. PG. t. 48 de Virgin. cap. 10 p. m. et cap. 11. col. 540. (9) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 12, cap. 7. col. 880.

tibusve feminarum vel dormiens illudatur ; licet enim hanc ludificationem peccato, ait, obnoxiam[a] non credamus, concupiscentiae tamen adhuc medullitus latentis indicium est.

Haec igitur est angelicae puritatis forma, quam in Societate imitari iubemur. « Et quamvis a desideriis vel neglegentiis, inquit idem abbas (1), c. 17 ibid. impossibilis forte iudicetur abstinentia, certus tamen sum a studiosis ac religiosis viris probari quod dicitur. »

4. Advertendum praeterea est omnes cuiuscumque ordinis religiosos aequaliter teneri ad castitatis custodiam. Nam licet in voto oboedientiae sicuti et paupertatis diversi sunt gradus, ad quos non omnes religiones ex aequo tenentur, in castitate tamen servanda nulla prorsus inaequalitas admitti potest. Quam ob rem B. P. N. in constitutionibus dixit in hoc voto nulla opus esse interpretatione. D. tamen Bonaventura, cum istud ipsum affirmet, in expositione tamen regulae c. 10 circa finem, dicit quod castitas ipsa religiosorum quamvis gradus non habeat, multi sunt tamen gradus disciplinae eius honestatem inviolabilem observandi. Quia nimirum in una religione plura sunt magisque proportionata ad castitatis custodiam remedia quam in alia, et secundum hoc religio una dicitur aliis in hoc voto praeeminere. Societas vero non paucioribus mediis minusque proportionatis ad sui custodiam utitur, quam quaevis alia familia religiosa utens iis ministeriis, quibus ipsa utitur.

5. Ut autem remedia ad castitatem tuendam contra daemonis, mundi et carnis impugnationes tradamus, investiganda sunt primo principia ex quibus incontinentia nascitur, ut secundum ea adhibeamus remedia.

Tria porro videntur esse principia. Primum quidem in anima est secundum intellectum et imaginationem seu phantasiam, unde turpes imaginationes repraesentationesque et somnia impudica evenire solent. — Secundum est in corpore quoad concupiscentiam, unde in lascivientis corporis ardore emanant alterationes et motus carnis illiciti. — Tertium principium ducitur a rebus externis, quae in obiectum cadunt, ut est conversatio cum iis personis quae ad eas inordinationes et malas affectiones provocant. Item, quae subministrant vel invitant per occasiones tactuum, osculorum, etc. quae a quolibet sensu prodeunt interdum incitamenta, a sensibus ad intellectum per species delata.

6. Quod ad primum attinet, cogitationes malae et somnia turpia quam perniciosa sunt, vel ex hoc patet quod Ecclesia sancta in hymno comple-

(a) *obnoxium*. B.

(1) Cassianus, l. c. cap. 16. col. 898 a, ubi legitur *a desidiosis ac neglegentibus*, quod est tenendum.

torii : « Te lucis ante terminum » instituit ut nos cotidie tali oratione muniamus ne somnia noceant. Nam licet eiusmodi somnia pollutionem inducentia absque ulla patientis culpa interdum eveniant, interdum tamen eveniunt culpabili neglegentia praecedente, vel post ea somnia subsequitur interdum culpabilis complacentia, vel ut minimum distractio mentis et pronitas quaedam ad turpia. Quare omni studio sunt evitanda.

Praeviae igitur cogitationes diligenter excuti et depelli debent, quod hae causa esse possunt somniorum, et in vigilia motuum indecentium ; maius autem peccatum est, si excurrant longius et haereant penitius. Hinc S. Bernardus (1) : « Cogitatio prava delectationem parit, delectatio assensum, assensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo peccandi necessitatem, necessitas mortem », quas omnes « filias vipereas » cogitationis turpis appellat. Hinc etiam Isaias monet (2) : *Auferte malum cogitationum vestrarum ab oculis meis.* Malae enim cogitationes ad male faciendum inducunt. Unde in Michaea (3) : *Vae, qui cogitatis inutile et operamini malum in cubilibus vestris ;* et Chrysostomus sup. Matth. 2, (4) dicit quod « abscisio membri non ita comprimat tentationes et tranquillitatem faciat, ut cogitationis frenum ».

7. Quamvis omnes cogitationes turpes sint studiosissime vitandae, illae tamen summa contentione sunt expellendae, quae magis particulares sunt, sive quae res particulares aut personas spectant, quia hae efficaciores sunt ad movendum concupiscentiam. Quod significasse visus est Aristoteles Ethic. 3°, cum ait, delectabilia in particulari esse magis voluntaria quam in universali, id est, magis voluntatem movere, et deinde concupiscentiam. Abigendae sunt muscae et turpes aves ab hoc voti Deo nuncupati sacrificio, cum Abrahamo (5), usque ad vesperam et finem vitae, si volumus benedictionum illi et semini eius a Deo promissarum gratia perfrui.

Si petas quonam instrumento hoc fieri possit ? Respondeo : 1° per oratio-

(1) S. Bern. PL. t. 184 de Inter. domo. n° 47 c. d. col. 532. Eadem verba leguntur apud Smaragdum (obiit saec. 9° ; Bernardus, 12°) PL. t. 102 Diadema Monach. cap. 34. col. 630 a. b ; et ibid. Comm. in reg. S. Bened. col. 810 extr. Vide porro paulo infra, p. 220 not. 7, verba S. Isidori (obiit saec. 7°). (2) Isa. 1, 16. (3) Mich. 2. 1. (4) Notandum 1° Versionem Chrysost., quam refert Oliverius noster, eam esse quam Keerbergius (Antwerpiae 1614) imitatus est, et quae saepe prorsus differt a versione Mignensi, sicuti loco suo notabimus. 2° Duas exstare series Homiliarum S. Chrysost. in Matthaeum : unam in PG. t. 56, alteram, eamque genuinam, tomo sequenti ; utramque vero in tomo 2° Keerbergii, cum aliis in Evang. homiliis. — Porro locum de quo hic agitur, quemque codex ascribit inter hom. in cap. 2 Matth, invenies apud S. Chrysost. PG. t. 57-58 in Matth. hom. 62 (63), n. 3, lin. 17 ab ima col. 599. Cfr. in eundem locum Matth. Paschas Radb. PL. t. 120. col. 654 c. sqq. (5) Cfr. Gen. 15, 10 sqq.

nem ac sanctam mentis occupationem, dicendo cum psalmista (1) : *Cor mundum crea in me Deus ;* item (2) : *Fiat cor meum immaculatum in iustificationibus tuis, ut non confundar.* — 2° Iuvat otium fugere ; nam, ut ait Plato, homo in otio est in sepulcro vivens ; et D. Hieronymus ad Rusticum (3) : « Semper aliquid boni facito, ut te diabolus inveniat occupatum ». — 3° Iuvat manifestatio harum cogitationum patri spirituali. S. Ephraem (4) : « Dic suggerenti tibi cogitationes sordidas et immundas : O veritatis inimice, ut tu desiderio tuo satisfacias, ego dedecore et ignominia afficiar ? Ut tu voluntatem tuam expleas, egone confundar ? Vade ad tui similes, impudicos atque lascivos. Porcorum gregem depoposcisti tibi (5) ? demergere in mare cum ipsis, non me amplius tibi servum habebis, aut voluntati oboedientem tuae. Sufficit mihi praeteritum tempus, deinceps nunc veritati obsequens ero.... ; Spiritum enim sanctum dedit mihi, et ego eum exacerbabo[a] ? Animam et corpus mihi mundum donavit, ego vero ea contaminabo[b] ? » Idem, de vera et perfecta renuntiatione, et quo pacto anima Deum inveniat (6) : « Cave, inquit, aurum tuum aere vel plumbo misceas, hoc est, animam tuam improbis atque immundis cogitationibus contamines. Quem ad modum enim virgo viro desponsata, si corrumpatur ab aliis, exsecrabilis fit marito : ita et anima sordidis cogitationibus distracta et pactis atque condicionibus obligata, abominabilis redditur caelesti sponso suo Christo.

» Quantum ergo in se est, caveat indulgere atque consentire earum dulcedini, ut sic Christus Dominus eius in se amorem cernens misereatur ipsius, veniensque disperdat omnes inimicos corrumpentes eam, suadensque inimicitiam adversus sponsum suum, et consilia eorum dissipet. Nam videns Deus animam colligentem se, et, quantum in se est, quaerentem et exspectantem Dominum suum, ac nocte diuque ad ipsum clamantem, cito veniet, et faciet vindictam adversus inimicos eius, et mundans eam ab omni macula et ruga sanctam et immaculatam sponsam sibi exhibebit. »

8. Secundum incontinentiae principium, cum in corpore sit, ut ante dictum est, illud est castigandum et in servitutem redigendum, ita ut in omnibus actionibus et motibus ratio seu rationis iudicium, tamquam rex Salomon (7), super mulam Davidis sedens, dominium habeat regni sui.

(a) *exacerbavi.* ed. vatic. et colon. (b) *contaminavi.* ibid.

(1) Psal. 50, 12. (2) Psal. 118, 40. (3) S. Hieron. PL. t. 22 Ep. ad Rusticum. n. 11 a. m. col. 1078. (4) S. Ephraem. t. 2, n. 31. Attende tibi ipsi.cap. 9. p. 325 b. (5) Cfr. Matt. 8, 31 ; Luc. 8, 32. (6) S. Ephraem. tom. 1, n. 31. De vera atque perfecta Renuntiatione. p. in., p. 61 d. (7) Cfr. 3. Reg. 1, 38. 44.

Remedia ad temperandum hoc principium esse possunt : 1um Refrenare gulam, si quis est intemperans in victu ; hinc enim colliguntur ligna ad concupiscentiae nutrimentum, quibus se miser homo concremet. Nam, ut ait Hieronymus (1), venter mero aestuans cito despumat in libidinem. Et Apostolus : *Nolite*, inquit (2), *inebriari vino, in quo est luxuria ;* et inter iniquitates Sodomae censetur saturitas et abundantia panis. — 2um Iuvat laboribus assiduis vacare. — 3um Nullo modo sibi confidere, cum videamus Davidem sanctissimum et Salomonem sapientissimum eversos fuisse. — 4um Frangendum est vas carnis ut splendeat castitas latens. Habemus enim thesaurum magnum in vasis fictilibus absconditum, quando habemus castitatem. Habetur in collationibus Patrum, maius esse miraculum de carne propria fomitem eradicare, quam de alienis corporibus spiritus immundos eicere. S. Hieronymus (3) in vita S. Pauli, primi eremitae, de quodam adulescente scribit, qui cum pedibus et manibus ligatis non posset aliter impudicam feminam a se repellere, abscissam dentibus linguam in eius faciem exspuit. Non affero D. Ioannis Baptistae exemplum, qui licet in utero sanctificatus fuisset, utebatur tamen vestimento de pilis camelorum facto et vescebatur locustis. Taceo etiam D. Magdalenam, quae licet certa esset de remissis peccatis suis, per plurimos tamen annos in deserto loco vitam duxit solitariam et asperrimam.

9. Tertium[a] incontinentiae principium aggrediamur. Hoc enim continet multos surculos qui ex mala radice promanant. [1°] Evitandae in primis studiosissime occasiones omnes et sensuum obiecta, ea praecipue quae cadunt sub aspectum et tactum ; nam ex iis sensibus facile suboriuntur inhonestae imaginationes et tentationes ; quod si quando defectus incidat per incuriam et inconsiderantiam, statim ut advertimus occurrendum est. Nam ubi insederit semel cogitatio impura et moram traxerit, licet expellatur, remanet tamen vestigium quoddam ad turpia inclinans. Ideo cum hoc luxuriae vitio eminus pugnandum esse sacri doctores nos docuerunt ; nam si accedamus propius, periculum est ne tamquam ursus animas nostras apprehendat et dilaniet. Devitandus est autem aspectus earum praecipue personarum, quae aliquid inhonesti in mentem nostram importare possunt, sicuti fecisse sanctum virum Iob legimus in eius libro : *Pepigi*, inquit (4), *foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine ; quam enim partem haberet in me Deus desuper et hereditatem*

(a) In margine scriptum est : *Sed tempus est ut* (tertium). A.

(1) S. Hieron. PL. t. 22 Ep. ad Oceanum, n. 9 in., col. 663. (2) Eph. 5, 8.
(3) S. Hieron. PL. t. 23 Vita S. Pauli, n. 3. col. 20. (4) Iob. 31, 1-3.

omnipotens de excelsis ? Numquid non perditio est iniquo et alienatio operantibus iniustitiam ? Nonne ipse considerat vias meas et cunctos gressus meos dinumerat ? Et de S. Antonio de Padua, et de S. Dominico legimus, quod non solum aliorum, sed ne sua quidem membra videre voluerunt.

10. D. Basilius de Constit. Monast. : « Debet, ait (1), religiosus declinare magno studio colloquium feminarum. Cum vero non potest declinare ob earum spiritualem necessitatem, caveat a verbis et sermonibus levibus aut familiaritatem indicantibus, multo etiam magis a multo vultus earum aspectu. Nam licet ex hac congrediendi ratione nullis libidinum aculeis pungatur aut exstimuletur, licet ipse nihil sentiat, qui, quaeso, hoc ita esse ceteris facile persuadeat ? Porro, quod quis nulla proposita utilitatis spe multitudinem scandalizet, hoc arbitror ei non vacare periculo. Quamquam et alia etiam ratio spectanda est, quod esto nullam ipse in animo suo perniciosae cogitationis noxam conceperit, de muliere certe, quod ea quoque idem faciat, numquam nobiscum controvertet, neque quod ipsa libidinibus non moveatur. Quin incidit saepenumero propter consilii imbecillitatem et maiorem quandam in eo sexu ad libidinem proclivitatem, cum femina ipsa aliquantulum eius, qui inconsideranter secum congressus sit, libidine commota sit. Atque quidem nullum ille vulnus accepit, sed saepenumero inflixit, et quem ad modum id fecerit non intellegit. Accedit quod, per speciem spiritualis caritatis, saepe religiosum adiens muliercula oculis primum peccato largiter explere se incipit, et formam illius aspectibus lascivis depascitur, et virginem, cuius amore praecipue divinus sponsus tenetur, impuris cogitationibus vitiat et corrumpit. Quare, ne quid eiusmodi eveniat, colloquia mulierum funditus fugiamus. Quod si omnino nequeamus, enitendum est certe, ut quam rarissima illa et quam brevissima fiant. Neque id ex odio sexus, quod absit, neque quia cognitionem illarum abnegemus, sed earum potius patrocinium suscipiamus. » Haec D. Basilius.

11. 2° Cavendum est a tactu corporis proprii non necessario, multo vero magis a tactu aliarum personarum, quoniam *qui tetigerit picem inquinabitur ab ea* (2).

3° A verborum et cantionum turpium auditu abstinendum est, quoniam *Vas, quod non habuerit operculum nec ligaturam desuper, immundum erit* (3).

(1) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. cap. 3. col. 1343. (2) Eccli. 13, 1. (3) Numer. 19, 15.

4° Honesta et pura conversatio retinenda quidem est, inhonesta vero, etiam cum incommodo suo, declinanda ac fugienda exemplo Iosephi (1). Et id quidem maxime convenit hominibus Societatis nostrae, qui vocati sunt ad aliorum utriusque sexus curandam salutem. Oportet etenim nos esse omnino puros ac castissimos, qui quasi paranymphi seu nymphagogi constituti sumus ut Christo sponso caelesti sponsas adducamus. Tales enim ac similes illis nos esse decet. Nam cum Deus superet omnem bonitatem et puritatem atque pulchritudinem et quidquid est amabile, et animae purae copulari exoptet, talem etiam ministrum ac religiosum suum in Societate esse vult, et tales qui in Societate ipsi deserviant, qui animas ipsi doctrina et vitae exemplo ac sacramentorum ministerio desponsaturi sunt, ac tamquam ornatissimas sponsas ad divinum sponsum adducturi.

12. Ut quid, fratres carissimi, illud praeceptum est in Exodo (2), ut poneretur in tabernaculo labrum de speculis mulierum intus ornatum, habens aquam ad lavandos pedes et ut se sacerdotes inspicerent, quo sine macula interius ingrederentur ? Figura hac nimirum significabatur munditia famulorum Dei, qui in ecclesia sancta ei ministrarent. Hinc psalmista in persona Dei dicit (3) : *Ambulans in via immaculata, hic mihi ministrabat.* Et Sapiens dicit (4) : *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem ;* et alibi (5) : *Casta generatio in perpetuum coronata triumphat.*

5° Fugiendus est nimius et singularis amor cuiusvis personae, quamvis videatur spiritualis ; quia spiritus tunc coniunctus est carni, et a spiritu ad carnem facilis est transitus.

Postremo ea nos, fratres carissimi, cautione circumspectioneque gerere oportet in omnibus, ut qui in domo straminea ignem portat, et qui capitalem inimicum, hoc est se ipsum, semper secum habet, in mensa, in cubili, in horto, in plateis, in itinere, etc. Proinde, beatus ille, qui stat iugiter super custodiam suam (6). Sic igitur faciamus, ut non inveniat hostis noster locum tentandi, et ut constantia nostra de nullo nos reprehendat. Quod si fecerimus, etc...

(1) Gen. 39. (2) Exod. 30, 18 ; 38, 8 ; 40, 7. (3) Psalm. 100, 6. (4) Prov. 22, 11. (5) Sap. 4, 2. (6) Cfr. Habac. 2, 1.

30ª Exhortatio

De carnis et spiritus pugna et de cogitationibus pravis depellendis

1. Notum est ex D. Paulo (1), fratres carissimi, carnem concupiscere adversus spiritum. Caro autem hostis et inimicus noster est antiquus, qui multis annis exercuit vires suas in nobis ante spiritum et rationem. Ex quo nascimur, sensualitas agit in corpore nostro. Ratio autem non incipit se plene[a] exercere in hac carnis pugna ante decimum quartum circiter annum : ideo sensualitas in nobis ratione robustior est ; nec absimilis est pugna ab illa quae intercederet inter puerum et virum artis militaris peritum. Exemplum habemus in lusu Isaac cum Ismaele (2). Erat siquidem Ismael senior et robustior, et ideo facile Isaac tenellum deiciebat et male tractabat : quod cernens Sara, eius mater, ferre noluit. Eice, inquit (3), ancillam et puerum eius.

Mortificanda igitur est et deprimenda caro, ne superet rationem et spiritum. S. Paulus infirmitatem suam expertus exclamat (4) : *Infelix ego homo ; quis me liberabit de corpore mortis huius* ? Sed ilico subicit responsum : *Gratia Dei per Iesum Christum*. Nam homo per se non potest vincere se ipsum, quia victoria inaequalitatem requirit : duo etenim pares et aeque exercitati, si pugnent, neuter, quam diu sunt pares, vincet ; homo autem debet pugnare contra se ipsum, estque semper sibi ipsi quodammodo aequalis, licet in ipso caro sit exercitatior spiritu in pugna. Sed homo utrumque ita continet in se et fovet, ut carni tamen magis adhaereat et ab ea superetur nisi a Deo et gratia adiuvetur, qui facit eum superiorem viribus, et spiritum eius robustiorem contra carnem.

Pugnat autem caro, licet infirmior et debilior, arte et longo usu ; et quo homo seu ratio[b] tepidior est, illa fit robustior ; sicuti animalia quaedam, quae insequentem fugiunt, fugientem persequuntur. S. Gregorius (5) vocat daemonem mirmicoleon, id est, formicoleonem, seu leonem formicam. Nam animal illud latentes in pulveribus formicas devorat, et ab avibus devoratur : similiter caro nostra tepidis, qui sunt formicis similes, est leo fortis ; sed avibus, id est, viris quorum conversatio est in caelis et cum Deo familiaritas, est formica.

(a) om. B. (b) *spiritus sive homo*. B.

(1) Gal. 5, 17. (2) Gen. 21, 9. (3) Gal. 4, 30. (4) Rom. 7, 24. (5) S. Gregor. PL. t. 75. Moral. lib. 5. cap. 20. n. 40. col. 700, et ibid. cap. 22. n. 43. col. 702.

2. Est alia condicio carnis, quod nescit appetere nisi sensibilia, sicut bestiae, et ad ea conatur spiritum et rationem pertrahere. Sicut equi sessorem pertrahunt interdum neglegentius frenum tenentem ad gramina, ut comedant, sic, inquam, sensus ad sensibilia animam, quae rationem tamquam frenum sensuum tenet, trahere conantur. Debemus autem dare carni quantum satis est; deinde ad laborem eam urgere, sicuti aurigae equos fovent et urgent.

Ad haec, quia caro debilis est et vi nequit vincere, astutia et calliditate utitur ut vincat, ut sunt quaedam animalia vires non habentia, quae fortiora calliditate vincunt, ut vulpes, canes. Sic malae feminae, ut virum vincant, lacrimantur, fingunt morbum et metum, immo et mortis periculum : ita caro debilitatem obicit, et periculum mortis obicit si careat obiectis. Neque id solum in cibo et potu, sed et in aliis etiam spiritualibus utitur praetextu caritatis. Spiritus contra, quia spiritualis est et summum bonum appetit, carni resistit, sed succumbit facile illectus nimio amore erga carnem, nisi auxiliatorem habeat Deum, eiusque gratia roboretur.

3. Potest autem caro vinci tribus praecipue modis : unus est in illicitis, in quibus debet mortificari fugiendo peccata et omnes defectus qui sunt contra regulas et consilia, frangique debet labore et inedia ; sed cum discretione et superiorum directione[a] : et istud est crucifigere carnem cum concupiscentiis et vitiis (1).

2[us] modus est in licitis, sed non necessariis (2), id est, in omnibus quae sensus cupiunt, etsi sine peccato fieri possint. Hinc Apostolus (3) : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt,* in cibo, potu, curiositate videndi, audiendi et operandi, quando non est opus. Apostoli audientes Christum de castitate disserentem, dixerunt (4) : *Si ita est, non expedit* homini *nubere.* Respondit Iesus : *Non omnes capiunt verbum istud,* id est, non omnes intellegunt hunc statum esse matrimonio meliorem et magis expeditum. Loquitur vero Apostolis ut imbutis opinionibus Iudaeorum, qui statum nullum alium noverant a matrimonio. Est autem multo melior status continentium, et eorum qui consilia sectantur. Licita sunt quaecumque a lege permittuntur, alioqui non permitterentur, sed non attingunt ad consilia.

Alia ergo expediunt, quae nimirum sunt consilii, quorum finis est coniungi cum Deo ; per consilia quippe et castitatis votum eo tendimus.

(a) *consilio.* B.

(1) Gal. 5, 24. (2) S. Greg. M. PL. t. 75 Moral. lib. 5. cap. 11. n. 17 c. d. col. 688. (3) 1 Cor. 6. 12; Eccli. 37, 21. (4) Matth. 19, 10.

Nam, ut D. Basilius ait, exponens illud Pauli 1 Cor. 7 (1), quod coniugatus nimirum divisus est, divisus scilicet in tot partes quot sunt affectiones et desideria ; si quinque filios habet, in totidem amore et sollicitudine est divisus ; uxorem habet et agros, in singulos est divisus. *Non capiunt* ergo *omnes verbum istud*, id est, non agnoscunt hunc statum continentiae meliorem esse ; *sed quibus datum est* (2) a Patre meo, qui in caelis est.

3[us] modus est perfectorum qui in licitis necessariis carnem domant ; sed hic opus est magna prudentia et patris spiritualis consilio. Haec porro sufficiunt de carnis et spiritus pugna. Veniamus modo ad cogitationes pravas, quomodo eas repellere debeamus.

4. Malae cogitationes in corde subnascentes statim excuti debent : sicuti enim a radice mala fructus amari nascuntur, sic a mala cogitatione operatio mala ; unde Glossa (3) : et potestas eius plurimum in cogitationibus consistit, quia (4) *De corde exeunt cogitationes malae, homicidia, fornicationes*, et *quae coinquinant hominem*. Gregorius 15 Moral. (5) : magno studio cogitationes superfluae amputandae sunt ; et reddens rationem lib. 12 Moral. (6) dicit : Omne quod subtiliter cogitamus, quasi mente agimus. Isidorus l. 2, c. 23 de Summo bono (7) : cogitatio prava, ait, delectationem parit, delectatio consensum, consensus actionem, actio consuetudinem, consuetudo peccati necessitatem ; atqui his vinculis homo implicatus quasi catena quadam peccatorum tenetur astrictus.

Cogitationes improbas arceri posse ac debere, ait Basilius (8) : « Assiduo et flagranti desiderio explendi Dei voluntatem, talique quale se habuisse indicat qui dixit (9) : *Iudicia Domini vera, iustificata in semet ipsa, desiderabilia super aurum et lapidem pretiosum et dulciora super mel et favum*. Semper enim desiderium rerum meliorum, quotiescumque in hominis potestate est facultateque iis potiri quae desiderantur, necessario facit ut ea despiciantur contemnanturque quae inferiora sunt, quem ad modum sancti viri omnes declaraverunt ». Iniectam ergo ab impuro hoste pravam cogitationum sementem[a] debemus contemnere, ut non nostram, sed

(a) *malorum*. add. A. supra lineam ; quamquam certo scriptum est : *cogitationum*, non vero « cogitationem ».

(1) Non uno loco illud exponit S. Basilius ; hic indicari videtur « Prooemium » Constit. Monast. PG. t. 31. col. 1323 a. b. (2) Matth. 19, 11. (3) Glossa in Numer. 21. (4) Matth. 15, 19. (5) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. lib. 2, cap. 52. nº 82 extr. col. 595 ; et n. 84. col. 596. (6) id. ibid. t. 76. in Ezech. lib. 1. hom. 12. n. 19. col. 927, ubi rem habes, non tamen verba. (7) S. Isid. PL. t. 83 Sentent. lib. 2. cap. 23. n. 3. col. 624. Libri Sentent. dicebantur « de Summo Bono » a prima voce libri primi : « Summum bonum Deus est ». Cfr. pag. 213, not. 1. (8) S. Basil. PG. t. 31. col. 1103. Reg. br. tr. 30. (9) Psalm. 18. 10. 11.

diaboli. Neque propter eam, si in oratione versamur, ab ea[a] propterea revocare nos debemus, in omnibus assumentes scutum fidei, in quo possimus omnia tela nequissimi ignea exstinguere.

5. Oportet autem in certamine supplices ad Deum voces destinare cum iis qui dicunt (1) : *Quoniam non est confusio confidentibus in te, et nunc sequimur te in toto corde, et timemus te, et quaerimus faciem tuam, ne confundas nos, sed fac nobiscum secundum mansuetudinem tuam, et secundum multitudinem misericordiae tuae.* Neque despondeamus animum si cogitationes impurae mentem perturbent, sed meminerimus miserationum Dei. Numquam enim cui navigium commissum est repraehenditur a domino vel possessore, ut dicat : cur passus es meam navim fluctibus impeti ; sed : cur neglexisti, nec fluctibus obstitisti ? Cur vero et in portum propositum, id est ad divinam miserationem non confugisti ? S. Ephraem tom. 1, de vera et perfecta Renuntiatione (2) : « Caveamus, inquit, fratres, ad inferiora obtutus convertere, ubi voluptates blandae ac noxiae, concupiscentiaeque inanis atque mortiferi saeculi huius[b] dominantur ; nam[c] praeclarum est oculis cordis semper videre atque prospicere, ne quid noxii umquam in pupillam oculi incidat, mentisque aciem cogitatio aliqua improba, aut quid aliud indignum ac Domino Deo displicens perturbet obtenebretque. »

Manifesta porro est necessitas depellendi pravas cogitationes, quia praecipuus modus et ratio resistendi diabolo est resistere eius primae suggestioni. Conterendum est enim caput serpentis ; conteritur autem cum in principio tentationis reicitur ; ut enim superstite capite vivit serpens, licet aliae partes dissectae sint, sic absciso moriuntur omnes. Unde ait Gregorius (3) : si tentationi in corde nascenti non resistitur, hac eadem qua nascitur mora roboratur. Et Hieronymus (4) : Lubricus est antiquus serpens, et nisi capite teneatur, totus statim elabitur. *Beatus* vero *qui tenebit et allidet parvulos suos ad petram* (5).

6. Diabolus praecipue nititur obtinere cor, tamquam arcem civitatis, per malas cogitationes. Ut ergo civitas tam diu est libera quam diu cives arcem custodiunt, ita anima est secura a diabolo quam diu cor custoditur a malis cogitationibus. Qui faciles sunt ad praebendum aures tenta-

(a) *ea*, scil. « ab oratione ». (b) *pravae* recte add. B ; delevit A. (c) *At*. ed. vatic. et colon.

(1) Dan. 3, 40 sq. (2) Immo t. 1. n. 32. Animae afflictae ad Deum recursus. p. 65 b. (3) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. lib. 21, cap. 9 extr. col. 198. (4) S. Hieron. PL. t. 26 in Ev. Matth. col. 64, versus 17, 18. (5) Psalm. 136, 9.

tionibus, tentantur quidem facile ab hoste, sicut etiam sancti et Deum timentes viri ab eodem non raro tentantur et impugnantur ; sed aliter hi, aliter isti : viri etenim sancti, ita quidem ab inimico oppugnantur, ut non facile tentationi consentiant ac succumbant ; isti vero, qui facile aurem praebent tentationibus, sic oppugnantur, ut tyranno seu diabolo consueta vectigalia facile reddant, pravarumque voluptatum ac concupiscentiarum vilissimas functiones non recusent : *A quo enim quis superatur, huius et servus est* (1). Quod si contingat ex luctatoribus aliquem etiam interdum supplantari, citius resurgit et oppugnanti resistit, castitatisque remedium adhibet, non tantum labiis sed et cordis affectu, dicens videlicet : Notum sit tibi, Diabole, me voci tuae aurem non praebiturum, nec voluptatibus tuis umquam serviturum.

D. Ephraem (2) : « Attende, inquit, religiose tibi ipsi, si carnis pugna in te insurrexerit, ne verearis neque succumbas turpibus cogitationibus ; ne tuum adversus te inimicum insolentiorem reddas, inspiretque tibi aliquid de suis versutis consiliis, ac dicat : « impossibile est inflammationem in te cessare, nisi concupiscentiam expleveris », ut vulnere tibi inflicto, ex adverso consistens, tuam irrideat mollitiem atque ignaviam. Verum tu exspecta Dominum, precesque tuas cum lacrimis coram bonitate ipsius effunde : et ipse te exaudiet, elevabitque ex lacu miseriae sordidarum cogitationum et a volutabro luti turpissimorum phantasmatum, et constituet supra petram sanctitatis pedes tuos, et videbis auxilium ab ipso tibi emissum. Exspecta modo, et ne relaxeris cogitationibus, neque defatigeris sentinam exhauriendo ; in propinquo quippe est portus vitae. Nam te adhuc loquente dicet : Ecce adsum. Is respicit tuum certamen[a], an revera ad mortem usque adversus peccatum sis decertaturus. Ne ergo deieceris animum ; non enim te relinquet[b] ; sed[c] et sanctorum angelorum chorus tuum certamen cernit et coronas vincenti nectit ; daemones victo dedecus afferunt, infamiam praeferunt. Magnum certamen angelorum de te, carissime ; magna cura ac sollicitudo daemonum de te[d] ;.... resiste urenti concupiscentiae, ut flammam, quae numquam exstinguetur, effugere queas[e]. Si nos perturbationes superarint, non recedent a nobis. »

7. D. Bernardus varia genera cogitationum distinguit (3) : aliae enim

(a) *Ceterum aspicere tuum certamen exspectat.* ed. vat. et col. (b) *reliquit,* ibid. (c) *Etenim tuum certamen cernit, et SS. Ang. chorus et daemonum turba assistentes videbuntur. Angeli coronas vincenti praebent ; daemones....* Ita utraque ed. (d) *Christo dilecte.* recte add. B. ; del. A., sunt tamen hae voces in auctore allato. Quae sequuntur : *resiste* etc. leguntur sub finem, litt. D. m. (e) *possis.* B.

(1) 2 Pet. 2, 19. (2) S. EPHRAEM. t. 2, n. 31 Attende tibi ipsi. cap. 3 de Pugna carnis. p. 312 a. (3) S. BERN. PL. t. 183 Serm. 31 de div. col. 623. nn. 1. 2.

sunt otiosae, quas homo facile potest repellere, si saepe mentem elevet in Deum : aliae sunt violentae et valde adhaerentes, ut quae sunt de necessitatibus naturae et corporis, quas si adolescere patiaris, non ita facile ab iis te expedias. Sicut enim limus terrae vesti adhaeret, sic homini, qui ex limo est, sensualitates et cogitationes limosae seu corporales tenaciter adhaerent; quod intellegebat David dicens (1) : *De necessitatibus meis erue me, Domine* ; facile enim cogitat homo, quae sibi sunt necessaria ; atqui hae cogitationes si fuerint moderatae, non sunt malae : sunt enim naturales, et homo necessariis carere nequit.

Aliae denique sunt cogitationes immundae et quae provocant ad peccatum, sive sint cogitationes de peccatis spiritualibus, superbia videlicet, vana gloria, ambitione, etc. ; sive de carnalibus, ut puta gula, luxuria, etc. Statim[a] sunt expellendae : ut illae quae a daemone suggeruntur contra vocationem, castitatem, de pompis saeculi, vanitatibus et illecebris. Sicut vero spongia humidis adiuncta humiditatem haurit ac participat, ita quoque cogitationis infirmitate laborans, si ad carnales homines accesserit, aut multum sermonem cum iis miscuerit, cum ipsis damnum participabit et propterea difficulter malum superabit. « Nam si quis accurate perdiscere velit, inveniet eodem modo habere se passiones, non solum circa voluntatis carnalis amorem, sed in quacumque alia re interdicta. Quandocumque enim concupiscentia per res sensibiles in animam sese insinuaverit, mox ipsum cogitatione circumdat et obsidet, divinoque sermoni ingressum praecludit. Et quem ad modum si quis spongiam aceto imbuat, et priusquam illud exprimat vino eam irrorare velit, ipsum sane non admittit, cum praeoccupans aceti fluxus ac liquor ingruentibus vini guttis impedimento sit : ad eundem modum concupiscentiae illecebris pleni, licet moneantur, non audiunt ; quin et de continentia verba facientes ac de ea legentes a turpi tamen passione non recedunt (2) ».

8. Ex his quae dicta sunt, fratres carissimi, manifestum evadit quam nobis necessarium sit omnes voluptates carnis et illecebras defugere, quia (3) *Omnis fornicator, aut immundus, non habet hereditatem in regno Christi et Dei :* et haec est voluntas Dei sanctificatio nostra (4). Gregorius 22 Mor. ait (5) : ex quo luxuria mentem alicuius semel occu-

(a) *quae st.* B.

(1) Psalm. 24, 17. (2) S. Ephraem. t. 1. n. 48. de abstinendo a Consuetudine perniciosa. p. 118 d. e. (3) Ephes. 5, 5. (4) Cfr. 1 Thess. 4, 3. (5) Diu multoque opere locum illum in Moralibus investigatum neque in l. 22°, neque in 33° etc. reperimus. Forte sua Oliverium fefellit memoria, et Gregorio attribuit quod supra (p. 213

paverit, vix eum bona cogitare permittit. Sunt enim desideria viscosa, quia ex suggestione oritur cogitatio, ex cogitatione affectio, ex affectione delectatio, ex delectatione consensus, ex consensu operatio, ex operatione desperatio, ex desperatione peccati defensio, ex defensione gloriatio, ex gloriatione damnatio. Isidor. l. 2 de summo Bono c. 33. dicit (1), quod luxuriosis et superbis daemones plus faveant et maiore familiaritate iungantur, maxime vero per carnis luxuriam quam per cetera vitia. Contra reliqua vitia oportet nos fortiter resistere ; libidinem non expedit impugnare, sed fugere.

Et haec quidem sufficiunt ad demonstrandum quantum Deo displiceat vitium castitati oppositum et quam graves sint eius poenae. Sed exemplis etiam patet, ut eversa incendio caelesti regione Pentapoleos (2). Item oppidum Sichemitarum cum rege et populo deletum (3) ; item patet ex tribu Beniamin fere deleta ob uxorem levitae corruptam (4) ; ex filiis Heli sacerdotis eodem die interemptis (5) : ex Amon in convivio occiso (6).

9. Faciamus ergo, fratres, quod monet S. Ephraem (7) : « Si iam coepit in aliquo peccati flamma incendium excitare, ipsam lacrimis restinguat : salvat enim[a] Dominus qui ad ipsum convertuntur... Tunc laetatur diabolus quando vitam turpiter degis, dolet autem quando in bonis te viderit proficientem[b] ». Qui consentit impuro daemoni immunditiam suggerenti, abicit gratiam Dei, contristat Spiritum Dei, in quo signatus est in die redemptionis suae sive sanctificationis, facit membra Christi membra meretricis ; unico temporis momento divitias perdit immortales irritando Dominum Deum ; suggerit tamen inimicus esse nihil, facile remitti peccatum hoc, quasi nihili esset sanctificationem abicere, sine qua nemo videbit Deum ; *Deus Angelis non pepercit* (8), *nec originali mundo, sed sanctum*[c] *Noë iustitiae praeconem custodivit, diluvium mundo impiorum inducens.*

10. Ad conservandam castitatem valde operae pretium est occupare memoriam et mentem continenter rebus bonis, quia memoria et intel-

(a) *Cunctos*, add. ed. vatic. et col. (b) *actionibus*, add. utraque ed. (c) *octavum*. B.

not. (1) ex D. Bernardo et (pag. 220 not. 7) ex S. Isidoro deprompserat. Nisi tamen compendium sit eorum quae leguntur : PL. t. 75, l. 4, c. 27, nº 49-53 et 57 ; sive t. 76, l. 32, c. 19, n. 33, 34 ; sive ibid. l. 27, c. 26, n. 30. col. 429. (1) S. Isid. PL. t. 83 Sentent. l. 2, cap. 39, n. 4. col. 640. (2) Sap. 10, 6. (3) Gen. 34. (4) Iud. 19 et 20. (5) 1 Reg. 4, 11. (6) 4 Reg. 21, 20 sqq. (7) S. Ephraem. t. 2, n. 19 De Virtute, cap. 9. p. 303 c. (8) 2 Thess. 1, 8. 9 ; 2 Pet. 2, 4. 5.

lectus semper debent habere quod masticent. Si desunt boni cibi, ut panis, comedent furfures ne fame pereant ; sicuti mortales interdum corticibus arborum se sustentant prae ciborum inopia, et ex corticibus panes faciunt ne pereant. Mementote, fratres, filium prodigum, qui cum laute viveret in domo patris, vixisse postea porcorum siliquis. Qui tentantur a carne non debent deicere animum, sed illum erigere magna fiducia in Deo collocata. Nam Deus permittit nos pati, ut per eas tentationes et tribulationes nos purget, exerceatque ad virtutem, patientiam roboret, faciatque fructuosam et meritoriam. Nihil ergo tentationes illae nocent, nisi ad canem latrantem et ligatum propius accedamus per delectationem aut moram. Si quis te vocaret ad ludos frequenter, audires quidem, sed non oboedires neque consentires ; sic hic agas. Custodienda diligenter est arx nostra ne impius hostis insiliat per fraudem vel proditionem, vel neglegentiam nostram. Oportet nos vigilare, et nocte lustrare etiam singula, attente audire sicubi sit strepitus aut insidiator aliquis, praesertim quando cum astuto hoste nobis negotium est.

Debemus etiam habere asseclas orationem et firmum propositum. Spiritus natura est carne fortior, ideo magis a daemone impugnatur ; sed vexatione robustior fit et Deo acceptior. Simus ergo generosi, fratres mei, ut leones, et hoc magis quod acrius impugnamur. Spiritus enim aliis delectationibus afficitur quam iis quas caro amat et quaerit ; sed iuvandus[a] est diligentia et oratione, quae illi proprie cibus est cum bonis desideriis, ut non delectetur nisi in Deo summo bono. Non est enim timendum nobis, si Deum habeamus nobiscum et auxiliatorem. Sunt etiam angeli nobis auxiliatores, et sancti patroni nostri. Deus autem solus fortior est inferno toto. In hac pugna iuvat corporis castigatio, iuvant ieiunium et pia lectio ac collocutio spiritualis. His ergo adminiculis libenter utamur ut frangamus vires inimici — nam in ieiunio et oratione eicitur et superatur diabolus — et securi vivamus in Dei servitio. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus Sanctus. Amen.

(a) *spiritus*, add. B.

31ª Exhortatio

De Oboedientiae virtute

1. In hac exhortatione, fratres carissimi, tractabimus de virtute oboedientiae, et primo loco quidem ostendemus quid sit oboedientia, quae coniunctum habet religionis votum ; deinde ipsius dignitatem et magnitudinem, ac demum gradus.

Oboedientia igitur est pium et spontaneum propriae voluntatis sacrificium Deo factum, per liberam abnegationem renuntiationemve sui. Est enim oboedire, secundum vocabuli proprietatem, contra audire, hoc est, contra proprium sensum propriamque voluntatem. De hoc sacrificio D.Gregorius in 1 Regum 15 (1): melior est oboedientia quam victimae, quia per victimam, ait, aliena caro, per oboedientiam vero, voluntas propria mactatur. Debet autem esse spontanea et rationabilis[a]. Nam qui voluntatem suam subdunt alterius voluntati timore servili, non merentur oboedientiae laudem nec ullam mercedem, sicuti nec illi qui pro lucro terreno alicui deserviunt. Non enim illud est verum sui sacrificium Deo factum, quod propter lucrum temporale vel favorem hominum fit ; sicuti nec officium oboedientiae quod praestarent qui simulatione et ad oculum oboedirent, clam vero murmurarent : qui enim eiusmodi esset, non argenteum, ut ait D. Bernardus (2), sed plumbeum nummum et fractum, non integrum offerret Domino, a quo proinde[b] non reciperetur. Sumus enim illi debitores nummi integri et optimi : sola vero caritas est, quae oboedientiam gratam et acceptabilem Deo facit. Porro captivitas religiosorum et servitus qua voluntates proprias mortificant, dura sane et miseranda est, si vel coacta vel simulata, non spontanea est.

2. Quanta vero sit haec virtus oboedientiae, ex scriptura sacra patet. Genesis enim 22° valde commendatur in Abrahamo, qui ad vocem Domini statim reliquit patriam et amicos, ut in loco ignoto peregrinaretur ; multo vero luculentius quando unicum filium Isaac, audito Dei mandato, confestim relictis aedibus in montem designatum deduxit propriis manibus immolandum et concremandum, a quo Dei promissionem exspectabat, videlicet generis propagationem[c], et quidem tantam quae numerum stellarum superaret.

(a) *rationalis*. B. (b) *sane*. B. (c) *D. promissione exs. sui. g.* B.

(1) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. lib. 35. cap. 14. n. 28. col 765 b. (2) S. Bern. PL. t. 183 Sermo 2 S. Andreae. col. 509. n° 1.

Accedit D. Pauli auctoritas (1) qua mandatur ut sublimioribus potestatibus omnes subditi sint, potestatibus, inquam, mundi seu saecularibus, et ideo adiecit tributa et vectigalia illis esse pendenda ; adeo ut, qui vel minimum potestati illi resistit, Deo ipsi resistere censeatur.

Unde concludit D. Basilius (2) : multo pressius divinam legem mandare pietatis cultoribus — erant enim illi omnes impii — esse subiectos potestati spirituali, et iis qui a Deo praesides sunt constituti, ut suo loco animas ad caelum dirigant et in mandatis divinis exerceant ; praesertim cum apertissime Apostolus iubeat omni in re parendum esse spiritualibus praepositis : *Oboedite*, inquit (3), *praepositis vestris et subiacete eis ; ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri, ut cum gaudio hoc faciant, et non gementes : hoc enim non expedit vobis.* Debemus autem facere quod expedit, et porro diligenter oboedire. Illud enim « non expedire » ut notat D. Basilius (4), magni cuiusdam detrimenti, et quod aegre admittat correctionem, significantiam habet. Quomodo igitur defendi potest, eum non Dei ordinationi resistere, qui antistiti resistat suo, cum idem Apostolus apertissime iubeat omni in re parendum esse spiritualibus praepositis ? Quin et Dominus ipse dicit (5) : *Qui recipit vos me recipit ?* et (6) : *Qui vos audit me audit*, etc. ? Quod non tantum Apostolis dixisse intellegendum est, sed pro communi lege posteris[a], qui aliorum futuri erant moderatores, sancitum fuisse ? Taceo exempla oboedientiae quae nobis exhibuerunt SS. Apostoli Petrus et Andraeas et filii Zebedaei, qui continuo relictis retibus secuti sunt vocantem Dominum.

3. Aliam oboedientiae dignitatem et praestantiam notat D. Bernardus (7), quae nobis magno debet esse gaudio, qui religiosum institutum profitemur : « Audire, inquit, et hoc vultis a me, unde inter cetera paenitentiae instituta monasterialis disciplina meruerit hanc praerogativam, ut secundum baptisma nuncupetur ? Arbitror ob perfectam, ait, mundi abrenuntiationem ac singularem excellentiam vitae spiritualis, quae praeeminens universis vitae humanae generibus huiuscemodi conversatio, professores et amatores suos angelis similes, dissimiles hominibus facit. Immo, divinam in homine reformat imaginem, configurans nos Christo instar baptismi, et denique secundo quasi[b] baptizamur, dum per id[c] quod mortificamus membra nostra quae sunt super terram, ac rursum

(a) prius scripserat B : *sed in communem legem in posteros ;* dein mutavit sic : *pro communem ad posteros.* (b) *et quasi d. s. bapt.* B. (c) *hoc.* B.

(1) Rom. 13, 1. (2) S. Basil. PG. t. 31. Constit monast, cap. 22, n° 1, col. 1402 d et 1403 a. b. (3) Hebr. 13, 17. (4) Eodem loco quo supra. (5) Matth. 10, 40. (6) Luc. 10, 16. (7) S. Bern. PL. t. 182 de Praec. et disp. cap. 17. col. 889. n. 54.

Christum induimus, complantati denuo similitudini mortis eius ». Consequenter ostendit nobis non tantum remitti[a] peccatum originale per oboedientiae sacrificium, sed omnia omnino actualia, licet plurima et maxima.

Item magna est oboedientiae gloria, quod praecipue opponatur peccato illi, quod est Deo maxime exosum, nimirum superbiae, quae angelum e paradiso detrusit ad tartara, in aeternum cruciandum. Item, quod restituat Deo quae ab eo ad ipsius gloriam promovendam accepimus, id est, voluntatem propriam et corpus, ea consecrando et adhibendo eius perpetuo servitio. Item, sanat inoboedientiam et vulnus quod primi parentes nobis inflixerunt : contraria enim contrariis curantur. Omnia autem vulnera quae accepimus, optime curat perfecteque sanat religiosa disciplina, quando pie devoteque ab eis qui eam profitentur exercetur. Accedit quod omnis ars indiget magistro et directore, ut perfecte addiscatur : perfectio autem christiana maxime indiget perito magistro et directore, maxime in Societate, in qua summa caritatis perfectio quaeritur, ut non tantum ad eam nos efformemur, sed ut et proximos ad eam promoveamus et deducamus.

4. Addo, quod in omnibus creaturarum gradibus Deus subordinationem aliquam instituit, quod videre est in angelis, in caelorum et elementorum dispositione, in statu ecclesiastico, necnon et in politico, ac denique in religiosis ordinibus omnibus ; quin et in corporis dispositione eam membrorum coniunctionem naturae studio ita conciliatam cernimus, ita membra inter se coniuncta[b], ut miram habeant inter se subordinationem, et reliqua a capite quasi a praeside pendere ac dirigi. Quare et in Societate, quae non minimum ecclesiae membrum est, pernecessaria est per oboedientiam subordinatio et dependentia. Creaturae etiam ipsae insensibiles nos ad oboedientiam invitant et admonent (1) : *Stellae.... vocatae sunt, et dixerunt : Adsumus.*

5. Sunt autem oboedientiae gradus. Nam aliqui oboediunt, quia intellegunt bonum esse oboedire, sed non habent voluntatem bene paratam et alacrem ad id praestandum : hi sunt similes hominibus saecularibus, qui sciunt et fatentur bonum esse ieiunare et servire Deo, sed non faciunt. His autem loquitur Dominus in evangelio dicens (2) : *Ambulate dum lucem habetis ;* et alibi (3) : *Quid hic statis tota die otiosi ? ite et vos in vineam meam.*

(a) *nobis*, add. B. (b) *coniugata*. B.

(1) Baruch. 3, 35. (2) Ioann. 12, 35. (3) Matth. 20, 6.

Secundus gradus est eorum, qui bonam habent voluntatem et vellent oboedire, sed tepor et ignavia eos remorantur. His dicitur (1) : *Utinam frigidus esses aut calidus ;* et illud (2) : *Regnum caelorum vim patitur.*

Tertius gradus est eorum, qui existimant id quidem esse bonum quod iniunctum est, et illud faciunt, sed non subiciunt iudicium, iudicantes in corde illud esse indifferens, vel melius posse fieri hoc vel illo modo. Quod malum est, quia perfectio oboedientiae in iudicii propter Deum submissione praecipuum momentum ponit.

Quartus est eorum, qui iudicant bonum esse quod iubetur et faciunt cum animi promptitudine, sed in rebus magni momenti, non ita in minimis. Quod valde malum est, et hi in magno periculo versantur, neque proficiunt. Nam qui minima non curant, paulatim prosiliunt in maiora.

6. Quintus est eorum, qui morose et non prompte oboediunt. Considerent hi Abrahami sancti illius patriarchae promptam oboedientiam, qui iussus immolare filium in tali monte, continuo ex strato prosiliit ut daret se in viam et opus perficeret, sicuti paulo ante insinuatum est.

Sextus est eorum, qui prompte et in omnibus oboediunt, volunt tamen ut superior iubeat absolute, vel ut Pater Generalis ipse, vel provincialis mandet, non rector, non minister, non quivis alius ex praepositis inferioribus. Sed habere nos debemus, fratres carissimi, perinde ut instrumentum quodvis utile opifici, qui pro arbitrio ipso utitur.Neque umquam ullum inventum est instrumentum, quod ad quemcumque usum opifex voluerit, non se tractandum facile praebuerit : sic nos ad complendam spiritualem fabricam omnibus in rebus ad vocem eius qui praeest, sive mediatus sive immediatus sit, navare diligenter operam debemus, ne si facere recusaverimus, impedimento simus quominus opus communitati religiosae necessarium compleatur. Et ut instrumentum non sibi deligit eum a quo tractetur, eodem modo non debet disciplinae religiosae cultor suo iudicio deligere velle a quo dirigatur, sed quem ad modum pastori suo oves obtemperant, et viam quamcumque ille vult ingrediuntur, sic qui ex Deo religiosae disciplinae professores sumus, moderatoribus nostris oboedire debemus, sive iis quos illi[a] substituerint, ipsorum iussa minime curiosius perscrutantes, sed cum animi alacritate et promptitudine omnia perficientes.

7. Septimus gradus est perfectissimus, ut arbitremur nimirum optimum

(a) *sibi.* add. B.

(1) Apoc. 3, 15. (2) Matth. 11, 12.

esse quod iubetur, et ut propensam paratamque habeamus voluntatem, obsequamurque cum submissione iudicii in minimis et in maximis, quicumque sit ille qui mandat, sive minister sit, sive coquus, sive denique alius quispiam, qui potestatem habet mandandi. Ad hunc gradum volens nos manu ducere B. P. N. monet, ut intueamur non quis ille sit cui oboedimus, sed potius quis ille sit propter quem oboedimus, qui est Christus Dominus noster. Et sane si firmiter nobis persuaderemus Christum nobis per hunc vel illum imperare, numquam subiret in mentem[a] inquirere quis, cur, quare, etc.

8. Patet hinc duplex genus eorum qui oboedientiam praestant : unum eorum qui ad omnem directoris superiorisve nutum, licet ardua imponantur, praesto sunt ; et hi vere oboedientes sunt. Alterum est eorum qui parati sunt quidem ad parendum, modo suavia et quae placeant superior iniunxerit. Quod si ad regularum exactam observationem urgeantur, si res difficiles eorum iudicio mandentur, exhibent se valde difficiles ; ut si verbi gratia, iniungatur illi qui studere cupiebat[b], libris vacare pro sua voluntate, tunc alacer et expeditus est ad oboediendum. Similiter, si alicui iniungat superior ut eat ambulatum aeris purioris captandi causa, vel alia ratione se recreatum, laetus id exsequitur ; si vero cupienti studere iniungat in culina agere, coquo inservire et vilia obsequia praestare, extra consueta tempora non bibere etc. res ab eo tam dura esse iudicatur, ut non nisi cum repugnantia vel excusationibus ab eo suscipiatur. Hinc fit, ut superior talibus non praesit nisi cum gemitu, ut[c] agnoscens cum dolore ipsorum immortificationem et ad parendum morositatem, veritus ne, si moneat vel urgeat, eos impellat in graviorem tentationem. Immo sane interdum[d] qui mederi eis satagit eorumque infirmitatem curare, condescendere cogitur et indulgere, defectusque ipsorum tolerare, ut hoc saltem modo disciplinam retineat. Quae oboediendi ratio quam periculosa sit, nemo non videt qui aliquid spiritus et sapientiae habeat. Pudeat istos « semper esse parvulos » (1) ; nos autem, fratres carissimi, caveamus in similes defectus proruere, ne nobis aliquando cum improperio dicatur a Domino (2) : « Quid debui vobis ultra facere, et non feci ? »

9. Non abutamur, quaeso, benignitate superiorum, ne exhibita in nos benignitas et commiseratio vertatur nobis in maiorem cumulum damnationis. Adam et Eva non paruerunt Dei praecepto ; voluissent autem

(a) *nobis.* add. B. (b) *qui id cupiebat.* B. (c) om. B. (d) om. B.

(1) Cfr. 1 Cor. 14, 20. (2) Cfr. Is. 5, 4.

placentia sibi fuisse concessa, et misere prolapsi sunt in damnationem mortis, et in summas miserias cum tota posteritate. Non Adamum illum, fratres mei dilectissimi, sequamur, sed Adamum secundum, id est, Christum Dominum, qui oboediens factus est usque ad mortem ; neque solum Deo patri oboedivit, sed et hominibus et servis suis. Ad quae autem missus a patre fuerat ? Ad suaviane oblectamenta, vel ad suave iugum ferendum ? Immo sane, dulcissime Iesu, ad durissima ferenda venisti, ad dura, inquam, in stabulo, ad duriora in deserto et synagoga, ad durissima in crucis ligno. Fuerunt tamen haec tibi, o amorem !, propter amoris erga nos magnitudinem, ad instar cibi suavissima. Dixisti enim, quando dura propter nos patiebaris, et duriora passurus eras : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me* (1), patris. O fratres mei carissimi, Christus Dominus, tali affectu miserias nostras et probra, et sputa, et crucem propter nos sustinebat, quali nos affectu suavissimis cibis recreamur. Quis ergo dura et insuavia ducet Societatis et oboedientiae officia ? Sicuti ergo libentissime in omnibus redemptor noster patris aeterni voluntati se conformavit, patiendo propter nos, sic nos conformemus, oro, voluntates nostras cum voluntate superioris.

10. Conformare autem possumus nos duobus modis : vel quando voluntas seu ordinatio eius[a] nobis innotescit, vel quando, licet mandatum nullum sit expressum, est tamen nobis probabile quod sit tacitum. Dividit enim D. Thomas (2) praeceptum superioris in expressum et tacitum : ad hoc autem oboedire, immo et ad minimum eius indicium nos oportet ; verbi gratia, mittit aliquem superior ad culinam : procul dubio eius voluntas est, saltem tacita, ut oboediat coquo ; debet igitur is libenter coquo oboedire, etiamsi nullum mandatum, nullave regula aut ordo praescriptus id exprimat. Item, mittit superior aliquem ad recreationem, neque iubet ut modestiam servet, et de rebus bonis ad aedificationem colloquatur : is, si vere filius est oboedientiae, hanc superioris esse mentem intellegit ut modeste se gerat, et eos qui adsunt piis suis sermonibus recreet.

11. Iuvabit autem ad haec praestanda, in omni tempore et loco superiorem ut Deum, cuius ille vices gerit, quemlibet intueri. Cavere porro debemus ne de superioris mandato et voluntate rationes investigemus nobiscum ullo pacto, vel curiosius de ea apud alios verba faciamus ; verbi gratia, cur hoc praecepit ? cur nunc ? cur hoc modo ? Sic enim

(a) *v. q. vol. mandato seu ordinatione eius.* B.

(1) Ioann. 4, 34. (2) S. Thom. 2. 2ae q. 104, a. 2. c, et ad 2m.

disserere et interrogare periculosum est. D. Paulus praecepit servis ut oboediant dominis carnalibus in timore et tremore cordis, sicut Christo, non quasi hominibus placentes, sed ut servi Christi, facientes Dei voluntatem ex animo, cum bona voluntate servientes sicut Deo (1). Quid Christus, amabo, diceret nobis religiosis ? Nonne diceret, ut absque ullo discursu, qui mandatum labefactaret, superioribus suis vicariis in timore et tremore cordis sicut sibi oboediremus, facientes Dei voluntatem ex animo ? Quantam simplicitatem, quaeso, a nobis exigeret ? Absit, absit, ut Evam imitemur, et humana ratione cum serpente disputemus. Sufficiat nobis, fratres carissimi, pro omni ratione Dei voluntas. Cur hoc iubetur ? Quia sic Deo placet. Sic respondeamus hosti improba suggerenti. Neque tantum parendum est exsequendo quod iussum est, sed debemus etiam conformare nos in modo, directoris seu superioris voluntati, hoc est, ut res a nobis fiat eo modo quo superior iubet ; v. g. mandat superior ut legas in scholis, nihil addit : eius tunc intentio spectanda est, scilicet ut religiose et ad normam omnia praestes Societatis. Signum datur ut ores : id tu facias non oscitanter, non languide, quamvis superior id non expresserit. Iubet regula ut verras cubiculum vel alium locum : id accurate ergo facias ; signo vocaris ad mensam ut edas et bibas, sed temperanter ac religiose.

12. Debemus ergo nos, in exsecutione oboedientiae, nos accommodare superioris voluntati, etiam non expressae ; et quidem in modo[a] non alio et peregrino. Nam secundum D. Gregorium (2) : Bonum non est bonum nisi bene fiat. Quare et Dominus in omnibus sacrificiis iubebat salem inspergi (3) : sal significat modum quo condiri debent actiones nostrae. Deus in sacrificiis veteris legis sacrificandi modum semper expressit : sic, aiebat, offeretis, sic facietis, sic comedetis, etc. ; Et Christus in novo testamento : sic, inquit, orate : *Pater noster, qui es,* etc. ; item : *Nolite portare sacculum neque peram neque calceamenta, et neminem per viam salutaveritis. In quamcumque domum intraveritis, dicite : Pax huic domui* (4).

Ex his quae diximus, satis superque intellexistis nobis non esse, fratres carissimi, solum parendum in iis quae a superiore manifeste praescribuntur, sed et debere nos curare maxime ut iudicium et voluntatem nostram superioris iudicio et voluntati conformemus in exsecutione mandatorum, et ut modum servemus, quem religiosi Societatis servare

(a) *praecepto.* add. B., del. A.

(1) Ephes. 6, 5 sqq. (2) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. lib. 23. cap. 1. n. 5. col. 253. Cfr. ibid. in Ezech. lib. 1. hom. 11. n. 12. col. 910. (3) Levit. 2, 13. (4) Luc. 10, 4. 5.

debent in parendo. Quod si fecerimus, et Deo grati erimus, et nos mutuo bonis exemplis aedificabimus. Quod nobis concedat, etc.

32ª Exhortatio

De necessitate oboedientiae ac de condicionibus eiusdem

1. Iam agam, fratres carissimi, de virtute oboedientiae, quae omnium votorum est dignitate prima ; nam ipsa vita est instituti religiosi, et in primis Societatis. Nam quanto magis illa viget et a nobis aestimatur, tanto magis Societas virtute floret, ab officioque commendatur.

Oboedientia est columna Societatis ; nam sicuti columna aedificium sustentat, ita quam diu haec recta et firma manebit, tam diu Societas integra et firma stabit contra omnia adversa. Oboedientia est spontaneum et rationabile propriae voluntatis iudiciique holocaustum. Oboedientia denique est cardo, in quo universa Societatis oeconomia vertitur. Ex quibus manifestum fit, quam illa nobis omnibus necessaria sit ; atque, ut necessitatis eius pondus intellegamus, causas aliquas considerabimus.

2. Prima igitur est, quod, praeter ea quae dicta sunt, ipsa ceteras omnes virtutes nobis conciliat. Nam qui libenter superiorum suorum paret directioni, is et castus, et pauper, et humilis, et mansuetus, expeditusque est ad omnia Societatis munia alacriter religioseque obeunda. Castitas enim sine oboedientia vix in religiosa familia constans esse potest, vix et paupertas ulla consistere, si oboedientiae directio desit.

Secunda, quia religio consistit in unione : haec autem fit per oboedientiam ; quem ad modum membrorum in corpore unio et conexio, nervorum praecipue fit ministerio, hi autem a capite motum ac sensum accipiunt. Et sane in corpore videmus reliquas partes laesas sanari, et luxata quae sunt membra restitui suo loco carnemque sanari et excrescere, licet pars abscidatur[a] ; sed ubi nervi dissoluti aut dissecti sunt, vix absque miraculo possunt sanari ; immo sane facile putrescunt, et adhaerentes partes corrumpunt, nisi membrum male affectum resecetur. Ut vero qui

(a) *quando usus contingit.* add. B.

saucii sunt a chirurgo movere articulos manuum vel pedum iubentur, ut fiat periculum utrum nervus violatus sit vel integer : sic in Societate iubemur, fratres carissimi, movere articulos nostros, id est, pedes, manus, vultum, affectiones, dum mandatur nobis ut mutemus officia, cubicula, libros, vestes, ut proficiscamur in Angliam, ad Indos, Peruanos, etc. emigrare ad aliud collegium vel provinciam, ut superior statim cognoscat qui valeamus et quam expediti simus et faciles ad vocationem Dei.

3. Tertia causa est, quia sumus de Societate Iesu. Christus autem Dominus cum in summo gradu et in summa sua perfectione ab ortu usque ad obitum coluerit oboedientiam, sequitur et nos debere idem facere, et quidem prae ceteris religiosis omnibus, si velimus esse et haberi veri discipuli et imitatores Christi Domini, sicuti ipsius sanctum nomen in nomenclaturam Societatis usurpamus, et constitutiones nobis passim oboedientiam summopere commendant.

Quarta. In Societate non habemus eam asperitatem disciplinae, tot carnis macerationes, tantum in victu et vestitu rigorem, tantam denique solitudinem, quantam ceteri ordines habent. Necessario igitur debet oboedientiae virtus in Societate et in nobis singulis omnia illa compensare, sicuti B. P. N. in epistola de oboedientia ad Lusitanos praescripsit.

Quinta. Finis ipse Societatis necessitatem oboedientiae demonstrat. Postulat siquidem directionem superioris in subditos, quo in suam perfectionem gnaviter quique incumbant, et in salutem proximorum ministeria Societatis utiliter obeant, et ad maiorem denique Dei gloriam, ut *Omnia secundum ordinem fiant* in nobis (1), iuxta D. Apostoli mandatum. Accedit quod debeant administrare verbum Dei et catechizare per varia loca. Quomodo vero praedicabunt nisi mittantur ?

4. Sexta. In Societate sunt diversi status et classes personarum, diversaque singularum officia : alii sunt sacerdotes, alii praeceptores, alii scholares, alii coadiutores temporales, quorum diversa sunt munera et officia. Quare opus est cuique sua a superiore directione ; alioqui inciderent multae difficultates, et vix sine ea bene suum munus quisque obiret [a].

Opus est igitur oboedientia, quae est regula universalis, qua in Societate omnia administrantur, licet variae sint pro ratione officio-

(a) *s. ea q. s. m. b. o.* B.

(1) 1 Cor. 14, 40.

rum regulae. Sed hae officiis et actionibus personisque accommodari nequeunt, nisi a supremo capite directionem acciperent [a]. Videmus horologium universale caeli numquam errare, quia Dei voluntate et directione perpetuum motum suum tenet. Praeceptum posuit Deus et sol illud non praeteribit ; horologia vero particularia nisi ad lineam et rationem solis disponantur, saepe errant. Iam transferamus similitudinem ad nos. Horologium universale est generalis directio et regularum ab ipso acceptarum dispositio. Debent ergo qui subalternati sunt, ut sua officia bene obeant, illa ex suis regulis et superioris oboedientia et directione exsequi ; alioqui necessario contingent multi errores et defectus. Qui vult ergo verus Societatis filius censeri, debet permittere se a superiore dirigi, et horologium actionum suarum componi et temperari ex superiorum suorum praescripto ; alioquin inconstanter aget saepeque errabit. Ut vero videmus sigillum imprimere in ceram formam suam, et varia sigilla in omnino eandem varias formas successive imprimere, sic animus noster ita comparatus esse debet, ut mollis et paratus sit ad excipiendam omnem superioris ordinationem et mandatum, et denique ad varia officia et munia suscipienda et obeunda.

5. Septima.In Societate multae et crebrae sunt mutationes personarum, locorum, officiorum : modo enim sunt in hoc collegio, paulo post in alio ; modo hic est rector, modo ianitor, paulo post minister, et iterum rector aut procurator. Debet igitur quisque paratus ac indifferens esse ad omnia superioris mandata. Patet igitur et hic quam necessaria sit oboedientia, ut merito dicatur esse vita et spiritus Societatis.

Octava. Imponuntur interdum aliqua gravia, et quae vires excedere nobis videantur ; v.g. eas ad talem vel talem principem aut praelatum tractaturus hoc et illud negotium. Item, illuc eas, ut componas discordiam inter tales nobiles. Item, legas philosophiam vel theologiam ; item, contioneris, etc., quae facultatem meam excedere iudico ; quo casu, nisi oboedientiae virtus cordi sit et in nobis operetur, facile humana infirmitas concidet et animo deficiet. Oportet igitur nos voluntatem nostram conformare cum voluntate superioris, ut id velimus quod moderator vult. Nam ut instrumentum artis fabrilis non sibi deligit officium quod velit, sed sinit se ab opifice tractari et adhiberi cui velit usui, eodem modo disciplinae religiosae cultorem non convenit eligere quod velit officium, et suo iudicio agere, sed superioris prudentiae consilioque id debet permittere. Novit etenim intellegens moderator unius cuiusque mores, facultates,

(a) sic A. B.

affectus et animi motus, et ad haec accommodatum etiam in singulis subsidium, et ubi opus fuerit, remedium adhibere, necnon et cuique munus imponere quod utiliter valeat obire.

Quocirca libenter est acquiescendum et firmiter confidendum quod Deus per ipsum nos quam optime diriget, utpote qui ei iugiter assistat in eis quae ad bonum et profectum nostrum pertinent; et rem denique nostro iudicio difficillimam ita temperaturum, ut nobis facilis accidat. Considerare etiam oportet quod naturaliter quisque se amat, et in se ipsum nimis sit propensus, ideoque facile decipiatur et saepius erret; superior autem non laborat, in eis quae ad directionem nostram pertinent, talibus affectionibus, et idcirco (1) eius iudicium, ab affectionibus illis inordinatis liberum, penitus mea cognoscere, melius ac melius discernere veritatem, ac melius de me posse statuere[a].

6. Quidquid autem a superiore iniungi potest ad triplex genus reducitur, quod significatur per tria illa quae in arca foederis divina voluntate Moyses reposuerat (2). Erant autem tabulae legis, manna, virga Aaron, quae fronduerat. Haec porro tria in arca sanctae religionis esse debent. Tabulae scilicet praeceptorum et constitutionum ac mandatorum ; manna suavitatis in conversatione, et disciplina retinenda ; virga directionis et correctionis. Tribus igitur hisce superior uti debet, servareque ea accurate, ordinando cuique subdito suaviter et fortiter quod illi conveniat. Subditi vero non debent intueri cui oboediant, sed considerare quod quidquid officii et observantiae superiori et directori exhibetur, id Deo et eius ordinationi exhiberi, non soli homini.

Fallit nos siquidem interdum falsa aestimatio nostra, dum putamus videlicet nos superioribus gratum facere, et in eos quasi beneficium conferre, ac consequenter, dum intendimus praecipue eorum gratiam aucupari, nobisque[b] bonum nomen conciliare. Quae obsequendi ratio, ut pura non est nec ab animo bene purgato proficiscitur, ita nec diu potest consistere. Nam ubi superior artificium nostrum animadvertit, iusta indignatione movetur, nosque admonet ; et hinc interdum cordis amaritudo quaedam nascitur, peritque omnis mannae suavitas et dulcedo, ut faciamus cum tristitia quod paulo ante alacriter et suaviter faciebamus.

Debemus enimvero potius meminisse, in officiis quae praestamus, divinae praesentiae ac providentiae, non ad oculum oboedire, sed respicere in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum. Is etenim est

(a) linea subducta, additur : *ut cui amor sui se non opponat.* Quae ut superflua del. B.
(b) Additum est in margine « dum intendimus praecipue » ; quae verba si demas, liquebit recte scriptum fuisse *nobisque* ; sed his additis, debuit *que* deleri.

(1) Supple : quod etiam considerare oportet. (2) Hebr. 9, 4.

cui deservitur, et qui retribuet in retributione iustorum. Facere etiam reflexionem super nos ipsos debemus ; nam dulcedinem fortassis, mi frater, mannae non sentis, quia gustus tuus et palatum tuum male affectum nec[a] bene discernit inter bonum et malum, dulce et amarum. Bonam vero palati ac linguae affectionem probet humilitas tua, « nihil enim arduum humilibus, nihil asperum mitibus ». Demum, prudens et modestus, loco superioris te constitutum aestima, atque animo cogita quam tibi obsequentes in tali casu habere velles.

7. Constat ex epistola B. P. N. Ignatii de oboedientia ad Lusitanos, ipsum a nobis omnibus exigere ut non solum ad huius virtutis perfectionem intendamus, verum etiam ut ceteros conemur religiosos superare. Aequum enim est, ut qui ab illis, ieiuniis, vitaeque austeritate quam ipsi sanctissime amplexati sunt, superamur, nos saltem hac virtute conemur etiam externorum iudicio omnibus praecellere.

Addo, quod in constitutionibus passim nobis commendatur exacta oboedientia, ut nimirum perfectae oboedientiae omnes nos dedamus, « superiorem, inquit B. P. N. quicumque ille sit, loco Christi agnoscentes, et interna reverentia et amore eum prosequentes » ; item, ut non solum in exsecutione externa eorum quae iniungit, integre, prompte, fortiter et cum debita humilitate, absque excusationibus et obmurmurationibus, inquit, oboediant, licet sensualitati repugnantia iubeat, verum etiam conentur interius resignationem et abnegationem veram propriae voluntatis et iudicii habere, voluntatem ac iudicium cum eo quod superior vult et sentit, in omnibus rebus ubi peccatum non intervenit, omnino conformantes, proposita sibi voluntate ac iudicio superioris pro regula suae voluntatis ac iudicii. »

Addit praeterea, ut non solum superiori Societatis vel domus, sed etiam subordinatis officialibus perfecte oboediant, et assuescant, ait, non intueri quis ille sit cui oboediant, sed potius quis ille sit propter quem et cui in omnibus oboediunt, qui est Christus Dominus ; ut cum quis coquo servit, oboediat illi cum humilitate in omnibus rebus sui officii. Ad haec, ut non solum in rebus obligatoriis, sed etiam in aliis, licet nihil aliud quam signum voluntatis superioris sine ullo expresso praecepto videretur, sancta oboedientia observetur. Taceo reliqua, quae ibidem et aliis locis constitutionum B. P. N. affert. Non debeo tamen illud obvolvere silentio, quo quisque monetur, ut sibi persuadeat qui sub oboedientia vivit, ferri ac regi a divina providentia per superiores suos sinere se debere, perinde

(a) Sic uterque codex, cum interpunctione ante *nec*. Cum autem antecedens incisum (quia... affectum) verbo non recte careat, putamus legendum esse :... *male affectum non bene*... etc.

ac si cadaver esset, quod quoquoversus ferri et quacumque ratione tractari se sinit ; vel similiter atque senis baculus, qui, ubicumque et quacumque in re velit eo uti qui eum manu tenet, ipsi inservit.

In hanc sententiam D. Basilius sic habet (1) : « Debet praeterea pietatis cultor viliora etiam munera cum studio magnaque cum animi alacritate suscipere, animadvertens nihil esse minutum quod Dei causa fiat, sed grande et spirituale, et eiusmodi quod caelum nobis et praemia caelestia conciliet. Quam ob rem, licet communibus utilitatibus inservientia sarcinaria sequi iumenta oporteat, recusare tamen non debet, siquidem venire in mentem apostolorum debet exemplum[a], quam alacriter illi paruerunt quando ipsis mandavit Dominus, ut ad se pullum asinae adducerent ; cogitare quoque et illos quorum causa iumentorum curam suscipiat, fratres Domini esse, et tributam ipsis benevolentiam studiumque in ipsum salvatorem redundare, qui dixit (2) : *Quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Quod si sua facit quae sunt minimorum, sine dubio multo magis quae electorum sunt ea sibi vendicabit ». Meminisse etiam oportet, et Christum Dominum discipulis ministrasse, et abiectiora etiam opera facere non recusasse, magnumque homini esse, si Dei imitator exsistat, cum per haec quae humilia sunt ad altitudinem illam caelestem, quia illum est imitatus, ascendat ; quamquam quis humile ausit quidpiam appellare, quod Deus ipse attingere non recusavit ?

8. Superest ut de condicionibus oboedientiae dicamus. Accipiemus ergo quas D. Bernardus (3) assignat cum D. Benedicto :

Prima sit, oboedire libenter. Dictum est enim : *Voluntarie sacrificabo tibi* (4). Non potest autem conscendere hunc oboedientiae gradum, ait Bernardus (5), qui voluntatem praecipientis non facit suam. Libenter oboediebat, qui dicebat (6) : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius, qui misit me.* Qui vero occulte aut aperte satagit ut superior acquiescat suae voluntati, non habet ille laudem oboedientiae ; quia superior potius illi oboedit quam ipse superiori (7). Iuvabit, ut libenter oboediamus, cognoscere quod praecipitur ; nam si facile vel gratum sensualitati, libenter quidem oboeditur, sed merces eius oboedientiae nulla est vel perexigua ; si arduum est, tunc considerandum est quod tanto erit gratius quo difficilius, modo animum accommodemus ; quia difficilia quae

(a) om. B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. cap. 23 in. col. 1410. (2) Matth. 25, 40. (3) S. Bern. PL. t. 183 Sermo 41 de div. col. 656. n. 4 sqq. (4) Psalm. 53, 8. (5) l. cit. (6) Ioann. 4, 36. (7) S. Bern. PL. t. 183. Sermo 35 de div. col. 636. n. 4. extr.

pulchra, et regnum caelorum vim patitur (1). Demus operam et rogemus Deum ut nihil ita libenter faciamus atque illud quod a sancta oboedientia nobis imperatur. Item conemur a Deo precibus obtinere, ut ita voluntatem nostram cum voluntate superioris conformemus, ut utriusque una sit voluntas. Exerceamus nos denique crebro in negando nostrae sensualitati quod mallet, et faciendo quae illi sunt ingrata, quia consuetudo altera fit natura. In iis quae sensualitati placent, non debemus nos ita determinare ad opus aliquod, quin parati simus, illo relicto, aliud statim facere ex superioris mandato.

9. Secunda condicio est oboedire viriliter et fortiter. Manum, inquit Bernardus (2), misisti ad fortia : agendum est et constanter oboediendum. Psalmista (3) : *Viriliter agite et confortetur cor vestrum,* scilicet in difficultatibus et ubi[a] repugnantia. Et : *Confortate manus dissolutas et genua debilia roborate. Dicite pusillanimis : Confortamini et nolite timere* (4). Ut hoc obtineamus a nobis, non attendamus ad impedimenta quae evenire possint, sicuti tres mulieres ibant ad sepulcrum, non considerantes quis ipsis revolveret lapidem. Sed[b] auxilium petamus a Domino diffidentes de nostris viribus.

Tertia est, oboedire simpliciter, id est, sine murmuratione, sine discursu intellectus, sine excusatione, etc. *Omnia*, inquit Apostolus (5), *facite sine murmurationibus.* Istud « simpliciter » potest bifariam intellegi : 1° Ut nihil agamus praeter superioris voluntatem, vel ut nihil minuamus de iis quae imperantur. 2° Ut non quaeramus rationem cur praecipiatur, cur hoc modo, cur hoc tempore, cur potius mihi quam alteri, etc. Debet itaque esse partim caeca, partim videns oboedientia, ut sit discreta : caeca quidem, ut non inquirat rationes, nec tam propter rationes menti occurrentes quam propter oboedientiam, quod imperatum est exsequatur ; non quaerat rationes quae minuant auctoritatem praecipientis, sed potius quae eam augeant ; videat, ut potius intentionem praecipientis quam verba consideret, et ut in superiore Christum intueatur. Simplex item erit oboedientia, si pro solius Dei gloria et honore, non pro aliquo privato commodo hic vel in futuro percipiendo fiat.

Licet enim vitam aeternam appetere sit bonum, quo tamen purius oboedientia pro Dei amore praestatur, hoc[c] melior est ac Deo acceptior. Pure namque ad Dei gloriam oboedire,non servorum aut mercennariorum, sed filiorum est, quibus patris honor qualibet mercede dulcius sapit ; ideo-

(a) *om.* B. (b) *Item.* B. (c) om. B.

(1) Matth. 11, 12. (2) S. Bern. l. cit. serm. 41, n. 8. col. 657 extr. (3) Psalm. 30, 25. (4) Isa. 35, 3. 4. (5) Philip. 2, 14.

que vel in uno solo opere maiora virtutis incrementa percipiunt quam mercennarii, qui Deo pro mercede serviunt pluribus annis. Non sic oboediunt,ut notat D.Bernardus (1),qui coram expediti videntur in oboedientia, murmurant autem in abscondito. Immo falsa est haec oboedientia quia sola caritas est quae oboedientiam gratam Deo facit et acceptabilem, ut ait Bernardus (2). lib. de consider ; ubi adicit quod omnibus in conversionis initio nulla sit magis necessaria virtus quam simplicitas humilis et gravitas veneranda. Idem ad fratres de monte Dei. Caesarius hom. 8 ad monachos : Quidquid tibi a senioribus fuerit imperatum,accipe tamquam de caelo, sicut de ore Dei prolatum ; nihil reprehendas, non dissentias, in nullo penitius murmurare praesumas ; quia servire venisti, non imperare. Malis potius oboedire quam iubere ; totum sanctum, totum iustum et utile iudica quidquid tibi a praelato praecipitur. » Hanc simplicitatem oboedientiae multum amarunt patres in discipulis suis, et hac de causa initio interdum imperabant non recta sed distorta et obliqua, ut eos probarent.

10. Quarta est, oboedire hilariter et prompte, *Hilarem enim datorem diligit Deus* (3). De hac D. Laurentius Iustinianus : serenitas in vultu, alacritas in opere, hilaritas obsequentis decorat oboedientiam ; quia non servili metu, sed caritatis affectu observanda est. Et Christus Dominus cum esset aequalis patri aeterno, minorque assumpta natura humana factus, sub passionem de re acerbissima sibi imminente, hoc est, de passione proxima, dicebat (4) : *Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum.* Oboedientia perfecta legem nescit, terminis non coartatur, nec angustiis contenta professionis, largiore voluntate fertur in latitudinem caritatis, et ad omne quod iubetur, spontaneo vigore liberalis alacrisque animi, modum non considerans, in infinitam libertatem extenditur. Ut igitur cum hilaritate oboedias, multum amare discas : amor siquidem omnia reddit facilia, ita ut quaelibet opera, ad offerendum dilecto suo, parva ipsi videantur.

Quinta est, velociter oboedire. D. Bernardus (5) : Vere[a], ait, oboediens mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, pedes itineri, manus operi, et se totum intus colligit ut mandatum peragat imperantis, nec attendit vere[a] oboediens quale sit quod praecipitur. Anima enim multum Deo devota, dilecto suo placere gestiens, ea de causa se ipsam semper exire et abnegare desiderat, ut fiat tota Dei.

(a) verus. A. B.

(1) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 2. S. Andr. col. 509, n. 1 extr. (2) S. Bern. PL. t. 183 Sermo 3 in Epiph. n. 8. col. 152. (3) 2 Cor. 9, 7. (4) Luc. 22, 15. (5) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 41 de div. n. 7. col. 657 b.

11. Sexta est, devote oboedire, ex recta nimirum intentione, pro sola Dei gloria, non ad placendum hominibus ; sed quidquid praecipitur, totum de manu Dei recipit reverenter, relicto etiam alio opere licet meliore, a se incepto. Plus enim ipsi oboedientia in parvo, quam proprietas in magno opere sapit.

Septima est, oboedire perseveranter, hoc est, non uno mense, non uno anno, non in scriptione sola, vel in lectione, vel ministerio sacramentorum, aut contione, sed in omnibus omnino rebus usque ad mortem. Sic perseveravit Christus in oboedientia Patris, sic Apostoli perseveraverunt in praedicatione, donec omnes, excepto uno Ioanne, interempti sunt, qui et ipse nihilo minus pertulit martyrium iniectus in dolium olei ferventis.

Octava est, humiliter oboedire. Bernardus (1) : Magna virtus humilitatis sine cuius obtentu virtus fortitudinis non solum virtus non est, sed etiam in superbiam erumpit. Hinc dictum est Sauli (2) : *Cum parvulus esses in oculis tuis, factus es caput in tribubus Israel.* Et Christus Dominus dicit (3) : *Cum feceritis omnia quae praecepta sunt vobis, dicite : servi inutiles sumus.* Ne putes ergo te magna praestare oboediendo superiori, quia tu oboedis Deo. Oculos conice in Christum, considera quantum se pro te abiecerit, illum intuere : ut oboediret voluntati patris caelestis, ad pedes Iudae proditoris se abiecit. Considera illum exinaniisse se quantum potuit ; quo enim longius progredi potuit a maiestate illa divina, quam abiciendo se usque ad sputa et ad crucifixionem inter latrones ? Nos, fratres mei carissimi, imitemur demisse[a] illum in humili oboedientia et regularum nostrarum observatione, et consequemur gloriam, quam ipse proprio sanguine nobis comparavit. Et ut eam vobiscum consequar, vestris ad eum orationibus me adiuvate.

(a) *saltem* B.

(1) l. c. n. 9. col. 658. (2) 1. Reg. 15, 17. (3) Luc. 17, 10.

33ª Exhortatio

DE BONIS AC COMMODIS QUIBUSDAM QUAE NOBIS PARAT OBOEDIENTIA ; DE QUIBUSDAM CONDICIONIBUS, QUAE MERITUM EIUS MINUUNT ; DENIQUE DE ABUSIBUS AC ERRORIBUS QUIBUSDAM, QUAE CIRCA OBOEDIENTIAM CONTINGERE POSSUNT

1. Deus loquens dilecto populo suo in Deuteronomio dicebat (1) : *Si oboedieritis mandatis meis,* (Deus) *dabit pluviam terrae vestrae, ut colligatis frumentum et vinum et oleum fenumque,* etc., et bona terrae comedetis. Verbum bonum, fratres mei dilectissimi, verbum, inquam, bonum et iucundum auribus filiorum oboedientiae. Quod enim olim populo suo dixit, hoc modo etiam dicit filiis quos in Societate genuit. Si nos oboedierimus, Deus dabit terrae nostrae, id est animabus nostris, pluviam, absque qua alioqui dicere cogimur (2) : *Domine, anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Aqua, quam nobis promittit Deus, aqua est gratiae, quae rerum harum inferiorum sitim exstinguit, aqua, inquam, quae in anima nostra exsistens « salit in vitam aeternam (3) ». Utinam vere, fratres, dicere cum Apostolo possimus (4) : *Gratia eius in me vacua non fuit.* Haec si de caelo influat in animas nostras, id est in terram nostram spiritalem, dabit nobis vinum, id est caritatem et laetitiam spiritualem (5) : *Vinum enim laetificat cor hominis ;* et religiosus vere oboediens semper est laetus. Dabit et oleum commiserationis proximorum, ut pio affectu eos spiritaliter iuvemus, et corporaliter pro posse nostro et superiorum iudicio ; dabit et fortitudinem, ut generose pugnemus contra hostem et ipsius copias, id est vitia et peccata ; dabit et fenum, id est temporalia et quae sunt ad corporis sustentationem necessaria.

2. Sed prius quaerendum est regnum Dei, ad quod nulla via nobis compendiosior quam oboedientiae virtus, qua nulla est gratior et in viro religioso ad bene operandum praestantior. Unde theologi dicunt, quod quaecumque fecit Christus in hac vita, fecerit propter oboedientiam : *Descendi de caelo,* inquit (6), *non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem eius qui misit me.* Et Abrahae, de cuius semine Christus processit, dictum est (7) : *Benedicentur in semine tuo omnes gentes terrae, quia oboedisti voci meae,* etc. Volumus, carissimi fratres, magnam gratiam nobis apud

(1) Deuter. 11, 13. 14. (2) Psalm. 142, 6. (3) Cfr. Ioann. 4, 14. (4) 1 Cor. 15, 10. (5) Psalm. 103, 15. (6) Ioann. 6. 38. (7) Gen. 22, 18.

Deum conciliare ? oboedientiam magno affectu sectemur ; nam vere oboedientibus nihil negare poterit, quin et se ipsum vult, ut amicis, manifestare. Dicam etiam amplius : Deus oboedit oboedienti in iis quae conferunt ad salutem animae eius ; hoc docet nos Deus in servo suo Moyse. Cum enim oraret Moyses pro populo, dixit ei Deus (1) : *Dimitte me, ut deleam populum istum.* Ligabat nimirum ei Moyses manus orationibus suis, qui alioquin fuit illi semper obsequentissimus. Iosue stare fecit solem immobilem integro fere die (2) ; qui Deo in omnibus fuit oboedientissimus : Deus nimirum voluit illi vicem reddere, et significationem nobis dare, quod omnes creaturae inferiores oboedienti pareant. Duo leones sancto Antonio paruerunt in fossa paranda sepeliendo corpori D. Pauli, primi eremitae, ut habet D. Hieronymus in vita eiusdem S. Pauli (3). Quidam duxit leaenam ad suum abbatem id iubentem. S. Maurus siccis pedibus super aquas ambulavit. In Palladio in vitis patrum, in Cassiano legimus sanctos illos patres anachoretas libere versatos esse inter feras, serpentes atque leones, et dormivisse aliquando cum eis in eadem specu, quorum plerique etsi per vitae innocentiam haec facerent, plurimos tamen id consecutos esse legimus virtute oboedientiae et superiorum mandato. Demum Christus Dominus virtute oboedientiae tribuit hanc dignitatem homini, ut vocetur et sit illi pater, mater, soror, etc : *Quicumque,* ait (4), *fecerit voluntatem patris mei, ipse meus frater et soror, et mater est.*

Mortales plurimum laborant ut aliquam dignitatem consequantur : nostrum studium, fratres mei, ponamus ut veri oboedientiae cultores simus, ut Christi Domini fratres esse possimus, qua dignitate nullam maiorem ducere debemus.

3. Oboedientia liberat hominem a multis peccatis, quia tollit et removet ab ipso omnes peccandi occasiones.

Oboedientia hominem Dei servum facit. *Nescitis*, inquit Apostolus (5), *quoniam cui exhibetis vos servos ad oboediendum, servi estis eius cui oboeditis ?* Sed beati servi tales, quia « servire Deo regnare est ».

Oboedientia, quod amplius est, facit filios Dei : *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius* (6), quod fit captivando intellectum in obsequium fidei ; multo ergo magis abnegando propriam voluntatem in obsequium Dei.

Oboedientia facit hominem quasi divinum, ipsum elevando ad omnipotentiam Dei, sicuti de multis sanctis legimus in dialogis S. Gregorii,

(1) Cfr. Exod. 32, 10. (2) Ios. 10, 12 sqq. (3) Hieron. PL. t. 23 Vita S. Pauli. col. 27, n. 16. (4) Matth. 12, 50. (5) Rom. 6, 16. (6) Ioann. 1, 12.

in Cassiano et Palladio et vitis Sanctorum plurimis, qui per oboedientiam miracula multa fecerunt.

4. Oboedientia liberat a curis et sollicitudinibus, redditque religiosum quietum et securum, quia non est sollicitus quid sit facturus. Nam cum relinquat voluntatem suam, relinquit se totum dirigendum voluntati superioris, securus de usu talentorum quae accepit, securus quod superior reddet rationem pro ipso, si perfecte omnia secundum oboedientiam egerit. Denique, scit superiorem de se applicando cui voluerit operi esse sollicitum ; quare quiescit.

Oboedientia animam ornat virtutibus : animas vestras iustificantes in oboedientia caritatis, et fraternitatis amore (1) ; facit enim hominem divitem in bonis operibus ; nam sive bibant, sive comedant, sive dormiant, religiosi, quidquid faciant, ex oboedientia faciunt, et consequenter merentur.

Facile a Deo in orationibus oboedientia exauditur. *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata eius custodimus* (2). –

Oboedientia homini confert victoriam de se ipso, quod genus victoriae est pulcherrimum sicuti est difficillimum. *Vir oboediens loquetur victoriam* (3) ; dum enim alienae voluntati humiliter subdimur, ait Gregorius (4). nosmet ipsos in corde superamus. *Melior autem est qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (5). Multi enim urbes et regna superaverunt, sed non se ipsos ; ceteris quidem virtutibus daemones impugnamus, per oboedientiam vero vincimus.

Per oboedientiam meritorum copia cumulatur : nam aliae virtutes multa quidem nobis comparant, sed illae circa unam materiam versantur, ut castitas circa tentationes carnis ; atqui oboedientia circa omnes et quasi continuo. Sicut mercator in navi, licet dormiat, ditatur, et omni genere mercium dum negotiatur facultates suas auget : sic facit religiosus oboediens ; laborando et quiescendo cumulum auget meritorum. Quare cum D. Gregorio dicere possumus : *Multae filiae*, id est virtutes, *congregaverunt divitias*, tu vero, oboedientia, *supergressa es universas* (6).

5. Denique concludamus cum B. P. N. dicente cum S. Gregorio (7) : « Sola oboedientia virtus est quae virtutes ceteras menti inserit,

(1) Cfr. 1 Pet. 1, 22. (2) 1 Ioann. 3, 21. 22. (3) Prov. 21, 22. (4) S. Greg. PL. t. 76 Moral. lib. 35, cap. 14, n. 28. col. 765 c. (5) Prov. 16, 32. (6) Prov. 31, 29. (7) S. Greg. PL. t. 76 Moral. lib. 35, cap. 14. n. 28. col. 765 b.

insertasque custodit. Unde, in vitis patrum sic legimus : oboedientia est salus omnium fidelium, genetrix virtutum, caelos aperiens, homines de terra elevans, cohabitatrix angelorum, cibus omnium sanctorum, et demum per oboedientiam sacrificium Deo acceptissimum offertur. » Nam per paupertatem offeruntur Deo res temporales, per abstinentiam et castitatem propria caro, per oboedientiam, propria voluntas. Unde dicitur (1) : *Melior est oboedientia quam victimae, et auscultare magis quam afferre adipem arietum.* « Nam, ut ait Gregorius in eum locum (2), per victimas aliena caro, per oboedientiam vero voluntas propria mactatur. » Est siquidem oboedientia species quaedam martyrii ; nam oboediens quasi caput sibi pro Christo amputat, et Christum sibi caput constituit, seu illum quem loco Christi habet, superiorem.

6. Ex iis quae paulo ante dicta sunt, videmus oboedientiam conferre nobis multa merita et multiplices esse ipsius effectus. Iam videamus quibus ex causis oboedientiae meritum minuitur.

Prima igitur est, quando quis oboedit in aliquibus, in aliquibus vero minime. Hoc genus oboedientiae D. Bernardus vocat leprosum (3). Hoc genus reprehendit etiam D. Paulus dicens (4) : *Ideo scripsi* vobis, *ut cognoscam experimentum vestrum, an in omnibus oboedientes sitis.*

Secunda, quando quis rem imperfecte facit ; non ita is, de quo Apostolus, et de similibus dicebat[a] ad Philemonem (5) : *Confidens in oboedientia tua scripsi tibi, sciens quoniam et super id quod dico facies.*

Tertia, quando quis quod dicitur facit, sed alio modo et interdum perverse, et contra id quod mandatur. De discipulis autem dictum est (6) : *Euntes discipuli fecerunt sicut praecepit illis Iesus.*

Quarta, quando quis oboedit, sed difficulter et morose. Nam interdum non nulli vix revocari possunt a proposito suo, et ab eo quod facere statuerunt. Dictum est autem simpliciter (7) : *Oboedite praepositis vestris et subiacete eis.*

Quinta, quando quis ad simplex verbum superioris non oboedit, sed vult sibi praecipi. In oboedientia autem, teste D. Bernardo (8) valde utile est, si id quod disciplinae rigor imponit, nullo cogente humilitas servaverit.

Sexta, quando quis non amore Dei, sed timore poenae vel confusio-

(a) *idem Apostolus :* hoc non del. B.

(1) Reg. 15, 22. (2) S. Greg. l. c. (3) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 3 temp. col. 289.n. 3. (4) 2 Cor. 2, 9. (5) Philem. v. 21. (6) Matth. 21, 6. (7) Hebr. 13, 17. (8) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 41 de div. col. 658. n° 9.

nis seu reprehensionis oboedit. Oboedientia autem non timore poenae, sed amore iustitiae facienda est.

Septima, quando quis discurrit et censorem se facit mandati superioris. Hieronymus ad Rusticum (1) : « Monasterii praepositum timeas ut dominum, diligas ut parentem; credas tibi salutare quidquid ille praeceperit, nec de maioris sententia iudices tu, cuius officium est oboedire et implere quae iussa sunt. »

Octava, quando quis oboedit quidem, sed tarde et cum mora mandatum exsequitur. Dicitur autem (2) : *In auditu auris oboedivit mihi.*

Nona, quando quis conatur voluntatem superioris in suam inflectere, quod non est oboedire praelato, ut ait D. Bernardus (3), sed velle praelatum sibi oboedire. Contra hos, ait idem Bernardus (4) : multorum perversitas hodie exigit ut dicatur eis a superiore : Quid vis ut faciam tibi ? Non ipsi quaerunt : Domine, quid vis ut faciam ? « O breve verbum, ait Bernardus (5), sed vivum, sed plenum, sed efficax, et omni acceptione dignum... Sic enim omnino dignum est, Domine, non meam a te, sed tuam a me quaeri et fieri voluntatem ».

7. Iam explicandi sunt nobis aliqui abusus et[a] fallaciae daemonis circa oboedientiam.

Est vero in primis magna eorum vel stupiditas, vel ignorantia, vel certe malitia, qui asserunt religiosum agere vitam servilem, non liberam et ingenuam, quod oboedientiae alterius se subiciant. Atqui religiosi tanto liberiores ac magis ingenui sunt, quanto ab occasionibus peccandi sunt remotiores. Certe ii qui in mundo et saeculo sunt addicti periculis et peccatis, libertatem non habent, licet de ea glorientur ; quia qui facit peccatum, ait Dominus, servus est peccati. Et de Diogene refertur, quod cum Alexander diceret se esse dominatorem orbis, responderit : Nequaquam es dominus, sed servorum meorum servus ; superbia enim domina tua, ancilla vero mea, te circumducit ; ego autem mihi eam subegi. Carnalis concupiscentia et gula sunt dominae tuae, et illae utique ancillae et servae meae ; illae tibi imperant, mihi vero penitus sunt subiectae ; ideo recte collegi te esse servus servorum meorum. Ita religiosus, et multo quidem maiore iure liberum se potest aestimare, quod

(a) Hucusque del. B. et sic mutavit : « Fallacia daemonis circa ob. est in primis eorum vel stupiditas, vel.... »

(1) S. Hieron. PL. t. 22 Ep. ad Rusticum. col. 1081. n. 15. (2) Psalm. 17, 45. (3) S. Bern. PL. t. 183. Sermo 35 de div. col. 636. n. 4. extr. (4) S. Bern. PL. t. 183. Sermo 1 in conv. S. Pauli. col. 363. n. 6 d. (5) ibid n, 6 c.

non ad vanitatem, ut Diogenes, superbiam domuerit, sed ad Dei Domini gloriam et proprium spiritualem profectum.

8. Obiciet fortassis daemon aliud, nimirum quod metu poenae in religione multi Deo deserviunt, nimirum ne corripiantur a superiore. Respondetur, quod in religione hoc libertate maiore donamur ac feliciores sumus, quo minore metu et timore agimus ; licet ii qui de classe insipientium sunt, timore interdum aliquo servili a peccatis et defectibus revocentur. Nam si de perfectioribus et altioris classis sermo est, quorum procul dubio numerus in religione maior est quam in quovis alio statu, sane hi libertate magna fruuntur, qui non spiritu timoris aguntur, sed libertate spiritus. Conficitur ergo quod maior est libertas eorum qui in religione vivunt, quam eorum qui in saeculo degunt, qui nos esse servos existimant, se vero liberos. Nam *ubi spiritus Domini, ibi libertas* (1).

Licet vero religiosus voto oboedientiae teneatur, non tamen illud est minoris meriti ac praemii quod in exercitatione virtutis et disciplinae operatur, ut valde fallantur qui putant et dicunt : opus bonum esse hoc magis meritorium quo magis est voluntarium, et per consequens, religiosos qui ex obligatione operantur, minus mereri. Falsum etenim est quod assumitur, quando quidem religiosus voluntarie Deo deserviat, et libere per votum se obligaverit ; et cum oboedit, voluntatem Dei quae sua est, et quam facere desiderat, perficit ; proinde opus quod facit, magis est voluntarium, quia suam et Dei facit voluntatem. Neque porro, quia suam propriam voluntatem abicit religiosus per votum, idcirco illa omnino periit, quia in divinam voluntatem transfertur, ut servetur in vitam aeternam. Immo enimvero, ut ait D. Thomas (2), quod bene religiosus operatur, multo maioris est meriti et praemii. Ratio est, quia qui plus donat et tribuit, magis meretur ; qui autem Dei servitio per votum se offert, et opera sua et se Deo offert et tradit, ac consequenter plus meretur ; sicuti qui fructum dat et arborem, ut ait D. Anselmus (3), plus gratiae meretur apud hominem et plus ei donat. In statu igitur oboedientiae et religionis, maius est meritum et libertas maior, quia maior in eo est gratia et libertas.

9. Tertius ergo error seu fallacia eorum est, qui in religione spiritu timoris magis serviunt Deo quam amoris, timentes magis poenam quam culpam, et quaerentes exterius potius operari quam vere ex animo.

(1) 2 Cor. 3, 17. (2) S. Thom. 2, 2ae, q. 88. a. 6. c. (3) S. Anselmus. PL. t. 159 de Similit. cap. 84, col. 655-657.

Hi namque in religione parum proficiunt, quia nec spiritum Societatis nec veram virtutem oboedientiae habent, sed velamen potius malitiae. Spiritus enim Societatis est, ut amore magis quam timore moveamur ; quod constat ex regula 17ª compendii constitutionum. Et D. Paulus dicit (1) quod *Quicumque spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei : non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater.* Et scribens ad discipulum suum Timotheum monet eum posterioreª epistola ut non ambulet in spiritu timoris.

Magna pax est religiosis qui in spiritu amoris ambulant, et securiores multo magis sunt quam saeculares, qui etsi saepe bene faciunt, ignorant tamen an ipsis quod agunt expediat, et ideo animo sunt inquieto persaepe. Per oboedientiam autem, qua se religiosus Deo immolavit, securus est quod, quae facit dirigente oboedientia, Deo grata sint, et inde pacem habet. Addo quod sicut in corpore humano unum membrum communicat cum aliis in eodem spiritu, et spiritum ac motum accipit a capite, sic religiosus communicando cum reliquis religiosis eiusdem corporis, influxum accipit eiusdem spiritus ac motum ex capite.

10. Ut autem timorem servilem religiosus excutiat et accipiat maiorem spiritus et gratiae influxum, semper in persona superioris Deum agnoscat, eique non ut homini oboedientiam et reverentiam deferat.Sic enim agendo maxima libertate utetur et suavissimo cum amore procedet, tractabitque cum superiore sicuti cum patre. Vel superiorem habeat tamquam medicum spiritualem, qui omnes infirmitates suas ut ceterorum curare velit, modo velit omnes suas infirmitates ipsi notas esse, cogitetque ipsum gaudere quando prodesse possit, videtque nos ipsi confidere ac desiderare curari. Sed cavendum hic est ne ex facilitate superioris minus reverentes et observantes evadamus. Item cavendum ne perdamus simplicitatem et ambulemus cum superiore in duplicitate cordis, quod est grave malum et valde noxium. Quid enim ab eo, qui non ambulat in veritate, aliud exspectare possumus, quam casum et ruinam ? Certe Christi non est qui Christi spiritum non habet, qui summa est veritas, qui numquam in corde et corde locutus est (2). D. Ioannes, in tertia canonica dicit (3) : *Maiorem horum non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate ambulare.* Malum magnum et pestiferum est in religione simulatio ; quare

(a) *priore.* B ; non recte : 2 Tim. 1, 7.

(1) Rom., 8, 14. 15. (2) Cfr. Psalm. 11, 3. (3) 3 Ioann. v. 4. Loco *in veritate* codex uterque habet : « in caritate et simplicitate ».

illa studiose cavenda est. Ad Ephesios scribens (1) ostendit Apostolus, loquens ad servos, quomodo debeamus nos habere erga eos qui nobis praesunt.

11. Quartus error est considerare superiorem ut hominem infirmum, vel iuvenem, vel senem, vel imperfectionibus subiectum, et errare posse sicut alios. In quo advertendum est, quod licet homo sit, et possit in eo quod mandat errare, subditus tamen sicut Deo ei debet oboedire, modo non praecipiat manifestum peccatum. Audi Christum dicentem (2) : *Super cathedram Moysi sederunt*, etc. Ex quibus manifeste apparet, quod etiamsi superior aliquid imperfectionis admitteret, mandata tamen eius esse servanda. Nam si quis erraret oboediendo superiori, quia malus est, non utique id Christus praecepisset ; nec D. Petrus in sua canonica prima diceret (3) : *Servi, subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis et modestis, sed etiam discolis*. Qualiscumque ergo sit superior, ipsi oboediendum est. Nam, si servi in dominis suis Christum debent intueri, multo magis religiosi.

Idem probatur etiam ratione. Nam si iniquum esset, postquam aliquis in manus alicuius se totum tradidisset et eius se servitio mancipasset, ab ipso decipi, et indignum esset de viro probo id cogitare : quanto iniquius et indignius esset id de Deo existimare, postquam ipsi nos consecravimus, ut faciendo quod ipse praecepit, permittat nos errare ? Si aequitas humana id non patitur, patieturne id aequitas et bonitas divina ? Quod si tamen contingeret superiorem errare praecipiendo, non subditus sed superior peccaret et a Deo puniretur ; sicuti miles gregarius, si capitaneus illi quidpiam mandaret contra principis servitium, non miles oboediens sed dux puniretur.

12. Quintus error est eorum, qui, quia sciunt ieiunia, disciplinas, paenitentias bonum opus esse, ea absque superioris consensu saepe usurpant ; valde enim decipiuntur, quia agunt contra regulam Societatis et contra vitae religiosae normam, ut Patres loquuntur. Contra regulam quidem, quia monet ne quis patiatur se suo sensu duci, sed illum eius iudicio subiciat, quem Christi Domini loco habet. Vide regulam 4^am^ in compendio, ubi dicitur quod paenitentiae possunt assumi. Contra vero normam sanctorum faciunt, ut patet ex Basilio, de instit. Monach. (4) : Vera perfectaque, inquit, subiectorum adversus moderatorem ordinis oboedientia in eo cernitur, si quis ex eius consilio non a

(1) Ephes. 6, 5. (2) Matth. 23, 2. (3) 1 Petr. 2, 18. (4) S. Basil. PG. t. 31. Sermo ascet. secundus. col. 883, n. 2 c.

rebus modo flagitiosis abstineat, sed si ne ea quidem quae laudabilia sunt, sine eius sententia faciat. Nam abstinentia et omnis incommodorum corporis perpessio, utiliter haec quidem comparata ad aliquid sunt ; at si quis propriae obsequens voluntati, neglectis consiliis antistitis sui, facere voluerit quidquid ipsi collibitum sit, hic plus faciet mali quam boni. Vide Epist. B. P. N. de oboedientia.

Si obicias regulas Societatis non obligare ad peccatum etiam veniale, et ideo non peccare te si aliquid mortificationis aut paenitentiae pro tuo iudicio usurpes : Respondeo quod licet ex parte regularum non pecces, peccas tamen ex parte inordinatae voluntatis tuae[a]. Vide in eadem epistola, ubi dicitur ex Cassiano : Unum sane, inquit, atque idem inoboedientiae genus est, etc.

12. Sextus error est eorum, qui existimant se non egere paenitentia et mortificationibus, et ab iis prorsus abstinent, nec bene ferunt sibi a superioribus eas imponi, vel iniunctas gravate exsequuntur. Sed audiant hi D. Paulum dicentem (1) : *Castigo corpus meum et in servitutem redigo.* Hi certe vel sunt D. Paulo maiores, vel falluntur. Quod cum ita sit, habeamus, fratres carissimi, eam oboedentiae rationem, quam constitutiones nostrae vere sanctissimae nobis tradunt, et facite, obsecro per misericordiam Dei, ut in hoc studio eniteatis, ad quod ascendistis de fluminibus Babylonis, et Deus erit vobiscum. Orate pro me, ut et mecum semper esse dignetur.

34ª Exhortatio

DE VARIIS MOTIVIS QUIBUS AD VIRTUTEM OBOEDIENTIAE AMPLECTENDAM INCITARI POSSIMUS, AC DE QUIBUSDAM EIUSDEM CONDICIONIBUS

1. Nulla ars absque magistro discitur, et animalia bruta, et ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus ductores et prin-

(a) *ex parte tua.* B.

(1) Cor. 9, 27.

cipes exsistunt ; grues unam ordine litterali sequuntur ; imperator unus est in exercitu, gubernator unus in provincia. Roma ut condita fuit, duos qui regni essent consortes ferre non potuit, et parricidio dedicata est. Ecclesiae singulae habent suum praelatum ; capitula suum decanum vel archipresbyterum ; in navi unus est gubernator, in qualibet familia princeps unus. Per haec omnia conficere intendo neminem nostrum velle debere se suasve actiones proprio iudicio instituere, sed agnoscere necessarium esse caput unum in Societate, et singulis eius familiis suum, cuius arbitrio familia gubernetur, ut[a] a suo generali capite Societas universa. Hinc beatus Hieronymus (1) : Praepositum monasterii timeas ut dominum, diligas ut parentem. Quae, fratres mei carissimi, sufficere deberent ad ostendendum quam necessaria nobis sit oboedientia. Adiciam tamen non nulla quae nos moveant non minus quam illa efficaciter.

Et primum quidem, quod oboedientia vincamus radicem superbiae, quae saepe nos impugnat. Contra illam siquidem directe agit et ordinata est a Deo oboedientiae virtus, ut pestem illam a nobis propellat. Quorsum enim alio superiorum studia tendunt ? quorsum regulae et ordinationes, nisi ut hoc monstrum expugnemus ? In Societate, nisi hanc pestem radicitus exstirpemus, non poterimus mederi ceteris nostris malis et defectibus, et per consequens neque proficere. Ut vero — nam saepe latet in nobis — eam bene agnoscamus, petendum est tamen a Deo ; deinde rogandus superior et pater spiritualis ut nos iuvent et vitium, quando se prodit, nobis detegant. Nostrae siquidem passiones saepe illi favent, et eam contegunt et occultant. Accedit quod mali sumus iudices in causa propria.

Secundo, consideremus aequum esse et iustum, ut Domino offeramus et reddamus quae ab ipso accepimus in ipsius servitium et honorem. Cum ergo dederit nobis iudicium et voluntatem, superiores autem nostri eius locum teneant ac vices, iustum est ut superioribus nostris resignemus et intellectum et voluntatem nostram propter Christum Dominum : tanto enim perfectiores evademus, quanto perfectius nos resignabimus. Certe, si consideremus Christum ipsum Dominum propter nos haec duo in hac vita mortali quasi neglexisse, difficile non erit nos haec[b] abnegare : ipse enim factus est oboediens homini usque ad mortem, et Deo ab instanti suae conceptionis ; intellectum et iudicium sic absconditum tenuit velut si aliquam eclipsin[c] passus esset, et quam diu puer fuit sola mater

(a) *et*. B. (b) *haec*. del. B, retinuit A. (c) *eclipsim*. B.

(1) Hieron. PL. t. 22. Ep. ad. Rusticum. col. 1081 n. 15. Cfr. p. 246, not. 1.

fortasse emicare agnoverit ; sed et sub mortem ab Herode reputatus est stultus et iudicii expers.

2. Tria[a] igitur principia ponenda sunt a nobis pro plenitudine oboedientiae :

Primum est providentia Dei, quae disponit et dirigit res omnes ad suos fines per sua media, et ipsa similiter ad finem nostri instituti dedit media proportionata, datque gratiam particularem ad exsequendum per causas secundas, quae sunt superiores ab ea constituti ; proinde vult ut eis exhibeatur reverentia praesteturque oboedientia, ut vices suas obeuntibus. Ad hunc vero finem eis[b] communicat suam gratiam ad bene fungendum officiis, nobis autem ut bene fungamur ministeriis nobis impositis. Ut vero iis bene fungamur, et recte oboediamus, necessarium est ut oboedientia sit in exsecutione, in voluntate et in iudicio. Nam si intellectus non oboediat, nascitur inde magna confusio et inquietudo in ipsomet homine, et debilitatur voluntas oboediendi, et consequenter oboedientiae perfectio. Proprium siquidem iudicium velut fines et terminos constituit[c] providentiae Dei, quae per talem superiorem gubernat ; et qui despicit medium a divina providentia positum, id est superiorem, despicit pariter gratiam Dei.

Secundum principium oboedientiae est gratia particularis data Societati, qua excitat et iuvat unum quemque in bene praestando officio et ministerio suo.

3. Tertium principium est assistentia Dei et praesentia Christi in superiore. Nam quicumque sit superior, in persona Christi ordinat et disponit omnia quae nobis mandat, et per consequens in Christum ipsum redundat iniuria quae fit superiori. Et sane inoboedientiae defectus et delicta in sacris scripturis sunt graviter punita, ut in Eva (1) : *Cur praecepit vobis Deus ut non comederetis de omni ligno paradisi ?* Et opera facta simpliciter cum subiectione iudicii multum remunerata cernimus, ut in Noe et in Abrahamo, de quo Paulus (2) : *Exiit nesciens quo iret, nec consideravit corpus suum emortuum, cum iam fere centum esset annorum,* in sacrificando Isaac, in quo promissiones acceperat. Moyses contra ad aquas contradictionis utens proprio iudicio dixit (3) : Poteritne Deus dare aquas, etc. ; et magno illi constitit.

(a) Sic ms. sed additur quartum principium. (b) ponit A in margine post vocem *vero.* (c) *ponit.* B.

(1) Gen. 3, 1. (2) Hebr. 11, 8, et Rom. 4. (3) Cfr. Num. 20, 10.

In religione Christiana oportet omnino intellectum captivare in obsequium fidei : sic in Societate redigi necesse est et captivari intellectum sub iudicio superioris, nec praesumendum est de iudicio superioris iudicare, iuxta illud (1) : *Non iudices*[a] *contra iudicem, quoniam secundum quod iustum est iudicat.* Religioso caecitas intellectus causa est magnae lucis, sicuti caecitas rerum sensibilium disponit, secundum Dionysium (2), ut prodeat lux rerum spiritualium, sive ad lucem earum rerum bene cognoscendarum. Haec autem est non considerare rationes eorum quae ordinantur a superiore, sed solum intellegere quod a superiore sint ordinatae. Sic enim faciendo, inveniet postea oboediens ex luce quam dabit Dominus, rationem omnium et magnam claritatem et quietem ; contra vero inoboediens, seu[b] discurrens, in omnibus se involvit et inquietat.

Obiectum virtutis oboedientiae voluntas est superioris et id quod vult, neque rationes investigari debent ad oboediendum, neque per eas dirigere debet suas actiones is qui oboedit, sed per voluntatem superioris. Quod ad voluntatem attinet eius qui oboedit, debet in ea esse promptitudo, ut oboediens relinquat litteram inchoatam. Mandat v. g. Deus per superiorem aliquid, et ego me confero ad aliud agendum : istud signum est quod in me non sit virtus oboedientiae, vel quod me non applico praxi et exsecutioni eius quod mandat is qui locum Dei tenet. Debet praeterea adesse humilitas in oboedientia tam voluntatis quam iudicii, sicuti est in puero simplicitas. Debet et inesse fortitudo, quae se exserat et ostendat in exsecutione. Murmuratio nulla toleratur in Societate, neque excusationes locum habent in eis quae sunt oboedientiae.

4. Quartum est, considerare quod per oboedientiam multum glorificatur Deus. *Si glorificaveris,* ut ait Isaïas (3), *eum, dum non facis vias tuas, et non invenitur voluntas tua ut loquaris sermonem, tunc delectaberis super Domino, et sustollam te super altitudines terrae,* id est, in aeternam beatitudinem. Multum enim glorificat Deum vere[c] oboediens, qui paratus est facere eius voluntatem etiamsi ea demandetur per personam abiectam, ut sit sicut iumentum, quod a quovis facile ducitur. Talem se David Deo exhibebat ; dicit enim : *Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum.... et deducet me dextera tua* (4), quasi dicat : non meum iudicium. Super quem locum Glossa dicit : « ut iumentum, id est, mansuetum ferendo onera, et tamen propter hoc non recedo a te, sed semper ego tecum ».

(a) *Noli iudicare... quia.* B. (b) *vel.* B. (c) *verus.* A. B.

(1) Eccli. 8, 17. (2) S. Dionys. PG. t. 3. col. 998-1002 cum annot. Cord. col. 1006, *sec. ratio.* (3) Isa. 58, 13-14 [eum, i. e. diem sanctum]. (4) Psalm. 72, 23 et 44, 5.

Quoniam ergo oboediens humiliatur ut iumentum propter Deum, superiorisque voluntatem faciendo Deum glorificat, et ipse exaltatur a Deo. Nam *Qui se humiliaverit exaltabitur* (1) ; et ait Dominus (2), *Quicumque glorificaverit me, glorificabo eum;qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.*

5. Exempla nos docent esse ad superiores recurrendum lucis gratia. Nam Christus Dominus misit Paulum ad Ananiam ut doceretur et illuminaretur. Nos egemus saepe consilio, saepe curatione, semper directione. Item S. Paulus ivit Hierusalem, ut conferret de Evangelio cum Petro et aliis Apostolis, ne in vacuum curreret vel cucurrisset. D. Antonius ibat initio ad diversorum patrum cellas ut disceret ; sic fecit Cassianus, sic Palladius et alii.

6. Inter media opportuna ad oboediendum, amor erga superiorem non inferiorem locum obtinet ; debet siquidem abesse omnis aversio. Hic amor comparatur oratione, disciplinis, et aliis similibus mediis. Neque aversio in Societate toleratur ; nam qui ea inficitur, totus perit et miserabilis est.

Iuvat mirum in modum oboedientiam haec[a] resignatio et unio intellectus cum voluntate superioris [b], ea ratione, ut omnes subditi censeantur debere intellegere per intellectum superioris et desiderare per ipsius voluntatem et desiderium, ut non discrepent vel recedant etiam in minimo ab eo.

Moyses solebat recurrere ad Dominum in omnibus paene negotiis, ut lucem acciperet et non erraret[c]. Sic David saepe ad Deum recurrebat, et Saul per Samuelem, ut lumen acciperent ad dirigendum populum[d]. Ita existimemus id quod nobis superior imperat, provenire a luce quam accipit a Deo, et inde accipiamus occasionem maioris venerationis et observantiae, considerantes eum vices Dei tenere, et quanta cum reverentia et devotione faceremus, si quae Christus visibiliter nobis imperaret, et si dignaretur se nobis visibiliter exhibere. Sic oboediebat Deo Moyses ; considerabat enim Deum invisibilem tamquam visibilem, ut dicitur ad Hebraeos (3).

Similis est oboedientia fidei. Dicit v. g. fides : Deus est trinus et unus : non est curiose nobis discurrendum et explorandum quomodo res se

(a) *etiam.* B. (b) om. B; in A vox illa recisa ponitur, non suo loco,sed in margine iuxta vocem « ratione ». (c) *Consideremus lucem illam, quam accipiebat a Deo Moyses ad cognoscendum quid sibi agendum esset, et voluntatem Dei utilem valde fuisse Moysi, qui eam immediate a Deo accipiebat.* Sic B, loco *Moyses... erraret.* (c) *David... populum.* Haec in A et B varie et imperfecte immutata sunt.

(1) Matth. 23, 12. (2) 1 Reg. 2, 30. (3) Hebr. 11, 27.

habeat, sed credendum simpliciter primae et summae veritati ; et intellectus captivari debet in obsequium fidei. Similiter iis quae dicit et mandat superior debet credi, et quae imperat mandari debent exsecutioni, propter auctoritatem eius quem superior repraesentat, et non propter rationes nobis occurrentes. Et haec quidem oboedientia conciliat nobis magnam pacem et suavitatem in anima, et in omnibus facit ut acquiescamus. Contra inoboediens, seu qui non captivat iudicium suum, omni in re turbatur et quietem perdit.

7. In aliis religionibus oboedientia limitatur regulis, ut patet ex D. Basilio et D. Ephraem in suis constitutionibus et exhortationibus (1). In Societate vero oboedientia simpliciter et sine limitatione ad omnia se extendit ubi non est manifestum peccatum ; ut non possit dicere homo Societatis : « non sum obligatus ad parendum in eo quod non est in nostris regulis », quia obligatus est ad omnia mandata quae cum peccato coniuncta non sunt. Filii, (2) ait D. Paulus, *oboedite parentibus vestris in Domino* [a]. Quod si fortassis daemon, frater mi, tibi suggerat quod superior hac ratione posset tibi mandare rem impossibilem, manifesta et crassa nimis est tentatio, quia numquam id occurret ; et his speculationibus oboedientia debilitatur. Quod si fortassis in aliquo casu aliquid tibi simile superior mandaret, v. g. ambulare super aquas, tunc oporteret periculum facere, et cum pes immergeretur, illum retrahere et indicare superiori quod non possis. Non enim semper Deus facit similia miracula, quae fecit in S. Mauro D. Benedicti discipulo. Et si imperaret aliquid — quod absit — quod haberet speciem peccati, conferre te deberes ad confessarium, et facere quae ipse consuleret, non iudicando interim superiorem perperam agere.

Quando superior mandat in virtute sanctae oboedientiae, aut in nomine Christi, tunc obligat ad peccatum mortale, si materia est gravis ; isto enim modo praecipiendi indicat se praecipere quantum potest, atque adeo ex tota sua potestate, et quantum virtus oboedientiae voto firmata potest obligare. Sed ista ratio mandandi usurpatur rarissime, et non nisi ex causa gravi et urgente. Potest dicere superior : ego iubeo, ego mando ; sed non solet similis ratio usurpari in Societate, quae non dominatur in cleris (3). Et si interdum superior sic diceret, spectanda esset ex modo dicendi eius intentio. Dicet v. g. superior in sancta caritate

(a) Codex uterque : *oboedite parentibus per omnia ;* non sic in epistola.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Const.Monas.col. 1403. n. 2 b-d. et col. 1410. n. 5. — S. Ephraem. tom.1. DeVirtute p. 34 et tom. 2. capp. 2. 6 et alibi. (2) Ephes. 6, 1. (3) Cfr. 1. Petr. 5. 3

alicui qui per humilitatem aliquid recusat « mando ut accipias » ; aegro « mando ut sumas » : clarum est quod superior tunc non intendat obligare ad peccatum, sed explicare studet viscera caritatis, estque solum vehemens hortatio.

8. Ex dictis patet nos teneri oboedire ex spiritu vocationis nostrae cum amore, gaudio spirituali, reverentia, fortiter et integre, cum humilitate, citra excusationem et obmurmurationem, caeca quadam oboedientia, et non solum quando praecipitur nobis a superiore in virtute sanctae oboedientiae, vel quando absolute praecipitur, sed etiam quando nutus vel signum voluntatis eius habetur, aut gratum fore existimatur. Ratio eius est, quia talibus condicionibus debemus Deo oboedire (1) : quare et superiori pari cura, pari oboedientia parendum est. Debet igitur oboedientia esse interior et exterior ; debetque primo esse prompta ad minimum verbum vel signum superioris, ac si essent Christi verba, exemplo illius in vitis patrum, qui, vocatus a superiore, inventus fuit incepisse ω, et reliquisse imperfectum ; nam quod deerat, non atramento sed auro fuisse absolutum postea repertum est. Quod si volueris aliquod bonum opus facere, superior autem non permiserit, sed aliud tibi imposuerit, acquiescas alacriter[a] : utriusque enim meritum, si exsequeris superioris iussum, refers et obtines.

Secundo, debet esse generalis et amplissima, ut in omnibus oboediamus ubi non sit manifestum peccatum.

Tertio, debet esse perseverans usque ad mortem.

9. Oboedientia interior debet habere has condiciones.

Primo, debet esse coniuncta cum amore, quia si[b] cum servili timore solum, non est grata Deo ; non enim sumus in lege veteri, sed ambulamus in spiritu amoris et libertatis. Secundo cum resignatione voluntatis. Tertio cum abnegatione iudicii, quae dicitur oboedientia caeca.

10. Sunt etiam oboedientiae tres gradus, quos nobis reliquit B. P. N. Ignatius.

Primus est, qui vix oboedientiae nomen meretur, ut quae oboedientia est in sola rei quae iniungitur exsecutione[c].

Secundus est eius quae non solum exsequitur quod iubetur, sed habet

(a) *Contentus esto.* B. (b) om. B. (c) *ut ob. quae in s. r. q. i. ex. consistit.* B.

(1) P. 3. cap. 1. § 13.; P. 6. cap. 1 § 1.

coniunctam conformitatem in affectu et voluntate, idem prorsus volendo et nolendo cum superioris voluntate[a].

Tertius est, ut subditus non solum habeat eandem cum superiore voluntatem, sed idem etiam iudicium, submittendo proprium iudicium iudicio et intellectui superioris, quatenus pia et devota voluntas et affectio inclinare potest intellectum. Nam, quamvis intellectus naturaliter nolit assentire iis quae sibi non vera videntur, tamen in quibus cognitae veritatis evidentia non cogit intellectum, in his debet esse propensior ad id quod superior sentit : hoc enim pacto potest intellectus etiam subigi.

11. Ad oboedientiam inducere debent : 1° Casus primi parentis ; quia si ille vir tam perfectus ab uxore illectus est ad malum, quid non faciemus, si directore et auxilio destituamur. — 2° Magna infirmitas et corruptio nostra post peccatum. Nam verum bonum nobis non est ita cognitum ut ante peccatum : affectus autem non fertur in incognitum. Quare ab alio dirigi debemus ad verum bonum et ad perfectionem nostram assequendam. — 3° Quia homo, quo perfectius oboedit et quo plura ex oboedientia facit, perfectiorem acquirit virtutem. Ante peccatum sufficiebat unum praeceptum, ut Deo se subditum homo agnosceret ; post peccatum vero multis tamquam pharmacis opus fuit. — 4° Facilitas oboediendi, maxime si accesserit voluntas ; quia nihil magis est in nostra potestate et nihil in nobis minus impediri potest quam voluntas ; nec ad impossibile cogimur oboedire. Ad hanc facilitatem conciliandam valde prodest humilitas ; nam sicut ferrum rigidum et inflexile, si vel extenuetur vel temperetur, flexile fit, sic voluntas, si per humilitatem temperetur et tenuis fiat, facile flectetur. Hinc Apostolus oboedientiae praemisit humilitatem dicens (1) : *Humiliavit semet ipsum* Dominus, *factus oboediens usque ad mortem.* Iuvat etiam cor non habere affixum terrenis affectibus. Charta enim, licet sit flexilis, si tamen fuerit agglutinata ligno rigido, non flectitur ; et sicut ignis metalla facit flexibilia, ita caritas Dei promptiores nos reddit ad oboediendum. — 5° Nihil gratius Deo offerri potest quam oboedientia prompta in rebus indifferentibus, quando id facimus propter Deum ; nam sic per oboedientiam, tamquam in holocaustum, nos totos offerimus Deo[b].

« Altissima est, fratres mei, ut verbis D. Bernardi utar (2), professio

(a) *cum superiore* B. (b) *6° Magni sunt fructus oboedientiae, ut alibi dictum est.* Add B.

(1) Philip. 2, 8. (2) S. Bern. PL. t. 184 Ep. ad Fratr. de monte Dei. col. 311. cap. 2. n. 1. Textus habet : « ...Non enim vovistis omn. sanct., sed omnis... »

nostra : caelos transit, par angelis est, angelicae similis puritati. Non enim solum venimus ad sanctitatem, sed ad omnis sanctitatis perfectionem ». Magno igitur affectu oboedientiam, quae omnis virtutis et perfectionis canalis est, quae capaces nos facit gratiae et influxus quo Deus favorem suum impertit religiosis, amplectamur. Id enim faciendo assequemur finem propter quem ad hunc statum religionis venimus. Quod nobis concedat Deus benedictus. Amen.

35ª Exhortatio

De votis Societatis simplicibus : an vere sint vota religionis. Primo quidem proponuntur obiectiones eorum, qui ea non probant ; deinde solvuntur

1. Nulla arx tam firma est, quae non pateat adversariorum iniuriis ; quin et fides christiana, etsi sacrosancta et firmissima sit, passa tamen est multas impugnationes a philosophis gentium et ab haereticis. Religiones praecipue mendicantium S. Dominici et S. Francisci criminationes quam plurimas et impugnationes sustinuerunt ; adeo ut multi Pontifices in eis defendendis multum laborarint. Non igitur vobis, fratres carissimi, mirum esse debet, quod recens nata Societas multos et potentes habuerit adversarios et impugnatores. Quia vero iudicem plurimum in Domino expedire vos hac in re bene instructos ac armatos esse, ut non tantum laeti et quieti pergatis in vestra vocatione, sed ut possitis etiam cuique status vestri et votorum, quae distinxerunt labia vestra in conspectu Domini, rationem reddere[a] : primo proponemus praecipuam impugnationem, in qua adversarii fundamentum suum firmissimum collocant ; illa autem spectat ad vota nostra simplicia seu non sollemnia. Deinde eorum obiectiones ac rationes dissolvemus.

2. Volunt igitur adversarii vota nostra simplicia non sufficere ad constituendum religionis statum. Nam ille, aiunt, complectitur traditionem quandam sui, quam non faciunt, inquiunt, emittentes talia vota, et ideo non esse homines Societatis proprie et vere religiosos, et per consequens,

(a) *De votis nostris simplicibus non nulla exponam, et quidem.* Add. B.

ius nullum Societatem Superioresve eius in illos habere ex vi horum votorum ; quare posse eos a Societate, etiam repugnante Generali, ad alios ordines transire, et Episcopos, Superioribus invitis, ut egrediantur posse dispensare. Et si forte specialis prohibitio illis fiet sub poena excommunicationis latae [sententiae [a]] ne exeant, poterunt, inquiunt, virtute Bullae, quam vocant « Cruciatae » in Hispania, vel Iubilaei contingentis absolvi.

Haec conclusio demum est adversariorum. Addo ad maius robur, illud videri manifestum : nam, si nullum ius acquirit Societas in voventes, nulla consequenter ipsi Societati fit iniuria, inferendo illa quae iam ante dicta sunt, ut nimirum declarentur non esse religiosi, et ut ab Episcopo absolvantur, etc. Neque potuerunt alia vota, quae forte ante fecerant, in tria nostra vota commutari, sicuti omnium doctorum sententia commutantur in tria vota essentialia religionis, quod est speciale iuris privilegium votis substantialibus religionis concessum. Sequitur etiam Summum Pontificem statuentem oppositum in bullis apostolicis deceptum fuisse, et ex proprio sensu non tamquam ex cathedra locutum.

Tota igitur quaestionis huius controversia eo recidit, quod vota simplicia Societatis vere non constituant statum religionis. Et porro sententia Doctorum, et quidem gravissimorum, ut D.Thomae (1), est, quod sollemne votum facit aliquem monachum vel religiosum ; — S. Antoninus 2e parte, tit. 16, c. 3° idem sentit. — Silvester, verbo *votum* 4°, quaest. 5 ; — Soto, lib. de Iust. et Iure, quaest. 2ª, art. 5°; conclus. 5ª ait de iure divino esse, ut votum essentiale religionis sit traditio inhabilitans ad matrimonium ; ad[b] quod non sufficit votum simplex, per quod religionis status non firmatur[c], ut nec per promissionem, sed per traditionem sollemnem. Et q. 5, art. 1, concl. 8, dicit quod status religionis consistit in eo, ut perpetua voti sollemnis obligatione stabiliatur.

Huic sententiae accedunt iurisperiti plerique cum Glossa 1_a, capitulo 1° de religiosis domibus, dicente quod monachus non dicitur religiosus nisi professus : Bonifatius Clementina 1ª de religiosis domibus num. 34 ; — Felinus c. « Super » num. 2. de testam. ; et alii iurisperiti. Item Silvester loco ante cit. Hi omnes dicunt votum simplex et votum sollemne ex natura rei differre per hoc, quod simplex solum importat rei tradendae promissionem ; sollemne vero, ipsius rei traditionem actualem. Quae sententia si vera est, cum solo voto simplici verus status religionis non poterit subsistere, et ita non erit religiosus qui fecit vota simplicia Societatis. Item,

(a) Hanc vocem ab auctore probabiliter scriptam omisit librarius. Cfr. infra, n 5.
(b) *et*. B. (c) *firmetur*. B.

(1) S. Thom. 2. 2ae. q. 189. a. 2. ad 1m.

in iure communi habetur, quod quis, antequam professionem emittat, non dicatur religionem ingressus, nec religiosus factus ; sed quem ad modum per susceptionem baptismi ingreditur quis ecclesiam, ita per professionem dicitur quispiam religionem intrare. Cap. 1° de Regularibus in 6°.

Item probatur adversariorum sententia ipso iure civili, secundum quod tunc dicitur quis religionem ingredi, seu fieri religiosus, quando professionem emittit, ut patet in Authent. de ingressis, capitulo de sacrosanctis ecclesiis, ubi verbum illud : *Ingressi religionem*, denotat professionem, per quam quis se et sua dedicat Deo, et ideo fit incapax bonorum, nec de illis disponere valet ; unde ante professionem non dicitur « *ingressus* ».

Probatur item. Nam etiam secundum nostras constitutiones, vota quae instituunt religionem, debent esse absoluta et perpetua, quia status religionis est stabilis, absolutus et perpetuus ; atqui vota simplicia non sunt talia, quia condicionem continent et dependent ex libera superiorum voluntate. Confirmatur autem istud ; nam si quis illa vota cum hac condicione emitteret : « Voveo paupertatem castitatemque servare quam diu mihi videbitur », procul dubio non esset[a] religiosus ; ergo, nec si voverit «quam diu superiori videbitur» ; nam aeque mutabilis est utriusque voluntas. Antecedens patet, quia de religionis ratione est, ut habeat quis firmatum animum perpetuo perseverandi et proficiendi in eo statu ; et oppositum dicere videtur errorem sapere.

3. Placuit ita fuse, fratres carissimi, ea quae nobis obiciuntur contra vota nostra non sollemnia explicare, ut testatam facerem magis veritatem, et Societatis integritatem ac firmitatem. Colligite, quaeso, animos vestros, nec abiectior humiliorque subeat in mentem de Societate, ad quam Deus nos vocavit, cogitatio, neque, vel ad minimum temporis momentum, dubium ullum animo quis verset de suis votis : ostendemus siquidem vota tria simplicia in Societate tam religiosos facere et constituere voventes, atque si professionem facerent.

Gregorius igitur XIII prius in suo motu proprio, deinde in sua constitutione statuit atque decrevit, tria vota huiusmodi esse vere substantialia religionis, et scholares ipsos Societatis vere et proprie religiosos esse et fore ; quod dicit et decernit Summus Pontifex motu proprio et ex certa scientia, ac de potestatis apostolicae plenitudine, approbatque Institutum de novo atque confirmat. Item motu, scientia et potestatis plenitudine statuit et decrevit vota simplicia Societatis ex Apostolicae Sedis institutione ac declaratione confirmationeque esse vere substantialia religionis, et in illis nullum alium praeter Romanum Pontificem dispensare posse,

(a) *erit*. B.

neque ea alio modo quam per legitimam dimissionem a Societate posse cessare. Item scholares ac omnes alios non professos, biennio noviciatus absoluto et emissis votis, vere et proprie religiosos hactenus fuisse ac fore, et ubique ab omnibus semper censeri ac nominari debere, non secus ac ipsos tum Societatis tum quorumvis aliorum ordinum regularium professos.

Circa quae, antequam ad eorum explicationem et probationem accedamus, ponderate[a] apud vos, fratres mei, vim istorum verborum quae bulla Constitutionis Gregorianae continet : *motu proprio, certa scientia,* de *plenitudine potestatis.* Nam *motus proprius,* in litteris apostolicis, excludit omnem subreptionem, id est, facit ut non sint subrepticia : subreptio quippe tunc in litteris apostolicis contingit, quando impetrans aliquid veri Pontifici tacet, quod si expressisset, ipse Pontifex non concessisset, multo vero magis, si falsum exposuisset Pontifici. Motus itaque proprius Pontificis tollit subreptionem ; sicuti secunda clausula, quae ad maius pondus faciendum adicitur, scilicet, *ex certa scientia,* per quam clausulam exprimitur Pontificem concedentem fuisse recte informatum, et rem de qua agitur plene cognoscere ac nihil de ea ignorare. Et quia voluntas parum prodesset, nisi adesset etiam potestas, ideo ad maius robur additur : *de plenitudine potestatis.*

4. Quid ergo ex his omnibus conficimus ? Respondeo, Papam, cum dicat se motu proprio facere et confirmare Societatis institutum, id efficere ut adversarii, quicumque illi sint, dicentes Pontificem id fecisse ad instantiam et importunitatem alicuius, non sint audiendi : quia hoc esset Papam mendacii arguere ; quod est prorsus iniquum. Ita similiter, quando Pontifex se ex certa scientia statuere et definire dicit, si adversarii ignorationem aut deceptionem in ipso fuisse opponant, sunt omnino reiciendi, ut in Pontificem impii, quem mendacii similiter arguunt. Standum est igitur, fratres mei, cum gaudio et laetitia verbis et definitione Vicarii Christi, et haec memoriae vestrae infigere debetis ad refutandum quemcumque adversarium ; sed solita modestia vestra et moderatione.

Advertendum est autem constitutionem hanc Pontificis, non tantum esse dispositivam quantum ad hoc punctum, sed declarativam. Inde est, quod ad praeteritum extenditur sicuti ad futurum, cum dicitur, vere et proprie religiosos *fuisse* et *esse* ac *fore*. Unde sequitur, quod S. Pontifex non efficit ut nostri scholares et coadiutores inceperint tunc esse religiosi, quasi tales ante bullam non fuissent, sed declarat ab initio veros fuisse religiosos, et vere actualiter divino obsequio mancipatos, et ipsorum traditionem re vera esse factam ipsi religioni ; quod constat evidenter,

(a) *reputate.* B.

quia non est in manu Pontificis facere de non religioso religiosum, sine eius voluntate; nec, ut iam fecerit religioni sui traditionem, si antea tantum fecerat promissionem[a], ut adversarii volunt, sed fortassis[b] talis religiosus denuo se ipsum propria voluntate tradit, et denuo a religione illa acceptatur[c]. Sed cum[d] nihil horum factum fuerit, sequitur ab initio tamquam veros religiosos fuisse divino famulatui et Societati traditos, sicut professos ipsos.

5. Unde dicimus omnes, qui eiusmodi sunt, non solum ab exordio suorum votorum editorum fuisse veros religiosos, sed etiam olim a Sede Apostolica hoc ipsum fuisse declaratum. Id ipsum enim aut expresserunt Summi Pontifices qui nostrum Institutum confirmarunt, aut manifeste praesupposuerunt. Nam Paulus III, qui primus Societatem confirmavit, in Bulla quarta § 11, prohibet ne quis post eiusmodi vota, sive coadiutor sit sive scholaris, possit ad alium Ordinem, praeterquam Carthusianorum, sine expressa Societatis licentia transire ; et si de facto a Societate exeat esse verum apostatam, nec posse in aliam religionem admitti, et si admittatur, tam ipse quam admittentes, aut ad id auxilium vel favorem praestantes, excommunicationem latae sententiae et Sedi Apostolicae reservatam incurrere. Quod etiam Puis V expressius dixit et declaravit in sua Bulla 5ª calendas febr. 1565.

Patet igitur ex definitione horum Pontificum aperte scholares et alios non professos in Societate vere religiosos esse. Manifesta est consequentia : 1° quia nullus censendus est vere apostata, nisi qui a statu religionis verae defecit ; 2° quia si ipsi vere religiosi non essent, numquam Ecclesia illis prohiberet ne ad altiorem statum religionis contenderent, et minus ad eundem redderent inhabiles, quod tamen facit. Nam in eadem Bulla Pii V, § 9 et Pii IV, praecessoris eius, irritatur professio in alia religione praeterquam Carthusianorum facta ab eo qui a Societate sine consensu superiorum egreditur. Et ita expresse habet Bulla § 6° et 11° praedicti Pontificis. Et praedicti Pontifices scholares et alios non professos simpliciter et absolute religiosos nuncupant.

Idem probatur et patet ex Bulla 3ª Pii V, data die 7ª iulii anni 1571 num. 2 ; ubi declarat omnes personas Societatis non tantum professos et coadiutores formatos, sed etiam scholares et alios esse vere mendicantes, sub his verbis : « Nos motu proprio, non ad alicuius instantiam, sed ex mera liberalitate et certa scientia omnes et singulas personas vere et non ficte mendicantes fuisse, esse et fore, et inter aliorum fratrum, et aliorum men-

(a) *si antea tantum erat promissus* (sic), *seu facta eius promissio.* B. (b) *vol., nisi.* B. (c) *tradat.... acceptetur.* B. (d) *cum ergo.* B.

dicantium ordines, aliosque fratres et religiosos mendicantes conumeramus et conumerari debere auctoritate apostolica, tenore presentium perpetuo sancimus, volumus et declaramus. » Sequitur ergo scholares et alios non professos — nam de professis non est dubium — Societatis vere esse mendicantes et religiosos, non minus quam alii sunt religiosi mendicantes. Sequitur igitur ex declaratione huius pontificis, quod vere sint religiosi in Societate, etiam non professi ; nam aliquem vere esse de religione mendicantium supponit intrinsece vere esse religiosum.

6. Demum concilium Tridentinum id ipsum confirmat tit. de regularibus c. 16. Nam statutum est in eo novicios in omnibus religionibus, transacto anno noviciatus, ad professionem admitti debere, vel excludendos esse. Cernens autem concilium ipsum, in nostra Societate id fieri non posse iuxta ipsius institutum, cum plures essent de corpore eius qui neque novicii essent neque professi, ab illa regula generali Societatem excepit, et in ea parte institutum nostrum probavit, ab aliis omnibus religionibus diversum ; quia in aliis religionibus aut sunt novicii aut professi : in Societate datur gradus intermedius, eorum videlicet qui nec professi sunt nec novicii, quod novicii esse illi desierunt.

7. Ex dictis sequitur, vota simplicia Societatis et sollemnia non differre inter se secundum promissionem et traditionem, ut adversarii volebant ; nam utraque important traditionem cum promissione coniunctam. Sollemnitas porro quae votis sollemnibus adhibetur, extrinsecum quid est, et ad rationem voti tantum pertinet ex Ecclesiae institutione. Quod patet ex verbis Gregorii XIII in constitutione 1ª, sicut et ex Gregorii XIV in altera sua Constitutione, ubi contra adversarios diserte agens dicit in haec verba : « Nos considerantes voti sollemnitatem sola Ecclesiae institutione adhibitum, triaque huiusmodi vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu verae religionis constitui ; quippe qui per ea ipsi se Societati dedicant, atque actu tradunt seque divino servitio mancipant. » Haec ibi. In quibus verbis duo videre est fundamenta, quibus haec Papae declaratio nititur : primum, quod voti sollemnitas sola Ecclesiae institutione est adhibita ; secundum, quod votum simplex potest etiam actualem traditionem continere.

Ex quibus colligitur votum sollemne et simplex non differre intrinsece et ex natura rei. Quod cum ita sit, et sollemnitas non sit de ratione voti, sed illi competat ab extrinseco per constitutionem Ecclesiae, sequitur quod tantum penes extrinsecum differant, et tam obligatos esse Deo qui vota simplicia in Societate fecerunt, quam qui sollemnia. Neque novum esse in Ecclesia ipsam interdum aliqua laxare, aliquando stringere et

declarare. Nam et ipsum concilium Tridentinum[a] ex causa legitima materiam matrimonii restrinxit, et matrimonium irritavit quod deinceps fieret clandestine et absque parocho et testibus. Sequitur, inquam, ex praedictis fundamentis, tria vota Societatis non sollemnia verum religionis statum constituere, quando quidem voventes veram sui traditionem faciant, et ab Ecclesia ipsa traditio acceptetur. Item, quod sollemnitas, ut extrinsecum quid est ad rationem voti, sic etiam procul dubio esse extrinsecam ad religionis substantiam, quae in tribus votis paupertatis, castitatis et oboedientiae essentialiter consistit ; sicuti docet D. Thomas (1), ubi agens de eo quod ad statum religionis requiritur, in tota illa quaestione tantum exigit praedicta illa tria vota, nec mentionem facit quod esse debeant sollemnia.

8. Sequitur igitur quod essentia religionis consistit in perfecta renuntiatione saeculi et propriae voluntatis, quod, fratres mei dilectissimi, re ipsa praestitistis per vota simplicia quae nuncupastis. Nam, per votum oboedientiae abdicastis propriam voluntatem vestram, et voventes subiecistis illam perfecte Superiori, non minus quam si professionem sollemnem fecissetis. Deinde, per votum paupertatis abiecistis omne dominium et proprietatem rei temporalis, neque administrationem ac usum ullum retinetis, sed tota proprietas et administratio eorum qui se ipsis integre non abdicarunt, in voluntate est Superioris. Ratione vero voti castitatis remanetis obligati ad servandam perpetuam continentiam. Per haec igitur vota positi omnes fuimus in vero statu perfectionis acquirendae, qui essentialiter consistit in tribus votis, et collocati fuimus in statu perfecto divini servitii, et integra perfectaque renuntiatione saeculi, iuxta illud (2) : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes... et veni, sequere me.* Addo quod vi horum votorum manet totus homo, licet non professus, in Societate, ut in[b] religione approbata, dedicatus et consecratus divino famulatui et perfectioni acquirendae, et ad haec potest non minus compelli quam si esset professus. Et quamvis in aliis votis simplicibus non reperiatur actualis traditio, ea tamen in iis votis reperitur. Nam, quod Soto et alii dicunt, in votis simplicibus castitatis et oboedientiae non esse actualem traditionem propter defectum acceptationis Ecclesiae, cui in hac parte est commissum iudicium : non habet locum in tribus votis Societatis, quoniam ea vere admittit Ecclesia tamquam verae religionis vota, ut patet ex bullis et constitutionibus supradictis.

(a) *et in ipso Concilio Tridentino.* B. (b) Neuter cod. repetit *in.*

(1) S. Thom. 2. 2ae. q. 186. a. 6. c. (2) Matth. 19, 21.

Non igitur vota simplicia Societatis se habent sicut sponsalia ad matrimonium, ut adversarii dicunt ; sed sicut se habet matrimonium ratum ad matrimonium consummatum. Sicut enim per matrimonium ratum fit actualis traditio — quae in sponsalibus non reperitur — non tamen undequaque est perfecta, quousque matrimonium consummatur per copulam, qua secuta, perficitur, non perfectione instinseca et essentiali, sed extrinseca et accidentali : et ita praedicta vota important traditionem, quae non includitur in voto simplici ingrediendi religionem, sed ea traditio non censetur omnino perfecta et consummata, quoadusque accedat sollemnitas per quam tamen non essentialiter sed accidentaliter perficitur.

9. Ut vero tollamus omnem scrupulum, qui remanere posset ex iure canonico et civili, et ex sententia non paucorum doctorum, — ut ante disseruimus, dum satageremus magis illustrare et roborare adversariorum obiectionem, dicentium cum his doctoribus, quod ingressus religionis et sui traditio fieret tantum per professionem et sollemnitatem votorum — : dicimus omnia iura canonica et civilia cum doctoribus loqui de facto, ut res tunc temporis se habebant, nihil autem de possibili asserere. Notandum est igitur quod a tempore Basilii, Benedicti, Ephraem et aliorum SS. Patrum, qui monachorum regulas tradunt magis explicatas, nullam religionem approbavit Ecclesia, in qua vota sollemnia non emitterentur. Unde probationis tempore finito admittebatur novicius ad professionem, per quam vere religiosus fiebat, et ideo verissimum tunc erat dicere quod sola professio efficiebat monachum, et quod religionem non dicebatur intrasse qui nondum professionem emiserat. Atque his non obstat quin Ecclesia possit cum solis votis simplicibus veram instituere religionem, sicuti modo coniugatum non facit solus consensus verbis expressus, sed ultra requiritur sollemnitas, ut fiat scilicet coram parocho et testibus. Ex quo tamen non licet colligere ecclesiam non posse decernere quod matrimonium sine tali sollemnitate teneat, sicuti tenebat ante concilium Tridentinum.

Supponendum est autem iudicium Summi Pontificis in praedictis rebus esse omnino firmum et infallibile, quae est sententia communis omnium Patrum, iuxta illud (1) : *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam*, etc. ; et (2) : *Pasce oves meas*, quae verba soli Petro dicta communiter asserunt SS. Patres. Cum ergo Sedes Apostolica tam gravibus verbis et constitutionibus Societatis vota stabiliverit, et quasvis eius personas declaraverit esse vere religiosos, licet omnes professionem non fecerint, debemus etiam animos nostros, fratres mei carissimi, in sancto

(1) Matth. 16, 18. (2) Ioann. 21, 17.

instituto nostro stabilire, et Dominum Deum laudare, eique gratias agere, quod Societatem nostram tantopere dilexerit, ac tantis praesidiis munierit ad sui sancti nominis exaltationem et praedicationem, ad servitium Ecclesiae suae sanctae, et bonum perfectionemque omnium nostrum. Obliti igitur, fratres mei, quae retro sunt, et praetermissis adversariorum praeteritorum et praesentium machinationibus, quae iuxta iter nostrum nobis a dextris et sinistris positae sunt, in anteriora nos extendamus, a terrenis ad caelestia festinemus. Nihil nos in via moretur : contemnamus daemonis artes, adversariorum obiectiones ; consideremus non solum nos venisse ad sanctitatem sed ad omnis sanctitatis perfectionem quaerendam, et ad omnis consummationis finem. Quod ut consequamur, oremus pro invicem communem patrem et Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum eodem Patre et Spiritu sancto vivit in saecula saeculorum.

36ª Exhortatio

De votorum renovatione : quid illa sit ? quibus de causis fiat, et quomodo fieri debeat

Exhortatio hodierna erit de renovatione votorum, in qua, Deo propitio, declarabimus quid illa sit, quibus de causis fiat, et quomodo fieri debeat.

1. Renovationis igitur vocabulum importat aliquid fuisse antea factum, et quidem de novo, sed tempore decurrente et incuria aliqua fuisse inveteratum, et amisisse pulchritudinem pristinam, ideoque refici de novo ac renovari, ut deperditam pulchritudinem recuperet. Cum ergo nos in baptismo acceperimus miram pulchritudinem per gratiam nobis traditam, qua revocati fuimus ad Dei similitudinem et imaginem, quae in nobis obscurata fuerat, atque iterum in[a] ingressu religionis, per paenitentiam et novam Dei gratiam, novitatem quandam et pulchritudinem spiritus fuerimus consecuti, quam rursus[b] eandem tempore procedente propter naturae fragilitatem et frequentes defectus et imperfectiones saepe maculaverimus: B. P. N. Ignatius hoc lumen a Deo accepit, ut nos, sui

(a) *et in* B. (b) *sed rursus.* B.

posteri, beneficio renovationis votorum possemus eandem pulchritudinem et decorem spiritus recipere[a] et augere. Quocirca instituit sanctissime ut bis in anno, id est de semestri in semestre, vota nostra, per quae in ingressu religionis decorem illum spiritus Dei gratia nobis conciliaveramus, repeteremus. Quia cum prona sit natura hominis in malum, atque deorsum semper tendamus— *Sensus enim et cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adulescentia sua* (1) — necesse fuit per renovationem votorum renovare et conservare primum spiritum, quem Dominus in emissione votorum communicavit. Sicut enim igni, ne exstinguatur, subicienda sunt ligna, ita ne ignis caritatis, quem Deus venit mittere in terram, in nobis deficeret, renovanda fuerunt desideria prima et fervor quem in editione votorum conceperamus.

2. Neque porro renovare spiritum, novum est in Dei Ecclesia. Saepe etenim sacrae scripturae monent ut nos renovemus in Spiritu : *Emitte,* inquit psalmista (2), *Spiritum tuum... et renovabis faciem terrae ;* et Apostolus (3) : *Licet is qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is qui intus est, renovatur de die in diem.* Deponentes (4) *vos secundum pristinam conversationem veterem hominem, qui corrumpitur secundum desideria erroris, renovamini spiritu mentis vestrae et induite novum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia et sanctitate veritatis.* Et ad Coloss. (5) : *Exspoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, induentes novum eum, qui renovatur in cognitione secundum imaginem eius qui creavit illum.* Scriptum est etiam (6) Iesum filium Sirach, qui *doctrinam sapientiae et disciplinae scripsit in codice isto, renovasse sapientiam de corde suo.* Et alibi (7) monet D. Paulus ut in novitate vitae ambulemus ; et iterum (8) : *Qui non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Qui enim secundum carnem sunt, quae carnis sunt sapiunt ; qui secundum spiritum sunt, quae sunt spiritus sentiunt.* Et infra (9) : *Si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis ; quicumque enim Spiritu Dei aguntur, hi sunt filii Dei.*

Ex iam dictis constat, fratres dilectissimi, renovationem spiritus et devotionis esse Deo gratissimam, nobisque perutilem et necessariam ; quod sufficere posset ad ostendendas causas renovationis, quam facimus, votorum. Adiciemus tamen alias ad consolationem nostram.

3. Prima sit, ut promptitudinem nostrae voluntatis erga Deum declaremus. Nam etsi per hanc renovationem votorum non magis astringamur

(a) *servare.* B.

(1) Genes. 8, 21. (2) Psalm. 103, 30. (3) 2 Cor. 4, 16. (4) Eph. 4. 22-24. (5) Colos. 3, 9. (6) Eccli. 50, 29. (7) Rom. 6, 4. (8) Rom. 8, 4. 5. (9) ib. 8, 13. 14.

Deo quam astricti fuimus in emissione prima votorum, denuo tamen confirmando promissa maiorem voluntatis promptitudinem declaramus, ac nos minime paenitere obligationis primae, sed potius gaudere et laetari, paratosque nos esse ad melius servandum quod promisimus, testatum facimus.

Secunda, ut novas vires et novum fervorem concipiamus ac maiorem gratiam Spiritus Sancti obtineamus, quae amplior solet communicari mediantibus sacramentis et ferventibus virtutum exercitationibus, quae in hac renovatione inveniuntur : fit enim confessio generalis totius semestris spatii, sumitur sacrosancta Eucharistia, fiunt paenitentiae publicae et privatae, audiuntur piae exhortationes quae animos ac spiritum accendant.

Tertia, ut errores admissos emendemus. Ut enim navis in mari fluctibus et ventis labefactata reficitur et eius renovantur vela, ancorae et alia instrumenta necessaria, sic navis conscientiae nostrae fluctibus tentationum procellisque imperfectionum agitata, valde utiliter, si non necessario, reparatur.

4. Quarta, ut magis uniamur et coniungamur cum Deo. Sunt enim vota vincula quaedam, quae nos cum Deo devinciunt et constringunt. Ut vero cernimus evenire in vasis vini vel alterius liquoris, vincula seu vimina quibus constringuntur, tempore procedente laxari, vel carie labefactari et quasi dissolvi, ideoque de integro vasa constringi : sic naturae nostrae corruptae fragilitate vota facta sensim laxantur, ob defectus et multiplices imperfectiones quae intercidunt ; idcirco novis auxiliis et remediis opus est. Deus enim ordinarie non dat gratiam maiorem, neque datam conservat in nobis, nisi cooperemur et exerceamus nos in disciplina et virtutibus, propter nomen sanctum eius. Immo si nos indormiamus, inimicus continuo ingreditur domum animae nostrae ut eam spoliet, quia nec dormit nec dormitat, ut expugnet eam. Ideo haec renovatio instituta est, ut excitemus spiritum nostrum et redeamus ad fervorem illum quem olim sensimus, quando ascendimus de fluminibus Babylonis ut ascenderemus ad statum perfectionis.

Quinta est, ut maiore etiam inter nos caritate uniamur et devinciamur. Quem ad modum enim milites, quamvis eundem habeant belli finem et ducem, facta lustratione tamen in varias partes et expeditiones atque curas distrahuntur, cum vero redeunt ad lustrationem, iterumque omnes conveniunt, mutuam quandam benevolentiam in se invicem declarant, et ardorem animi ad rem bene gerendam ostentant : sic et nos reliquis temporibus quasi dissociati atque in varia distributi officia, convenimus interdum simul votis renovandis, ut novum mutuumque amorem in nos invicem

accendamus.Et quem ad modum necesse est eos, qui societatem aliquam[a] inierunt ad patrandum aliquod insigne facinus, sive bonum sive malum, v. g. expugnationem alicuius arcis, vel aliquam proditionem, convenire solent ad locum et tempus condictum, ne forte a proposito aliquis resiliat, et ut magis confirmentur singuli : ita[b] iudicavit B. Pater et dux noster, ut nos, qui simul hoc vitae genus suscepimus et Societatem inivimus, ad Dei honorem et servitium et ad evertendum satanae regnum[c], hoc propositum statis temporibus renovaremus, videremusque singuli ex praeteritis actionibus quid egregii in militia nostra fecerimus, quo Dei summi imperatoris nostri gratiam nobis conciliaremus[d].

5. Sexta,ut novis nos virtutibus et ornamentis exornemus,et aliquid divinae gratiae caelitus consequamur. Ut enim persistamus in superiore illo militum exemplo, videre est eos, si umquam alias, tunc et eo praesertim tempore elegantissime vestitos atque armatos, cum lustrari et coram suo duce comparere debent, ac sacramento militari sese astringere. Sic igitur in Societate nos facere convenit. Neque enim in eo consistit votorum renovatio, ut formulam istam quisque proferat, et ad mensam deinde lautiorem accedat ; sed in eo potius ut novo[e] ardentioreque proposito prosequamur institutum nostrum, exuamusque affectum omnem inordinatum in creaturas[f] ; neque porro amorem[g] seu affectum solum dico inordinatum, ut quando amatur creatura propter ipsam, sed etiam quando ea sic amatur, ut Deus in ea non[h] inveniatur, quod accidere tibi hinc cognoscis, quando Superiore aliquid mandante non libenter dimittis rem quam tu habes carissimam, pro illa quam tibi Deus proponit ut suscipias et cures. Illud porro est certissimum et evidens, quod quanto[i] magis deminuitur amor et propensio in creaturas, tanto plus is crescit erga creatorem. Quem ad modum in libra, quando vis lancem alteram descendere, debes auferre aliquid ex altera, vel huic aliquid adicere ; nam quanto plus uni adimis et alteri addis, tanto magis una attollitur et altera deprimitur : sic in amore nostro in Deum et creaturam ; nam quo maior est affectus noster in Deum, hoc ipso minor est erga res inferiores et creatas. Neque porro ipsi nos soli ornamus, sed et ornat nos praecipue ipse Deus. Dicunt communiter theologi ingressum religionis esse quasi secundum baptisma, atque in eo ignosci peccata omnia, atque nobis donari gratiam novam atque copiosam, nisi obicem ponamus. Sicut ergo cum Chris-

(a) om. B. (b) *ita expedire, immo necessarium omnino esse nobis.* Ita B, iuxta priorem scriptionem cod. A. (c) *idque Deo omnipotenti promisimus, et Beatus Pater et dux noster, ut.* add. B. (d) *sanctissime instituit.* add. B. (e) *de novo.* B. (f) *inor. creaturarum.* B. (g) *non dico vero amorem.* B. (h) Scripserat prius B : *in ea totus non inveniatur ;* postea delevit *totus non,* dum hoc ultimum verbum (*non*) retinendum ipsi esset. (i) *quo.* B.

tus secundo et tertio in altari oblatus idem est, et vota quae renovamus eadem sunt quae prima edidimus, ex eodem promanant[a] fonte, et eodem fiunt affectu : est plus quam probabile, et plerique sic tenent, renovationem votorum legitime et congruenter factam, esse quasi alterum baptismum, et eandem esse oblationem cum prima[b], sicuti Christus est idem in decimo et centesimo sacro atque in primo.

Septima causa est, ut tanto studiosius occasiones omnes fugiamus, ne quid contra vota committamus. Nam ut ea quae ex voto fiunt Deo sunt gratiora et magis meritoria quam si sine voto fierent, ita longe gravissimum scelus esset aliquid contra votum admittere, essetque enorme sacrilegium.

6. Sed rationes examinemus eius quod iam diximus, nimirum quod omnia quae ex voto fiunt, sint magis meritoria et Deo gratiora iis quae sine voto fiunt.

Prima, quia qui facit quidpiam cum voto, implet duo consilia, de vovendo scilicet, et faciendo seu operando.

Secunda, quia vovere est actus latriae, quae inter morales virtutes praecipua est ; nobilioris autem virtutis opus, est extra controversiam melius, ac magis meritorium. Unde continere, quod est actus castitatis, et ieiunare, quod est actus abstinentiae, si fiant ex voto, quia tunc pertinent ad cultum divinum, quasi quaedam Dei sacrificia, magis meritoria sunt. Unde Augustinus (1) : « Neque ipsa, inquit, virginitas, quia virginitas, sed quia Deo dicata est, honoratur, quam fovet et conservat continentia pietatis ».

Tertia, quia qui vovet aliquid et facit, plus se Deo subicit, et plus Deo dat quam ille qui solum libere sine voto facit, quia facit quantum ad actum et quantum ad potentiam, quoniam de cetero non potest aliud facere. Sicut plus daret homini, qui ei daret arborem cum fructibus, quam qui tantum fructus daret, ut ait S. Anselmus l. de Similit. (2).

7. Quarta, quia facere aliquid ex voluntate firmata in bono, sicut ille qui operatur ex voto, pertinet ad perfectionem virtutis ; sicuti mente obstinata peccare maius et gravius est peccatum, adeo ut in Spiritum sanctum peccatum esse dicatur. Neque vere privatur homo per votum libertate, quae bonum est maximum ; sicut enim non posse peccare non minuit libertatem, ut patet in Deo et in beatis : ita firmatam habere voluntatem in bono, sicuti habent beati et angeli, non minuit libertatem.

(a) *promanent.* B. (b) exspectes : *atque primam.*

(1) S. August. PL. t. 40 de Virgin. cap. 8. col. 400. (2) Vide pag. 247, not. 3.

Voti autem necessitas similis est libertati a peccato, et confirmationi in bono. Unde Augustinus (1) : « Felix necessitas, quae in meliora compellit ». Nec necessitas voti in bene dispositis, quatenus voluntatem confirmat, causat tristitiam, sed gaudium ; hinc Augustinus (2) : « Non te paeniteat vovisse ; immo gaude iam tibi non licere quod cum tuo detrimento licuisset ». Addo quia votum est consilium consiliorum, et forma et perfectio illorum ; quare votum cadens super quodcumque opus virtuosum, reddit illud essentialiter perfectius et Deo acceptius. Nam, post votum emissum, non est amplius in potestate hominis quod ante erat ; et hoc significatur Levitico (3) : *Bovem et ovem, aure et cauda amputatis, voluntarie offerre potes, votum autem in his solvi non potest.*

Ex quibus constat quam grave sit violare votum, quod tam meritorium et tam gratum est Deo. Adde quod votum obligat ad sui observationem, et ad fidelitatem quam Deo quis[a] promisit et quam ei debet ratione dominii et beneficii accepti. Est igitur transgressio voti quaedam infidelitatis species ; infidelitas autem est gravissimum peccatum. Hinc dicitur (4) : *Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere ; displicet enim ei infidelis et stulta promissio, sed quodcumque voveris redde ; multoque melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere.* Addo praeterea, quod obligatio voti ex propria voluntate et intentione causatur et nutritur.

8. Iam ad tertium, quod initio proposuimus, veniamus.

Facienda est, fratres carissimi, haec renovatio multipliciter, ut sunt varia hominum ingenia et studia. Ex fonte gratiae quisque haurit gratiae spiritualis quantum est vas quod affert, et quanta est hominis dispositio, ac denique quantum se exhibet Deo gratiae capacem. Aliqui disponunt se ex consuetudine sola, de reliquo non solliciti; quae dispositio minime sufficiens est, et omni vacat merito. Alii sufficienter, ut omne fugiant peccatum, aut ne scandalizent, sed se aliis conforment, vel denique, ut se conservent in statu gratiae. Alii denique perfecte, ut Deum honorent, et ad melius ei serviendum se disponant, utque recipiant copiosiorem gratiam, quo in spiritu magis proficiant et multiplicentur denique in ipsis Dei talenta et dona.

Prima dispositio est carnalis et imperfectorum, qui volunt manere in suis imperfectionibus. Sed hi deberent attendere infelicem statum in quo versantur, et quam acerba illis mors esset, si brevi eis mori contingeret, qui in terra sancta et in coetu sanctorum tam neglegenter Deo

(a) om. B.

(1) S. Augustin. PL. t. 33. Ep. ad Paulin. col. 487. n. 8 extr. (2) ibidem, ante extr. (3) Levit. 22, 23. (4) Eccle. 5, 3, 4.

servierint. Absit vero, fratres, ut ex vobis aliquis tam infelix inveniatur ; absit ut talem esse ex vobis aliquem mihi persuadeam. Dicendum tamen id fuit ad maiorem cautionem, et quia materia postulabat.

Secunda dispositio bona quidem et sufficiens, atque bonorum est ; sed ii non attingunt scopum propositum et perfectionem. Aemulentur igitur continenter charismata meliora, ut Deo iuvante meliores evadant.

Tertia est eorum, de quibus psalmista ait (1) : Qui currunt in via immaculata, et ad perfectionem magnis progressibus contendunt, quorum beatae animae adhaerent Deo et dicunt cum sponsa (2) : En *dilectus meus mihi, et ego illi*. Eamus illi obviam lampadibus bene et sufficienter instructis, ut venientes ad nuptias censeamur inter virgines prudentes et non audiamus vocem illam terribilem : *Clausa est ianua*, quae patuit Petro ter Dominum neganti, quae patuit latroni propter maleficia cruci affixo, quae patuit mulieri peccatrici veniam deprecanti, et omnibus denique qui ad fontem misericordiae bene dispositi confugerunt. Quod nobis concedetur, si vota nostra devote et affectu bene purgato renovaverimus. Quod nobis pro sua bonitate infinita largiatur Pater et Filius et Spiritus sanctus, Deus unus et trinus. Amen.

37ª Exhortatio

De votorum renovatione, hoc est de eius causa, et quomodo ad eam disponere nos debeamus

1. Finis renovationis votorum, fratres carissimi, est, ut renovemus per gratiam Christi Domini sensum et[a] propositum initio susceptum, hoc est spiritum et fervorem, quem ad serviendum Deo initio concepimus et sensimus. Conceperamus videlicet de Societate illustrem et insignem quandam opinionem ; ideo eam ardenter amabamus, ac proinde ferventer in eius disciplina nos exercebamus. Novit quisque vestrum quod dico, et meminit procul dubio quid, quando in Societate admissus est, devotionis et fervoris senserit ; quam paratus et indifferens ad omnia exsti-

(a) *sensum et.* om. B.

(1) Cfr. Psalm. 100, 6. (2) Cant. 2, 16.

terit[a]. Eo igitur debemus cogitationes nostras revocare, et considerare, ut dicebat ad suos novicios D. Bonaventura : « Quid sentiebamus quando egressi sumus de Aegypto ? Hei mihi, quod nos interdum videamus remissius post aliquot annos agere, quam initio. »

Ut ergo revertamur eo unde recessimus, huius celebrationis occasione consideremus finem ipsum renovationis ; deinde, quibus mediis uti debeamus ut bene et utiliter vota nostra renovemus. Quod erit argumentum praecipuum hodiernae exhortationis.

2. Sunt aliqui interdum equi strigosi et fatigati, qui remissiores multo sunt in medio itinere quam in principio, adeo ut vix incitari queant calcaribus et verberibus. Similes sunt religiosi[b], qui cum ferventer inceperint viam Domini decurrere, facti sunt procedente tempore ita remissi et ignavi, ut nullo exemplo, nullis regulis, nulla superiorum directione monitioneve incitentur ad officium. Initio erant valde humiles, prompti et ad oboediendum alacres et semper laeti ; facti vero sunt decursu temporis arrogantes, se ipsos amantes, sua commoda quaerentes, tardi, morosi et difficiles. Haec[c] renovatio, fratres mei, nos per Christum Dominum serio excitet : non simus minus humiles et oboedientes quam olim fuimus ; non habeamus minus caritatis in invicem, non minus commiserationis erga infirmos, infirmos dico tum corpore tum spiritu ; patientes simus quando aliquid ab aliquo dicitur paulo gravius ; supportemus invicem in visceribus caritatis ; zelum novum concipiamus salutis animarum. Quod remissiores, fratres mei, simus, culpa Dei non est, qui paratus est nos semper iuvare et imbres gratiae suae in animas nostras effundere ; sed culpa nostra est, quia non bene disponimus nos. En ut iam nos excitemus[d], occasionem nobis praebet praesens celebritas.

3. Ut vero resuscitemus spiritum, quem aliquando habuimus, tria velim unus quisque nostrum hodie consideret.

Primum, ut persuasum plane habeamus nos esse imperfectos. Nam qui aliter de se sentit, neque ipse se cognoscit, neque adiuvat, neque promovet, neque ab alio facile iuvari ac promoveri potest ; nam si defectus sui eum volueris monere, illud consequeris solum ut te contemnat et rideat, fortassis etiam tibi succenseat. Aliquando enim videmur nobis bene constituti esse[e] ; sed si verbo uno pungamur[f], sentimus quid simus, et nos falli

(a) *p. e. i. esset ad o.* B. (b) om. B. (c) *igitur.* add. B. (d) *disp. nos, atque ut i. n. iuvemus.* B. (e) *vid. n. in pace esse.* B. (f) *s. s. paulo tangamur.* B.

egregie agnoscimus. *Dixi,* inquit psalmista (1),*In abundantia mea non movebor in aeternum. Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus.*

Uxor Iob in prosperitate sua tranquilla erat, sed mutatis rebus turbatur, et coniugi patientissimo innocentissimoque insultat. Fontem vides limpidum et clarum ; si baculo fundum paululum moveris, statim videbis aquam turbidam fieri, et quo plus agitaveris[a] eo turbidiorem reddi : sic quando nobis omnia ex animi sententia eveniunt, quieti sumus; sed ubi verbum nobis dicitur asperius, turbamur et tristitia obruimur. Indicium illud est, frater mi, quod animus tuus non sit bene compositus.

Secundum est, ut magno teneamur perfectionis desiderio; fieri enim non potest, ut vel diem unum quis transigat sine profectu, qui magnum sentiat desiderium perfectionis.

4. Tertium est, ut diligenter et minutim consideremus quae in nobis sunt imperfectiones, easque accurate ponderemus. Tria porro sunt quae nos deducere possunt ad singularum imperfectionum nostrarum notitiam : primum sunt regulae, ex quibus intellegimus quibus nos officii nostri partibus defuerimus, et tamquam in speculo maculas animae nostrae cernere possumus. Hanc ob causam singulis mensibus nobis ad mensam praeleguntur. Haec autem consideratio seu lectio non est facienda perfunctorie, sed accurate et cum pensitatione rerum earum quae a nobis praetermittuntur sive in substantia, sive in modo. — Secundum, ut alienas virtutes observemus : habet enim exemplum vivum ad excitandam[b] remissionem nostram multum efficacitatis : sic bos iunior a seniore discit arare ; multi facti sunt probi bonorum exemplo, sicut pessimi plerique pravis aliorum exemplis. — Tertium, ut more Societatis reprehensiones publicas aliquando nobis concedi petamus. Magnum enim momentum habere debet apud nos, iudicium communitatis de nobis cognoscere. Est igitur viri sapientis et religiosi perfectionis studiosi, libenter cognoscere multorum de se iudicia, quod fit quando in publicum proferuntur. Officium porro nostrum hortulani officio debet esse simillimum ; nam, ut tota illius cura est in herbis malis evellendis, et bonis earum loco serendis, sic religiosi studium in hoc impendi debet, ut stirpitus evellat vitia, quibus se sentit vel audit notari ; deinde, ut virtutes eorum loco inserat. Vitia autem dico peccata, malos habitus, passiones inordinatas : et peccata quidem omnino sunt delenda, mali habitus sensim sunt exuendi ; passiones quidem nequeunt subito evelli sicut illi, sed reformandae et componendae sunt.

(a) *agitari.* B. (b) *excitandum.* A. B.

(1) Psalm. 29, 7. 8.

5. Ad haec facienda sancte institutum est ut, renovatione votorum impendente, reddatur patri spirituali seu superiori ratio conscientiae, confessio generalis fiat inchoando a postrema, ut faciamus denique paenitentias aliquas publicas ; ut petamus nobis publice manifestari nostros defectus, et[a] qui a fratribus interdum notantur, et demum mortificationes alias faciamus. Debemus siquidem in talibus nos exercere, vel desiderare petereque ut superiores nos exerceant tententque in multis.

Religiosus namque debet esse ut argentum probatum septuplum ; at sumus plerique sicuti vasa fictilia nundum cocta, quae apparent omnino integra et nullibi violata aut fissa ; sed fornaci imposita, tunc apparent eorum[b] fissurae et vitia : sic, apparemus boni, modesti, laeti, mansueti ; ubi vero exercemur, mox vel frangimur, vel debilitamur. Est tamen nobis bonum ut tentemur, et interdum turbemur, quia sic nota fit et sanatur impatientia, quam non habebamus bene perspectam. Bonum est igitur, ut imperfectiones nostrae innotescant nobis, sive id per superiores contingat, sive per fratres, sive alia ratione. Optimae aquae corrumpuntur et foetent nisi moveantur et fluant. Legis in sancto evangelio (1) piscinam[c] ab Angelo motam sanasse ; S. Pauli virtus in infirmitate perficitur ; virga Moysis, quando in terram proiecta est, conversa est in colubrum : ita, quando nos Deus manu tenet, consolationem sentimus ; quando nos deserit et relinquit in terra nostra, convertimur in serpentem : si per caudam accipimus, et finem admonitionis, reprehensionis, vexationis religiose consideremus, consolationem continuo revocamus.

6. Praemittitur praeterea examen generale et particulare ut penitius inspiciamus nostros lapsus, et praeter hos, passiones et malos habitus quibus distinemur, ut cognitas passiones moderemur et imperfectiones etiam minimas excutiamus : hoc enim ipsum est, quod ipsa religio et disciplina Societatis a suis alumnis exigit. Definiunt siquidem theologi religionem esse statum perfectionis acquirendae, sicuti Episcopatus status est perfectionis acquisitae. Et nos quidem religiosi sumus, non Episcopi ; quare perfectio nobis acquirenda est, hicque conatus nobis inesse debet in Societate perpetuus, quia numquam Episcopi esse possumus.

Certum autem illud[d] est, quod aliquas imperfectiones semper simus habituri ; alioqui, si quis se perfectum esse putat, non intellegit quid sit esse religionis alumnum, quin aliquid potius esse se religioso viro perfec-

(a) Illud *et* post primam scriptionem addidit A supra lin. (b) om. B. (c) Scripserat B : *Legis i. s. ev. piscinam fuisse ab angelo motam ;* his relictis addidit supra lin. *sanasse.* (d) om. B.

(1) Ioann. 5, 4.

tius. Ex natura itaque religionis liquet, quod indesinenter debemus incumbere evellendis etiam fibris malorum habituum et imperfectionum, adeo ut qui diem in Societate transigeret sine progressu aut eius studio, debeat existimare se secundum religionem quam profitetur eo die non vixisse. Ut igitur proficiamus et secundum instituti rationem vivamus, instituta est in Societate haec votorum renovatio.

7. Quod attinet igitur ad passiones, non sunt illae quidem peccata ; immo iuvant ad virtutem et sunt nobis necessariae ; sed per illas peccamus, sicuti peccamus interdum quinque nostris sensibus, quando illos non bene dirigimus ; et hi quidem peccata non sunt, nec virtutes, sed instrumenta esse possunt ad virtutem, sicuti datae sunt nobis facultates concupiscibilis et irascibilis, ut depellamus naturae contraria, appetamus vero convenientia ; alioquin sine illis traheremus ad nos multa incommoda. Christus expulit flagellis negotiatores e templo (1) et S. Paulus tradidit Corinthium satanae (2) ; et de Christo dicitur quod *circumspiciens eos cum ira,* (3) *contristatus est super caecitate cordis eorum.* Nos habemus equos effrenes, per quos debemus ad caelum vehi. Non licet militi vendere suum equum, sed cum eo vincere et[a] emori debet ; sic nos cum passionibus nostris, quae sicut fluctus maris eunt et redeunt. Sed licet insurgant contra rationem, non officiunt si non consenseris.

Advertendum autem est passiones interdum, quas putamus nos superasse et exstinxisse, solum dormire in nobis et consopitas, non mortuas esse. Id constat incidente occasione : sentis videlicet aliquid tibi fieri inopinato contra voluntatem ; continuo ira et impatientia, quas mortificatas putabas, assurgunt et cor inflammant ; non enim possunt perfecte vinci et domari nisi per vehementem et constantem exercitationem oboedientiae et disciplinae. Verum quidem est quod passiones naturales penitus exstingui nequeant, ut nulli earum motus excitentur ; sed considerandum est naturam nostram esse corruptam, proinde necessarium esse ut eas ratio et timor Dei reprimant easque moderentur.

S. Ephraem tom. 1 de mala conversatione vitanda (4) : « Necessarium, ait, est noviciis et[b] religiosis ut rarissime de cogitationibus secretis inter se conferant atque confabulentur ; quoniam ipsa rei recordatio motum qui non erat generat, sordes menti concilians et paulatim ad passiones eam resuscitans. Oportet autem sanctos et probatos[c] huiusmodi cogitationes exsecrari ».

(a) *vincere et.* om. B. (b) redundat, et in S. E. non legitur. (c) *senes.* recte add. B ; est enim haec vox in S. E.

(1) Marc. 11, 15 ; Ioann. 2, 14, 15. (2) 1 Cor. 5, 5. (3) Marc. 3, 5.
(4) S. Ephraem. De abstinendo a consuet. perniciosa, t 1. (n. 49). 118 e.

Ad temperandas passiones iuvat ut magnam fiduciam collocemus in Deo per Christum, adhibendo etiam diligentiam et patientiam. Certus sum quod si ita agemus, conatus nostros Dei gratia iuvabit, et adiuti reprimemus eas passiones, ut sint instrumenta virtutis. Sunt enim equi nobis a Deo dati ad currendam viam consiliorum eius ; sed nisi auriga, id est ratio, eos frenet ac bene regat, teneatque semper manu habenas directrices, evertent nos. D. Basilius contra irae passionem docet (1) « Conferre multum, ut quis habeat semper Deum ob oculos, et existimet ipsum animadvertere omnia : habeat, inquam, eum ut speculum et eum contempletur assidue, ut eius exemplo se conservet. Quis enim, inquit, alterius potestati subiectus, in oculis principis sui aliquid ausurus sit quod ei displiceat ? » Item iuvat ut quisquam se ita comparet, ut omnes sibi superiores existimet, omnesque se perfectiores.

8. Quod ad sensus spectat, non minus laborandum est nobis ut eos in recti linea contineamus, et bene purgati serventur. Animam nostram considerate ut in civitate quinque portis constante habitantem, nihilque ad ipsam animam ingredi, nisi per has quinque portas sensuum exteriorum. Quare necessum est religiosum diligenter omnibus illis attendere. Non enim sufficit nobis, fratres mei, portam unam aut alteram custodire, sed omnes, ut facere videmus magistratus diligentes[a] in custodiendis portis civitatis suae.[b] Propterea beatus dictus est ille, qui stat iugiter super custodiam suam. Ut vero impediamus hostem, qui continenter circuit ut portam aliquam invadat, oportet muniamus[c] cor nostrum interius affectu timoris Dei, et assidue consideremus[d] Dei praesentiam convertendo crebro mentem ad inspirationes divinas. Sunt enim aliqui qui exterius tantum liniunt non etiam interius, quod etsi bonum est, non sufficit tamen ; alii liniunt cor interius bona saepe cogitando et ruminando, sed non exterius, quia licenter intuentur, loquuntur, audiuntque vana liberius. De Noë dicitur quod arcam interius et exterius linivit bitumine : ita et nos faciamus. Debemus praeterea caeci esse quoad vana et terrena, non autem quoad spiritualia ; debemus esse caeci propter pericula ne[e] curiosius inspiciamus et oculos effundamus liberius. Eva vidit pomum quod esset pulchrum visu, et decepta fuit. David non satis provide respexit Bersabee et peccavit. Quoad interiora nostra caeci esse non debemus, sed cernere saepe et con-

(a) om. B. (b) *debemus.* add. B. (Ex oblivione non deletum est.) (c) supra lin. A, et supra id ipsum *obliniamus ;* B. vero : *oportet nos oblinire,* quod magis cum sequentibus cohaeret. (d) *considerare.* B. (e) *si,* deleto *ne.* B ; A vero prius scripto *ne,* posuit supra lineam *si,* quod delevit et reposuit *ne.*

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. 29. col. 1102.

siderare peccata nostra in spiritu contrito et humiliato. Sic faciebat ille, qui dicebat: *Et peccatum meum contra me est semper* (1).

Surdos etiam esse nos oportet ad mundana, sed excitatos ad audiendum bona et salutaria; nam per auditum Deum laudamus et glorificamus, si eius laudes libenter audimus. Sin vana et curiosa, periculum adimus; nam Adam audivit vocem uxoris suae, et perdidit se et posteritatem suam. Debemus etiam muti esse, id est, tardi ad loquendum, alioqui non proficiemus; nam in silentio et solitudine est fortitudo nostra (2). Non potest bene loqui, qui prius non studuit silere.

Haec sunt, fratres mei, media ad utiliter renovandum vota, quae distinxerunt labia nostra. Et porro, si diligenter studioseque servaverimus quae dicta sunt, paucis mensibus dabimus argumenta magnae virtutis et exsultabit spiritus noster in Deo salutari suo.

38ª Exhortatio

De renovatione votorum et eius utilitate

1. Renovatio votorum Societati est propria, quia nullum ordinem scimus qui eam instituerit, saltem tam sollemnem. Dicemus ergo in praesentia de ipsa duo, videlicet: primo, quorsum[a] Societas eam susceperit; secundo, quid ex ea utilitatis ad Societatem redeat.

Quamvis, fratres mei carissimi, ex hac ratione renovandi vota non augeatur coram Deo obligatio, sicuti non semel audivistis, iuvat tamen eorundem repetitio: sicuti in ecclesia audimus saepe et cum animi voluptate repeti eadem festa, easdem preces, eosdem hymnos atque eandem symphoniam et cantum, ita disciplinae nostrae pii cultores et nostri instituti amantes ac studiosi non parum voluptatis, ut cernimus, ex renovatione votorum saepe repetita percipiunt. Tertium demum adiciemus, si tempus permittet: cur nimirum publice et in conventu multorum haec fiat celebritas, quae alicui forte privatim commodius videretur posse fieri.

Circa primum igitur considerandum est tria posse nos a votorum

(a) *quare*. B.

(1) Psalm. 50, 5. (2) Cfr. Isa. 30, 15.

observatione retrahere, videlicet, obligationis oblivionem, fragilitatem naturae nostrae corruptae, malum exemplum quod forte dederimus. Ad declinandum primum et secundum iuvat multum haec votorum renovatio. Nam per eam memoria excitatur obligationis factae, quod prodest plurimum ut melius in via Domini ambulemus et servemus id quod promisimus. Sic olim Deus mandavit renovari praeceptorum ac beneficiorum ab eo acceptorum memoriam, ut cap. 1° Iosue (1) : *Non recedat volumen legis huius ab ore tuo, sed meditaberis in eo diebus ac noctibus.* Duo enim petenda nobis sunt a Deo, nimirum ut intellegamus magnitudinem beneficii accepti ; deinde ut conformemus nos divinae voluntati, respondeamusque pro viribus nostris beneficiis acceptis ; et haec per gratiam Dei praestare conamur vota renovando, atque utinam saepe meditemur super eo ; quod ut faciamus, clementissime Deus, largire nobis gratiam et spiritum sapientiae tuae, ut in memoria miserationum tuarum iugiter versemur.

2. Numquam non esse memores gratiae vocationis, fratres mei, esse[a] debemus, sicuti Deus voluit filios Israël sollemni ritu quotannis repetere memoriam, quod eduxisset eos ex Aegypto in brachio forti et excelso. Ait enim (2) : *Mementote diei huius, in qua egressi estis de Aegypto et de domo servitutis.* Atque ut huius beneficii memoria haereret profundius, mandavit in haec verba (3) : *Habebitis diem hunc in monumentum, et celebrabitis eam sollemnem Domino in generationibus vestris cultu sempiterno.*

Neque contentus fuit Deus Opt. Max. uno solum die celebrari hoc festum, sed septem totos dies durare voluit, — erat autem festum Paschae — quin et iussit unum quemque patrem familias docere filium suum quid Deus per huiusmodi festum tam celebre indicari vellet.

Accipite etiam hoc aliud mandatum ad colendam perpetuam memoriam alterius beneficii in populum collati. Ob primogenitum Aegypti interemptum, in signum[b] gratitudinis voluit in perpetuum offerri sibi primogenitum quotannis masculini sexus, a primogenito hominis usque ad primogenitum iumentorum : *Et erit*, ait rursus (4), *quasi signum in manu tua.* Pavit populum manna caelesti in deserto, et ne tanti beneficii memoria periret, mandavit quoque in arca foederis asservari gomor plenum manna, et reponi coram Domino. Sic Iosue (5), cum traiecisset populus Iordanem, iussus est collocare acervum lapidum ex fluvio collectorum in memoriam beneficii a Deo accepti. Sic voluit Deus (6) reponi tabulas legis in arca et

(a) *esse* in utroque codice repetitur. (b) *collati, ob.b.A.interemptum ; nam in signum.*B.

(1) Ios. 1, 8. (2) Exod. 12, 3. (3) Exod. 12, 14. (4) Exod. 13, 9. (5) Ios. 4, 3. (6) Deuter. 10, 5.

virgam Aaron, quae floruerat (1). Sic in lege nova, in lege, inquam, amoris, de sui pretiosi corporis sacramentali exhibitione et de sacrificio eiusdem ait (2) : *Hoc facite in meam commemorationem* ; et similiter illud : *in mei memoriam facietis* (3).

3. Ex iis quae dicta sunt, patet quanti faciat Deus beneficiorum quae in nos contulit memoriam [quam usurpamus commemorationem[a]]. Quare vero ? Sane non ob suam, sed ob nostram utilitatem eam exigit ; exigit, inquam, propter nimiam suam caritatem, qua dilexit nos, ut beneficiorum memoria nos impellat ad se redamandum tanto impensius quanto cernimus ipsum amasse nos ardentius. Ad nostram autem utilitatem, dum nimirum intellegemus omne bonum nostrum ab ipso gratis nobis fuisse collatum, cum nihil invenerit in nobis meriti, nihilque utilitatis a nobis exspectet. Considerantes enim quod[b], licet tam indignos, tam benigne tamen liberaliterque habuerit, quomodo non confundamur, et perpetua memoria tantam eius largitatem non recolamus ? Addo quod haec memoria ad maiora dona accipienda nos disponat, infinitamque eius bonitatem inflectat ad maiorem munificentiam.

Volebat olim Dominus ut omne masculinum ter appareret in conspectu suo, in loco quem elegerat, hoc est Hierusalem, videlicet, in sollemnitate azymorum, in sollemnitate hebdomadarum et in sollemnitate tabernaculorum, quae erant tria festa hebraeorum praecipua. Addit autem (4) : *Non apparebis in conspectu meo vacuus, sed offeret unus quisque secundum quod habuerit.* Ita in Societate bis apparemus in conspectu Domini quotannis, nec vacui, sed cum tribus votis, quae singuli offerimus. Offert autem quisque se ipsum et quidquid habet ; et omnes quidem offerimus, sed hic maiore, ille minore dispositione vel affectu ; et omnia quidem Deus acceptat, etiam pilos caprarum, modo in gratia et pio affectu offerantur. Placet officium superioris Deo ab ipso oblatum, placet et sacerdotis officium et contionatoris, sed et ianitoris, sed et coqui, quando religiose et pie Deo offeruntur.

4. Licet vero in renovatione votorum non augeatur obligatio, augetur tamen meritum, augetur et studium proficiendi in spiritu et in observatione instituti, quin et Dei gratia augetur valde si insigni aliquo affectu oblationem nostram omnipotenti Deo faciamus. Nam, si quotiens recordor cum affectu complacentiae alicuius peccati, totiens pecco et demereor

(a) *q. u. c.*, in quorum locum subiecta est vox *memoriam*, oblitus est delere librarius cod. A ; delentur in B. (b) Exspectaveris *quod nos.*

(1) Num. 17, 10. (2) 1 Cor. 11, 24. (3) Ex Canone missalis. (4) Exod. 23, 15 ; Deut. 16, 16. 17.

poenam, multo magis,quotiescumque alicuius boni operis praeteriti, verbi gratia, voti a me Deo olim nuncupati, cum novo consensu et complacentia reminiscor, mereor apud Dominum. Non enim Deus rigidior et proclivior est ad puniendum quam ad benefaciendum. Cum igitur votorum emissio opus fuerit optimum, eius procul dubio recordatio et commemoratio, quae fit cum affectu novo complacentiae in renovatione votorum, maxime erit meritoria.

Augetur et cura ac studium observandi perfectius disciplinam, quia quo magis aliquid diligimus, eius contrarium sollicitius cavemus. Cavendum autem nobis est non uno atque altero mense, aut anno solo, sed usque in finem, ne in pristinas imperfectiones relabamur. Nam sicut aqua calefacta, quo magis ab igne removetur, magis de calore remittit, et quo propinquius admovetur, magis magisque incalescit : sic nos per renovationem votorum, ut ad Deum, ignem divinum, magis accedimus, sic etiam magis magisque spiritu incalescimus. Quare non tantum, fratres mei carissimi, bis in anno vota nos renovare expedit, sed cotidie, immo enimvero etiam saepius in die privatim ; sed cum celebritate, bis in anno. Sic cernimus arbores et plantas, sexto quoque mense renovari ad novos fructus proferendos ; item agros et prata, etc. quae tua est, Deus Opt. in humanum genus benignitas, et erga nos bonitatis tuae largitas. Nos etiam cum aliis creaturis tuis renovemur in spiritu, ut fructus spirituales copiosos proferamus ad tui nominis gloriam et honorem.

5. Quare vero haec renovatio fit in publico ? Ob duas causas. Una est, quod concursus fratrum augere soleat affectum, et laetitiam spiritualem conciliare ; nam alter alterius accenditur fervore et pio exemplo, ad maiorem erga institutum amorem. Altera est, quia fortassis dedimus praeteritis mensibus malum aliquod exemplum : bonum est autem illud tollere vel saltem minuere. Nam cotidie in multis ob naturae infirmitatem offendimus ; quare exemplum bonum nobis dandum est, ut quod male egimus, emendemus in melius. Nos vero etiam iuvemur et animemur aliorum fratrum nostrorum exemplo, ad maiorem Dei amorem : amor enim est, qui Deo nos coniungit et unit. Et qui pure et vere Deum amat, illi vere adhaeret et unus efficitur spiritus cum ipso, congratulando ipsi de infinitis eius perfectionibus, et desiderando magno affectu ut universum hominum genus illum honoret, illi serviat ; dat etiam operam ut in omnibus ei complaceat ; admiratur, laudat ad stuporem eius magnitudinem et maiestatem, ac denique anima eius cum sponsa ardentibus desideriis clamat (1) : Nuntiate dilecto meo *quia amore langueo.*

(1) Cfr. Cant. 5, 8.

6. Quomodo vero cognoscemus an hic ignis spiritualis in nobis vigeat ? Cognosci potest duobus modis :

Primo, ab intrinseco, si sentiamus in nobis ea quae iam commemorata sunt desideria, scilicet proficiendi in amore Dei ; si sentiamus in nobis gaudium et laetitiam, quod asserti simus in hoc corpus Societatis ; si sentiamus ardentem voluntatem bene servandi disciplinam ; si exoptemus Societatis incrementum, et ut omnes qui in ea sunt magnum fructum faciant ad Dei honorem et salutem animarum ; si gaudeamus quod Deo bene serviatur a fratribus nostris, quod regulae bene serventur, quod vigeat pax et unio inter nos, quod videatur zelus honoris Dei et salutis animarum vigere in omnibus ; si doleamus quando videmus Deum offendi, ac languidius ei serviri. Si ita nos, fratres, sentiamus constitutos, signum est hunc caritatis ignem in nobis ardere, et magnas Deo gratias agere debemus : eius enim donum est.

Non potest homo sine amore vivere : vel se amat, vel alium extra se. Se autem amare non satis tutum est, et opus est magna in eo discretione et prudentia. Si per amorem quietem quaero, in nullo potest quiescere cor nostrum tutius quam in Deo. Creavit nos Deus ad se, ut ait D. Augustinus in confess. (1), et non potest quiescere cor nostrum nisi in ipso. Quid porro est aliud amor, quam ignis quidam ? et quid Christus per ignem aliud quam amorem intellexit quando dixit (2) : *Ignem veni mittere in terram, et quid volo nisi ut accendatur* ? O amor, Deus meus ! Tu amas, Deus meus, sed ut redameris. Numquam vero tantum te amamus, quin multo magis nos ames. Tu Deus, amor meus, ignis consumens es !

Consumat, obsecro, per misericordiam tuam, amor tuus infinitus omnes imperfectiones meas, omnes imperfectiones fratrum meorum praesentium : sunt illae quidem, Deus optime, magnae fortassis et multae[a], sed finitae tamen. Ignis, fratres mei, natura sua levis est, neque potest in terra manere, sed sursum semper fertur : saliat ergo cor nostrum per affectum et amorem cum eo in caelum ; amet cor meum hic Christum, quantum potest, ut in caelo illum aliquando amet quantum volet. Sed prius amandus est Christus, quia non potest attollere sese cor nostrum in Deum, nisi amet Christum : *Nemo novit Patrem nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare* (3). Ignis cum Christo descendit de caelo, ut absumeret totam sensualitatem nostram ; et quid volo, dicamus cum ipso, nisi ut ardeat ? Quid vero intendit Deus per praesentem votorum renovationem

(a) *magnae et multae nimis.* B.

(1) S. Augustin. PL. t. 32 Confess. lib. 1, cap. 1, col. 661 in. (2) Luc. 12, 49. (3) Matth. 11, 27.

nisi ut accendamur, nisi ut Deum ardentius amemus, et ei copulemur artius ? Antequam vota ederemus, Deo obligati eramus, illi servire, illumque honorare et adorare sicut ceteri[a], iuxta illud (1) : *Venite, adoremus et procidamus*, etc. Nunc per vota in religione facta obligamur illi servire perfectius, quia cumulatius in nos gratiam suam effudit.

7. [Secundo[b]], ab extrinseco cognoscere possumus an hic ignis amoris Dei vigeat in nobis, quando scintillae eius erumpunt foras, et alii exemplo nostro bene aedificantur : quando exhibeo me facilem ad oboediendum, quando alacrem in studio disciplinae, quando libenter fratres adiuvo, quando cum gaudio ministerium mihi impositum impleo, quando oblector magis obire abiecta officia quam splendidiora ; quando denique totus homo meus externus bene est compositus, et servat omni in re decentiam : in verbis, in gestibus, in omni motu ; quando in ecclesia intersum divinis officiis cum pia et religiosa compositione, non vertendo me in hanc vel illam partem, non coniciendo curiose oculos in alios ; quando non incumbo scamnis indecore ac sine necessitate ; quando non excreo vehementius, nisi permagna urgeat necessitas ; quando a sacra communione modestius ubique me gero, et me confero statim[c] a communione ad meditationem et gratiarum actionem vel piam lectionem, non ad sermones alios, etiamsi sint indifferentes ; quando in mensa servo modestiam, non iacio visum in alias mensas, non respicio curiosius quid vel quantum alii comedant, sed leviter tantum bis aut ter in vicinos, ex caritate, ut videam num quid illis desit, ut ministrum mensae moneam ; item, quando benedictio mensae et gratiarum actio dicitur, si oculos demissos teneo, et respondeo clara voce sacerdoti benedicenti mensae et gratias agenti ; si domi denique conversationem meam studeo timore Dei et disciplinae amore temperare. Haec, inquam, argumenta sunt profectus mei spiritualis, quem bonum est ut et alii videant. Nam D. Paulus dicebat scribens Timotheo, discipulo suo (2) : *Exemplum esto* bonorum operum, *ut profectus tuus manifestus fiat*. Ita nos faciamus, fratres mei, et vitam aeternam consequemur. Gratia Dei, meritis Domini Iesu Christi, etc.

(a) A. Addiderat prius *tenebamur*, sed delevit postea. (b) Vox illa in utroque codice desideratur. (c) om. B.

(1) Psalm. 94, 6. (2) 1 Timot. 4, 11. 15.

39ª Exhortatio

De votorum renovatione. Quare illa fiat, et unde proveniat remissio spiritus

1. Sicuti paterfamilias laetatur de suis agris bene cultis, cernens in vere eorum amoenitatem, fruges adolescere, arbores florere et argumenta dare copiosi fructus : ita dubio procul Deus, pater noster caelestis, divinus agricola,laetatur cum Angelis videns nos sua gratia bene uti, et novo quasi vere renovari in hac votorum celebritate, frondes sanctorum desideriorum, gemmas ac flores egregiorum fructuum boni operis, ad eius servitium et honorem proferri. Neque solus Deus delectatur cum angelis suis et beatis omnibus, verum et superiores nostri, ipsius vicarii, delectantur ac laetantur cernentes nostram omnium ad faciendam meliorem frugem alacritatem. Certum enim est quod Deus a nobis, quos tanto beneficio affecit quantum est vocationis donum, multo maiorem fructuum copiam maiusque servitium exspectet quam a saecularibus, quos tanto beneficio non affecit. Ita B. Virgo plus ceteris Deum dilexit, quia eam elegerat et praeelegerat, summis gratiae donis et beneficiis affecerat. Sic B. Magdalena multum dilexit, ut testatus est Dominus, quia multum ei donatum fuerat. Sic sancti denique Apostoli, quos liberalius donis caelestibus prae ceteris affecerat, maiore illum amore coluerunt. Eorum igitur exemplis nos tantis beneficiis affecti, quanto possumus affectu et amore ipsum prosequamur. Hic enim est praecipuus finis renovationis votorum.

Multi in saeculo desiderant Deo coniungi ac perfecte illi uniri ; sed solum in id incumbunt, qui gratiam ab illo acceperunt, sicuti secuti sunt soli illi Saülem electum in regem, quorum Deus revelavit auriculam ; et illi solum audita contione D. Petri crediderunt, quorum Deus tetigerat corda, ut Acta docent Apostolorum. Quando fecimus vota et obtulimus nos Deo in perpetuum famulatum, accepimus ab eo novum esse et statum novum, ac novam animae pulchritudinem acquisivimus, instructi ea devotione et affectu amoris, quem quilibet nostrum expertus est. Timuit porro B. P. N. ne hic animae nostrae decor aliquando per naturae infirmitatem deminueretur, et virtus interior elangueret. Quare ut nos excitaret ad officium, et ad decorem resumendum per novum studium perfectionis, votorum hanc renovationem instituit. O beatam animam, quae tantopere de bono nostro fuit sollicita, et quae tantam lucem in rem nostram accepit ! Hanc igitur renovationem, ut invicem nos accenderemus, mandavit fieri cum celebritate in publico conventu.

2. Populus Israëliticus, devicto Holopherne, ut habetur libro Iudith (1), ivit Hierosolymam, ut redderet vota et repromissiones suas. Sed notandum illud, quod ante purificari debuit quam victimas et sacrificia offerret. Sic nos, fratres carissimi, purificari debemus paenitentiae et lacrimarum lavacro, ut oblatio nostra sit acceptior et in odorem suavitatis. Notate vero et illud, quod vota repromissiones appellentur, quod nimirum saepius fuissent facta et renovata. Semel templum dicatur Deo et praeclaris caerimoniis inunctionibusque consecratur, et quotannis festum consecrationis eius celebratur ac renovatur, ut perpetua beneficii a Deo accepti exstet memoria, qui populum suum tanto beneficio affecit, ut in eodem loco et conventu divinis vacaret ministeriis. Sic et quotannis bis convenimus in unum ut divinae maiestati gratias agamus, et laetos nos declaremus et exhibeamus de accepta vocationis gratia.

Contingit filiis Adae, quod aliis fere animantibus, ut facile obliviscantur beneficia accepta. Iam unus quisque vestrum, fratres mei, apud se reputet quo fervore fuerit olim ad Societatem impulsus, quo affectu accesserit, qua devotione et humilitate incunabula sua tractaverit, quanta exstiterit tunc simplicitas, quantus amor et reverentia in omnes, quae moderatio in verbis, quod temperamentum in actionibus, quae[a] morum suavitas, quae ad oboediendum alacritas, quae resignatio, quae sensuum mortificatio. Pudet me valde, Deus optime, quod tam multas adhuc retineam imperfectiones, quod tot motus incompositos in me comperiam, quod tam multis malis exemplis fratres meos offendam. Atque utinam, bone Deus, non sint etiam in hoc conventu aliqui mei similes, qui, proh dolor ! facti sint minus devoti ac minus faciles quam erant initio.

D. Timotheus monetur a D. Paulo his verbis (2) : *Admoneo te ut resuscites gratiam, quae est in te, et quam accepisti per impositionem manuum mearum.* Hic S. Epjscopus Ephesiorum[b] , qui postea martyrii coronam obtinuit, monetur[c] etiam a S. Ioanne, postquam eum laudavit ab operibus bonis (3), his verbis[d] : *Habeo adversum te*[e] , *quod caritatem tuam primam reliquisti : memor esto itaque unde excideris et age paenitentiam, et prima opera fac ; sin autem, venio tibi, et movebo candelabrum tuum de loco suo, nisi paenitentiam egeris.* Habebat procul dubio tunc S. Episcopus gratiam Dei, quia nullum crimen ei obicitur ; quin Angelus Dei, loquens ibidem D. Ioanni, eum laudat, ut dixi, a multis operibus bonis ; sed remiserat se in eo primus fervor, et animi fortitudo quam olim habuerat. Ambulabat enim, ut ait

(a) *inerat.* add. B. (b) om. B. (c) *obt., cum esset Ephesi, mon.* B. (d) *his verbis.* om. B. (e) *inquit.* add. B.

(1) Iudith. 16, 22, sqq. (2) 2. Timot. 1, 6. (3) Apoc. 2, 4. 5.

Apostolus, ubi supra ad eum scribens, in spiritu timoris, eratque factus remissior ob persecutionum acerbitatem, nec audebat christianos afflictos et in carceribus detentos solari, ut ante fecerat; propterea dicitur illi: opera prima fac.

Sic et tu, mi frater, non habes, credo, peccatum mortale ullum; atqui hoc exemplo S. Martyris doceris id non esse satis. Tepiditas et spiritus remissio Deo valde displicent, et viam sternunt ad ruinam. Unde tu modo tam distractus es ac tam iners ad omne opus bonum? Ex hoc nimirum quod depellendis peccatis venialibus, iisque ab anima tua arcendis non insistis modo, sicuti initio faciebas. Resuscita ergo gratiam, quae est in te, quia non est exstincta penitus. Deus, ut pius pater et medicus, per famulum suum B. P. N. hoc nobis praebet remedium renovationis, ut resumpto spiritu primogenio ambulemus in novitate vitae.

3. Sed forte aliquis avet ex me cognoscere unde haec nostra remissio et animi tepor nascatur. Respondeo, quod non satis ponderemus aestimemusque beneficium vocationis nostrae, et gratiae a Deo acceptae magnitudinem, qui dignatus est nos inter famulos suos dilectos reponere, et in loco pascuae collocare. David volens commendare Dei favorem erga se et alios eiusdem gregis, sub eadem similitudine pastoris gregem suum ducentis ad pascua pinguia et uberrima decantat dicens (1): *Dominus regit me et nihil mihi deerit*, id est, pascit me, ut alii vertunt. Pascis revera, Iesu Christe bone, nos famulos tuos in loco uberrimae pascuae, neque pateris nobis quicquam deesse seu in temporalibus seu in spiritualibus[a]. Collocasti nos in loco ubi rerum omnium ad salutem conferentium copia, temporalium vero non tantum sufficientia, sed dicere ausim etiam abundantia. Audite, fratres, vocem cuiusdam oviculae erga suum pastorem egregie[b] beneficii accepti memoris: *Nihil*, inquit (2), *habentes et omnia possidentes.*

4. Mundani dicere solent: beati, quibus divitiae affluunt, qui agros possident, et praedia multa. Atqui religiosus his divitiis contentus est: Dominus pascit me, nihil mihi deerit. Nihil periculi timet, nullam egestatem, inopiam nullam. Hanc porro vocem plenam fiduciae non capiunt mundani, quia non habent oculos bene illuminatos. Qui cum Christo bene coniunctus est, dicet confidenter: nihil mihi deerit. Quare vero? Quia Dominus sollicitus est mei, Dominus pascit me, in loco pascuae suae me collocavit. Nam, quod attinet ad temporalia, quid vobis deest, fratres, de

(a) *deesse seu in spiritualibus et corporalibus.* B. (b) *egregii* B.

(1) Psalm. 22, 1. (2) 2 Cor. 6, 10.

omnibus ad vitam hanc ducendam necessariis ? quid ad futuram ? Victus frugalis, amictus honestus, conversatio religiosa et suavis nobis benigne conceditur. Multi divites et nobiles, acerbis huius temporis motibus et fluctibus, vilius asperiusque vivunt, quam nos qui paupertatem colimus, et qui nihil paene census habemus, ut experiamur id esse verissimum : Dominus sollicitus est mei, Dominus pascit me in loco pascuae suae.

Honorem appetis — quod non debes — : plus multo honoris nactus es quam habuisses in saeculo ; sumus tamen nos pro[a] Deo parati ad omnes iniurias et ad probra quaevis. Si conversationem attendis, ubi sanctiorem, modestiorem, suaviorem, doctiorem, melius cultam habere posses ? quis praelatus maiora habet commoda et servitia, licet famulis abundet, quam tu ? Mane habes qui te excitet ad officia religiosa et qui lumen deferat ; qui ad orationem te invitet, qui cavet ne excedas ac valetudinem laedas ; habes qui lintea et aquam parat lavandis et abstergendis facie et manibus ; habes sacerdotem qui stato tempore tibi sacrum faciat, et fratrem qui tibi ministret in sacrosancto missae sacrificio ; habes qui suo tempore mensam sternat et refectionem sumenti cibum ministret, qui denique sacra ac pia lectione aliqua animam reficiat, dum corpus cibo corporali recreas. De confessario, praefecto spirituali ac communione sacra optime tibi est prospectum. Agnosce frater mi, Dei bonitatem et largitatem, agnosce Dei providentiam ; considera locum pascuae, in quo te collocavit uberrime. Nam etsi multi sint principes, qui ea omnia habeant, cui tamen principi, licet potentissimo, tanto amore, tanta alacritate, tam gratis inservitur ? Quod si aliquando quidpiam tibi deest, considera non temere id accidere, sed Dei providentia in rem tuam ; nam si natura semper facit id quod melius est, nisi impediatur, Deus qui impediri nequit in suis actionibus, famulo suo procul dubio tribuit quod magis ei expedit, quodque melius est. Sunt quidem interdum duriora quae incidunt, sed considera Deum interdum etiam flagellare filium quem diligit, et medicum negare vinum aegroto, quod libenter tribuit sano.

5. Atqui dices : non omnes vota sua renovant. Fateor equidem, quia seniores et qui statum stabilem obtinent in Societate ea non renovant. Invitantur tamen ad celebritatem, et suis precibus et votis cooperantur vota renovantibus ; et semel quidem in anno, circa anni principium rationem reddunt conscientiae superiori suo, vel patri spirituali ab eo deputato ; confessionem praeterea generalem faciunt, intersunt exhortationibus quae ad eum finem fiunt, et iis incitantur ad spiritus renovationem et ad

(a) *nos pro.* om. B.

studium perfectionis. Nemo igitur existimet sibi satis esse si animam suam non sentiat aliquo crimine sauciam, sed attendat num primam caritatem retinuerit ac devotionem pristinam, an oboediens et humilis sit sicut initio, et an passiones suas bene domuerit. Monemur enim omnes ut recogitemus annos pristinos in amaritudine animae nostrae, et ut Domini Dei freti benignitate et auxilio, animemus nos ad perfectionem.

Qui manibus frigent, eas confricant inter se, ut motu et agitatione calefiant : ita debemus nos mutuo iuvare et cohortari, mutuisque exemplis accendere. Navem longa navigatione labefactatam nautae reficiunt, omnia eius instrumenta explorant et instaurant. Typographi, in secunda editione alicuius libri, primam corrigunt, et secundam tertia, ut liber castigatior edatur. Non sufficit nobis, fratres, accepisse a Deo vocationis donum, sed oportet nos cooperari gratiae, et studium absque mora adhibere, ut eius disciplinae quam sectamur perfectionem adipiscamur, exemplo trium regum, qui statim ut viderunt stellam, dederunt se in viam. *Vidimus*, inquiunt (1), *stellam eius in Oriente et venimus adorare eum*, quasi dicant : statim, nulla mora interiecta.

Neque absterreant nos ab officiis praestandis difficultates incidentes. Adventus Magorum commovit totam civitatem ; eorum verbis turbata est synagoga, insidiatur Herodes ; perrexerunt tamen ad anteriora, et stellam secuti sunt praecedentem : ita nos sequamur generose vocationis gratiam, donec obtineamus Iesum, licet Herodes infernalis insidietur. Ridet quidem et subsannat nos mundus, et despicabiles illi sumus ; sed meminerimus de Moyse dictum esse (2), quod improperia Christi, quae prospiciebat, praetulit thesauris omnibus Aegyptiorum, ut ait Paulus. Despicabile erat stabulum Betlehemiticum, sed nihil eo augustius ; et Magi in eo invenerunt infantulum, in quo erant thesauri sapientiae Dei absconditi cum divinitate.

6. Deus in honore habuit, quod mundus contempsit ; quod stultum est Dei, sapientius est omnibus hominibus. Procedamus alacriter et dicamus cum Paulo (3) : *Mundus mihi crucifixus est, et ego mundo*. Oculos semper coniectos habeamus in stellam, id est in gratiam vocationis, et illa nos liberabit. Nulla rosa sine spinis, nihil sine labore obtinetur quod cum virtute coniunctum sit. Singulas virtutes considera in arduo consistere : considera orationem, ieiunium, castitatem, patientiam, carnis castigationem, et videbis virtutis comitem individuum esse laborem. Si virtuti desit studium et labor, languet protinus. Non te desidia impediat aut a progressu retrahat. *De stercore boum lapidatus est piger*, ait sapiens (4).

(1) Matth. 2, 2. (2) Hebr. 11, 26. (3) Gal. 6, 14. (4) Eccli. 22, 2.

Diligentia et cautione magna opus est ; praeclara sunt, quorum causa bello lacesseris. Quo maior est thesaurus, hoc diligentius prospiciendum est, ne acceptum amittamus. Considera finem laboris et diligentiae. Quis porro ille est ? Videre Deum et puerum Iesum. Post labores Deus dat quietem et dulcedinem ; *Vincenti*, inquit (1) *dabo manna absconditum*, hoc est pretiosum et praestantissimum praemium.

Renovemus ergo, fratres mei[a], vota nostra ferventi spiritu et devotione ; in hoc enim praecipue incumbendum nobis est, ut interior sit devotio nostra, sine qua exterior nostra celebritas parum prodesset ; manente autem devotione interiore et ferventi spiritu, omnia nobis sunt salva, licet exterius incommoda et desolationes pateremur. Nam sicut arbor elegans et patula vi tempestatis frondes, fructus, ramos aliquot decorisque denique et amoenitatis suae partem aliquam deperdit, si tamen sucus et viror virtusve interior cum cortice remaneat, salva arboris substantia manet, et redintegratur tempore. Sic religiose[b], licet contradictiones patiaris et aliquid de disciplina exteriore deperdideris, si remaneat voluntas et propositum emendandi te in futurum, adiciasque animum ut resurgas, et perfectionis sectandae studium resumas, tu quidem aegrotus es, salvus tamen perseveras : sicut remanet corpus et subiectum, quamvis pereant illi multa accidentia. Cavere tamen debet qui vitio tepiditatis laborat, ne de stomacho Dei evomatur.

7. Sunt porro gradus propositi varii in Societatis hominibus, sicuti et vitae in humano corpore. Nam in aliquibus est pertenuis et exilis vitae spiritus ; in aliis plus quidem est, sunt tamen debiles et minus vegeti ; aliis vita inest constans et robusta : ita in statu religionis, in quo omnes spiritu fervere deberent, aliqui quasi languent, propositum tamen habent firmum ; alii paulo spiritu robustiores sunt et bene operantur, quia se cogunt excitando debilitatem suam ; alii denique sunt perfecti et vegeti. Omnes initio ferventes sumus, sed procedente tempore fervorem remisimus. Unde hoc ? nonne iidem homines sumus ? nonne idem praemium et bravium nobis est propositum ? Est sane ; sed ignavia et neglegentia mentem occupat, et ardor spiritus deferbuit. Ut resuscitemus gratiam et primogenium fervorem, debemus concipere et resumere quam olim habuimus de Societate aestimationem, et magni facere in Societate omnia, etiam minutissimas eius particulas et officia.

(a) *Carissimi.* add. B, delevit A. (b) *Religiosus.* B ; sequebatur *patiatur, deperdiderit,* emend. *se, adiciatque, resurgat, resumat, hic* q. aeg. *est, perseverat :* haec omnia mutavit sicuti sunt in A, licet retinuerit *Religiosus.*

(1) Apoc. 2, 17.

Nam, ut in Ecclesia videmus in haeresim non paucos prolapsos ex neglectu rerum quas parvas iudicarunt, ut est aspergere se aqua benedicta, aperire caput ante imagines, rosarium tenere et recitare, etc. : sic in Societate qui parva despicit et pro nihilo ducit, portam morti et defectioni aperit.

Propositum igitur primum resumamus, ut excitemus nos mutuis exemplis. Quos animadvertimus ex confessione generali et examine defectus, eos corrigamus. Si, mi frater, spoliatum thesauro tuo te animadvertis, noli animo concidere ; via siquidem patet, ut ait D. Ephraem (1), praeclarae mercaturae, nec deest temporis spatium, quo thesaurum recuperes tuum. Cave ne deseras cursum institutum, in quo loco latro te thesauro spoliavit ; stude eum recuperare. Non poterunt adversarii contra te praevalere, nisi eis cesseris et succumbere volueris ; sanguinem tuum sitiunt, sed auxiliator tuus tibi aderit si fortiter steteris, et interficiet spiritu suo impios. Vulneratus es, non concidat vultus tuus prae pudore ; sed obliga vulnus tuum timore Domini, propositi et votorum renovatione, et fortiter in futurum depugna ; vulnus ipsum ne reformida, sed in eo curando ostende studium tuum, ut praeclara gloriae corona tibi texatur a Domino. In proelio contingit etiam viros strenuos ac fortissimos feriri ac sauciari ; sed in proelio in quo vulnera acceperunt, interdum victoriam reportant. Quam nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

40ª Exhortatio

DE RENOVATIONE VOTORUM : DE EIUS CAUSIS, ATQUE DE PROFECTUS SPIRITUALIS IMPEDIMENTIS

1. In hac renovatione, fratres carissimi, agere debemus sicut industrius negotiator, qui post longam et difficilem navigationem suum ingreditur conclave, ibi sedens et quiescens recognoscit libros rationum suarum, expendit quae emit, quae vendidit, quae commutavit et omnium mercium pretia diligentissime confert ; confert, inquam, accurate vetera

(1) S. EPHRAEM. t. 2 (n. 77). Paraen. 41. p. 414 a.

cum novis, acceptum cum expenso. Erigit animum suum et spiritus novos sumit ut aliam navigationem instituat ; in hunc finem curat naves reparari et bene compingi, vela nova fieri, operas parari. Hunc imitari debemus absoluta navigatione semestri, et considerare expendereque diligenter rationes nostras, ut nos habuerimus in cultu Dei, in purganda et ornanda anima nostra, in officiis observantiae et caritatis erga superiores et aequales ; in diligentia circa ministeria et officia nobis demandata, in cura denique salutis animarum, tum propriarum tum proximorum nostrorum, et colligere ex rationibus quantum profecerimus, vel, quod absit, etiam forte defecerimus. Item, concipere bona et sancta desideria : illa siquidem sunt ligna quae fovent ignem amoris Dei, qui significabatur in Levitico per ignem tabernaculi, qui perennis erat : fovebatur autem perpetua lignorum subiectione.

Non sufficiunt quidem desideria bona ; sunt tamen Deo grata et provocant divinam misericordiam ad opitulandum. Memineritis ficus illius evangelicae sine fructu inventae, quae licet vireret et folia multa elegantia haberet, maledicta tamen est a Christo Domino, et continuo exaruit, licet tunc non esset tempus fructuum. Non peccaverat ficus inanimis, sed peccamus nos — quos per eam Deus designabat — si solas frondes bonorum desideriorum habeamus, et manum ad opus non extendamus. Nos igitur commonefacere pientissimus Iesus voluit, quibus numquam deest tempus opportunum ad bene operandum et merendum ; ad quod multo magis obligamur nos religiosi, praesertim Societatis, quam saeculares. Nos enim non amplius nostri, sed Domini sumus, cui nos mancipavimus. Est quippe semper obligatus religiosus ad rem curandam Domini sui et ad faciendam eius voluntatem, non suam, ut nequeat suo uti iudicio, sua voluntate, suis animae facultatibus et potentiis, nisi quatenus est beneplacitum in oculis Domini, iuxta illud (1) : *Anima mea illi vivet, et semen meum,* id est actiones meae, *illi serviet.*

2. D. Basilius in reg. (2) dicit religiosum aestimare se debere et gerere erga superiores suos, ut mancipium adversus dominum suum, sed affectu dispari et differenti ; nam servus procedit in spiritu timoris : erga Deum et superiores gerere nos debemus in spiritu et affectu amoris. Sed ut ille non potest disponere de se nec de suis actionibus pro sua voluntate, sed omnia ex voluntate eri facere debet, sic nos ex voluntate Dei, non ex nostra operari debemus. Non debemus servire superiori nostro ut homini, sed ut Deo, a quo habet auctoritatem et cuius vices gerit. Neque enim homini sed Deo vota nuncupavimus, quamvis coram homine ea fecerimus

(1) Psalm. 21, 31. (2) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 115. col. 1162.

et iam renovemus. Quare, licet coquus nobis assignetur superior, ei debemus oboedientiam prompta voluntate praestare, et ut Christi vices gerentem excipere ; ipse vero, quod aequum et modestum est[a], libere nobis imperare, non rogare ut illud vel illud faceremus[b].

Officia porro culinae, et alia domus ministeria humiliora, non debent aestimari a nobis nec dici vilia, quia omnia ad Dei honorem sunt instituta, et Deo exhibentur, qui excelsus est super omnia ; sed vilia vocantur et abiecta secundum quod exterius apparent. Religiosus vero debet omnia aestimare valde magnifica, praestantia ac nobilia, ut quae Dei gratiam magnam nobis conciliant quando ea obimus ex oboedientia ad Dei honorem. Neque existimare debet quis, sive sacerdos, sive praeceptor, sive rector, quod male collocet tempus suum quando ministerium aliquod simile obit, quia cum sit membrum corporis huius, Deo dedicati[c], magni facere debet quod corpus ipsum sublevet et adiuvet. Debemus autem permittere regi nos libere a superiore, ut de nobis possit statuere et disponere pro lumine quod a Deo accepit ; nec velle[d] nos, quibus oculi ex amore proprio caligant, de nobis disponere, ne affectus inordinatus subrepens se intermisceat. Sic porro agendo magnam pacem et quietem cordis adipiscemur.

Illud hoc loco notandum est, quod in Societate nec sit usus, nec deceat petere ministeria et officia quae splendida videntur, — foret quippe illud indicium animi elati — licere tamen cum laude et merito petere a superiore adhiberi officiis quae secundum hominem vilia videntur et iudicantur, non tamen illa aggredi vel exercere absque superioris iudicio et consensu. Magnum procul dubio Dei beneficium est, ita affectum esse ; et qui ita animo comparatus est, magnos ad perfectionem fecit processus, insignique humilitatis ornamento condecoratur.

3. Ut autem haec praestemus, opus est ut intellectum voluntatemque nostram, quae saepe distorta est, inflectamus ac dirigamus, sicut baculum curvum flectimus et ad iustam rectitudinem redigimus ; id autem faciemus agendo contraria appetitui, et vim nobis inferendo. Baculum enim ut ad rectitudinem reducamus, in contrariam partem inflectimus ; ita vim nobis inferre debemus. Quod quidem initio arduum et difficile est : sed difficilia sunt quae pulchra ; neque scientiae et artes initio discuntur absque labore. Ut autem voluntas nostra bene dirigatur, duo sunt in primis necessaria. Prius est, consideratio et applicatio divinae voluntatis, ut eam pro fine statuamus ; alterum est fortitudo : nam frustra adhiberetur regula illa

(a) *ipse vero, si aequum et modestum esset.* B. (b) *deberet.* add. B, delevit A. (c) *dedicatum.* B. (d) *nec velle autem.* B.

aeterna, nisi virtus et conatus noster accederet. Haec autem acquiruntur precibus et votis ad Deum, ut eius gratiam consequamur, et bene disponamur ; sed nos sumus imbecilles et delicati, vimque nobis difficulter inferimus : amamus enim nos ipsos nimium, nobisque nimium indulgemus.

4. Quae autem nostros impediunt progressus sunt : primum, quod non satis consideramus ad quid venimus, et cur quae mundi sunt reliquimus. Nam si haec ponderaremus, et quod pariter proprium iudicium et voluntatem nostram resignaverimus in facienda voluntate Dei, faciliores propensioresque essemus et ad ea quae perfectiora sunt, et ad disciplinam religiosam servandam. — Secundum impedimentum est, quod non declinamus consortium eorum qui nos impediunt et nobis obsunt ; plurimum enim societas obest, quae ad malum prona est. — Tertium impedimentum est, non considerare nos aliis obesse nostra remissione, qui deberemus omnibus esse bono exemplo, ac omnes aedificare, ad perfectionisque studium verbo et exemplo iuvare. — Quartum impedimentum est, non considerare nos in exsilio esse, et inter mortales versari, et quidem in mari tempestuoso, quod continenter agitatur et mutatur, in quo etiam sunt cete grandia et monstra plurima, aliqui latentes scopuli, alii vero manifesti ; quae omnia causa fuerunt sanctis plurimis, ut licet naucleri essent peritissimi, timuerint ob exempla quae habuerunt de naufragio plurimorum, qui in vasto mundi huius pelago perierunt. — Quintum est, quod non sumus satis solliciti de recollectione nostra, de examine conscientiae, de petendo a patre spirituali vel superiore consilio.

5. Sed horum impedimentorum praecipuum est, et a quo magis nobis debemus cavere, indisciplinatorum consortium. Lepra siquidem facile adhaeret ei qui se leproso familiariter adiungit, et ovis scabiosa facile alias inficit. Quin Alexander Aphrodisaeus scribit eum, qui cum balbutiente cohabitat, usu et consuetudine facile balbutire et vitium contrahere. Ego sane duos vidi, qui simili consuetudine et cohabitatione cum balbis contraxerunt balbutiem. Quando quis oscitat, ad oscitationem vicinos provocat, et qui ridentem intuetur attentius, ad ridendum provocatur (1). Familiares Platonis acceperunt vitium incurvationis ex ipsius consuetudine, qui curvus erat ; et ex Aristotele familiares eius amici balbutire didicerunt, sicuti Alexandri magni amici et familiares plerique, eius exemplo, collo erecto et extento incedebant.

Hinc collige, quantopere inficiat prava societas etiam hominem interio-

(1) Hoc ultimum in durioris verbi locum substituimus.

rem[a] ; quod peius est, ex consuetudine cum vitioso fit vitiosus, et neglegens penitus disciplinae, qui eius ante valde fuerat studiosus. *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (1). Sic boni inficiuntur et corrumpuntur usu et familiaritate pravorum. Chrysostomus super Matth. (2) : « Vinum, inquit, non corrumpit acetum, nec illud convertit in vinum ; sed acetum facile vinum corrumpit, et illud in acetum vertit ». Amphora aceti corrumpit facile decem vini amphoras, et in acetum convertit ; decem vero amphorae vini non sufficerent immutandae in vinum uni amphorae aceti. Filii Israel permixti gentilibus didicerunt opera eorum, et sacrificaverunt filios et filias suas daemoniis. D. Petrus tantae virtutis et tam Christo carus apostolus, cum sanctus esset inter bonos, inter malos factus est impius et Christum Dominum suum negavit (3).

6. « Farina candidissima, ait Chrysostomus (4) conspersa luto non inficit lutum, nec illud immundum facit, sed contra, lutum facile inficit farinam, licet candidam et mundissimam. » Iusti et sancti religiosi sunt farina munda et pura, religiosi incompositi et imperfecti sunt lutum ; sed farina munda, id est religiosus iustus et honestus, panem facit candidum et mundissimum, qui apponatur ad mensam Dei ; lutum, id est religiosi incompositi, multo magis peccatores, sunt abominabiles in conspectu Dei et pessimi odoris. Iusti et religiosi saepe conversando cum depravatis, distractis et indevotis, sensim tales evadunt, maculanturque in conscientia, in honore, in reputatione : *Modicum fermentum totam massam corrumpit* (5). Aurum purissimum admixtum argento perdit de sua pulchritudine et valore ; argentum autem auro admixtum fit pretiosius. Diogenes abhorrebat summopere omnes homines, bonos aeque ac malos, vitiosos ut sanctos ; interrogatus quare id faceret, respondit : Abhorreo malos ob vitam improbam ; iustos autem abhorreo, quia cum malis versantur.

Perfecti religiosi resplendent in domo Dei sua virtute et sanctis moribus, sed conversando cum imperfectis familiariter, nomen bonum deperdunt, et virtus ipsorum sensim minuitur (6) : *Qui abscondit ignem in sinu comburit vestimenta sua ;* ita iustus et bonus consuetudinem ducendo cum imperfectis famam suam obscurat, quamvis non inficiat conscientiam. Sed illud proprie de infirmis et non omnino perfectis dicitur ; nam valde perfectos iuvat versari cum imperfectis, ut eos revocent ab imperfectionibus.

Occasione ergo renovationis huius votorum, declinemus consortium

(a) ....*societas, qua homo interior, quod*... B ; haec immutavit A.

(1) Eccli. 13,1. (2) S. Joann. Chrysost. PG. t. 56. Op. imp. Hom. 26 in Matth. col. 769 in. Cfr. ibid. col. 792 a. f. simile in re diversa. (3) Matth. 26, 69 sqq. (4) Ioann. Chrys. 1° l. c. (5) Gal. 5, 9 ; 1 Cor. 5, 6. (6) Cfr. Prov. 6,27.

imperfectorum, nisi intentionem habeamus et conatum adiungamus cogitationesque omnes nostras conferamus, ut eos ad correctionem perfectionemque excitemus et inducamus. Advertendum[a] autem sagittarios, licet suas sagittas destinent in scopum, non tamen semper illum attingere, quia difficilius est illum attingere quam ab illo recedere : centrum quippe unum est, circumferentia autem extrema multa, ut facile nobis sit aberrare in tanta occupationum varietate, nisi valde serio et studiose ad finem scopumque nostrum collimemus, et regulas directionemque nobis propositam diligenter servemus. Quod si faciamus, conservabimus amicitiam cum Deo, ius acquiremus regni caelestis, caritatem et unionem inter nos fovebimus ; hoc studio Christi membra efficiemur, et proximos nostros aedificabimus.

7. Quam diu religiosus hoc desiderium placendi Deo servat, proficit ; quando illud deserit, a gratia Dei recedit, et ad casum vergit. Neque tamen desperandum est, fratres carissimi, si remissiores interdum nos reperiamus, quando propositum remanet firmum proficiendi, quia via nobis semper patet ad fontem gratiae, et studium virtutis ac profectus nostri semper redintegrari potest ; quia Deus numquam gratiam suam bonae voluntati denegat. Hoc studium B. P. N. quia continenter fovebat, admirabiles faciebat in spiritu processus, et gratia Dei in ipso mirum in modum cotidie augescebat. Hinc virtutes tam multas heroicas in ipsius vita cernimus ; hinc sine mora splendidum habitum cum vestitu et sacco pauperis commutavit ; hinc desertum petiit et ad tempus incoluit ; hinc ad multos dies absque ullo cibo ieiunavit ; hinc positus in carcere repudiavit omne patrocinium humanum, in Deo solo conquiescens ; hinc ad amicum iuvandum abiecit se in paludem hiberno tempore, ut eum a vitiis exemplo terribili revocaret. Hinc et nobis proposuit hanc votorum renovationem, ut renovati et exuti vetere homine, eius exemplo ad altiora tendamus, eius exemplo animi teporem, fratres, excutiamus.

8. Dupliciter autem aliquid velle possumus, languide videlicet seu remisse, et efficaciter atque constanter ; et ut est nostra dispositio, sic maior vel minor fructus consequitur. Exemplum primi, v. g. sit voluntas peccatorum. Ii siquidem bonum desiderant, et ad bonum finem, id est felicitatem propter propriam salutem ; sed illud bonum remisse desiderant in peccatis suis sese volutantes, vel si in actum bonum exeunt, minima occasione in eadem relabuntur peccata. Talis erat voluntas filiorum Israel,

(a) *Sed advertendum autem.* B scripserat prius : *Sed advertendum quod ;* hoc ultimo deleto scripsit sup. lin. *autem, sed* vero non delevit.

qui cum desiderarent bonum, id est liberari a servitute, et propter bonum finem, id est ut sacrificarent Deo ; quia tamen languide id desiderabant, quacumque vel etiam levi occasione a mentis proposito recedebant [a], relinquentes Deum, et adorantes idola. Exemplum secundi, id est habentis voluntatem efficacem, habemus in Davide dicente (1) : *Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae.* Talis fuit voluntas D. Pauli : *Cum autem placuit ei,* inquit (2), *qui me segregavit ex utero matris meae, continuo non acquievi carni et sanguini.* Talis fuit multorum martyrum et multarum sanctarum virginum voluntas. Talis fuit insignis matronae illius alacritas, quae filium suum adulescentem, ut coronam martyrii consequeretur, portavit propriis umeris ad rogum. Talis ardor illius quae puerum ducebat in persecutione Africana ad coetum martyrum et confessorum, ut confessionis ipsorum esset particeps. Hanc voluntatem efficacem desidero, fratres carissimi, in singulis nobis esse. Bona voluntas quantum potest operatur et amat ; non ita remissa, quare neque bona voluntas dici meretur. Haec bona voluntas, Dei gratia vivificata, omnium bonorum operum radix est. Proinde neque opus ullum quamlibet magnum, et exterius bonum, meritorium est, nisi hac voluntate fulciatur ; sed quia Dei donum est bona voluntas, eam pete a Domino, et cooperare, ut faciat voluntatem tuam magnam, si magnum habere vis meritum.

In hanc sententiam dicunt aliqui doctores, quod positis duobus hominibus qui bona voluntate desiderant bonum aliquod, v. g. martyrium, alter si actu martyr efficiatur, alter vero non, uterque quidem meretur gloriam essentialem aequaliter ; sed qui actu martyr efficitur, habet etiam martyrii laureolam, quae gloria accidentalis est, quam alter non consequitur ; habet tamen essentialem parem cum illo, quia par fuit patiendi voluntas et desiderium. Nam sicut qui assentiendo peccato mortali aeque meretur poenam inferni atque ille qui peccatum illud opere complevit, si desiderium peccati aequale fuit : sic qui martyrium desiderat, aeque gloriam consequitur essentialem atque ille qui martyrio actu coronatur, si aequalitatem habeat desiderii. Unde angeli cecinerunt nascente Domino : (3) *Gloria in altissimis Deo, et in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Habeamus igitur nos, fratres carissimi, bonam et efficacem voluntatem, et oculum mentis semper coniciamus in summum illud bonum, finem nostrum et terminum actionum nostrarum omnium, in quem finem haec instituta est renovatio, quam faxit Deus summa cordis puritate et affectu faciamus ad maiorem ipsius gloriam. Amen.

(a) *concidebant.* B.

(1) Psalm. 118, 106. (2) Gal. 1, 15. (3) Luc. 2, 14.

41ª Exhortatio

DE VOTIS ET EORUM RENOVATIONE

Cum multa sint Christi consilia : — 1° Cur haec tria paupertatis, castitatis et oboedientiae tam studiose sub obligatione servantur ab omnibus religiosis ? — 2° Cur in nostra Societate totiens renovantur ? — 3° Cur non ab omnibus semper, sed ab aliquibus tantum haec renovatio fit ?

1. Quod ad primum attinet, cum omnia tendere debeant ad ultimum finem, ut ad sui perfectionem, finis autem hominis sit summum bonum quod speratur, et ab eius consecutione plurimi rerum huius mundi amore et illecebris homines irretiti impediantur, a Deo per aliquot famulos suos sibi cariores institutae sunt religiones, ut humanum genus ad meliora studia et ad finem suum revocaretur. Quidquid autem in mundo est, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitae (1). Muniverunt se proinde iis virtutibus, quae concupiscentias huiusmodi arcerent, et vitiorum sordes procul depellerent. Deo igitur inspirante tria vota iam commemorata usurparunt, quae egregie illas pestes propulsarent, tollerentque omnia impedimenta perfectionis, et omnia denique quae omnem retardant profectum, et meditationem, amoremque Dei, in cuius beata visione et fruitione summum bonum nostrum consistit. Maximum ergo beneficium praestat Deus homini, cuius cordi immittit desiderium vitae perfectioris et religiosae ; sicuti magnum beneficium praestaret, qui currenti per viam lapidibus et spinis obsitam, lapides et spinas tolleret ; et sicut magnum beneficium conferret in eum qui lippitudine oculorum laborat, qui humores peccantes impedientesque educeret, vel pulverem aut festucam ab oculo patientis tolleret.

Omnes porro volumus esse perfecti, omnes denique beati, sed concupiscentiis huius vitae illecti impedimur. Pauci sunt qui generose navant operam ut se expediant. Sumus ergo felices, fratres carissimi, qui tanta gratia a Deo, qui dives est in misericordia, donati et praeventi fuimus, ut indiderit nobis desiderium amoliendi a nobis ea perfectionis impedimenta, et consequendi virtutes necessarias ad consecutionem finis nostri, ut optimo iure possit Christus nobis dicere (2) : *Vobis datum est nosse mysteria regni caelorum,* cum ceteri audiant et non intellegant.

(1) 1 Ioann. 2, 16. (2) Matth. 13, 11.

2. Votum castitatis repurgat oculos mentis a caeno libidinis ; votum paupertatis, a pulvere et spinis rerum terrenarum ; votum oboedientiae, ab umore peccante amoris proprii et fastus atque superbiae : duo ergo primi nos liberant ab impedimentis externis ; tertium, ab interno et periculosissimo.

Sed quare, inquies, votis obligamur ? Quare non sufficit nos virtutes absque voto sectari et colere ? Respondet D. Augustinus (2) : « Quanto magis Deo inhaeretur, tanto minus bonum proprium diligitur ». Cum igitur in unione cum Deo consistat nostra perfectio, ad hanc autem coniunctionem consequendam iuvet maxime — ut idem asserit D. Augustinus — quae per votum fit proprii boni abdicatio, nulli dubium esse debet, quin votum ad perfectionem valde conferat. Vota autem procedentia ex voluntate in bono firmata, magis sunt meritoria.

3. Sed veniamus ad secundum. Quare totiens in Societate vota renovantur, et quare tanta celebritate ? Hoc fit, quia homo fragilis est, et memoria eius labilis, animus valde inconstans ; propterea, ut consulatur nobis contra hanc infirmitatem et inconstantiam, vota renovantur. Nam, quem ad modum clavum, quem volumus profunde in trabem aliquam inferre, saepius percutimus et tundimus, sic vota nostra saepe repetimus et quasi percutimus, ut profundius illa memoriae infigamus, firmius haereant et serventur constantius ; nam homo instabilis est et movetur ut luna. In principio Deus fecit hominem rectum, deditque ei optimum esse, atque, ut operare fluit ex esse sicut aqua ex fonte, sic optime operabatur ac sanctissime ; sed *cum in honore esset, non intellexit : comparatus est iumentis insipientibus et similis factus est illis* (2). Voluit homo infelix familiariter cum serpente tractare, et ecce illud incurrit : *Cum perverso perverteris* (3), ceciditque ex esse optimo in esse aliud pessimum et infelicissimum. O Adam ! O homo infelix ! Qualis eras tu, et qualis factus es ! Cuius conversatio in caelis erat, non est inventus dignus ut alibi quam inter iumenta censeretur, et qui ferret onera ! Quae vero onera ? Onera infirmitatis, ignorantiae, inconstantiae et omnis miseriae, quibus saepe adiciuntur onera diaboli et sui ipsius, quod est gravissimum. Quid vero dixit summa illa et infinita bonitas ? Non sic, non sic, inquit, erit, ut homo factus ad imaginem nostram, et ut esset, non dico servus Dei, sed filius, perpetuus fiat diaboli servus. Ipse quidem homo se fecit iumentum, sit ergo iumentum meum serviatque mihi, ferat iugum meum suave, ferat onus meum leve. Quid nos, fratres, hic dicemus et faciemus ? Offeramus nos, quaeso, Deo,

(1) S. Augustin. PL. t. 42 de Trinitate. lib. 12. c. 11. col. 1006 extr. (2) Psalm. 48, 13.
(3) Psalm. 17, 27.

dicamusque filiali affectu Deo : Volo, volo, pater aeterne, quando quidem ut iumentum fierem sum promeritus, esse iumentum tuum. Offero me tibi, pater sanctissime, quem pretio sanguinis unigeniti filii tui redemisti, et ad bonum esse me revocasti. Agnosco vilitatem meam, agnosco et dignitatem quam in multitudine miserationum tuarum dedisti mihi, quando me ad hanc sanctam Societatem vocare dignatus es. Offero me tibi in perpetuum iumentum et servitium tuum : *Ut iumentum factus sum apud te, et ego semper tecum* (1).

4. Quomodo, fratres carissimi, non dicamus ad nihilum nos redactos fuisse, qui ex filiis Dei facti eramus filii diaboli ? Agamus gratias Deo quantas possumus in hac votorum renovatione, et velimus esse vera iumenta Domini, ut feramus alacriter onus eius ; onus, inquam, religionis, onus sanctae oboedientiae, et dicamus Christo Domino, et ego semper tecum : Ego semper tecum ! Non enim fecit nobis sicut ceteris christianis ; sed ad esse bonum adiecit etiam esse optimum, trahendo nos propinquius ad se et ad religionem, in qua nos exerceret in iugo eius suavi ferendo, et pararet ad egregias virtutes et actiones, sicuti equi rudes et asperi arte et disciplina erudiuntur et efformantur ; sic enim in religione erudimur et expolimur.

Quam deceret ergo nos, fratres mei, in hoc statu diligentes et paratos esse ad omnia munia, quae Deus paravit ut nobis imponerentur ! Proficiamus in schola virtutis, neque simus equi strigosi, fracti et debilitati per ignaviam, in operibus tardi, in officiis tepidi et languidi, in conversatione parum compositi, coram superioribus parum humiles, cum aequalibus asperi et rixosi. Spoliemus nos amore proprio et nobis ipsis, ac nos tradamus in hac renovatione Deo prorsus indifferentes, ad faciendam sanctam eius voluntatem. Foveamus magnum desiderium in nobis Deo serviendi iuxta rationem instituti : habet enim desiderium eiusmodi vim magnam ad eliciendum bonas operationes. Est siquidem cor hominis seu voluntas ad instar stomachi, desiderium ad instar cibi ibi coexsistentis. Ut ergo cernimus et experimur hominem vacuo stomacho graviorem esse se ipso saturo, sic homo boni desiderii respectu eius, qui eo destitutus est, multo est ad opus bonum paratior.

5. Desideria sunt igni simillima et semper altum petunt, ubicumque homo exsistat, sive in culina, sive in penu, sive in scholis, sive in templo sit, in omnibus denique locis et occupationibus desideria sancta proferre debemus, fratres, quae caelum petant. Sed illud advertendum est, quod

(1) Psalm. 72, 23.

ignis diu, vel ad modicum durat pro ratione lignorum, vel materiae illi subiectae, quatenus videlicet multa est vel modica : sic nostra bona desideria multum diuque durant, si est in nobis magna vis amoris Dei ; contra, si vis exigua est et exilis amoris Dei[a], cito desideria languent, vel ad instar stuppae consumuntur. Sit amor noster in Deum et in proximos nostros magnus et quantus esse potest. Nostra desideria non petant nos ipsos per amorem proprium ; non spectent ad sensualitatem et commoda nostra, neque ad gloriam nostram et vanitatem. Nam si id evenire nobis patiamur, nihil promovebimur, quia gloria nostra nihil est. Omnia desideria nostra ad Deum referantur, sicuti sagittae variae ad eundem scopum destinantur. Deus, qui amor est increatus, summam vim habet uniendi sibi eos quos amat, et a quibus amatur. Rogat (1) Patrem ut unum simus cum ipso et ipsi inter nos, sicuti ipse unum est cum Patre et Spiritu sancto. Hanc ob rem omnes coniuncti simus in hac renovatione, qui affectibus et spirituali associatione convenimus, ut in unum Deum collimemus, et sagittas affectionum nostrarum in eum destinemus.

6. Philosophi, et nominatim Trismegistus, lib. 4° sui Permandri, dicit unam esse unitatem increatam, generantem ceteros numeros, cum ab eis non creetur. Et Plotinus platonicus, illi in hoc consentiens, illud ipsum asseruit dicens : Vitam hominum beatorum in hac vita esse spernere delectationes inferiores, quae multis constituuntur rebus, et quaerere eum qui est unum, et despicere omnia propter unum solum. Proculus item platonicus dicebat nos fugere debere multitudinem rerum ad obtinendam veritatem simplicissimam, neque tantum multitudinem externarum rerum, sed etiam internarum, quae magis conturbant ac decipiunt. Et hi ipsi dicunt, quod per unitatem nos efficimur divini, quando videlicet separamus nos a multitudine rerum quae distrahunt mentem, et manemus uniti, per amorem, ei qui unus est. Quae cum philosophi dixerint et facere studuerint, quid faciemus nos religiosi ? Id igitur saltem conemur, ut in omnibus Deum amemus illique serviamus. Ille, ille centrum est, fratres mei, in quo anima nostra quiescere debet ; ille, ille est, qui desideria nostra bona aliquando satiabit et implebit ; sed ut hoc melius et perfectius faciamus, discutienda diligenter est conscientia nostra.

Non sine mysterio factum est, ut Gedeon locuturus cum angelo non inveniretur comedens, non ambulans, non negotia tractans ; non, inquam, apparuit ei angelus cum talia faceret, sed quando cribrabat triticum suum ;

(a) *et exilis am. Dei virtus.* B.

(1) Cfr. Ioann. 17, 21.

ut nimirum doceremur Deo nos non posse perfecte uniri et ab ipso amari, nisi pulveres et paleas affectionum nostrarum terrenarum excutiamus ; neque nos visitatum iri ab angelo, et gratiis denique donatum iri, nisi id faciamus. Frumentum Dei sumus, ut ait D. Ignatius in quadam epistola sua (1) ; Deus autem non vescitur nisi pane candido et mundo : « Dentibus, aiebat S. Martyr, bestiarum molar, ut panis mundus inveniar ».

7. Ad hanc purgationam faciendam proponuntur modo redditio rationis conscientiae, examen accuratius, mortificationes variae, ut abiciamus omnem paleam sensualitatis, quae facile transit ut stipula ante faciem ignis. Abiciamus pulverem cupiditatis, lapillos superbiae et ambitionis, si quid eius insideret in animis nostris, quod absit. Abiciuntur autem per paenitentiam et confessionem.

Dominus noluit filios Israel in deserto vivere ut in Aegypto, sed dedit eis alias leges, quas servarent ; ita oportet nos aliam et multo perfectiorem vitam in religione instituere, quam qui sunt in saeculo etiam valde boni ; neque debemus nobis solum, sed et proximis attendere, ut vitam habeant, et abundantius habeant. Neque nobis satis sit, ut illi sint cives caelestis Hierusalem, sed studeamus illos evehere bonis consiliis et auxiliis, ut evadant in ea divites et nobiles ; sicuti non satis est nobis habere domum qualemcumque, sed habere curamus commodam et amoenam : hoc autem curare opus est excellentissimum. Motus, aiunt philosophi, seu actio, nomen accipit et speciem ac dignitatem a termino ad quem ; reducere ergo animam ad Deum et ad gloriam beatam, egregiis ornatam virtutibus, opus est, ait D. Dionysius (2), omnium divinorum divinissimum, cooperari nimirum Deo in reductione animarum ad ipsum.

Aeterna Dei sapientia noverat exacte nobilitatem animarum ; propterea descendit de caelis ad miserias nostras, ut perditam ovem restitueret. Si quis rudis et ignarus videret mercatorem peritum ementem gemmam unam magno pretio, eam autem qui ignarus est gemmarum habere posset pretio vilissimo, nonne negotiatori fideret ? O Iesu dulcissime, animarum nostrarum amantissime ! redemisti, redemisti hanc animam meam miseram non auro et argento, sed pretioso sanguine tuo. Declarasti quanti facias unam quamque animam, et quanta sit nobilitas eius. Vocasti autem nos omnes, pientissime Domine, ad consectandam negotiationem tuam, ad lucrum animarum, et non credemus tibi dicenti : (3) *Si universum mundum*

(1) S. Ignatius. PG. t. 5. Epist. ad Rom. cap. 4. col. 690. (2) Dionysius. PG. t. 3 de Caelesti Hier. cap. 3, par. 2. col. 166 b. (3) Matth. 16, 26.

homo lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur, quid illi prodest ? Cernentes igitur, fratres carissimi, Christum Dominum tantum pretium impendisse redimendis singulis animabus nostris, cunctabimur nos per ignaviam eandem cum ipso inire negotiationem ? Et quae negotiatio, amabo, pulchrior esse potest ? Quid vero est, quidquid praestemus pro salute animarum, si illud componamus cum eo quod filius Dei fecit ? et quid sunt et esse possunt labores nostri, ad ipsius labores et cruciatus compositi ?

Excitemus et inflammemus nos tanto exemplo ad iuvandas animas ; sed meminerimus esse prius profectui nostro attendendum, ut simus instrumenta Spiritus sancti munda et concinna, adiuvante Christo Domino, qui semper praesto est. Facere debemus sicuti filii Israel in reaedificatione templi, qui una manu laborabant in aedificio, altera se protegebant ac defendebant : ita nos, una manu defendamus nos contra vitia et malos habitus ; altera aedificemus animas nostras et proximorum, easque pulchris virtutibus exornemus, ut Deo magis placeamus et crescat aedificium nostrum. D. Thomas dicit (1) habitus bonos acquisitos amitti posse tribus modis : 1° per frequentes actus contrarios ; 2° cessando ab operatione secundum illum habitum ; 3° raro vel remisse operando secundum habitum eundem. Patet id in habitu mathematicae, musicae et aliarum scientiarum. Ad consequendum autem bonos habitus, secundum D. Basilium, iuvant : 1° assiduitas subiectionis ; 2° consideratio propriae fragilitatis ; 3° continua aspiratio ad perfectiora. Quia vero voluntas Dei Opt. Max. regula esse debet nostrae voluntatis, eam ratio et iustum postulat ut sequamur in omnibus. Quidquid enim ipsa vult, bonum est, et propter bonum finem illud vult. Hinc fit, ut illa volutnas bona dicatur, quae est secundum voluntatem divinam, et ea melior sit quae illi est conformior. Haec autem conformitas non est intellegenda secundum aequiperantiam, quia hoc esset impossibile, sed secundum imitationem, quam, Deo iuvante, gratia sua facere possumus.

8. Sed desideratis, ni fallor, ex me cognoscere cur non omnes vota renovent, cum res tam utilis sit ; omnes[a] disponant se per paenitentias, mortificationes faciant atque confessiones generales, anni praecipue exordio ? Respondeo, ut vobis faciam satis, id nasci ex ipsis principiis Societatis. Sunt enim ex instituto ipso variae personarum classes : prima, noviciorum ; 2[a] scholarium ; 3[a] coadiutorum ; 4[a] denique professorum. Novicii non renovant, saltem publice et formaliter, quia vota non fecerunt ;

(a) Exactissime refertur scriptio utriusque codicis ; in neutro legitur « Cur non omnes... ».

(1) S. Thom. 1, 2[ae] q. 53. a. 3. c.

et si qui fecerunt, id fecerunt ex tolerantia superiorum, seu permissione. Permittitur enim ut aliqui ferventiores et iudicati constantiores privatim ea faciant, quando id multis precibus petunt. Renovatio autem est rei iam factae, et collabentis redintegratio. Domus dicitur renovari, quae vetustate et carie labefactata adit periculum ruinae, vel valde deformata est. Cum igitur novicii numquam ediderint vota secundum rationem integram instituti, non patet locus ipsis, nec ratio postulat ut renovent.

Studiosi seu scholares vota renovant; ita similiter coadiutores non formati, quia ea iam fecerunt, sed nondum stabiliti sunt firmiter in aliquo Societatis gradu. Qui vero formati sunt coadiutores non renovant, quia stabilem in Societate gradum et perfectionem seu stabilitatem suam obtinent inter gradus Societatis. Professi autem, quia omnino stabiliti et firmum locum et gradum sortiti sunt, non renovant, saltem publice; nam, ut privatim per se faciant, etiam cotidie, laudabile est et magni meriti.

Videor mihi, fratres carissimi, videre a Christo Domino hanc personarum nostrarum distinctionem in evangelio expressam fuisse. Revocate vobis ante oculos mentis turrim illam evangelicam, quam nobis designavit. Sunt etenim notati ab eo aliqui, qui sedent et sumptus computant, perpenduntque secum an sufficiant absolvendo operi; alii sunt qui strenue laborant et aedificant; alii denique iam opus absolverunt et consummarunt, ac perfecto opere pace fruuntur. Turris quam aedificandam suscepimus, est assecutio finis Societatis, vel si mavis, ut evadamus idonei operarii et cultores vineae Christi in Societate, et ad rationem instituti ipsius. Est siquidem hic finis et scopus ad quem omnes collimare debemus, et ad eum omnes nostras actiones referre. Qui ergo adhuc sunt novicii inter vos, perpendant opus est quantam turrim et quam excelsam aggredi et aedificare designaverint. Vos sedetis, fratres mei, quia nondum adhibemini officiis Societatis; vos examinatis vires vestras; vos iubemini bullas instituti, regulas, constitutiones, modum agendi serviendique Deo in Societate legere et expendere, atque ad earum lineam vires ac voluntates vestras examinare. Est autem illud computare in pace et quiete sumptus vobis necessarios, et an vobis vires sufficiant. Quid porro aliud est probatio prima et secunda nisi computatio ab eo, qui summe iustus est, ordinata et in Societate stabilita? Quid enim hactenus egistis in probationibus vestris, quam considerare altitudinem et praestantiam aedificii quod aggredimini.

Neque porro satis est, fratres, — ad novicios loquor — ut vos ipsi iudicetis de vestris facultatibus; sed etiam cautum est, ut architecti et eius qui praeest iudicium exspectetis. Is considerat an pecunia vestra legitima sit et probata, ideo ad lapidem lydium examinat diligenter: curat haberi lectiones et dari specimen contionandi, probari in culina, paeni-

tentias iniungi, saepe reprehendi, etiam interdum nulla incidente culpa, ut melius novicius probetur ; denique diligenter observat quomodo in omnibus se gerat.

Sacerdotes, qui neque professi neque formati coadiutores spirituales sunt, item[a] scholares atque coadiutores temporales non formati vota renovant, quia gradum stabilem non habent, et expositi sunt multis distractionibus, vel ob officia quae obeunt, vel ob studia quibus vacant, [ac][b] proinde votorum memoria posset aliquando facile debilitari et vocationis sapor interdum evanescere, nisi his adiumentis fulcirentur. Professi autem et coadiutores tam temporales quam spirituales formati non renovant, quia statum habent firmum.

9. Superest ut uno verbo dicamus quomodo nos parare debeamus ad hanc votorum renovationem. Debet igitur in primis praeire meditatio non de re qualibet, sed de re ad eam accommodata, ut de quibus rebus olim magis nos moveri sensimus, quando in electione inter meditandum ad Societatem nos determinavimus et Deo obtulimus. Accommodata videlicet esset meditatio de regno Christi, de duobus vexillis, de tribus gradibus humilitatis, de vocatione apostolorum, etc. — Secundo loco solet fieri aliqua exterior mortificatio, videlicet culinae inserviendo, vel in refectorio ad mensam, vel resignando in manu superioris quae cariora[c] nobis sunt. — Tertio peti solet aliqua paenitentia extra confessionem. — Quarto orationes particulares aliquae fiunt a singulis praeter ordinarias et communes[d]. — Quinto fit confessio generalis ab ultima sive proxime praeterita generali. — Sexto fit abstinentia pridie. — Septimo reddi solet ratio conscientiae.

Unus quisque ergo recogitet apud se quae sibi conveniant, et a superiore patreve spirituali directionem et consilium petat, ut in omnibus magis Deum glorificemus, qui dignatus est nos vocare meritis Christi Domini ac redemptoris nostri in admirabilem Societatem Iesu filii sui unigeniti, et abscondere ac collocare nos in abscondito tabernaculi sui. Amen.

(a) *Sac. neque pr. n. f. c. s. et.* B. (b) hanc particulam addimus. (c) *cara.* B. (d) *communiores.* B.

42ª Exhortatio

De salute et perfectione spirituali quae in Societate quaeritur

1. Licet non semel tractaverimus[a] de fine Societatis, qui est salus et perfectio tum animarum nostrarum tum proximorum, quae iugiter in Societate quaerenda est, quia tamen res est cognitu nobis tam necessaria, de eadem, et de dispositione quam ad eam curam habere debemus, hic rursum tractabimus, et primo quidem loco de fine, quia res est tam nobilis et praestans, ut ea tractatio debeat bonis omnibus esse optata et iucunda; quando quidem omnes actiones nostrae ad eum debent referri: propterea dicitur finis primus esse in intentione artificis, estque ut promptuarium quoddam scientiarum. Hinc fit, ut in scientiis moralibus, qualis est religio, finis primus in tractatione sit, ut qui paret viam ad Deum. Dicemus ergo de nostra salute et perfectione, et de ea quam in proximis quaerere et procurare debemus. Est etenim ille scopus, ad quem cogitationum nostrarum sagittas omnes destinare debemus, et ad eum in omnibus actionibus nostris collimare, nec umquam quiescere, donec illum assequamur. Sicuti videmus nauclerum animo non quiescere, sed perpetua urgeri sollicitudine, donec ad portum propositum perveniat: sic Societatis religiosus numquam cessare debet a conatu et studio virtutis ac disciplinae, quam diu in huius mundi pelago et mortalitate tenetur.

Sed petes: quid sibi vult « salus animae »? Respondeo: Ad hoc explanandum clarius, analogia salutis corporalis utemur. Quando ergo sternutat quis, quando praebibit seu propinat alteri, dici vulgo solet: sit saluti, hoc est, afferat tibi potus sanitatem. Corporis autem sanitas et valetudo satis nota et sensibilis est; animae valetudo, non ita; quia nemo scit odione an amore dignus sit, et saepe ab hominibus erratur dum reputant morbum spiritualem esse rectam valetudinem, et vitium virtutem. Nam liberalis ille saepe reputatur qui sua prodigit; ille prudens qui thesauros corradit; ille discretus et sapiens qui dissimulare novit et artificiosus atque callidus est. Virgines fatuae erant de suo statu securae; sanae tamen non erant, sicuti illae quae caritatis oleo ornaverunt lampades suas. Quid vero illae consecutae sunt et quis finis obtigit illis? Audierunt miserabilem illam contra se sententiam (1): *Clausa est ianua; nescio vos.*

(a) Quamquam in utroque codice scriptum est *tractavimus*.

(1) Matth. 25, 10. 12.

Corpus igitur dicitur habere salutem, seu sanitatem, quando potest libere exercere suas operationes naturales ; sic anima sana esse dicitur, quando exercere potest libere operationes sanctas et divinas, et quando illi bene est cum Deo et proximo. Sana est, quando bonam cognitionem Dei et magnum erga ipsum amorem habet, iuxta illud (1) : *Salus animae est in sanctitate iustitiae ; melior est omni auro et argento.*

Ut vero corporalis valetudinis varii sunt gradus, sic etiam varii sunt et sanitatis animae gradus. Nam sunt non nulli virtute et gratia vegeti et robusti, non nulli languidi et imbecilles, qui tenuem virtutem habent ; aliqui denique sunt emortui, vel morti proximi. Attendere igitur debet quisque nostrum, fratres, ut spiritu robustus sit, et valde cum Deo coniunctus, et amore ardens. Vis namque huius vocabuli « *perfectio* » integritatem denotat quandam ; haec autem est, quando anima ad supremum gradum amoris, quem in hac vita consequi potest, attingit. Nam ut dicit Apostolus (2) : *Caritas est vinculum perfectionis.*

Ingressus es, mi frater, religionem altera e duabus causis, vel ut si sanus, scilicet in gratia, non eras, studeres eam consequi : vel si gratiam Dei habebas, ut eam augeri precibus votisque ad Deum et bonis operibus studeres. Prior salus seu sanitas sufficere non debet religioso. Nam si nihil aliud praetendebat quam Dei gratiam aliquousque obtinere, in religionem ingredi non erat necessarium ; et status porro religionis requirit studium et curam pertingendi ad perfectionem. Saeculari fortassis minus improvide dicere liceret : sufficit mihi ut sim in gratia Dei, et ut servando praecepta salvus fiam. At religioso illud non satis est, ut qui suo statu religionis profiteatur se ad perfectionem aspirare. Et ut sacri doctores distinguunt, status episcopi et religiosi in hoc differunt, quod religiosus in via est ad perfectionem acquirendam ; episcopus in statu est acquisitae, non acquirendae perfectionis, et debet episcopus scire gubernare et dirigere animas. Quocirca religiosus, quo die dicit « mihi satis est » et cessat ad perfectionem tendere, retrogreditur ; et diem illum quo processus ad perfectionem non fecit, sibi periisse aestimare debet.

2. Perfectio autem sanitatis duplex consideratur, nam una est huius peregrinationis, quae est fidei et caritatis non consummatae ; altera est futurae vitae, quae Deo propitio in caelo concedetur, quando beata visione Dei in perfecta et consummata caritate frui dabitur. In hac mortalitate pervenisse dicimur ad integritatem seu perfectionem, quando Dei gratia et ope datum est pervenire ad summum gradum amoris, qui hic haberi potest : summum, dico, non perfectionis intensivae, cum

(1) Eccli. 30,15. (2) Coloss. 3,14.

caritas semper possit crescere in hac vita, sed modi diligendi, nimirum cum ipsum super omnia et omnia in ipso et propter ipsum dumtaxat diligentes, ipsi, quantum fragilitas huius vitae permittit, cogitatione, affectu et operatione inhaeremus, qui sane gradus ceterarum quoque virtutum omnium societatem requirit. Non ergo omnis qui bonus est, ille perfectus est censendus, sed qui eminenter in conspectu Dei bonus est : sicuti in silva arbor, quae ceteras aequat et aeque procera et patula est, non est omnium perfectissima et praestantissima, sed quae altitudine, ramorum copia et amplitudine, soliditate ac rectitudine ceteris praecellit. Ita religiosus debet omni ex parte esse absolutus, et in omni genere virtutum esse perfectus, et id quidem ex instituti sui fine et scopo.

Iam videamus cuius proximi salutem et perfectionem curare debemus? Quis, inquam, est ille proximus noster? Sane quicumque secundum Deum iuvari a nobis potest. Exemplo nobis sit Samaritanus, qui proximum se agnovisse re ipsa docuit, quem a sacerdote et levita neglectum, saucium et semivivum suscepit, oleo et vino fovit eius vulnera, fasciis alligavit, et ad stabulum denique equo impositum devexit. Angeli et beati non sunt hoc loco censendi proximi nostri, quia non sunt in necessitate, nec egent nostro auxilio ; similiter et damnati non sunt proximi nostri, quia nec volunt nec possunt ad salutem iuvari ; sed homo omnis cuiusvis condicionis, cuiusvis nationis, etc. proximus est, et iuvari debet quando eget, in quocumque statu sit, quovis tempore, quovis loco, quibuscumque potest mediis. Et hoc quidem officium caritatis illi debet ex instituto homo Societatis quilibet. Quare debet habere magnam latitudinem cordis, sicut Deus dedit Salomoni, quando in regem electus Deo se commendavit (1) : *Dedit enim ei latitudinem cordis, quasi arenam, quae est in litore maris.*

Diligere vero *proximum* debes *sicut te ipsum* (2). Hoc enim praecepto omnes tenemur. Est autem dilectionis officium, desiderare et procurare ut proximus amet Deum super omnia et perfectus sit, ac demum salutem consequatur aeternam. Sicut D. Augustinus locum illum exponit (3).

3. Sunt autem duo genera hominum cum quibus versamur : uni sunt liberi et nullo vinculo religionis astricti, alii sunt religiosi. Prioribus consulere debemus, et eos etiam iuvare ut Dei praecepta bene servent, et ut servent etiam consilia secundum suam condicionem et statum.

(1) 3 Reg. 4, 29. (2) Cfr Matth. 5, 43 ; 9, 19 ; 22, 39. (3) S. Augusт. PL. t. 34 de Doctr. Christ. lib. 1. cap. 22, n. 21 extr. col. 27. Cfr. t. 41 de Civ. Dei. lib. 10. cap. 3. n. 2 a. f. col. 281.

Religiosis autem, legibus astrictis peculiaris alicuius instituti, consulere debemus ut bene servent suas regulas, et ut secundum suum institutum allaborent ut perfecti evadant. Nec excusatur homo Societatis qui adhibetur ad ministeria eius, quando proximi non accedunt ad ipsum, — quod contingere potest per verecundiam vel ignaviam — sed exspectare eos debet sacerdos, dum est in sede confessionaria, patienter, licet non habeat ibi quod agat — quia illud accidere potest ad breve tempus — et interdum aliquid legere, vel orare, vel demum quaerere misellos rusticos et alios, ut accedant et instituantur in rebus fidei. Sic enim fecisse Christum legimus, qui venerat quaerere et salvum facere quod perierat.

Societas operam suam debet primo christianis, deinde iudaeis et infidelibus, graecis et latinis; eoque tendunt omnia studia Societatis, et ea omnes amare et alacriter consectari debemus. Labores scholarum, indefessus item labor sacerdotum, coadiutorum temporalium sudores, superiorum vigilantia, ad perfectionem animarum sunt instituta. Nullum enim Deo carius officium, nullum excelsius, nullum nobilius eo quod unigenito filio Deus tribuit. Hoc Christus benigne amplexatus est, ut animas a peccatis revocaret, et diaboli laqueis eriperet. *Venit,* inquit Paulus (1), *peccatores salvos facere;* et dilectus discipulus dicit (2): *Venit Filius, ut opera diaboli dissolveret.*

4. Hoc porro ministerium quod dedit Deus filio, dedit et Societati, et ad illud rite fructuoseque praestandum praesidia item dedit maxima. Dum de hac gratia data Societati aliquando meditor, laetitia et admiratione perfundor. Videtur enim mihi Deus voluisse Societatem habere aliquid eximii, quod eam universis hominibus faceret amabilem, ut universum hominum genus commodius iuvaret[a]. Hinc cernimus, non sine singulari divinae providentiae gratia omnes hominum status plurimum Societati tribuere et deferre, atque cuilibet eius alumno. Omnes habent insignem de Societatis hominibus opinionem; opinionem, inquam, prudentiae, pietatis, doctrinae ac sanctimoniae: magni et parvi, docti et indocti, principes et plebei, Pontifices et Praelati Societatis hominibus passim deferunt; sed iis praesertim, quos vident doctos et spirituales esse, ac spiritum Societatis habere. Summa videtur mihi Deus tribuisse Societati eas qualitates et dona, quae dedisse legimus sanctis suis antiquis. Considerate, quaeso, fratres mei, sanctos Prophetas: nonne ipsi ut angeli purgati exstiterunt et illuminati? erant in amore Dei perfecti, ege-

(a) *et un. h. g. com. iuvare.* B.

(1) 1 Timot. 1, 15. (2) Cfr. 1 Ioann. 3, 8.

runt vitam immaculatam, puram et mundam ad instar angelorum Dei ; non fuerunt alligati rebus terrenis, non sunt consectati honores mundi, non commoda quaesierunt carnis suae ; sed ut erant multum instructi rebus divinis et de illis libenter loquebantur, semper ferventes erant et amore Dei inflammati ; deinde, ut angeli, conabantur proximos purgare, illuminare et perficere. Omnes vero qui eos videbant vel audiebant, libenter eos sequebantur.

5. Illi vero, absque ulla acceptatione et differentia personarum, semper fuerunt solliciti 1° ut mundarent et purgarent corda eorum ab omni impuritate peccati ; 2° ut illuminarent et docerent quosque res divinas, quaerentes atque usurpantes omnem occasionem id faciendi ; 3° ut eos accenderent et inflammarent amore Dei, — quod erat eos perficere — declarantes nimirum vim et praestantiam virtutis ac perfectionis, conantes semper eos promovere ad altiorem perfectionis gradum. Atque, ut similis similem amat semperque ipsum quaerit, sic omnes boni qui eo erant tempore, ipsis se semper adiunxerunt, crediderunt que rebus quas ipsi annuntiabant. Contra vero, contrarium semper fugit contrarium. Nemo nescit prophetas et reliquos sanctos a malis semper pertulisse persecutiones et importunas molestias ; sed ut res Dei sunt permanentes et aeternae, ita semper sunt victoriam consecuti. Licet vero e vivis sint sublati per improbos, evaserunt tamen superiores, et causa eorum spiritualis, ipsorum propositum et confessio, semper manserunt firma et inconcussa. Idem cernere in sanctis apostolis licet, qui magis fuerunt purgati quam ceteri, et adeo illuminati, ut totus mundus ab eis lumen fidei et disciplinam morum acceperit ; tanto amore accensi fuerunt, ut liquefieri viderentur prae desiderio salutis proximorum. *Cotidie,* inquit (1), *morior per vestram gloriam.* Item (2) : *Omnia arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam.* Item (3) : *Vivo autem, iam non ego, vivit vero in me Christus.* Item (4) : *Optabam anathema esse pro fratribus meis.*

6. Iam dicemus pauca de iis quae nos movere debent ad amorem et studium Societatis. Haec assequemur consideratione, facto discursu cum ponderatione et affectu per singulas eius partes. Nam ex felici statu quem nacti sumus, voluntas exseret se ad amandum et cooperandum cum aliis, ut felicior et fructuosior exsistat ; sicut ille, qui iure hereditario aut pretio, aut alia ratione praedium acquisivit, considerat cum suavitate eius situm, elegantiam areolarum et viarum, arborum amoenitatem, fructuum varietatem et copiam, aliaque commoda quae ex eo capiat ; deinde

(1) 1 Cor., 15, 31. (2) Philip. 3, 8. (3) Galat. 2, 20. (4) Rom. 9, 3.

cum admiratione apud se reputat : o ! quam egregiam hereditatem nactus sum ! Sic nos, fratres carissimi, admirabundi exclamemus : O ! quam egregiam hereditatem adeptus sum a Domino ! Ubi ante eram ? quid tractabam ? quod consortium mihi tunc erat, et quod nunc ? O quantam copiam fructuum ex hoc praedio spiritualium[a] referre possum ! Deinde consideret unus quisque nostrum singulas partes Societatis, personarum insignem doctrinam, raram prudentiam et modestiam, cultum Dei purissimum. Ex his perfundatur gaudio et laetitia indicibili necessum est.

Ut vero descendam propius ad singula, tria occurrunt quae causam insignem nobis praebent gaudii et actionis gratiarum. Primum nobis commune est cum aliis religionibus approbatis, quod scilicet ad statum perfectionis a Deo vocati et admissi simus. Secundum peculiare nobis est, quod finem habeamus in Societate perfectissimum, et qui consentaneus est illi quem filius Dei, Christus Dominus, accepit a patre, nimirum gloria tum propria, tum proximorum. Tertium, quod in ea congregatione sumus, quam Deus hoc saeculo nequam ad ecclesiae catholicae conservationem et propagationem instituit, atque insignibus regulis constitutionibusque firmavit, ut omnes intellegerent ipsius opus esse peculiare, et possessionem ipsi valde caram.

7. Quod ad primum attinet, constat religionem esse, et statum religionis a Sede apostolica institutum et confirmatum. Successus etiam laetitiam nobis merito ingenerat, quia continet manifesta indicia et argumenta dilectionis Dei erga Societatem. Et prior quidem consideratio et causa admirationis est, tanta eius amplificatio et dilatatio tum in personis tum in domibus et collegiis. Altera est copia maxima fructus, qui reportatur ex conversione gentium et peccatorum in horreum Domini, quem Deus proventum colligit per Societatem ex omnibus fere orbis partibus et nationibus, ad quas vix quisquam ante causa religionis christianae perrexerat. Considera inter infideles quantos processus fecit evangelium Christi per nostros annuntiatum in Indiis orientalibus et occidentalibus, in Brasilia et Peruana, apud Aethiopes et alias Africae provincias, ad Chinas denique et Iapones ; quot regna, quot populi lucem evangelii acceperunt, et collum suavi iugo Christi submiserunt. Ob haec, inquam, fratres carissimi, et ob alia quae afferri possent et vos non latent, Deo ingentes gratias agere debemus. Tua enim dona sunt, bone Deus ! quia fecisti nos, et non ipsi nos. Agimus proinde tibi quantas possumus gratias, et ut continenter hanc Societatem minimam iuves ac promoveas, per Christum dilectum filium tuum obsecramus.

(a) B prius legerat *spirituali*, sc. praedio ; postea supra lin. addidit *um*.

8. Sed cavendum nobis nihilo minus, fratres carissimi, ne dum aliorum fructum consideramus, et de eo voluptatem capimus, spectatores tantum simus, non cooperatores. Timendum enim ne in terra sancta et in vinea Domini, inter egregios cultores, inertes et ignavi inveniamur. Nam, quo dignior est status quo a Deo donati sumus, hoc maius periculum adimus offensionis eius, si exspectationi non respondeamus. Displicet enim vehementer Deo ingratitudo. Consideremus nos[a] non vocatos esse ab hominibus, sed a Deo. Quocirca non decet ignavos nos esse in laboribus, inertes in acie, manus gerere complicatas ; nam ignavia quae in religione, et religione quidem tali, admittitur, turpior est. Periculosiora sunt vulnera quae in hac militia per ignaviam accipiuntur, quam quae accepissemus ante ingressum.

Timendum quoque nobis est et advigilandum, quia daemones religiosis sollicitius acriusque insidiantur, eosque impugnant quam alios. Unde cuidam sancto Patri ostensa scribitur ipsi ingens daemonum multitudo, qui quandam domum religiosorum oppugnabant. Causa autem ei revelata fuit, quod homines peccatores et saeculares iam tamquam suos amicos et servos, pauci daemones in statu damnationis detinent ; pios vero et religiosos viros, sub protectione Dei vitam degentes, multi quidem et acriter hostes maligni impugnant, ut in peccatum pertrahant, et lapsos in peccato retineant, ut post lapsum sordescant magis. Alteri in visione ostensum fuit daemonium in inferno cum triumpho exceptum, quod post multorum, id est quadraginta annorum, oppugnationem, virum quendam solitarium ad peccatum mortale traxisset. Haec porro, fratres carissimi, excellentiam status religiosi, atque in eo degentium felicitatem declarant. Docemur etiam per haec exempla magna diligentia et cautione nobis utendum esse, qui tamquam agni in medio luporum versamur, iuxta illud : (1) *Beatus homo, qui semper est pavidus.* Sed illud erigere nos debet, quod Christum habeamus Dominum semper paratum ad opitulandum, neque umquam nos deseret, si devote imploremus eius auxilium et opem ; alioqui, si indevoti et remissi exstiteremus, periculum est ne de nobis illud dicatur : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua* (2). *In timore igitur et tremore salutem nostram operemur* (3). Quod nobis concedat Dominus per merita passionis suae.

(a) *nos.* om. B.

(1) Prov. 28, 14. (2) Eccli. 27, 4. (3) Cfr. Philip. 2, 12.

43ª Exhortatio

DE PERFECTIONE : QUID ILLA SIT ; IN QUO CONSISTAT ; QUAE AD EAM IUVENT, ET QUAE AB EA IMPEDIANT

1. Cum Deus natura sua bonus sit, immo bonitas ipsa, summa et infinita, et per consequens communicabilis et in donis suis tam effusus, maxime vero ut det creaturis suis perfectionem cuius secundum naturam suam sunt capaces : mirum sane est tam paucos homines, praesertim religiosos, ad eam perfectionem aspirare, ad quam apti sunt facti tum per propriam naturam rationalem, tum maxime per gratiam, quae est naturae divinae supernaturalis participatio, *Per quam*, D. Petrus ait (1), *divinae naturae consortes efficimur.*

Constat autem hoc non evenire ex parte Dei ; ipse quippe ad perfectionem nos hortatur, et eam utique paratus est nobis communicare : *Perfecti*, inquit (2), *estote, sicut Pater vester caelestis perfectus est.* Ipse vero solus eam nobis potest conferre, qui summa est veritas, maxime in promissis, sicuti est bonitas summa. Culpa igitur nostra defectus hic contingit, qui licet vocati ad statum perfectionis, et ad religionem nomine ipsius insignitam, et quae pro fine suo perfectionem habet, non cooperamur divinae providentiae, ut par esset, ad nostram perfectionem acquirendam.

2. Iam videamus quid sit ipsa perfectio, et in quo consistat.

Perfectum, iuxta Aristotelem in metaphysicis (3), illud est, cui nihil deest de pertinentibus ad ipsius naturam. Cuius generis perfectio, cui nihil desit in creatura rationali, non in hac vita requirenda est, sed in beata, quae ultimam consummationem vel perfectionem continet. Sed de perfectione quae in hac vita obtineri potest, nobis est sermo. Duas igitur condiciones habere illam oportet. Altera est ut sit bonum eiusmodi, quod habentem maxime perficiat, et Deo quam maxime gratum in hac vita reddat. Altera, ut ad aeternam et consummatam perfectionem nostram, et in qua maxime Deo placeamus, consequendam, quam maxime nos iuvet. Hanc igitur perfectionem, quae ut finis et scopus in hac vita nobis est constitutus, ut omnes actiones nostrae ad eum colliment, quidam doctores puritati cordis assignarunt ; sed haec potius est dispositio ad perfectionem, quae purgatis mentibus a Deo datur. Alii virtuti assignant infusae ; sed

(1) Cfr. 2 Petr. 1, 4. (2) Matth. 5, 48. (3) ARISTOT. Metaph. l. 9, cap. 4 in. (Didot tom. 2, p. 578 lin. 10 sq.).

D. Thomas cum aliis doctoribus magis probat ut gratiae assignetur, quae primum et praestantissimum Dei donum est, quo suo conditori grata et accepta reddatur creatura rationalis, et quo ad bene operandum et ad felicitatem aeternam promerendam idoneos et condignos nos efficiat. Unde etiam describitur gratia haec « donum a Deo gratis datum, quod habentem Deo gratum efficit, et opus eius Deo reddit acceptum. » Vide S. Thomam (1) qui docet, quod forma gratiae gratum facientis et virtutis infusae realiter distinguantur, et non sit qualitas eadem, sicut Magister sententiarum sensit.

3. Est enim gratia in ipsa substantia animae ; virtutes autem infusae et caritas in ipsis facultatibus et potentiis animae. Nam per gratiam vivimus secundum Deum ; per caritatem, sive per virtutes infusas operamur. Et sane gratia habet generaliorem influxum quam virtus. Effectus enim gratiae est facere gratum Deo eam habentem, et dignum vita aeterna, ut in infante per baptismum fit ; effectus autem virtutis est elicere actus meritorios de potentia, quod non fit, nisi post acceptum usum rationis. Quem ad modum autem res ponitur in esse naturali specifico per formam substantialem, deinde per potentias et habitus acquisitos idonea redditur ad naturales operationes : ita creatura rationalis ponitur in esse supernaturali et deiformi, ad promerendam vitam aeternam per gratiam gratum facientem ; per virtutes autem et dona apta redditur ad actus meritorios. Consentit huic sententiae D. Bonaventura in Breviloquio. Gratia autem est supernaturalis habitus infusus, essentiam rationalis creaturae immediate perficiens et in esse deiformi constituens, qua assimilatur supernaturaliter divinae essentiae. Et ut ait D. Petrus (2), divinae consors naturae efficitur, elevatque ipsas potentias naturales ad habitus deiformes infusos, ex quibus actiones etiam deiformes eliciuntur. Quamvis autem distinctos esse sentiamus habitus gratiae et virtutis, haec tamen perfectio de qua nobis sermo est, in habitu et actibus virtutis primae et summae, scilicet caritatis, constituenda est. Nam caritas includit gratiam ut radicem, et addit truncum et fructus, habitum scilicet perfectivum voluntatis, et actiones dilectionis Dei ab eo habitu prodeuntes. Unde S. Bonaventura, ubi supra, dicit quod sicut principium productivum summa sua perfectione dando vitam naturae, non tantum dat vivere quoad esse primum, verum etiam quoad actum secundum, qui est operari : sic principium reparativum tribuit vitam spiritui rationali in esse gratuito, quantum ad esse et quantum ad operari. Hinc una gratia vivificans, quantum ad primam vitam, quae est esse spirituale, necesse habet extendere ramos

(1) S. Thom. 1ª 2ae q. 110, a. 3. c. (2) Supra, p. 312, nota 1.

varios habituum virtutum ac donorum supernaturalium propter operationes diversas. Non est autem intellegendum, quod gratia producat virtutes infusas, sicut radix, — Deus enim infundit eas immediate simul cum gratia quoad habitum — sed quantum ad conexionem et condependentiam. Virtutes igitur gratiam ordine naturae praesupponunt.

Merito igitur in caritate et eius actibus perfectio nostra sita esse dicitur in hac vita. Accedunt vero et aliae variae causae et rationes.

4. Prima, quia caritas ceteras virtutes antecellit; cum enim theologicae ceteras praecedant, caritas tamen inter illas principatum tenet. Unde Apostolus, cum dixisset (1) : *Nunc autem manent fides, spes, charitas : tria haec,* continuo subdit : *maior autem horum est caritas.* Et B. Petrus (2) : *Ante omnia, mutuam in vobismet ipsis caritatem continuam habentes ;* et D. Paulus eam vocat *vinculum perfectionis* (3).

Secunda, quia iuxta mensuram caritatis placemus Deo, et praemia vitae aeternae sortimur ; nam, iuxta communem doctorum sententiam, praemium essentiale in caelo correspondet caritatis perfectioni ; proinde quisque tanto maior erit in gloria aeterna quanto amplius hic caritate ferbuerit, et perfectior in Dei amore exstiterit ; unde D. Augustinus : non numerositas operum, non diuturnitas temporum, sed maior caritas meritum auget et praemium.

Tertia, quia omnia praecepta legis divinae et humanae ad caritatem ordinantur ; hinc illud (4) : *Plenitudo legis est dilectio* ; et (5) : *Finis praecepti est caritas de corde puro, et conscientia bona, et fide non ficta ;* id est : finalis perfectio, et consummatio ultimata legis divinae et omnium praeceptorum utriusque testamenti est caritas, id est, actualis dilectio Dei — nam habitus caritatis ad actum ordinatur — procedens « de corde puro » id est, appetitu interno seu voluntate a passionibus et vitiis purgata, et « conscientia bona », id est, cognitione intellectus sincera, et « fide non ficta », quia ex actu verae fidei procedit vera dilectio. Ideo Christus apud Matthaeum (6) eam vocat primum et maximum mandatum, Deum videlicet ex toto corde, ex tota anima diligere ; et quia ex dilectione Dei et proximi pendet tota lex et prophetae. Quod patet ex enumeratione praeceptorum, ad quae omnes tenentur ; quia per ea vitantur quae viam ad salutem aeternam impediunt, scilicet peccata mortalia, quae caritati contraria sunt ; et ea implentur quae ad salutem aeternam sunt necessaria erga Deum et proximos, ut sunt actus caritatis et iustitiae, aliarumque virtutum, quae caritati Dei et proximi deserviunt. Et haec quidem via

(1) 1 Cor. 13, 13. (2) 1 Petr. 4, 8. (3) Coloss. 3, 14. (4) Rom. 13, 10.
(5) 1 Timot. 1, 5. (6) Cfr. Matth. 22, 38.

communis est omnibus a Deo proposita ; dicitur enim (1) : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata.*

5. Quarta, quia omnia consilia evangelica ad caritatis perfectionem ordinantur ; et haec altera via est, quam proposuit Christus ei qui praecepta se servasse responderat. Dicit enim ei (2) : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes .., et veni, sequere me.* Per hanc enim consiliorum viam, etiam ea vitantur quae indirecte impediunt a salutis adeptione ac difficultatem pariunt ut bene agas, quia caritatem frequenter deminuunt ; cuiusmodi sunt bonorum terrenorum possessio, uxor, consanguinei, carnis voluptates, nec non et propria libertas. Ideo Christus consuluit haec relinquere, ut maiore compendio et securius ac perfectius ad vitam aeternam perveniamus, dum impedimenta caritatis perfectae removemus.

Huc autem pertinent ingressus religionis, trium votorum essentialium observatio ; spectant etenim haec ad statum perfectionis. Nam, secundum D. Thomae sententiam (3), ex intentione finis dignitas et praestantia status perfectionis sumitur, ad quem status religionis tendit ; is autem est perfecta caritas. Duobus vero modis haec iuvant ad caritatem perfectam. Prior est removere occasionem, quam habere solet humanus affectus, adhaerendi huiusmodi rebus terrenis et vilibus, si eas praesentes habuerit, et earum occasione peccandi. Posterior est removere sollicitudinem et occupationem quam huiusmodi res possessae secum afferre solent ; ex quo sequitur ut cor nostrum non tendat perfecte et toto conatu ad Dei amorem. Ad priorem modum pertinent tria nostra vota ; nam divitiarum et honorum cupiditas per paupertatem, concupiscentia delectationum sensualium per castitatem, inordinatio propriae voluntatis per oboedientiam removetur. Ad posteriorem, videlicet sollicitudinem et occupationem saecularem tollendam, eadem iuvant ; nam magna esse solet vis in acquirendis, conservandis, augendis, dispensandisque bonis terrenis : excluditur vero per paupertatem voluntariam ; vel in gubernatione uxoris, filiorum, familiae : removetur porro per castitatem ; vel in dispositione proprii status et actionum : et haec excluditur per oboedientiam, qua quis Dei gubernationi per superiores subicitur ; et iis impedimentis remotis, ad quietem animi et puritatem, ac consequenter ad caritatis perfectionem, melius et expeditius religiosi tendunt.

Non sunt quidem ex se mala bona temporalia seu eorum possessio, si quis servat illud Prophetae (4) : *Divitiae si affluant, nolite cor apponere.* Nec malum est ex se habere uxorem, sed ei qui illud Pauli observare potest (5) :

(1) Matth., 19 17. (2) Matth. 19, 20. (3) S. Thom. 2 2ae q. 184, a. 1. c ; et q. 186. a. 1. c. (4) Psalm. 61, 11. (5) 1 Cor. 7, 29.

Qui habent uxores, tamquam non habentes sint. Quia vero affectus, occupatio et sollicitudo terrena perdifficile frenatur[a], et obstacula puritati, quieti et spirituali profectui in divino amore ponunt, et frequenter intepescere, et interdum etiam omnino exstingui caritatem faciunt, ideo sapientia aeterna consuluit ea relinquere. Quam difficile, ait (1), qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt. Et Apostolus de coniugatis dicit (2) : *Qui cum uxore est, sollicitus est quae sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est.* Quin etiam in religiosis viris, si amor erga parentes et affectus non sit spiritualis et non bene temperetur, a vera et perfecta caritate multum impedit. Unde Antisiodorensis, parte 3ª summae: In via, amor carnalis impedit caritatem et ne efficiatur omnino spiritualis, quoniam occupatur ad carnalem eius praesentiam quem diligit, ut patet in apostolis ipsis adhuc infirmis, qui amore carnali, quo tenebantur erga Christum dum eius corporali praesentia fruebantur, ita impediebantur a perfectione, ut non possent in tali statu recipere Spiritum sanctum ad robur et constantiam animi. Ideo Christus ait (3) : *Expedit vobis ut ego vadam ; si enim non abiero, paraclitus non veniet ad vos.* Sic etiam consuluit propriam voluntatem abnegare ; non quod malum sit in se, uti suo arbitrio[b], sed quod multa et magna vitia soleant nasci ex tali usu, ideo oboedientiae freno illud restringere consuluit. Raro etenim quis se ipsum bene regere potest ; et abundantiore gratia opus est, ut quis inter saeculares occasiones perfectionem caritatis consequatur. Nihil ergo melius est quam eas relinquere.

6. Quinta cur in caritate perfectio nostra constituatur est, quod ipsa virtutum mater est et regina ; immo et vita, et forma earum. Et ita merito earundem est finis, et[c] omnium virtutum actus ab ea sunt dirigendi, ut per eos in Dei dilectione magis accendamur, et in ipso habitu caritatis magis roboremur et stabiliamur. Matrem quidem dixi et reginam ac imperatricem esse caritatem ceterarum virtutum, non quia eas generet, sed quia omnes iuvat propter Deum et a Deo impetrare facit, et actus earum imperat etiam perfectissimos, et ad earum profectum excitat, ut per eas Deo magis placeamus. Ita sobrietatem, castitatem angelicam, patientiam constantem, fortitudinem excellentem, iustitiam, pietatem, misericordiae opera spiritualia et corporalia, orationem, et omnia denique quae ad Dei cultum pertinent, assumit, promovet et perfecte in Dei amore firmat. Dixi formam esse et vitam virtutum ; quia, ut omnes doctores sentiunt, habitus aliarum virtutum moralium, immo et theologicarum, et actus earum, si caritate

(a) Sic in cod. utroque : *frenatur*, ponunt, faciunt. (b) *non quod malum sit, in se uti arbitrio suo.* B. (c) *et.* om. B.

(1) Cfr. Matth. 19, 23 ; Luc. 18, 24. (2) 1 Cor. 7, 33. (7) Ioann. 16, 7.

non informentur, vere non placent Deo nec promerentur vitam aeternam ; quia pretiosissimus virtutum omnium valor et pretium, ac vera ratio placendi Deo, ex caritate sumitur. Quare ne martyrium quidem valet ad vitam aeternam, nisi caritatis virtute fulciatur. Hinc Alexander de Hales et Antisiodorensis affirmant, quod si quis ex fide informi et timore omnino servili sustineret propter fidem mortis supplicium, nihilo minus damnaretur. Quae sententia consonat cum sententia Apostoli (1) : *Si distribuero omnes facultates meas, et si tradidero corpus meum... caritatem autem non habuero,... nihil mihi prodest,* ad salutem scilicet aeternam.

7. Merito igitur caritas dicitur vita spiritualis animae et vivificatrix virtutum. Quare serio nobis invigilandum est ne quid peccati patiamur in cordibus nostris insidere. Quod si fratrem fortassis offenderimus, relicto munere ante altare adeamus ad eum, ut reconcilietur nobis, iuxta Christi mandatum (2).

Ardere caritate studeatis, fratres mei, et lucere bonis exemplis ad mutuam aedificationem, et ut domus tota sancta vestra conversatione resplendeat, ut quae vase alabastri pleno pretiosissimi odoris repleatur ; quod facietis, si finem instituti nostri indefesso studio sectabimini. Sic omnes tam externos quam domesticos attrahetis ad vos, immo potius ad Christum Dominum. Sunt enim qui ad se trahunt proximos, ut gratiam humanam sibi concilient ; sed illud non est Christum imitari, neque finem nostri Instituti quaerere. Christus omnes trahebat ad Patrem, qui poterat ad se trahere ; dixit enim (3) : *Ego et Pater unum sumus ;* sed exemplum voluit dare nobis, ut, quem ad modum ipse fecit, ita et nos faciamus. Huc igitur, omnes rogo per Christi Domini viscera, omnes vestras curas et sollicitudines conferte, ut veri cultores Dei, imitatores autem Christi dicamini et exsistatis. Nihil enim eo studio vobis utilius, nihil honorificentius esse potest. Considerate Sanctos omnes eminentiores, et videbitis studuisse tota vita exhibere se omnibus in omni virtutum genere conspicuos. Divina maiestas et bonitas, sapientia, potentia, gloria, id a nobis famulis suis exigunt. Hoc postulant innumera quae ab ipso accepimus beneficia. Totum enim quod sumus, quod habemus, ipsi acceptum referre debemus. Ita faciamus, fratres carissimi, et Deus erit nobiscum.

(1) 1 Cor. 13, 3. (2) Cfr. Matth. 5, 24. (3) Ioann. 10, 30.

44ª Exhortatio

De caritate : quid ipsa sit ; qui actus eius ; quo ordine et modo Deus et proximus sint diligendi

1. Caritas est dilectio, qua diligitur Deus propter se et proximum propter Deum. Sed haec definitio actum potius caritatis quam habitum exprimit. Sic exactius definietur: quod nimirum virtus sit infusa et summa, voluntatem directe perficiens, per quam Deus propter suam bonitatem super omnia diligitur, et cetera, spiritualiter ; vel, si mavis : caritas est virtus infusa, qua Deus propter se, et propter Deum cetera ut oportet diliguntur. Est enim caritas amicitia quaedam divina, quae tria includit : primum, benevolentiam, qua amico bonum propter ipsum, non tantum propter nos volumus ; secundum, mutuam redamationem ; tertium, communicationem cum amato in supremis animae bonis, scilicet in consortio divinae naturae, ac beatitudinis participatione. Et in hac quidem communicatione virtus caritatis, sive amicitiae divinae fundatur.

2. Sex porro sunt actus caritatis erga Deum. Primus est velle Deo, seu Deo gratulari infinitam ipsius bonitatem, sapientiam, potentiam, immensitatem, pulchritudinem, aeternitatem, gloriam, perfectionem, felicitatem absolutissimam, quam habet et habuit a se ipso et in se ipso ante mundi constitutionem, et congaudere cum ipso de immensa eius maiestate et perfectione.

Secundus actus est ipsi velle omne bonum quod habet, collatione facta ad creaturas ; videlicet excellentiam immensam super omnes in omni perfectione, quando quidem ab ipso, ut a causa et fonte omnium bonorum, habeant suum esse et bene esse, et ab eodem in utroque conserventur pendeantque ; et consequenter dominium et potestatem omnimodam super universa creata ; gubernationem praeterea, quae fortiter et suaviter a fine usque ad finem attingit (1), et ad suos fines omnia perducit ; quando quidem, iuxta D. Augustini verba (2), in hoc universo nihil fiat, nisi secundum ordinationem permissionemve iustissimam, sapientissimam, optimamque a divinae providentiae aula provenientem. Et de his bonis ei congratulari, complacentiam et gaudium ad eius gloriam concipere [a]. Congra-

(a) *percipere*. B.

(1) Sap. 8, 1. (2) S. Augusr. PL. t. 32 de Ordine. col. 977 sqq., et variis locis, ut t. 37 col. 1946. n. 12 ; t. 38. col. 70 extr. ; t. 40 Enchir. cap. 100 sq. col. 279.

tulari etiam illi, quod tam sapiens et potens sit, ut nullae omnino creaturae eius consilia et iudicia impedire possint.

Tertius actus est honorem et gloriam ipsi velle. Nam ipse ad huiusmodi honorem et gloriam suam omnia condidit, ut ad finem ultimum (1) : *Universa enim propter semet ipsum operatus est Dominus ;* et *omnia,* inquit psalmista (2), *serviunt tibi.* Ideo velle debemus et procurare ut ab omnibus honorificetur Deus. Nec solum per nos ipsos id curare debemus, sed, ut passim constitutiones et institutum nostrum praescribunt, procurare impense etiam debemus ut alii id quoque faciant ; et ut totus mundus, quatenus in nobis est, Deum honoret et infinitam eius maiestatem glorificet, et amorem et cultum debitum omnes impendant. Nam Augustinus dicit (3) : illum esse maiorem in caritate, qui plures ad Dei cultum inducit.

Quartus actus ex eodem principio deductus est, ut sit nobis cum Deo ipso idem velle et idem nolle, et bonum felicitatis aeternae velle nobis ipsis, quod hoc velit Deus ut velimus ; et ita caritatis actus est, amare et desiderare Dei gloriosam praesentiam et clarissimum eius vultum intueri in aeterna felicitate, et etiam in hac vita, quatenus haberi potest per gratiam et caritatis ac sapientiae dona ; idque eo fine ut Deus in creatura sua glorificetur.

Quintus actus, qui ex eodem etiam principio promanat, est quod, cum iuxta B. Ioannis doctrinam hoc mandatum habeamus a Deo ut, *qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (4), et iuxta Apostolum, Deus velit omnes homines salvos fieri (5) et ad vitam aeternam venire, idem bonum quod nobis volumus, scilicet felicitatem aeternam, velle debemus et proximis nostris, scilicet, omnibus intellectualibus creaturis, Angelis videlicet et hominibus, et iis qui aeterna beatitudine perfruuntur, nec non et iis qui in purgatorio et in hac vita purgantur, qui capaces sunt beatitudinis aeternae, in cuius communicatione haec sancta amicitia fundatur. Et hic actus per congratulationem et complacentiam erga beatos exercetur ; per desiderium autem erga viatores, vel per timorem ne excidant, vel per dolorem, si iam aliqui putentur excidisse.

Sextus actus ex eodem principio profluens est, ut, quia Deus *voluit sua mandata custodiri nimis* iuxta prophetam David (6), velimus omnia quae iubet et consulit Deus ; et demum, omne beneplacitum ipsius, quod voluit a nobis libertate arbitrii nostri impleri, et quam perfectissime observari,

(1) Prov. 16, 4. (2) Psalm. 118, 91. (3) S. August. PL. t. 38 Serm. de Script. 90. n. 10 col. 566 a. m. (Sed extendite, sqq.). Item t. 32 de Moribus Eccl. lib. 1. cap. 26, n. 49. col. 1331. (4) 1 Ioann. 4, 21. (5) Cfr. 1 Tim. 2, 4. (6) Cfr. Psalm. 118, 4.

tam in agendis quam in evitandis peccatis et occasionibus eorum. Et hic actus caritatis exercetur per congratulationem et complacentiam, quod Dei voluntas impleatur ; et per desiderium, cum impleri eam perfectissime cupimus, et secundum institutum nostrum satagimus ; item per dolorem, cum transgressiones et praevaricationes praeceptorum Dei videmus ; item denique per timorem, ne illae transgressiones sequantur, quando eas praevidemus.

Ex supradictis constat quid sit caritas, et qui actus illius, et quae sunt ex caritate diligenda. Iam videamus pauca quae inducere et incitare nos debeant ad amorem Dei.

3. Septem sunt quae ad amorem Dei nos incitare debent.

Primum est, eius bonitas summa. Bonum enim, per se, obiectum est amoris. Bonum omnia desiderant. Cum ergo Deus sit summe bonus, summe diligendus est. Augustinus (1) : Cum ista non diligantur, nisi quia bona sunt, pudeat nos illis inhaerendo non amare bonum ipsum unde bona sunt. Diligamus ergo id quo nihil est melius : hoc autem Deus est, cui si aliquid diligendo vel praeponimus vel aequamus, diligere nescimus.

Secundum, affluentia bonorum, quae nobis Deus continuo affluenterque largitur. Nam omnia bona, sive naturalia sive gratuita, a Deo sunt. *Omne* enim *datum optimum, et omne donum perfectum desursum est,* etc. (2) ; ubi Glossa : datum refertur ad naturam, donum ad gratiam. *In omni virtute tua dilige eum* (3) *qui te fecit.* Bernardus super Cantica (4) : « Mihi valde amandus est, per quem sum, vivo et sapio, si ingratus non sum et indignus, etc. ; et libro de diligendo Deo (5) : « Infidelis se ei totum debere non ignorat, quem sui totius non ignorat auctorem ; quid ergo ego, qui Deum meum teneo, non solum vitae meae gratuitum largitorem, sed etiam largissimum administratorem, pium consolatorem, sollicitum gubernatorem, copiosissimum redemptorem, aeternum conservatorem et glorificatorem ? » Ex hac causa, fratres mei, non modo diligendus est Deus, sed omni hora omnique momento amandus, cum nulla sint horarum momenta, quibus eius non fruamur beneficiis. Augustinus in libro Soliloquiorum (6) : « Idcirco, Domine Deus, iussisti mihi lege tua ut diligam te omnibus horis et momentis, quibus fruor bonis misericordiae tuae, quoniam semper perirem, nisi quia me regis, et semper morerer, nisi quia semper me vivificas, et mihi omni momento tua magna beneficia praestas. Sicut ergo nulla

(1) S. August. PL. t. 42 de Trin. lib. 8. c. 3, n. 5. col. 950. Cfr. t. 37. col. 1740, n. 3 sqq. (2) Iac. 1, 17. (3) Eccli. 7, 32. (4) S. Bern. PL. t. 183 Sermo 20 in Cant. col. 867. n. 1. (5) S. Bern. PL. t. 182 De dilig. Deo. col. 977. cap. 2. nº 6. (6) S. August. PL. t. 40 Lib. Soliloq. an. ad Deum. cap. 18. col. 880 p. m.

hora est vel punctum in omni vita mea, quo beneficio tuo non utar, sic nullum debet esse momentum quo te non habeam ante oculos in memoria mea, et te non diligam ex omni fortitudine mea. »

Tertium, summa Dei caritas erga nos : *Diliganus Deum, quoniam Deus prior dilexit nos* (1) ; et S. Augustinus (2) : « Si amare pigebat[a], redamare non pigeat ; nulla enim maior est ad amorem incitatio, quam praevenire amando, et nimis durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere ». Idem (3) : « O anima mea, insignita Dei imagine, redempta Dei sanguine, desponsata fide, dotata spiritu, ornata virtutibus, deputata cum angelis, dilige illum a quo dilecta es tantum, intende illi, qui intendit tibi, quaere quaerentem te, ama amatorem tuum, a quo amaris, cuius amore praeventa es, et qui est causa amoris tui ». Singulariter autem nos incitare debet ad amandum Deum, dilectio eius demonstrata in dilectione qua nulla maior esse potest. Bernardus super Cantica (4) : « Super omnia reddit te amabilem mihi, bone Iesu, calix quem bibisti, opus nostrae redemptionis ; haec omnino amorem nostrum facile vendicat totum sibi, hoc est quod nostram devotionem et blandius allicit, et iustius exigit, et artius stringit, et afficit vehementius. »

Quartum, auctoritas divinae maiestatis invitantis nos ut eum diligamus : *Diliges,* inquit (5), *Dominum Deum tuum,* etc. De quo Augustinus (6) : « Quid tibi sum, inquit, Domine, ut amari te iubeas a me, et nisi hoc faciam irasceris mihi et minaris ingentes miserias ! » Item : Non postulat a nobis Deus aurum, non argentum, non pallia, non vestes pretiosas, non agros et eiusmodi ; sed nos ipsos quaerit, et in nobis quiescere cupit. — Accedamus ergo ad eum ut vitam aeternam habeamus, habeamus in nobis dilectionem Dei et proximi.

Quintum, nobilitas divinae dilectionis ; nam divinus amor, ut ait Dionysius (7), « exstasim faciens, non sinit sui ipsorum esse amatores, sed amatoris ; amando Deum efficimur quodammodo consortes divinae naturae. Vis enim amoris amantem in amatum transfert ». Unde si vitia diligimus et caduca, viles et instabiles efficimur ; sicut dicitur (8) : *Facti sunt abominabiles, sicut ea quae dilexerunt.* Si autem Deum diligimus, quasi dii efficimur : *Qui adhaeret Domino, unus spiritus est* cum eo (9). Augusti-

(a) Uterque codex scripsit *pigeat.*

(1) 1 Ioann. 4, 19. (2) S. Augustin. PL. t. 40 de Catech. rud. cap. 4. col. 314. n. 7 c. m. (3) PL. t. 40 Manuale. cap. 24 in. col. 961. (4) S. Bern. PL. t. 183 Sermo 20 in Cant. col. 867, nº 2. (5) Deut. 6, 5 ; Matth. 22, 37. (6) S. Augustin. PL. t. 32 Confess. lib. 1, cap. 5, n. 5. col. 663. (7) Dionys. PG. t. 3. de Divinis nom. col. 711, § 13. (8) Oseae 9, 10. (9) 1 Cor. 6, 17.

nus (1) : « Talis est quisque, qualis est dilectio eius : terram diligis, terra es ; Deum diligis, quid dicam ? Deus eris. Non audeo dicere ex me : scripturam audiamus (2) : *Ego dixi : dii estis et filii excelsi* omnes ». Praeterea Deus amatores suos ut reges coronat in caelis : *Coronam vitae repromisit Deus diligentibus se* (3).

Sextum, suavitas dilectionis divinae et dulcedo. Unde Sapiens (4) : *In amicitia illius delectatio bona ;* et alibi (5) : *O quam bonus et suavis est, Domine, Spiritus tuus in nobis ;* ubi Glossa : « Amor Dei fons totius boni est ». Habent quidem haec infima suas delectationes, suosque amores, non tamen tali modo delectant sicut tu, Deus noster. Ait Augustinus (6) : « In te delectatur iustus, quia amor tuus suavis est et quietus. Nam pectora, quae possides, dulcedine, tranquillitate et suavitate reples ; contra, amor saeculi anxius et perturbatus animas quas ingreditur quietas esse non patitur ; semper enim suspicionibus variisque rumoribus sollicitat eas : tu itaque es delectatio rectorum, et merito, quia valida est apud te et imperturbabilis vita ». Richardus de S. Victore : Amor divinus res dulcissima est, qui non solum iniurias sed etiam mortis amaritudinem vertit in dulcedinem. Item : si dulcedinem divini amoris perfecte gustaveris, de temporali dulcedine non curabis : si cupis ut mens tua perfecta tranquillitate quiescat, te divinus amor absorbeat. Absorbeat, quaeso, mentem meam ab omnibus quae sub caelo sunt ignita et melliflua vis amoris tui, ut totus tibi inhaeream, solaque suavitatis tuae dulcedine pascar.

Septimum, dilectionis fructus et utilitas. Non enim sine praemio, ait Bernardus (7), diligitur Deus, etsi absque intuitu praemii diligendus sit. Nam 1° dilectio Dei peccata condonat (8) : *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum.* Ubi Glossa : Ignis caritatis in ea rubiginem peccatorum combussit. — 2° Illuminat mentem (9) : *Qui timetis Deum, diligite eum,* et illuminabuntur corda vestra. 3° Locupletat spiritualibus divitiis (10) : *Ego diligentes me diligo, et qui mane vigilant ad me, invenient me ; mecum sunt divitiae et gloria, opes superbae et iustitia ; melior est fructus meus auro et lapide pretioso, et genimina mea argento electo. In viis iustitiae ambulo, in medio semitarum iudicii, ut ditem diligentes me et thesauros eorum repleam.* D. Paulus (11) : *Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus diligentibus se.*

4. D. Augustinus, dicit (12) quattuor a nobis esse diligenda. Unum scilicet,

(1) S. AUGUST. PL. t. 35 Ep. Ioann. ad Parth. tr. 2. n. 14 a. f. col. 1997. (2) Psalm. 81, 6. (3) Iac. 1, 12. (4) Sap. 8, 18. (5) Sap. 12, 1. (6) S. AUGUST. PL. t. 40 lib. Meditat. cap. 35. col. 930 in. (7) S. BERN. PL. t. 182 de dilig. Deo. cap. 7. n. 17 c. col. 984. (8) Luc. 7, 47. (9) Eccli, 2, 10. (10) Prov. 7, 17-21. (11) 1 Cor. 2, 9. (12) S. AUGUST. PL. t. 34. de Doctr. christ. lib. 1. cap. 23. n° 22. col. 27.

quod est supra nos, id est, Deus, sanctissima Trinitas, ad quem primi tres actus ante memoratae caritatis pertinent. Secundum quod iuxta nos, et hi sunt proximi ; immo, omnis creatura spiritualis, tam Angeli quam homines. Licet enim natura sua specifica superiores nobis sint angeli, unitate tamen generis, intellectualis scilicet naturae, et ratione finis, scilicet beatitudinis, illis aequales sumus. Ideo in Apocalypsi eadem mensura hominis et angeli esse dicitur (1) ; et D. Augustinus (2) nihil supra hominem esse dicit praeter Deum ; et huc pertinent quintus[a] et sextus actus praedicti. Tertium quod erat diligendum ex caritate, est ipse homo amans, dicitur enim (3) : *Diliges proximum tuum tamquam te ipsum.* Quartum est corpus, quod per redundantiam capax est beatitudinis. Et ad haec duo ultima pertinet quartus ille actus dilectionis de quo ante, ex quo derivari debet dilectio caritatis ad nos et proximos ; quia scilicet sumus imago ipsius, et capaces beatitudinis ; et quia ipse Deus praecepit et voluit eos amari, et ut in omnibus his glorificetur et complaceat sibi divina bonitas. Ad hanc quartam rationem dilectionis passim nos constitutiones nostrae exhortantur, et nos, ut finem instituti, quaerere summo studio debemus.

5. Iam tempus et locus est, fratres mei carissimi, ut paucis tractemus de ordine quem diligendo ex caritate servare debemus.

Cum igitur ille fundetur in communicatione praedicta supernaturalis felicitatis, quidquid beatum est et beatitudinis capax, ex caritate diligendum est. Cum vero solus Deus sit essentialiter felix, et ipsa beatitudo immensa, ipse summe et primo loco est amandus ; quia ipsi summum et maximum bonum, immo infinitum et excellens omnia aliorum sanctorum bona, velle debemus, et quantum possumus gaudere quod illud habeat. Et licet non intensive, ipsum tamen appretiative incomparabiliter prae aliis diligere, magis videlicet aestimando eius felicitatem quam omnium aliorum, absque ulla proportione, tenemur ; hac enim appretiatione sic ipsum amare, ut pro re nulla creata, immo nec pro innumerabilibus mundis si exstarent, vellemus eum offendere, vel relinquere, vel postponere, cum sit in infinitum amabilis.

Secundo loco post Deum debet homo se ipsum diligere — non quoad magnitudinem beatitudinis, quia suam cuique Deus praeordinavit mansionem — et velle hoc debet, quia id exigit ab ipso Deus, et ideo Christus ait (4) : *Quid enim prodest homini, si mundum universum lucretur, etc.*

Tertio loco est proximus diligendus, ac deinde proprium corpus. Magis

(a) Nota arabica, ut aiunt, B scripserat 4, eamque mutasse videtur in 5.

(1) Cfr. Apoc. 21, 17. (2) S. Augustin. PL. t. 42 contra Maxim. Ar. lib. 2. cap. 25. col. 803 p. m. (3) Marc. 12, 30. (4) Matth. 16, 26.

enim desiderare et appretiare teneor, immo et in certo casu conservare proximi spiritualem salutem, quam proprii corporis vitam.

Dilectionis etiam proximorum ordo servandus est iuxta illud Canticorum (1) : *Ordinavit in me caritatem ;* et quamvis domestici quam externi, ut ait D. Ambrosius (2), sint magis diligendi, ut filii, externi tamen boni filiis et domesticis improbis essent praeponendi in amore, ex parte obiecti, licet horum magis tenerer procurare salutem. Sic teneor magis amare ex fratribus eos qui optimi sunt, quam reliquos, quos cerno non ambulare per viam rectam,non servare disciplinam,non faciles esse ad oboediendum, sed protervos et difficiles ; hos tamen teneor quibus possum mediis et officiis iuvare, et ad frugem revocare, ut Deus in illis glorificetur, et ipsi illi bene serviant et gloriam tandem consequantur.

6. Debemus autem nos mutuo amare, praecipuo quodam amore. Primo, quia nomen ipsum Societatis — significat enim congregationem multorum, qui sub iisdem legibus et disciplina et sub aliquo directore ad aliquid efficiendum copulantur — ad hoc nos invitat. Societas homines coniunxit diversos, et quidem non bene inter se convenientes, ut sunt illi qui ex diversis nationibus inter se dissident : Hispani, Itali, Galli, Flandri, etc, ut merito dicere potuerint maiores nostri : « Congregasti nos de nationibus ut confiteamur nomini sancto tuo (3) ; » et illud (4) : *Qui habitare facit unius moris in domo.*

Secundo, inducere nos debet ad mutuum amorem nomenclatura ipsa Societatis Iesu, qui tantopere commendavit discipulis suis unionem et caritatem (5). *In hoc cognoscent omnes,* inquit (6), *quia discipuli mei estis,*

(1) Cant. 2, 4. (2) Locum in S. AMBR. non reperimus nisi forte sit ex t. 16 de Off. l. 1, c. 7, n. 24. col. 30. At vide S. AUGUST. PL. t. 41 de Civ. Dei, lib. 19, cap. 14, col. 643 in.; et S. THOM. 2. 2ae. q. 26. a. 7. c. (3) Cfr. Psalm. 105, 47. (4) Psalm. 67, 7. (5) Caritas est amor mutuus, quia amor in uno solo non consistit, sed in pluribus. Tu non potes diligere Deum nisi te prior dilexerit, et ipsi tibi hanc caritatem impertit. Regulariter seu communiter virtutes dantur in aliqua quantitate seu mensura. Secundo, per bona opera merentur augeri ac tandem perfici : Christo datae sunt in plenitudine perfectionis, et neque auctae sunt neque intensiores factae.

Basilius in prooemio regularum fus. disput. : Ut aes alienum necessarium caritas erga Deum a nobis requiritur, qua carere malum est omnium malorum gravissimum. Est enim alienatio a Deo aversioque, et est malum gehennae malis quibusvis quae exspectantur intolerabilius, veluti oculo privatio luminis, etiamsi dolor non adsit ; itemque animanti ademptio vitae.

Idem, ibid. : Quod si etiam naturalis iis qui geniti sunt, in eos qui se genuerunt caritas est, ut patet etiam in brutis et in pueris erga matrem, quomodo nos ab infantibus et brutis animantibus vinci patiemur in amando eo a quo [*a quo.*om. B.] conditi sumus, quem mirabiliter diligere et caritate summa complecti debemus, neque secus pendere de eius memoria continenter, quam soleant teneri infantes ex sinu et uberibus maternis. (6) IOAN 13, 35.

si dilectionem habueritis ad invicem. Et illud (1) : *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et iterum (2) : *Rogo, Pater, ut sint unum, sicut et nos unum sumus.* Et Paulus (3) : *Super omnia caritatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Et ad Romanos (4) : *Caritate fraternitatis invicem diligentes.* Et Petrus (5) : *Ante omnia autem mutuam in vobismet ipsis caritatem continuam habentes,* et Ioannes (6) ; *Qui diligit fratrem suum, in lumine manet, et scandalum in eo non est ;* Et (7) : *Hoc mandatum habemus a Deo, ut qui diligit Deum diligat et fratrem suum.* Item (8) : *Carissimi, diligamus nos invicem, quia caritas ex Deo est ; et si diligamus invicem, Deus in nobis manet, et caritas eius in nobis perfecta est ;* et (9) : *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet, et Deus in eo.*

Accedit quod haec unio animorum passim in constitutionibus et regulis nobis commendatur, monemurque ut ad unionem et caritatem fraternam nos mutuo cohortemur, et ut in rebus agendis iudiciorum diversitas vitetur.

7. Ad haec inimici diligendi sunt, fideles et infideles, boni et mali, ut qui imaginem Dei in se gerunt et beatitudinis sunt capaces. Hinc pro omnibus saltem in genere nobis est orandum ; et in certo casu, ut in necessitatis articulo, impendenda sunt inimicis officia caritatis tam corporalia quam spiritualia, et exhibenda eis iuxta Christi mandatum (10) : *Diligite inimicos vestros ; benefacite his qui oderunt vos.* Debemus demum benevolentiae signa eis exhibere ; quod nobis, fratres, qui profitemur nos viam tenere ad perfectionem, maxime convenit. Quod ad beneficentiam attinet, et ad caritatis ostensionem erga illos, praeceptum nobis est et de necessitate salutis.

Extra casum tamen necessitatis exhibere inimicis haec signa et officia caritatis, supererogationis est. Et tamen, quanto plus quis praestat in iis propter Deum, tanto perfectiorem caritatem habere se ostendit. Quamvis autem omnes teneantur inimicos diligere quoad hoc, ut eorum salutem aeternam exoptent et velint, et ut iniurias eorum quoad culpam remittant, satisfactionem nihilo minus et debitam poenam possunt sine peccato, immo cum merito exigere, si ex zelo iustitiae et disciplinae moveantur. Potest enim quis de nobis, qui graviter offensus esset, procurare per superiorem satisfactionem propter alios, et ne quis male agendi aut conviciandi ansam accipiat. Alioquin laudabilius est propter Deum omnia dimittere, praesertim si is qui iniuriam intulit, ex ignorantia vel infirmitate fecerit et paeniteat, ac veniam precetur. Nam si ex remissione huiusmodi derogaretur

(1) Ioann. 14, 27. (2) Ioann. 17, 22. (3) Col. 3, 14. (4) Rom. 12, 10. (5) 1 Petr. 4, 8. (6) 1 Ioann. 2, 10. (7) 1 Ioann. 4, 21. (8) 1 Ioann. 4, 7. 12. (9) ibid. 4, 16. (10) Luc. 6, 27.

communi bono, vel ad iniurias inferendas acrior proniorque redderetur qui offendit, tunc melius esset ad superiorem referre et mali exempli periculum illi exponere.

Cogitemus ergo, fratres, ex iis quae dicta sunt, necessitatem bene collocandi amoris et affectus nostri, ut Deum in primis, ut oportet, diligamus, deinde fratres et proximos nostros propter illum et ad ipsum ; ut nimirum nulla in re mala et quae Deum offendat ipsis consentiamus, sicuti per misericordiam Dei facturos vos esse, si usus veniret, non dubito. Sed gratiae ingentes nobis sunt agendae, quod nullae sint difficultates inter nos quae statim non sopiantur, vel sopiri possint. In probatione tamen adhuc sumus inter paradisum et infernum ; proinde attenti esse debemus ne oculi nostri recedant a nobis, et ne officium nostrum et nos ipsos neglegamus. Quod faciendo, officio nostro perfungemur et vitam aeternam Dei munere et benignitate consequemur.

45ª Exhortatio

De caritate : quotuplex illa sit ; ac de gradibus caritatis in Deum

1. De caritate, fratres carissimi, praesentem instituemus exhortationem, quae omnium virtutum parens est, forma atque perfectio. Haec autem non est gratia, sed habitus gratiae coniunctus et ab ea informatus, in facultatibus animae exsistens, ut gratia in ipsa animae essentia inhaeret eam vivificans et mire exornans. Nam gratia, quamvis sit accidens, nobilior tamen est anima nostra in qua subiectatur, — licet haec nobilissima sit omnium creaturarum post angelos, quoad naturam illorum — quia est participatio quaedam divinae essentiae ; sicut lux, licet sit accidens, nobilior est diaphano, in quo recipitur, quatenus est effectus corporis solaris caelestis. Efficit autem caritas, ut qui illam habet, operetur perfecte, delectabiliter et facile. Delectatio autem, ut ait philosophus, perficit opus. Est autem caritas forma, quae dat esse ceteris virtutibus, sine qua opera virtutum vitae aeternae non sunt meritoria. Delectabiliter vero operatur, quia, ut ait D. Augustinus (1), « labores amantium non sunt onerosi, sicuti neque venatoribus, neque aucupibus sui labores, et

(1) S. Augst. PL. t. 40. lib. de Bono Vid. cap. 21. n. 26 extr. col. 448 ; non ad verbum.

ubi amor, ubi non est labor, sed sapor. » Facilitat denique opus, quia amanti nihil est difficile. Ideo Corinthiis dicitur (1) : *Caritatem si non habuero, nihil sum ;* et infra (2) : *Caritas patiens est, non aemulatur.* Item ait Aristoteles (3), quod delectatio secundum carnem corrumpit sensum prudentiae, at secundum virtutem perficit operationem.

2. Actus caritatis distinguuntur ; nam alii sunt eliciti, alii imperati. Primi proprie caritati tribuuntur, scilicet amare Deum, gaudere de eius bonitate, et ut ab omnibus noscatur desiderare, velle ipsum ab omnibus honorari et coli. Secundi ita appellantur, quia licet sint aliarum virtutum actus, a caritate tamen imperantur, cum scilicet omnia propter amorem Dei fiunt : ut cum actus temperantiae exerceo propter amorem Dei, actus est elicitus ab habitu temperantiae, et imperatus a caritate. Societatis institutum et spiritus maxime requirunt caritatem ; propterea ad illam saepe constitutiones et regulae nos hortantur.

3. Est autem duplex amor, scilicet amicitiae et concupiscentiae, quorum hic ad propriam utilitatem respicit, ille vero rem et bonum amici procurat. Aristoteles dicit in Ethicis (4), quod « vera amicitia fundatur super bono et honesto » ; et quidem talis esse debet caritas erga Deum, ut per quam fit inter Deum et hominem coniunctio, iuxta illud : amicus est alter ego. Homo enim fit quodammodo Deus per participationem.

Consistit autem amor amicitiae in sex : 1° ut amans velit bonum amato ; 2° ut uniatur et fiat unum cum illo, animo et affectu ; 3° ut convivat ei delectabiliter ; 4° ut eligat et diligat idem quod amicus ; 5° ut congaudeat ; 6° ut condoleat eidem. Quae omnia, si vere caritatem in Deum habuerimus, sensu ipso in nobis experiemur. Ex quibus quidem inter veros amicos quattuor promanare solent, scilicet benevolentia, redamatio, communicatio, conformitas. Debemus igitur nos non modo bene velle Deo, sed et exoptare ut alii ipsi bene velint, ament, cognoscant et laudent ipsum quantum possint, « Quia maior omni laude, nec laudare sufficis » (5). Item ipsum redamare, propterea quod prior ipse dilexit nos ; omnia nostra ipsi committere, qua in re puritas conscientiae et oboedientia perfecta maxime elucent, quoniam *ipse cum filio unigenito omnia nobis donavit* (6) ; et *omne bonum desursum est* (7). Demum conformare voluntatem nostram cum ipsius voluntate, quia verae est amicitiae eadem velle et eadem nolle. Perfecta vero caritas in hac vita haberi vere non potest, quia semper

(1) 1 Cor. 13, 2. (2) 1 Cor. 13, 4. (3) Arist. Mor. Nic. l. 7. cap. 12 (Didot, tom. 2. p. 88. l. 20). (4) Arist. Mor. Nic. l. 8, cap. 3 (4), par. 6 et 7. (Didot, tom. 2. p. 93). Et Mor. Eud. l. 7, cap. 2, par. 16, 21 et 26. (ibid. p. 221 sq.) (5) Ex hymno *Lauda Sion.* (6) Cfr. Rom. 8, 32 ; 2 Petr. 1, 3. (7) Cfr. Iac. 1, 17.

aliquid deest, inciduntque crebro aliqui defectus et imperfectiones; in futura vita erit vere perfecta et consummata, quia ibi continuabitur actualis caritas et motus amoris in Deum.

4. Modus diligendi Deum a Domino est expressus in eo quod mandavit, ut diligamus Deum *ex tota anima, ex toto corde, ex tota mente, et ex totis viribus nostris* (1). Non consistit autem hic modus in eo, quod sit aliqua mensura praefixa, ultra quam diligendo progredi non liceat. Nulla enim mensura talis assignari potest, ut ait D. Thomas (2); nam causa diligendi Deum est bonitas divina, quae est infinita; dilectio autem ex parte hominis finita est, cum procedat ex potentia finita. Unde mensurari non potest ratio dilectionis, et ideo non ponitur modus, ultra quem progredi non possit; sed, quantumcumque quis diligat, semper plus potest diligere, quia actus mensuratur ab agendi ratione : ratio autem diligendi Deum est bonitas divina infinita. Quod docet D. Bernardus his verbis (3) : Causa diligendi Deum Deus est; modus, sine modo diligere, cum dilectio, quae tendit in Deum, tendat in infinitum. Nam infinitus Deus et immensus cum sit, quisnam, quaeso, potest esse finis vel modus amoris nostri in Deum ? Debet autem quilibet amare Deum ex tota anima, ex toto corde, etc. Quod tripliciter a diversis impletur, prout caritas in incipientibus, in proficientibus et in perfectis Dei amatoribus locum habet, ut tres isti gradus caritatis distinguantur. Ortum autem ducit haec caritatis divisio ex verbis D. Augustini super 1^am^ canonicam Ioannis (4) : « Caritas, inquit, perfecta est, paratum esse mori pro Deo et proximis ; sed numquid statim ut nascitur perfecta est ? Non utique, sed nascitur ut perficiatur, nempe cum fuerit nata nutritur, cum fuerit nutrita roboratur, cum fuerit roborata perficitur, cum ad perfectionem venerit dicit (5) : *Cupio dissolvi et esse cum Christo.* »

5. Primus igitur gradus ad salutem necessarius est, sic diligere Deum ex toto corde, etc. ut nihil contra Deum appetamus, admittamus verbo vel opere ; quae caritas exigit ut observemus praecepta. Qui non est sic dispositus ut malit propriam vitam et omnia quae habet amittere potius quam Deum mortaliter offendere, non habet caritatem, nec est in statu salutis. Diligendus igitur est Deus tripliciter : primo tota anima, id est integraliter, ut nimirum Deo vacent et intendant omnes sensus nostri,

(1) Cfr. Marc. 12, 30 ; Deuter. 6, 5 ; Matth. 22, 37 ; Luc. 10, 27. (2) S. Thom. 2. 2^ae^. q. 24. a. 7. c. (3) S. Bern. PL. t. 182 de dilig. Deo. cap. 1 in. col. 974, et cap. 7. n. 22. col. 987. (4) S. August. PL. t. 35 Ep. Ioann. ad Parth. tr. 5. n. 4 a. f. col. 2014 ; « pro Deo » additum est. (5) Cfr. Philip. 1, 23.

omnes cogitationes et affectiones nostrae. Hinc D. Augustinus de dilectione Dei (1) : Diliges Dominum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ut os tuum, oculus tuus, manus tua, pes tuus, et omnes sensus tui, et ut totus diligas Deum. Sic igitur, fratres, diligendus est a nobis Deus, ut nimirum magis ipsum propter bonitatem suam, quam propter nos ipsos amemus ; et omnia bona loco et tempore opportuno magis propter Deum et eius honorem, quam ad evadenda tormenta vel praemia consequenda faciamus ; unde, qui diligit Deum principaliter quia eius beneficiis cumulatur, et ab eo sperat bona perpetua, et non principaliter quia in se ipso summe dignus est, — est enim summe bonus — non diligit Deum ex caritate. Qui etiam peccata evitat et bona operatur, tantum ut supplicia evadat, beatitudinem non meretur, quia ex caritate non procedit.

Incipientes autem, qui in infimo seu primo gradu caritatis sunt, non solum nec principaliter vitant peccata et bona operantur ac Deum diligunt ob timorem et spem praedictam, sed praecipue propter Dei bonitatem, licet timore et spe valde moveantur, — nec enim pure et plene ad Deum conversi sunt, nec omnino sunt recti corde, sed bona ex parte ad se reflexi — sunt tamen in statu gratiae, quia abstrahunt se a peccatis et bona agunt praecipue propter Deum, licet moveantur metu gehennae vel aliarum poenarum. Cheremon anachoreta, ut refert Cassianus (2) lib. 2° collat., illos « servos » vocat qui timore poenae Deo serviunt ; « mercennarios » vero, qui spe regni caelestis : utrosque tamen Deo placere sentit, quia magis ex amore Dei quam sui ipsorum, saltem in appretiatione, moventur, et hinc gradum faciunt ad perfectiorem caritatem. Nam, ut ait S. Bernardus, in lib. de amando Deo (3), aliqui diligunt Deum, quia sciunt id sibi maxime necessarium, cum sine ipsius conservatione esse nequeant. Deinde ex amore illo imperfecto incipiunt eum amare propter bonitatem ipsius, dum frequenter experiuntur subventionem et beneficia ipsius : tandem gustata dulcedine Dei, assuescunt eum diligere propter ipsum.

6. Secundus gradus vel modus amandi Deum est ex toto corde, id est veraciter, non verbo solum, sicuti illi de quibus dicitur (4) : *Dilexerunt Deum in ore suo.* Ubi Glossa : non corde, sed lingua ; et illud (5) : *Populus iste labiis suis me glorificat, cor autem eius longe est a me.* — (6) *Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, sed opere et veritate.* Ubi Augustinus (7) :

(1) S. August. PL. t. 40 de diligendo Deo. cap. 2 et 11. col. 849 et 855 : ad mentem. Nota « de dilectione Dei » partem esse libri « de Modo bene vivendi » S. Bern. t. 3 (PL. 184). col. 1220. (2) Cassianus. PL. t. 49 de Perfect. capp. 9 et 12 col. 855 et 864 a. b. Vide (pag. 332, n. 4). (3) S. Bern. PL. t. 182 de dilig. Deo. cap. 9. col. 989. (4) Psalm. 77, 36. (5) Isa. 29, 13. (6) 1 Ioann. 3, 18. (7) S. August. PL. t. 40. Salut. Docum. cap. 24. col. 1056. Item dicit S. Bern. PL. t. 184. de b. viv. cap. 12. n. 34. col. 1220.

« Deus non vult verbis tantum diligi, sed corde puro et operibus justis, quia non verborum, sed cordium auditor et inspector est ». Toto igitur corde diligendus est, quod est, ut ait Chrysostomus, (1) non habere cor inclinatum ad alicuius rei dilectionem magis quam Dei ». Prov. 25 (2) : *Praebe, fili mi, cor tuum mihi,* et totum, quia, ut ait Augustinus (3) « totum exigit, qui totum fecit », ut nimirum non solum propter Dei amorem vitemus ea quae caritati sunt contraria, scilicet pecata mortalia, sed ea quoque quae a caritatis profectu et frequentiore eius exercitio impediunt, ut sunt otium, vaniloquia[a], voluptates carnis, consanguineorum consuetudo, voluntas propria et non resignata. In hoc etiam gradu non solum praecepta Dei et ecclesiae, sed opera etiam supererogationis et interioris profectus, ut sunt regularum et disciplinae observantiae, viriliter implentur. Et hic gradus ad religiosum statum proprie pertinet, quamvis et ad saeculares se extendat, si secundum Apostoli doctrinam se gerant dicentis (4): *Hoc itaque dico, fratres, tempus breve est ; reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint, et qui utuntur hoc mundo, tamquam non utantur.* Et licet rarum sit, a quibusdam tamen, Deo iuvante, impletur.

S. Thomas (5) distinguit gradus caritatis per similitudinem motus corporalis, in quo 1° receditur a termino « a quo » ; 2° acceditur ad terminum « ad quem » ; 3° in ipso termino quiescitur ; et ita primum gradum caritatis, qui est incipientium, constituit in actu et studio recedendi a vitiis, et concupiscentiis resistendi ; secundum, in studio, quo homo praecipue occupatur circa spiritualem in omni virtute profectum, qui gradus ad proficientes pertinet : ex caritate enim elicitive procedit, ut conetur quis in ipsa caritate proficere ; imperative, ut in reliquis virtutibus scilicet proficiat ; tertium — de quo paulo post — ut in hoc gradu secundo studeat homo non tantum in se, sed in aliis etiam promovere quae sunt Dei, etiam in eo ad quod non obligatur. Tales autem adhuc habent aliquid admixtum timoris poenarum, et affectus ad mercedem per reflexionem, minus tamen quam incipientes ; et in eis maius habet momentum intuitus praemii quam horror supplicii, et propinquiores sunt puro amori.

7. Tertius gradus caritatis est, sic diligere Deum ex toto corde et tota anima, et tota mente, et totis viribus, ut per haec omnia, et sine interruptione feratur in Deum et vivat secundum ipsum anima nostra, quod non potest impleri in hac vita. Est, inquam, diligere Deum fortiter, sive perse-

(a) *honores.* add. B., del. A.

(1) S. J. Chrysost. PG. t. 56. Hom. 43 in Matth. col. 873 m. (2) Prov. 23, 26. (3) S. August. P. L. t. 38. Sermo de Script. 34. cap. 4 extr. col. 212. (4) 1 Cor. 7, 29. (5) S. Thom. 2, 2ae. q, 24, a. 9. c.

veranter in hac vita, quod fit tripliciter : 1° Cum servus Dei timorem a corde expellit. *Perfecta* enim *caritas foras mittit timorem* (1), servilem videlicet, ut notat Glossa ; 2° Cum laborem pro Christo appetit (2) : *Ego in flagella paratus sum ;* 3° Cum opprobria et mortem pro Christo non fugit. Sic erat constitutus Paulus cum dicebat (3) : *Non solum alligari, sed et mori in Ierusalem paratus sum*[a] ; et illud (4) : *Quis nos separabit a caritate Christi, tribulatio, an angustia,* etc. Hinc Augustinus (5) : Constans et perfectus debet esse amor noster, ut si necesse fuerit, amore illius moriamur, qui amore nostri placide et benigne mori dignatus est. Ut enim amaretur, prius amavit, et ut in nomine eius nemo mori timeret, prior pro omnibus mori dignatus est. Bernardus super Cant. (6) : « Disce, Christiane a Christo, quem ad modum diligas Christum : disce amare dulciter, amare prudenter, amare fortiter. Dulciter ne illecti, prudenter ne decepti, fortiter ne oppressi ab amore Christi avertamur ». Et infra (7) : « Non abduci blanditiis, non seduci fallaciis, non iniuriis frangi, toto corde, tota anima, tota virtute diligere est ».

Quamvis vero non possit in hac vita omnino impleri hoc mandatum, ut asserit D. Augustinus (8), impleatur autem in patria, ubi sancti indesinenter Deo intenti, et actu in aeternum uniti secundum extremum et ultimum potentiae intellectus et voluntatis, omnisque fortitudinis suae, quia in eis omnis potentia est reducta in actum, ut Guilielmus Parisiensis ait lib. de Sacramentis et lib. de versor [sic] : hoc tamen praeceptum in hoc tertio gradu, licet semiplene, potest servari ab hominibus, viris praecipue heroicis et perfectis, qui, ut ait D. Thomas (9), « student iugiter ut in ipso fine quiescant Deo adhaerendo, et eo fruendo quatenus in hac vita eo frui licet ». Et hic caritatis gradus pertinet ad statum perfectorum, qui, quantum hoc exsilium patitur, feruntur toto corde in Deum, et omnes motus ad eum referunt, ut frequenter et fervide ac stabiliter per caritatem ipsi uniantur et tam vehementi desiderio aestuent ad Deum, ut eius absentiam ferre nequeant, et conquerantur cum Propheta (10) : *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Dicunt cum eo : *Quem ad modum desiderat cervus ad fontem aquarum, ita desiderat, etc. Quando veniam et apparebo ante faciem Domini* (11). In hoc gradu erat ille, qui dicebat (12) : *Nunc dimittis servum*

(a) Codd. habent : *sed et in mortem paratus sum ire.*

(1) 1 Ioann. 4, 18. (2) Psalm. 37, 18. (3) Act. 21, 13. (4) Rom. 8, 35. (5) Cfr. supra (p. 328, n. 4). (6) S. Bern. Sermo 20 in Cant. PL., t. 183. col. 868. n° 4. (7) ibid. n. 5 extr. col. 870. (8) S. August. PL. t. 44 de Perfectione iustitiae. cap. 8. n. 19. col. 301, et t. 41 de Civit. Dei, lib. 22. cap. 30. Adde S. Bern. PL. t. 182 de dilig. Deo. cap. 10 n. 29. col. 992. (9) S. Thom. 2. 2ae. q. 24. a. 9. c. (Tertium...) (10) Psalm. 119, 5. (11) Psalm. 41, 3. (12) Luc. 2, 29.

tuum, Domine, etc. Similiter Apostolus cum diceret (1) : Cupio dissolvi et esse cum Christo. Et dicere possunt qui hunc gradum obtinent cum sponsa (2) : *Amore langueo ;* et cum sponso (3) : vulneratus sum caritate. Hi iam non poenarum timore, nec praemiorum ac visionis Dei spe, ut merces est, sed quia Deus in infinitum bonus est et amabilis et honorabilis, ipsum amant et honorant, linealiter in eum erecti, et corde rectissimi. De iisdem Abbas Cheremon apud Cassianum dicit (4) : quod ex affectu bonitatis, et amore virtutum a peccatis abhorrent et bona operantur. Et hos quidem vocat filios et amicos Dei, in quibus imaginem Dei esse plene reformatam Cheremon affirmat, qui instar Patris caelestis, *qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (5) et misericors est et benignus etiam malis et ingratis, sic ipsi tam bonis quam impiis ex caritate pie afficiuntur, condolent peccatoribus, iuiuriam facientibus et irridentibus compatiuntur, et pro eis ex corde orant. In quorum persona, ait Ioannes (6), fiduciam habemus quoniam sicut ille est, scilicet Deus, et nos sumus in hoc mundo. De hoc gradu Bernardus docet in libro de amando Deo (7), quod tunc amor noster ad Deum est perfectissimus in hac vita, quando in iis assimilatur divino amori ; ut sicut Deus se amat pure pro se et propter se, ita ipsum sincere diligamus propter se ; nec nos ipsos, nec quicquam creatum diligamus nisi finaliter propter Deum et in Deo.

8. De hoc ipso caritatis gradu idem ait (8) : caritas laborem non sentit, meritum non intuetur, praemia non requirit, et tamen plus omnibus urget. Nullus timor ita sollicitat, nulla praemia sic invitant, nulla iustitia sic exigit. De talibus amatoribus Climacus ait, quod faciem dilecti semper imaginentur, et ne in somno quidem valent quiescere ab affectu desiderati. Ideo ille vulneratus sagitta caritatis ait (9) : *Ego dormio, et cor meum vigilat*. De eadem perfectorum caritate dicit, quod sit similitudo Dei, et omnimoda depositio perversae intentionis et malae cogitationis, quia non cogitat malum ; et dum totus homo coadunatur caritati, tunc extra in corpore resplendent caritas et laetitia cordis ; sicuti in facie B. P. N. Ignatii perpetua serenitas et laetitia splendebat, ex coniunctione quam habebat per perfectam caritatem cum Deo et maximam coniunctionem. Et de sancto Antonio legimus quod vultum habebat semper hilarem. Tales cibum saepe obliviscuntur, nec illum cum desiderio et delectatione, nisi tenui, accipiunt. Id de sancta Paula D. Hieronymus scribit ; et multi

(1) Philip. 1, 23. (2) Cant. 2, 5. (3) Cfr. Cant. 4, 9. (4) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 11 cap. 6 cum nota *e*. col. 852. Nihil ad verbum. (5) Matth. 5, 45. (6) Cfr. 1 Ioan. 3, 23. (7) S. Bern. PL. t. 182 De dilig. Deo col. 989, 990. cap. 9. 10. Cfr. ibid. col. 998. cap. 15. n. 39. (8) Id. ibid. cap. 14, n. 38, et tom. 184 de Carit. cap. 6. n. 28 extr. col. 599. (9) Cant. 5, 2.

sancti torquebantur, quando corpus erat reficiendum. Quin et signa quidam praebent exterius, quasi madeant vino, ut de B. Francisco legitur, qui exterius se continere nequibat, et vi deificae caritatis in aerem elevabatur, et spiritu seu flatu suo aliquando socium in aerem sustulit, aestuans amore Dei. Ad hunc gradum, fratres mei carissimi, omnes aspirare debemus, quia ille finis est Societatis perfectissimus, ut in primis nos perficiamus, deinde proximos ; quod ut consequamur, et vitam aeternam ardenter appetamus, caelestisque regni gaudiis perfrui aliquando nobis detur, cunctis rebus saeculi huius superiores esse, omnemque gloriam terrenam despicere debemus ac supercaelestem Dei gloriam amplecti, nihilque ceterorum cum eius amore copulare aut amare. Qui enim vero affectu in Deum fertur, instar gladii ancipitis quemcumque amorem alium huius mundi dirimit ac succidit ; nihilque eorum quae sub aspectum cadunt, animam illam detinere potest, non voluptas ulla, non sensualitas, non gloriae appetentia, non vinculum amoris carnalis, nec omnino quicquam huius mundi, sed quae solum Deum diligit anima, praeter ipsum nihil aliud diligit. Beati vos, fratres, si eo perfectionis pervenire omni conatu studeatis. Quod vobis concedat Dominus.

46ª Exhortatio

De caritate in Deum : quod sit eius obiectum ; quae proprietates et signa eius ; quique eiusdem effectus

1. Ut intellegamus quod sit caritatis sive amoris obiectum, cum proprie illud bonum sit, hoc autem sit duplex, scilicet bonum verum et apparens : si amoris nostri verum et solidum obiectum esse velimus, bonum verum oportet illud constituere. Nam si obiectum illi praebeamus bonum apparens, amor bonus esse non potest ; et mundanorum illud est, qui amant id quod apparet bonum, licet revera malum sit ; immo neque Deum cum tali obiecto vere amare possumus. Si enim, ut recte dicit D. Augustinus (1), « minus te amat, Domine, qui tecum[a] aliquid amat, quod non propter te amat » : sane, qui aliquid contra Deum amat, ipsum

(a) *qui solum tecum*. Uterque cod.

(1) S. August. PL. t. 32. Confess. lib. 10. c. 29, col. 796.

omnino non amat. Quod intellege, si in eo sit peccatum mortale: nam cum peccato veniali dilectio Dei stare potest.

Ut vero amorem verum obtineamus, quaerere et curare illi debemus verum obiectum, quod est verum et solidum bonum, quo nihil melius, nihil omnino praestantius, ut in quo bona omnia contineantur, sicut in omnium bonorum origine et fonte. Necesse igitur est ut amorem constituamus quasi verum circulum, nimirum, ut a Deo incipiamus et in Deo finiamus, id est, Deum amemus propter ipsum, et nos et proximos nostros similiter propter Deum. Inter proximos etiam potest esse ordo, ut quo sunt propinquiores et sanctiores, hoc maiore amore diligantur ; nam hic ordo et ratio amoris etiam in caelo servatur.

2. Proprietates autem huius virtutis sunt tres praecipuae ; nam plurimae aliae assignari possent. Hae tamen sunt principales, ad quas omnes aliae reduci possunt :

Primo est diffusiva, seu communicativa ; deinde unitiva, demum transformativa.

1° Diffusiva, seu communicativa caritas est, quae se diffundit in omnes, et quae omnibus communicare studet amans id quod habet, seu ea quibus praeditus[a] est. Supponit autem bonum in re quam amat inventum : Deus autem non propter bonum quod videat in creaturis, sed propter suam ipsius bonitatem eas diligit et amat. Et quia amare est bonum velle alicui, quas res Deus ab aeterno amavit, in idea illa divina praesentes, eisque bonum voluit ; et quia velle Dei non est diversum a facere ipsius, fecit et communicavit eis quod voluit, triplex scilicet bonum: bonum naturae per creationem, quod omnibus creaturis commune est ; bonum gratiae, iis qui fuerunt capaces ; bonum gloriae, iis qui in gratia perstiterunt. Et quia perfecta communicatio est inter similia, voluit summa illa maiestas et bonitas carnem humanam assumere, ut familiariter conversaretur homo factus cum hominibus. Unde ex perfecta Dei communicatione ad creaturas, colligitur perfectus eius amor, quo eas dilexit. Communicavit enim Christus Dominus se ipsum nobis, volens nasci de homine et conversari nobiscum. Cumque ista communicatio soleat esse inter similia — homo enim libentius conversatur cum homine quam cum bruto — Deus volens conversari nobiscum, et se nobis communicare plenius, iuxta illud (1) : *Deliciae meae esse cum filiis hominum,* assumpsit naturam humanam, in qua nobiscum conversatus est.

2° Unitiva est, quando cum aliqua re, quam amamus, iungi et uniri

(a) Sic uterque codex, varie mutatis quae praecedunt... *(amans*, i. e. ille qui amat).

(1) Prov. 8, 31.

desideramus. Hinc fit, ut, cum aliquam rem absentem amamus, illam adesse desideremus, et ex illo desiderio nascitur in nobis quaedam imaginatio illius rei, qua delectamur ; sicuti etiam Dei amor voluit suam divinitatem unire cum nostra humanitate in Christo. Hoc amore inflammatus Paulus prae nimio caritatis ardore clamat *Desiderium habens dissolvi et esse cum Christo* (1) ; et psalmista (2) : *Quid mihi est in caelo, et a te quid volui super terram ?* Item (3) : *Heu mihi ! quia incolatus meus prolongatus est.* Hic amor solet afferre magnam laetitiam sanctis in hora mortis. Nam intellegunt brevi futurum finem suae peregrinationis et exsilii, seque paulo post perventuros ad caelestem et beatificam visionem, quam angeli et sancti Dei omnes indesinenter contemplantur.

3° Transformativa denique est, cum ex abundantia amoris qui in nobis est, sentimus quandam mutationem, sicut sancti plerique senserunt propter ingentem amorem quo flagrabant erga divinam maiestatem : videbantur siquidem non homines, sed angeli esse. Quod evenit divo Paulo (4) : *Vivo ego, iam non ego, vivit vero in me Christus.*

3. Signa porro amoris multiplicia sunt. D. Augustinus ea compendio comprehendit inquiens (5), duos amores facere duas civitates : amor, inquit, Dei, usque ad contemptum sui, facit Hierusalem ; amor sui seu mundi, usque ad contemptum Dei, facit civitatem Babylonis. Si ergo interrogeris cuius sis, interroga te ipsum, etc. ; nam si Deum amas toto corde, eiusque honorem semper desideras, bonus est amor in te : si vero mundi honores quaeris, vitiosus in te amor viget. Ut enim ex nubibus decurrentibus cognoscitur unde flat[a] ventus, eodem modo amor noster ex affectionibus apparere solet. Si enim afficimur ex toto corde ad spiritualia, amor verus in nobis est ; sin ad carnalia, amor vitiosus et malus in nobis dominatur. Quare summopere nobis est curandum, ut omnes inordinatas affectiones et desideria carnalia in spiritualia convertamus, quo melius ac facilius amorem verum et sanctum acquirere et conservare possimus. Ait enim ipsamet veritas (6) : *Ubi est thesaurus tuus, ibi est et cor tuum.* Si tuus thesaurus est in caelo, et cor tuum in caelo est ; si vero in terra, ibidem est cor tuum.

Secundum signum verae caritatis et amoris est, si res omnes quae spectant ad honorem Dei cito facimus ; et huius rei dedit nobis exemplum ipsemet redemptor noster, qui statim ut fuit incarnatus, in uteroque gloriosae virginis exsistens movit matrem beatissimam virginem ut iret

(a) Huismodi mutanda non putavimus.

(1) Philip. 1, 23. (2) Psalm. 72, 25. (3) Psalm. 119, 5. (4) Gal. 2, 20. (5) S. Augst. PL. t. 41 de Civ. Dei, lib. 14, cap. 28 in. col. 436. (6) Matth. 6, 21.

festinanter ad montana, ut Beatam Elisabetham visitaret, sed praecipue intendebat filius Dei sanctum. Ioannem Baptistam sanctificare. Tantus videlicet amor nostri eum tenuit, ut noluerit exspectare nativitatem suam, ut hominem sanctificaret. Debemus ergo et nos, fratres mei carissimi, operam dare ut comparemus nobis verum Dei amorem, ut cum facilitate et celeritate omnia faciamus. Dicit D. Augustinus (1), quod omnia gravia facit amor levia ; et D. Hieronymus ait (2) : nihil durum esse amantibus. Nullum laborem duxit Iacob difficilem serviendo Laban annos unum et viginti cum maximo labore, ob amoris magnitudinem quo ferebatur in Rachel : sic nobis nihil grave, nihil amarum in disciplina Societatis videbitur, si vero et intenso amore in Deum flagraverimus.

Tertium signum verae caritatis est, si nostram propriam utilitatem et commoda postponimus communi bono ecclesiae vel Societatis, quod nostro multo est praestantius. Hanc causam assignant veteres sapientes tam diuturni et felicis status Romanae Reipublicae, quod caritatem et amorem inter se communem coluerint valde, et conservaverint ; eo vero deminuente et cadente, deminutam et collapsam esse illam Rempublicam. Et hoc nostro tam calamitoso saeculo, quot familias religiosas cernimus in omni regno et natione collapsas, quod hanc caritatem inter se fovere et promovere non curaverint, nec studium disciplinae religiosae colendae et conservandae, ut par est, adhibuerint. Studeamus proinde, fratres carissimi, servare inter nos mutuam caritatem ; sufferamus moderate verba, quae fratribus excedunt aliquando inadvertenter, vel ex aliqua levi passione, quae speciem habeat alicuius asperitatis, supportantes invicem in caritate Christi. Oremus cum aliis quando signum datum est orationi ; dum tempus est studendi, studeamus ; fugiamus otium et verba levia et saecularia, ne infirmioribus occasionem demus offensionis, perfectiores vero ne tristitia afficiamus.

Quartum signum caritatis et boni amoris est, constantia et stabilitas in operibus bonis. Nam si rem vere stabilem amamus, amor noster est stabilis ; sin instabilem, amor noster instabilis est. Nemo enim, ut ait Gregorius (3), potest amare mobilia et ipse immobilis permanere, quod cotidie cernimus evenire iis qui res huius mundi amant ; nam modo ad hoc, modo ad illud affectum suum conferunt. Causa est, quia secundum mutationem rerum quas amant, mutatur etiam eorum animus. Atqui servus Christi verus, qui ipsius amore semper ardet, numquam deserit quod ob ipsius amorem semel inchoavit ; ut videre est in sanctis martyribus, qui

(1) S. Augustin. PL. t. 38 Sermo de Script. 70. cap. 3 in. col. 444. (2) S. Hieron. PL. t. 22. Ep. ad Eustochium col. 423. n. 40. (3) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. lib. 8. cap. 42. nº 69 col. 844.

nullis licet saevissimis cruciatibus divelli potuerunt ab amore Dei, quia videlicet Deum immobilem et incommutabilem vere amabant. Studeamus igitur et nos, fratres, imitari eorum constantiam, ut te, dilecte, in millibus semper amemus, semper teneamus, numquam relinquamus; nullus tentationum impetus abs te separet, nullus amor creaturarum seiungat, quo firmiores ac stabiliores evadamus. Sed quis hoc habeat, nisi tu infinita bonitas dederis ?

Quintum signum veri amoris est, loqui, audire, cogitare, conferre libenter de rebus divinis. Signum est perevidens quando magnificamus Deum, quando magnam curam habemus earum rerum quae ad ipsius cultum pertinent, quando nos mutuo incitamus per viam rectam ambulare, quando nos sentimus maiores in virtute processus facere. Dedit exemplum nobis Deus, quando monuit Aaronem, ut populi sui singularem curam haberet, atque ne ei memoria[a] excideret, iussit in veste sacra, et nominatim in pectorali insculpere duodecim tribus Israël. Item rex David (1) cum esset in spendido suo palatio recordatus arcae, aliorumque sacrorum vasorum, quae collocata erant in loco humili, exivit subito e suo palatio cogitans et dicens : indignum esse ut ipse in tam splendido maneret loco, res vero sacrosanctas[b] in loco indecenti relinqueret ; statimque convocatis musicis et aliis ad melodiam pertinentibus psallere coepit in honorem illius arcae, eamque in decenti ac honesto loco tandem collocavit.

Sextum signum amoris veri est, quando peccata et offensiones contra Deum commissas deflemus, eaque odio habemus ad quae prius afficiebamur. Item quando libenter versamur in oratione, in meditatione, examine conscientiae ; ac denique, quando nos urget studium disciplinae, et quando occasiones peccati fugimus, sicut fugiunt serpentem, qui ab ipso abhorrent. Cuius rei exemplum capere possumus ex beata Magdalena (2), quae peccata sua ita deflebat, ut salvatoris pedes lacrimis ablueret. Nos itaque in Societate, si Deum vere amamus, peccata nostra deflere studeamus, neque solum nostra, verum etiam et proximorum ; quod docuit nos Christus suo exemplo, qui flevit super civitatem Hierusalem, peccatis et voluptatibus immersam ; et D. Petrum ter interrogans (3) : *Petre, amas me ?* ac eo respondente : *tu scis quia amo te,* dixit : *pasce oves meas,* quasi diceret : si vere amas me, curam habeto de ovibus meis, ne pereant. Nos ergo, fratres carissimi, quos misericors Dominus vocavit ad iuvandas animas, ostendamus verum amorem erga ipsum nos habere, easdem sedulo iuvando.

(a) *memoriae.* A et B. (b) *sacras.* B.

(1) 2 Reg. 7 ; 1 Paral. 17 (2) Marc, 14 ; Ioann. 12. (3) Ioann. 21, 15-17.

4. Sed pauca dicamus de effectibus amoris.

Primus est, quod operetur in nobis secundum proprietates ignis, quae sunt sursum ferri, illuminare, calefacere et urere seu consumere. Nam amor Dei semper desiderat suum locum, qui caelestis est, et Deus ipse[a] sibi coniungens et continens beatos. Propterea qui amore divino flagrant, consentire nequeunt cum iis qui inferiora amant et in iis haerent, nec iis affici, quia semper quae sursum sunt quaerunt; sicuti sancti omnes fecerunt illo amore inflammati, qui non solum intellectu, verum etiam interdum corpore in aere elevabantur, ut de sancto Bonaventura legitur, quod semel visus est ex intensa contemplatione elevatus, sugere cuiusdam crucifixi latus. Et huius quidem effectus multa sunt exempla in vitis sanctorum.

Secundus effectus amoris est illuminare. Amor enim seu caritas illuminat mentem et intellectum, quod videre licet in historiis et operibus seu actionibus sanctorum multorum, qui quamvis rudes et imperiti artium essent, sapientissimi tamen exstiterunt, ut S. Antonius, S. Franciscus, S. Catharina Senensis. S. Thomas Aquinas de se dicit, quod plus scientiae et sapientiae hauserit orando, meditando et contemplando quam studendo et audiendo : sic enim doctrina Deum amanti a Deo infusa, non labore acquisita fuit. Amor igitur illuminat intellectum, sicuti peccatum amori contrarium illum offuscat et mentem excaecat.

Tertius amoris effectus est calefacere affectum, quod sanctis accidisse cernimus, praesertim martyribus, qui interius sic accendebantur, ut ardere viderentur exterius. De S. Francisco de Paula legimus ipsum semper, etiam hieme, pectus habuisse detectum, neque ferre potuisse ut tegumentum ullum adhiberetur. S. Laurentius in craticula exsultabat, quia vis flammae interioris vim ignis exstinguebat.

Quartus effectus amoris est, absumere scilicet veterem hominem cum actibus suis. Nam sicut ignis consumit rubiginem ferri, ita amor consumit rubiginem animae, quae est peccatum. Si ergo huius amoris effectus et beneficium sentire velimus, excutiamus omnem inordinatum amorem.

5. Caritati adversantur : 1° Nimius amor sui, causa multorum malorum. Huic enim omnia peccata et mala saeculi extremi tribuit D. Paulus (1) : *Erunt homines se ipsos amantes*. Hic amor excaecat hominem, adeo ut nesciat et non videat se ipsum, nec malum suum. 2° Vanus amor mundi, qui plures misere decipit, valde adversatur caritati, quia mortales trahit in peccata plurima. 3° Odium proximi. Qui enim proximum odit, gratia

(a) Prorsus ita ex utroque codice.

(1) 2. Timot. 3, 2.

Dei excidit et in lumine non ambulat. 4° Omnis offensa Dei mortalis adversatur caritati, seu amori Dei, quatenus a Deo dividit et separat : *Iniquitates vestrae diviserunt inter vos et Deum vestrum* (1).

6. Ad proficiendum et ad caritatem promovendam maximum habent momentum : 1° Magnum desiderium proficiendi. 2° Amorem suum a creaturis ad creatorem recolligere. 3° Doctrinae seu lectioni sacrae intendere. 4° Meditationem et orationem habere familiarem. 5° Tentationes afflictionesve tolerare patienter. Impellunt enim hominem ad recurrendum ad Deum pro auxilio habendo ; et desideria prosperitate flaccescunt. Quae cum non possimus, fratres, virtute nostra praestare, ad Deum nobis confugiendum est, et ad fontem miserationum eius. « Qui terrenum adire regem, ut ait D. Ephraem (2), volunt, a ianitoribus saepe[a] prohibentur, a militibus et ministris expelluntur ; dona proceribus[b] afferunt, ut voti compotes fiant. Nos[c] autem ut ad regem universorum accedamus, nihil horum necessarium est : non dona requirit, nec est qui accipiat, neque qui impediat quin statim rex inveniatur et admittat nos peccatorum immemor nostrorum et iniuriae sibi factae ; quin de nostris imperfectionibus. ut benignus est, dolet. Accedamus igitur, fratres mei, ad ipsum in conscientia pura et veritate ; nam priusquam, mi frater, exiguum aut magnum quid loquaris, praevidet de quibus locuturus sis, et antequam os aperias, quae in tuo corde sunt praecognoscit ; ne ergo vacilles aut timeas ; non enim durus est medicus, sed suavis et indulgens solo verbo curat. Considera paralyticum et audies salutare verbum (3) : *Tibi dico surge, tolle grabatum tuum et vade in domum tuam ;* et e vestigio sanus factus est homo et baiulans suum quo portabatur lectum, ambulabat sanus. Dixit et leproso (4) : *Volo, mundare, et confestim mundata est lepra eius.* Quin et Lazarum quoque quadriduanum solo verbo excitavit Dominus a mortuis (5). Illius etiam, quae pedes eius lacrimis irrigavit et capillis suis abstersit, peccata libenter solo verbo diluit atque dimisit dicens (6) : *Confide, filia, fides tua te salvam fecit.* »

Ne ergo haesitemus ; non enim reiciet nos iuvari et salvari volentes. Sic faciendo laeti et securi in Domino vivemus.

(a) Non add. ed. vaticana neque Col. (b) *principibus*, in utraque ed. (c) Reliqua non citantur ad verbum. Exspectaveris : *Nobis autem, ut...*

(1) Isai. 59, 2. (2) S. Ephraem. t. 2 (n. 78). Paraen. 42. p. 420 e. extr. (3) Marc. 2, 11. (4) Matth. 8, 3. (5) Ioann. 11, 43. (6) Matth. 9, 22.

47ª Exhortatio

De amore proprio, et de eius effectibus et signis, ac de caritate[a] erga proximos

1. Amor est radix et causa omnium passionum tam animalium quam spiritualium. Nam amor naturalis animalis est inclinatio ad rem amatam consurgens ex apprehensione boni sibi convenientis ; unde fit ut id odio habeat quod sibi contrarium est et incommodum. Ex amore vero nascitur desiderium, et consequenter amor spiritualis causa est quattuor passionum spiritualium generalium. Nam qui diligit Deum super omnia, odio habet quod est contrarium amori Dei. Ex amore vero nascitur spes, dum consideramus Dei benignam liberalitatem repromittentis aeterna ; et quia Deus tamquam obiectum summe conveniens animae repraesentatur per cognitionem, sequitur gaudium de eius praesentia, et si absit, tristitia, vel metus amittendi. Passio autem amoris potest dividi in amorem proprium, sive sui, et in amorem parentum ; in amorem carnalium, et in alios amores. Nos autem in praesenti exhortatione agemus solum de amore proprio, quo potissimum affectiones et operationes nostrae inficiuntur. Distribuemus vero materiam praesentem trifariam : 1° loco ostendemus quotuplex sit amor sui ; 2° signa eius declarabimus ; 3° remedia apponemus.

2. Amor igitur sui triplex esse potest : naturalis, sensitivus, intellectivus. Appetitus enim in bonum triplex est. Naturalis est, quem habent res omnes naturales secundum suam propriam naturam pro sui conservatione, ut ignis naturaliter appetit sursum ferri, ut se conservet. Sic amor est quidam naturalis inter animam et corpus ut se conservent, nec umquam unum vellet alterum dimittere, ne tolleretur natura hominis. Hic amor non est malus ; non sufficit tamen ad salutem.

Secundus amor sui est appetitus sensitivus, quo inclinatur animal, non ex libero arbitrio seu iudicio, sed ex quodam impetu in bonum delectabile secundum sensum, et dicitur amor animalis seu sensualis, id est, quaedam complacentia sensualitatis ad ea quae sunt delectabilia sensibus. Quilibet enim sensus amat, delectaturque suo obiecto, ut gustus dulcedine saporum, auditus suavi concentu vel nuntiis laetis ; et hic amor est etiam in brutis : in homine vero potest esse malus ; ideo temperandus est et mortificandus.

(a) *de amore in.* B.

Tertius amor est appetitus rationalis seu intellectivus ex apprehensione appetentis secundum liberum arbitrium et iudicium, diciturque voluntas, cuius inclinatio in bonum secundum rationem et intellectum dicitur amor intellectivus. Et hic amor sui est bonus, estque ordinatus secundum regulam et ordinem rationis, ut nimirum homo se ipsum amet et conservet secundum instinctum naturae. Quamvis vero non fuerit speciale praeceptum datum de dilectione sui, quia homo ad eam propensionem ordinatus et inclinatus est naturaliter, includitur tamen in praecepto Dei et proximi, ut habet D. Augustinus (1) : « Nos ipsos, inquit, tanto magis diligimus, quanto magis Deum diligimus » ; et D. Thomas (2) : qui non diligit Deum nec se ipsum diligit ; et D. Bonaventura, d. 28, a. 3 : « diligere Deum ex toto corde, ex tota anima, etc. est se ipsum spiritualiter diligere ; ille enim spiritualiter se amat, qui animam et corpus ad honorem Dei totaliter exponit ».

3. Amor sui bonus est, 1° quando homo sibi vult bonum honestum, utile et delectabile secundum ordinem rationis, necessarium autem ad maiorem Dei gloriam et conservationem sanitatis ; recreationem honestam, etc. qua natura delectatur et fit validior. 2° Amor sui bonus est, quando quis se amat secundum verum bonum, id est, mentem et spiritum, et omnia sibi vult bona quae faciunt ad conservationem et augmentum vitae spiritualis ac hominis interioris. Augustinus (3) : « Homo se ipsum amare debet, aut quia iustus est, aut ut iustus sit. Qui aliter se diligit, iniuste se diligit, quia ad hoc se diligit ut sit iniustus, ac per hoc iam se non diligit : *Qui enim diligit iniquitatem, odit animam suam* (4) ».

4. Amor sui malus est, quo homo sensualis se diligit amore sensuali, volendo sibi bonum apparens, licet cum Dei offensa vel contemptu ; de quo (5) : *Instabunt tempora periculosa : erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati,* et hi sunt, de quibus dicitur (6), *quorum Deus venter est ;* carnales, qui curam faciunt carnis in desideriis et concupiscentiis suis, amorem autem Dei usque ad contemptum sui excludunt, et hunc amorem malum fovent usque ad contemptum ipsius Dei ; quem eleganter descripsit Augustinus (7) lib. de Civitate Dei, dicens duos amores constituere duas civitates, etc.

5. Amare se ipsum potest se habere tripliciter ad caritatem, ut col-

(1) S. August. PL. t. 42 de Trin. lib. 8. cap. 8 extr. col. 959. (2) S. Thomas. 2. 2ae. q. 25. a. 7. ad 3m. (3) S. August. t. 42. de Trin. lib. 8 cap. 6 extr. col. 956. (4) Psalm. L. 10, 6. (5) 2 Timot. 3, 1. 2. (6) Philip. 3. 19. (7) S. August. PL. t. 41 de Civ. Dei. lib. 14, cap. 28 in. col. 436.

ligitur ex D. Thoma (1) : 1° ut contrariatur caritati, quando homo videlicet in amore proprii boni finem constituit, et hic amor est peccatum, quo mali se diligunt. 2° Ut includitur in caritate, quando nimirum se homo propter Deum et in Deo diligit, qui modus est bonus. 3° Ut distinguitur a caritate, sed ei non contrariatur, ut cum aliquis diligit se ipsum secundum rationem proprii boni, ita tamen quod in hoc proprio bono non constituit finem ; et hic modus amandi est naturalis, nec est peccatum, nec per se virtus ; potest tamen esse virtus, si in Deum referatur.

Contingit autem aliquem amare se ipsum tripliciter, ut habet S. Thomas (2) : primo modo — qui est communis omnibus bonis — cum quis amat id quod se ipsum esse aestimat, id est, suam naturam,et individuum compositum ex anima et corpore, naturaliter eius conservationem amando. Et hic amor non est vitiosus. Secundus modus est proprius bonorum ; tertius proprius malorum. Boni diligunt quod principale est in ipsis, nempe hominem interiorem, quem praecipuam esse partem hominis recte existimant. Est enim homo propter mentem et rationem, et qui vere se cognoscunt, vere se diligunt.

6. Vere se diligere consistit in quinque, quae sunt propria amicitiae, ut Aristoteles habet (3) : 1° Amicus vult amicum suum esse et vivere. 2° Vult ei bona. 3° Operatur bona ad ipsum. 4° Convivit illi delectabiliter. 5° Concordat cum ipso, et cum eo contristatur et congaudet.

Sic boni diligunt se ipsos, quantum ad interiorem hominem, quia 1° volunt ipsum servari in sua integritate. Ita Christus orabat pro apostolis (4) : *Non rogo,* pater, *ut tollas eos de mundo, sed ut serves eos a malo.* — 2° Optant ei bona interiora, et etiam procurant. — 3° Ad ea consequenda, opera sua omnia dirigunt. — 4° Delectabiliter ad cor proprium redeunt, et quasi convivunt. — 5° Inveniunt bonas cogitationes in praesenti et memoriam praeteritorum bonorum et spem futurorum, ex quibus delectatio nascitur ; non patiuntur autem in se ipsis voluntatum dissensiones, quia tota anima eorum tendit in unum.

Mali autem diligunt quod in se ipsis principaliter aestimant, videlicet naturam sensitivam, seu hominem exteriorem. Unde non recte cognoscentes se ipsos, nec vere se diligunt, et consequenter nolunt conservari in integritate interioris hominis, sed exterioris ; non appetunt spiritualia bona sed carnalia ; nec ad hoc operantur, ut bona videlicet interiora et spiritualia sibi comparent ; nec ipsis delectabile est secum convivere

(1) S. Thom. 2, 2ae. q. 25. a. 7. c. (2) S. Thom. l. c. (3) Aristot. Eth. Nic. lib. 9, cap. 4. (t. 2, p. 107 Didot). Vide S. Thom. l. c. (4) Ioann. 17, 15.

redeundo ad cor, quia ibi inveniunt mala praesentia, et futura, et praeterita, quae abhorrent; nec sibi ipsis concordant propter conscientiam remordentem, iuxta illud (1) : *Arguam te, et statuam contra faciem tuam;* et sic amant se secundum corruptionem hominis exterioris. Et hic amor proprius est principium perveniens usque ad contemptum Dei. Ita enim exteriora bona cupiunt se ipsos amantes hoc amore proprio, ut spiritualia contemnant. Et in his amor naturalis, quo diligunt suam conservationem, pervertitur. D. Basilius in Const. monast. (2) : nihil est, inquit, facilius quam se ipsum fallere, quod sibi ipsi quisque benevolus aequove indulgentior est iudex, et quae iucunda sunt, ea utilia iudicat.

7. Effectus et signa amoris proprii iam dicemus, quia unum consequitur alterum ;

Primum igitur est, nimium affici erga vitam praesentem ob delectationes sensualitatis, quas homo capit ex rebus mundanis, et in iis finem suum constituit, et sic fruitur se ipso, et utitur Deo. Nihil autem peius est, ait Augustinus (3), quam uti fruendis et frui utendis.

Secundum signum est, cum quis turbatur dum rebus quas diligit privatur.

Tertium, timere aliquid inordinate ; timor enim ab amore procedit inordinato, dum timet aliquid quod amat sibi auferendum, vel certe dubitat an contingeta sibi auferri.

Quartum, libenter loqui de aliqua re levi, et quae ad Deum non refertur nec referri potest ; quia ex abundantia cordis os loquitur (4).

Quintum, easdem res assidue vel crebro aspicere ; nam oculus est nuntius cordis.

Sextum, saepe cogitare de illa re et cum delectatione ; nam delectatio supponit amorem.

Septimum, desiderare aliquam rem temporalem, ut quis ea delectetur. Nam desiderium amorem praesupponit.

Octavum, spem inordinatam habere obtinendi aliquid. Augustinus (5) : « Cuius rei adipiscendae spem non gerit, eam aut tepide amat, aut omnino non amat, quamvis quam pulchra sit videat ».

8. Remedia contra amorem proprium sunt :

Primum actualiter se privare re amata, eamque superiori consignare,

(a) Sic uterque codex.

(1) Psalm. 49, 21. (2) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. c. 22. n. 5 c. col. 1410. (3) S. August. PL.t. 40 de Divers. quaest. 30a (lin. 14.) col. 19. (4) Matth. 12, 34 ; Luc. 6, 45. (5) S. August. PL. t. 42. de Trin. lib. 10 cap. 1. n. 2. col. 973 p. m. [Nam cuius...]

et si ipse concedat, cum aliqua tamen repugnantia eandem accipere.

Secundum est, considerare id quod dicit Augustinus (1) lib. de utilitate credendi : « Sordes animi sunt amor quarumlibet rerum, praeter animam et Deum, a quibus sordibus quanto quisque est purgatior, tanto verum facilius intuetur ». Et alibi, libro de civitate Dei (2) : « Omnis creatura, cum sit bona, et possit bene amari et male : bene scilicet ordine constituto, male, ordine perturbato » ; debemus ergo eligere quod melius. Gregorius (3) : « Vehementer claudit oculum cordis amor privatus, ex quo fit, ut quod a nobis agitur, grave esse non aestimemus ; quod autem agitur a proximo, nimis detestabile esse videatur ».

Tertium remedium est abnegare nos ipsos, ut Christum sequamur dicentem (4) : *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum* etc. Ubi Gregorius (5) : « Laboriosum, inquit, non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere semet ipsum ; minus quippe est abnegare quod habet, valde multum est abnegare quod est. »

Quartum. Quando homo sentit in se imminui amorem Dei — signum enim est quod afficiatur magis alicui alteri rei. — Remedium igitur est, minus affici illi rei, et si opus est, illam a se removere.

Quintum est, si quis se sentiat cupidum, curiosum ac vagum, — quod signum est amorem proprium in eo dominari — reprimere illam cupiditatem et curiositatem, atque applicare se alicui rei seriae vel tractandae, vel legendae.

Ergo, fratres carissimi, ut hanc pestem a nobis propulsemus, studeamus dulcedinem divini amoris perfecte gustare. Non enim possunt verus et castus Dei amor, et amor proprius simul habitare. Lux et tenebrae non consentiunt inter se. Balsamus non fert ut immisceas illi vel acetum, vel corruptum aliquid.

9. Plus satis tractavimus de amore proprio. Antequam hanc exhortationem absolvamus, libet aliqua dicere de caritate quam habere debemus erga proximos et erga nos mutuo. Nam B. P. N. Ignatius tanto erga eos ferebatur affectu, ut hanc voluerit caritatem in fine Societatis comprehendi. Nam a suae conversionis et vocationis initio, dum se recepisset ad montem Serratum et ad locum solitarium, praecipue duobus exercitiis vacabat, de duobus videlicet vexillis et de rege ad bellum se comparante contra hostem infernalem et contra mundum. Est autem utrumque ordinatum ad curandam et promovendam salutem proximorum. Duxit enim iam

(1) S. AUGUST. PL. t. 42. de Util. cred. cap. 16. n. 34. col. 89 extr. (2) S. AUGUST. PL. t. 41. de Civit. Dei. lib. 15. cap. 22. col. 467 ante versus. (3) S. GREGOR. PL. t. 76 in Ezech. lib. 1. hom. 4. n. 9 p. in. col. 819. Invertuntur sententiae. (4) Matth. 16, 24. (5) S. GREGOR. PL. t. 76 in Evang. lib. 2. hom. 32. n. 1 extr. col. 1233.

a principio nulli parcendum labori, nullis vigiliis et incommodis, ut proximo in re salutis opitularemur, sed paratos esse debere suos imitatores ad privandum se omni consolatione et commodo pro iuvandis proximis. Ita Paulus ardebat igne huius amoris, ut diceret (1) : *Optabam ego ipse anathema esse a Christo pro fratribus meis* ; et alibi dicit (2) : *Dilectio proximi malum non operatur ; plenitudo ergo legis est dilectio.* Non tamen propterea ab oratione, meditatione et aliis exercitiis quae pertinent ad peculiarem profectum nostrum, abstinendum est. Non enim ita effundere se debet religiosus Societatis in salutem proximi, ut ea quae propriae sunt salutis neglegat ; sed sicut qui aliis negotiis occupatus, corporis refectionem si differt, non omnino tamen omittit, sed quod non potest statis horis facere, facit quando potest, hoc est paulo tardius : ita neque nos spiritualem refectionem omnino praetermittere debemus ; sed sicut opportunum tempus pro corporis cura novimus capessere, ita multo magis inveniemus pro animae spiritualis refectione, si Dei amor urgeat nos.

S. Ephraem (3) : « Disce, inquit, sollicitudinem pari cum humilitate iunctam ex Rebecca[a] et virtutem sanctae illius virginis, et admirare[b] quomodo advenam hospitio exceperit (4), neque tamen[c] quae propria officii erant neglexit. Descenderat Rebecca ad fontem, et impleverat hydriam et revertebatur ; occurritque ei servus et ait : Pauxillum aquae mihi ad bibendum praebe de hydria tua. Quae respondit : Bibe, Domine mi ; et celeriter[d] deposuit hydriam super brachium suum, et potavit eum quoad usque cessavit bibens. Quin, dixit, et camelis tuis hauriam aquam ; atque multis ante saeculis evangelicam implevit vocem, qua dicit Dominus (5) : *Si quis te angariaverit ad miliare unum, vade cum illo et alia duo.* Sic et sancta illa gratiam duplicavit et caritatem, dicens : bibe, Domine mi, et camelis tuis hauriam aquam. Et haec dicens non est contenta verbis, donec et opere sermonem compleret secundum illud : non enim in sermone est regnum caelorum, sed in virtute (6). Omnem, inquit textus, hydriam evacuavit in canalem et cucurrit ad puteum ad hauriendum, et hausit aquam omnibus camelis. Et hic animae eius contemplare virtutem : nihil enim segniter, nihil superbe, nihil arroganter factum comperies. Hominem peregrinum appellabat Dominum, et viatori tamquam vera ancilla ministrabat.

(a) *c. h. i. Rebeccae*, ed. Col. (b) *s. i. mulieris admiraberis, q. a.* ibid. (c) *n. t. q. pr. off. e. neg.* desunt in ed. Col. et eorum loco legitur : [*exceperit.*] *Scriptum enim est : Descenderat...* (d) *D. mi. celeriterque...* ed. Col.

(1) Rom. 9, 3. (2) ibid. 13, 10. (3) S. Ephraem, t. 1 (n. 59) de Patientia et Compunctione. p. 159 b. Non ad verbum. (4) Gen. 24, 15 sqq. (5) Matth. 5, 41. (6) 1. Cor. 4. 20.

Simile exemplum habes in Iacob (1). Et ne dicas propter cognationem fecisse, accipe exemplum a Moyse : is fugitivus et alienigena erat. Magna videlicet est gratia, quae refulget in mentibus sanctorum tuorum, Domine, cum matrem virtutum a simulatione alienam, caritatem induerunt ».

Aliquando tamen caritas postulat ut pro salute proximi ab oratione et contemplatione cessemus. Exemplum affert D. Thomas (2), quo declarat propterea nihil deperire laboranti ; quia servus, qui solet domino fere continenter assistere, si quando propter utilitatem eri et servitium eius, relicto domino se occupet in negotiis, tantum abest ut dominum offendat vel ei minus pareat, ut multo magis ei obsequatur et deserviat, quam cum ante ei assistebat. Sic evenit ei qui se ad tempus privat oratione, ut proximorum saluti consulat. Debet cotidie tamen, quando potest, aliquid temporis sumere quo se recolligat et orationi vacet, quo vires robustiores resumat ad maiorem profectum suum et proximorum.

10. Caritas Societatis minime angusta est, sed omnia genera personarum et nationum amplectitur ; neque illud tantum, sed quaecumque etiam potest media usurpat in eum finem ; quia, ut ait Apostolus (3), *Plenitudo legis est dilectio,* et hanc ipse perfecte possidens dicebat (4) *: quis infirmatur et ego non infirmor ? quis scandalizatur, et ego non uror ?* Vides indulgentiam atque compassionem caritatis ? cernis commiserationis affectum ? intellegis cordis latitudinem ? O beate Paule, cur obsecro ita propter me angeris ? Numquid tu pro me supplicia passurus es ? Tu semel cursum consummasti, fidem servasti, tibique reposita est iustitiae corona ; cur te ipsum affligis ? et propter me cur infirmaris ? Ita sane, inquit, urget me caritas.

Vidistis, fratres carissimi, caritatis eminentiam : is qui per eam impleverat legem, mortali adhuc et corruptibili indutus corpore usque ad tertium caelum ascendere meruit, et audire arcana verba quae non licet homini loqui, is, inquam, igne hoc caritatis in proximos quanto ardebat ? Homines Societatis, qui spiritum hunc apostolicum et rationem vivendi consectantur, ex spiritu et instituto Societatis simili zelo salutis animarum ardere debent. Et Deo sit laus, quia ardent plerique : vides ubique magnum a Societate fructum fieri, ab omnibus amari, ab omnibus eorum operam desiderari, qui omnibus omnia fiunt ut omnes lucrifaciant Christo (5). Propterea linguas varias discunt, et induunt mores et consuetudines populorum in quibus partibus degunt, ut sint cariores et utiliores.

Item caritas Societatis est bene ordinata et praefert semper id quod debet praeferri ; et hac ratione considerat de officiis caritatis quae facere,

(1) Gen. 29. (2) S. Thom. 2. 2ae. q. 182. a. 1. ad 3m, et a. 2. ad 3m. (3) Rom. 13, 10. (4) 2 Cor. 11, 29. (5) Cfr. 1 Cor. 9, 22.

quae omittere debeat, quare hoc potius quam illud adhiberi, ut intellegunt maiorem Dei gloriam postulare. Hanc porro agendi rationem constitutiones tota fere parte septima summopere commendant.

Caritas item Societatis sancta quadam invidia et aemulatione accenditur, et imitatur, quatenus potest et in quibus valet, divinam caritatem et bonitatem, ut numquam vel peccato, vel iniuria, vel modo agendi, vel vitio ullo licet gravissimo cuiusquam vincatur, minuatur aut perturbetur, quin potius augetur. Immo occasionem inde accipit magis iuvandi, inquirendo media ad id praestandum, et ex ipsismet defectibus occasionem sumendo ad salutem ipsorum promovendam. Sic enim, tu Deus optime, soles videlicet ex malis nostris bonum colligere, ut nostram promoveas salutem, et nos ad caritatis officia doceas et excites.

Sic, fratres carissimi, ut finem faciam, etiam nos agamus, et imitatores Dei simus, qua possumus industria ac providentia in curanda salute proximorum nos geramus, non ex eventu solum procedentes, sed adhibeamus convenientem considerationem, necessariaque media ; magna animi aequabilitate omnes superemus difficultates, nulla nos tristitia contrahat, uberior laetitia nos non laxet, sed omnia ex ratione agamus ad Dei gloriam et proximorum consolationem. Amen.

48ª Exhortatio

De causis mutuae caritatis ; de modo eam promovendi ac mediis

Dicemus modo, fratres carissimi, de caritate mutua, quam Christus Dominus verbo et exemplo tam studiose commendavit. Dicemus autem in praesenti exhortatione de causis mutuae inter nos caritatis, deinde de mediis eam promovendi, denique de modo nos mutuo diligendi.

1. Prima igitur causa est Christi praeceptum ad discipulos dicentis, et consequenter ad nos (1) : *Hoc est praeceptum meum, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Christus Dominus volens animos nostros excitare ad mutuum amorem, certissimum illud argumentum tradidit, quod quicumque suus esse et censeri discipulus vellet, amare proximum deberet ; neque

(1) Ioann. 15, 12.

existimaret se multum fecisse, licet prodigia ac stupenda miracula effecisset, si hanc animo caritatem non possideret et exerceret. Quid autem dicit ? *In hoc,* ait (1), *cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Sic ubique Christus praecepta duo caritatis semper copulat ut, quod proximo quisque benigne fecerit, id habeat perinde ac si ipsi factum fuisset. *Esurivi,* inquit (2), *et dedisti mihi manducare.* Tum addit (3) : *quam diu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Ideo Moyses hoc mandatum adeo servavit, ut peteret pro populi sui salute « deleri de libro vitae » (4). Sic Paulus quoque *anathema esse pro fratribus* (5).

Secunda causa est, vinculum triplex fraternitatis : primum naturale inter omnes homines : Augustinus (6) de doctr. Christ. : Si putamus, ait, non esse proximos nisi qui ex iisdem parentibus nascuntur, Adam et Evam intendamus, et omnes fratres sumus. Secundum, fraternitas spiritualis, id est, qua ex uno patre Deo, et ex una matre Ecclesia geniti, christiani effecti sumus. Augustinus ibidem : Omnes fratres sumus secundum quod christiani sumus (7). Est praeterea una communis nostra hereditas, Hierusalem, quae aedificatur ut civitas, cuius participatio eius in id ipsum (8). Quod Glossa ordinaria de nulla hereditate carnali posse dici asserit ; hic enim habent bona divisa, diversa ac deficientia ; ibi vero quidquid boni est, erit singulorum et omnium ; quod illud significat : participatio in id ipsum. Hinc Gregorius (9) : felix hereditas, quam multitudo heredum non coangustat. Tertium vinculum est fraternitas eiusdem religionis et Societatis : *Ecce quam bonum et quam iucundum, fratres habitare in unum* (10).

2. Tertia causa est exemplum Christi et Sanctorum. Et Christi quidem qui tantopere nos amavit, ut fratres suos nos vocaverit et pro nobis mori voluerit, *Qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo* (11) ; *qui dedit semet ipsum pro nobis* (12). — Secundum exemplum est Angelorum, qui adeo amant hominem, ut custodiant eum in omnibus viis suis (13). *Videte,* ait Christus (14), *ne contemnatis unum ex his pusillis ; dico enim vobis, quia angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui*

(1) Ioann. 13, 35. (2) Matth. 25, 35. (3) ib. v. 40. (4) Cfr. Ex. 32, 32. (5) Rom. 9, 3. (6) S. August. PL. t. 40 de Disc. Christ. cap. 3. n. 3. col. 671. Cfr. t. 36. Enarr. secunda in. Ps. 25. n. 2. col. 189 ; et En. 3 in Ps. 32. n. 29 p. in. col. 299. (7) August. ibid. in Ps. 25 et 32 in uhi in nota 6. (8) Psalm. 121, 3. (9) Apud S. Gregor. non reperimus haec verba : at vide S. August. PL. t. 36 Enarr. in Ps. 49, n. 2. col. 565 p. m. (Tanta enim) ; vel t. 37 Enarr. in Ps. 83 n. 8. col. 1061 a. f. (Possident), (10) Psalm. 132, 1. (11) Apoc. 1, 5. (12) Tit. 2, 14. (13) Psalm. 90, 11. (14) Matth. 18, 10.

in caelis est. — Tertium exemplum est Sanctorum. Divus Ioannes evangelista dicere solebat discipulis : « filioli, diligite alterutrum » ; quae verba, cum saepe repeteret, et discipuli gravate audirent, dixit : « Praeceptum Domini est, et, si solum fiat, sufficit ». — Quartum exemplum est animalium irrationalium, quae se mutuo eiusdem speciei diligunt. *Omnis caro,* ait Sapiens (1), *ad similem sibi coniungitur.*

Quarta causa est, quia proximus est frater meus in Societate eiusdem parentis et matris filius; membrum eiusdem corporis, cuius membra sumus omnes. *Multi* enim *unum corpus sumus in Christo, singuli autem alter alterius membra* (2). Est autem naturalis inter membra eiusdem corporis coniunctio et amor.

3. Quinta causa est utilitas magna quae provenit ex mutua et fraterna dilectione, quia *frater qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (3) ; et « concordia res parvae crescunt, discordia maximae dilabuntur » (4). *Qui diligit fratrem suum, scandalum in eo non est* (5). Ubi Glossa : qui enim diligit fratrem suum, tolerat omnia propter unionem caritatis ; et si frater adhibet correctionem, non irascitur nec infert contumeliam, iuxta illud (6) : *Pax multa diligentibus legem tuam,* id est, caritatem, *et non est illis scandalum.* Alia utilitas est divina habitatio : nam si diligamus invicem, Deus habitat in nobis. Addo et filiationem Dei ; sicut enim per odium homo efficitur filius diaboli, ita per caritatem fit filius Dei : *Qui diligit* fratrem *ex Deo natus est* (7) ; et ibi Augustinus (8) : « Dilectio sola discernit inter filios Dei et filios diaboli ; signant se omnes signaculo crucis, respondent omnes amen, cantant omnes alleluia, baptizantur omnes, omnes intrant ecclesiam, non discernuntur filii Dei a filiis diaboli, nisi caritate ». Qui habent caritatem nati sunt ex Deo ; qui non habent non sunt ex Deo. Moyses magis dolebat videre Deum ab aliquo offendi, quam se. Ita Moysi ait Dominus : « Sine me, et faciam te in gentem grandem » ; sed ipse : « Dele me de libro vitae, aut parce illis ». Fregit nihilo minus tabulas, quibus illos indignos putabat, quod adorassent idola. — Utilitas est altera, aeternae beatitudinis promissio. Hieronymus : « O nimiam Dei clementiam, o ineffabilem Dei benignitatem ! praemium se nobis pollicetur, si invicem diligimus, et si nobis ea praestamus invicem, quibus indigemus. »

Sexta causa invitans nos ad mutuam caritatem et dilectionem, est damnum quod sequitur ex discordia, scilicet, fraterna malevolentia ; hoc enim facit discordia in corpore mystico ecclesiae vel religionis, quod

(1) Eccli. 13, 20. (2) Rom. 12, 5. (3) Prov. 18, 19. (4) Sall. Iug. 10, 6. (5) 1 Ioann. 2, 10. (6) Psal. 118, 165. (7) 1 Ioann. 4, 7. (8) S. August. PL. t. 35. Ep. Ioann. ad Parth. tr. 5. n. 7 m. col. 2016. Immo in 1 Ioann. 3, 10, non vero in 4, 7.

divisio continuitatis in corpore humano. Ex divisione enim hac causatur dolor et interdum mors. Ideo Christus Dominus, ut homo, saepe orabat patrem pro unitate hac ecclesiae servanda.

4. Media quae facere possunt ad dilectionem inter fratres conciliandam, sunt :

Primum, bonum exemplum, modestia, discretio, sapientia, quae dicitur *mater pulchrae dilectionis* (1). Fatuitas enim nescit acquirere nec conservare amicitiam : *fatuo non erit amicus* (2).

Secundum est moderatio et cautio in sermone ; *Sapiens in verbis se ipsum amabilem facit, gratiae autem fatuorum effundentur* (3).

Tertium, similitudo : volatilia ad sibi similia conveniunt et convolitant ; ait Poeta : « Volucres eadem quas pluma colorat ». Ambrosius : est inditum bonis, ut unusquisqus virtutes suas in aliis amet ; e contrario, dissimilitudo facit ad odium et aversionem : oderunt enim hilarem tristes, tristemque iocosi.

Quartum, virtus. Cicero (4) : « Nihil est virtute amabilius, nihil, quod magis alliciat ad diligendum ; quippe cum propter virtutem et probitatem eos etiam, quos numquam vidimus, quodam modo diligimus ». Et alibi (5) : « Tanta vis probitatis est, ut eam vel in eis, quos numquam vidimus, vel quod maius est, in hoste etiam diligamus. » Virtus autem mansuetudinis praecipue incitat ad amandum. Unde dicitur (6) : *Fili, in mansuetudine opera tua perfice, et super hominum gloriam diligeris.* Mansuetudo enim habet vim attrahendi ut adamas. Secundo, valet virtus humilitatis ut amaris et ames : sicut enim odibilis est Deo superbia, sic amabilis humilitas ; superbia enim dum se exaltat, alios deprimit, et ideo odio habetur ; humilitas vero dum se demittit, alios exaltat, et ideo amatur.

5. Quintum medium est alios amare. Nulla est maior ad amorem provocatio quam praevenire amando ; is enim nimis durus est animus, qui amorem impendenti non rependat, reddatque vicem amoris. Hinc Seneca in quadam epistola (7) : « Quaeris quomodo amicitiam facturus sis ? Cito tibi monstrabo amatorium sine medicamento, id est, sine sortilegio et veneficio : Si vis amari, ama. »

Sextum remedium est beneficium seu obsequium. Unde comicus (8) : « Obsequium amicos, veritas odium parit. » Ignis amoris lignis beneficiorum fovendus est, alioquin deficit ; beneficia etiam feras ad amorem

(1) Eccli. 24, 24. (2) Eccli. 20, 17. (3) Eccl. 20, 13. (4) Cic. de Amicitia. n. 28. (5) ibid. n. 29. (6) Eccli. 3, 19. (7) Seneca, Ep. ad Lucil. 1, 9, 6. (8) Terentius. Andri. 1, 1. 41. Cfr. Cic. de Amic, n. 89.

excitant, ut legimus de leonibus, qui beneficium acceptum beneficio compensarunt. Et inimicos reddunt amicos : sic Pilatus Herodem sibi conciliavit alienum, misso ad eum Christo quasi ipsius subdito.

6. Haec autem caritas debet praecipue exserere vires suas, post Deum, erga superiores ; deinde erga omnes qui de Societate sunt.

Ut haec caritas foveretur et promoveretur in Societate B. P. N. Ignatius prospicere conatus est. Nam, 1° noluit admittere homines facinorosos, licet animis contritis ac melius compositis accederent, ne homines assueti vitiis et dissensionibus modestiam et unionem religiosam labefactarent. — 2° Noluit admitti homines aliarum religionum, ut omnes sicut legitimi fratres essemus, unius moris et coloris in domo. — 3° Expelli e Societate voluit ut pestes, divisionis satores ac discordiarum auctores. — 4° Uniformitatem in omnibus esse voluit, superioribus et subditis, in cibo, in potu, in vestitu, somno, doctrina, in iudicio practico rerum gerendarum, quoad eius fieri posset, in caerimoniis missae, in modo conversandi, in modo obeundi ministeria, in modo denique agendi cum paenitentibus et proximis. — 5° Communicationem litterarum ultro citroque mittendarum diligenter commendavit, et quam diu vixit ad praxim deduxit. — 6° Permixtionem nationum in Societate fieri voluit. — 7° Sermones crebros ad mutuam caritatem servandam indixit. — 8° Detegi voluit et corrigi defectus, maxime qui essent contra caritatem, concordiam et institutum.

7. Haec caritas et affectio debet praecipue fieri in Societate erga institutum ; tantaque debet illa esse, ut omnes velle debeant bene vivere et mori in sua vocatione, et cum ipsa, hoc est, excitando, etiam in extremo vitae, voluntatis et amoris motus erga suum institutum cum gratiarum actione. Item ut velit quisque mori pro ipsius bono et incolumitate ac prosperitate servanda ac promovenda, amoliendo a Societate quaevis incommoda, quatenus in eius est facultate ; ut faceret is qui elegans aliquid praedium seu villam comparasset.

Hinc sequitur exacta observatio regularum, et vitiorum zizaniorumque exstirpatio, sicut ille facit in suo praedio. Sequitur etiam exacta functio ministeriorum Societatis erga proximos, ut videlicet sedulus sit sacerdos ad excipiendas confessiones, ad visitandos aegros, carceres, xenodochia, demum ut sacrum faciat cum decoro, et ut aedificationi potius aliorum attendat quam propriae devotioni in caerimoniis, intentione vocis, etc. Demum hic affectus debet esse in singulis maximus et sincerus, non politicus et humanus, qui parere solet interdum pertinacitatem in sententia, et vitiosam elationem per contentiones et inanem complacentiam. Proprium est enim instituti cum

humilitate et moderatione etiam de Societate loqui, magnifice vero de ea sentire. Hic autem affectus nascitur ex gratia vocationis, et ex principiis spiritus et ipsius finis penetratione ac meditatione, qui cum perfectissimus sit et praestantissimus, maximum sui amorem excitat et sui conservandi studium.

8. Affectio et caritas impendi debet in invicem ad cuiusque bonum et profectum ; ideo etiam admonitio fraterna impendi debet quando opus est, sicuti eleemosyna quae dari solet pauperibus suo tempore, 1° sincero et spirituali affectu. Plus enim respicit Deus ad animum quam ad datum : *Spirituum ponderator est Dominus* (1) : et, *appendit corda Dominus* (2). — 2° cum vultus hilaritate religiosa et suavi gravitate : *in omni dato hilarem fac vultum tuum* (3) ; *hilarem enim datorem diligit Deus* (4), — 3° cum sermonis dulcedine (5) ; non enim debet sequi improperatio (6). — 4° tempestive debet admonitio adhiberi, non quando facti sui sit oblitus : beatus, qui praeoccupat vocem petituri. — 5° cum humilitate, ut non offendas per opinionem arrogantiae ; familiaritas, ut monet S. Ephraem (7), non debet enervare, sed confirmare caritatem in fratrem, ne vel verbis meis laxet disciplinam, vel tristitia absorbeatur. Divus Paulus ait (8) ; *Rogamus vos, fratres, corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes, videte ne quis malum pro malo reddat ; sed semper quod bonum est sectamini in invicem et in omnes.*

9. Quod ad modum diligendi fratres nostros de Societate attinet, quod erat tertium ex iis quae initio dicere proposueramus, duo in primis sunt cavenda hac in re : unum est, ut attendamus ne, sub religiosae unionis et fraternae caritatis praetextu, familiaritatem cum aliquo ineamus minus religiosam. Ex singulari enim amicitia et familiaritate oriri solent interdum conventicula, murmurationes, sermones leves et saeculares, iudicia temeraria, suspiciones, divisiones ac dissensiones, quibus incommodis Societas ut occurreret, regulam posuit, ne extra tempora ordinata sermones misceantur absque peculiari facultate ; item, ne alter alterius cubiculum ingrediatur, et ubi sit ingressus cum venia, ianua teneatur aperta. Praeclare dixit D. Hieronymus (9), quod ubi est divisio in religione et ubi conventicula habentur, similis ea sit inferno, et religiosi similes daemonibus ; sicuti contra, ubi vera viget unio et pax, videtur esse paradisus,

(1) Prov. 16, 2. (2) Prov. 21, 2. (3) Eccli. 35, 11. (4) 2 Cor. 9, 7. (5) Cfr. Eccli. 4 et 19. (6) Cfr. Eccli. 18 et 20. (7) S. Ephraem. t. 2 (n-94). Cap. Paraen. 12, p. 501 d. (8) 1. Thess. 5, 14. 15. (9) S. Hieron. PL. t. 30 Reg. monacharum. Cap. 1 de caritate et Unione servanda. col. 393 c. Verbum « conventicula » abest.

et religiosi similes angelis. D. Basilius in reg. dicit (1) quod, sicut in aedificio materiali necessaria est unio inter partes aedificii et muros, alioqui omnia ruerent et consistere nequirent, sic in religionis corpore et structura, ad eius conservationem membrorum ipsius unio requiritur. Ubi vero familiaritas inter eos nascitur, tunc ita se habere incipiunt inter se, atque illi qui pugnam et rixam nutriunt.

10. Secundum extremum vitandum est, singularitatem scilicet amare, et nolle cum aliis convenire et conversari, quamvis tempus sit religiosae recreationis. Hoc extremum fugiendum est tamquam perniciosum ac valde periculosum ; quia inde patet ostium ad quasvis diaboli tentationes ; inde iudicia temeraria et suspiciones de aliis nascuntur ; inde proprium iudicium fovetur, protervia et contentiones inter fratres, segnities in rebus oboedientiae.

11. Modus diligendi fratres se mutuo[a].

1[us] Est, ut non diligant se familiaritate quadam intrinseca ; quia, ut paulo ante dictum est, ea in religione est periculosa et suspecta ; hinc dixit Thomas de Kempis lib. de Imit. Christi (2), habendam esse caritatem ad omnes, familiaritatem autem ad neminem. Familiaritatis enim interdum fructus malus est, consilium malum. Adverte igitur, mi frater, quod Dominus confudit linguam eorum qui convenerant ad turrim Babylonicam (3) aedificandam (4). Memineris etiam fratrum Ioseph, qui conventicula habuerunt (5). Roboam perdidit regnum, quia secutus est improbum consilium (6). Noli cum sorore tua consiliari : « soror » est dilectio et familiaritas sensualis (7). *Cum fatuis consilium non habeas :* consilium est capiendum a sapientibus et superioribus.

2[us] Diligendi sunt fratres amore spirituali, ut dilectissimi in Christo, et ut membra eiusdem corporis, Deo ipsi et Societati consecrata.

3[us] Diligendi sunt ut Deus voluit, sicut tu te ipsum diligis. Ubi nota, quod in dilectione Dei nullum ponitur exemplar, quia non invenitur par aut aequalis Deo, ut sit exemplar dilectionis divinae ; proximi vero dilectio habet propositum sibi exemplar, ipsum videlicet hominem. Unde Augustinus (8) lib. de doct. Christ. : « Ecce quod disci-

(a) Sic utrumque Ms.

(1) Basil. PG. t. 31. Allatam hic comparationem neque in regulis neque alibi reperimus ; sed aliam invenies Sermone ascet. 2°, n° 2 b ; rem autem ipsam ibid. n° 2 c. d. col. 883 sq. ; et serm. asc. 1°, n. 5. col. 878 sq. Neque in excerptis invenimus : t. 32 Sermo de Caritate, n. 3. col. 1151. (2) Th. A Kempis. Imit. Ch. l. 1, c. 8, n. 2. (3) Gen. 11. (4) Gen. 37. (5) 3 Reg. 12. (6) Eccli. 37, 7. (7) Eccli. 8, 20. (8) S. August. PL. t. 40 Serm. de Discipl. Christ. cap, 3. col. 670.

tur[a] in disciplinae domo ; dilige Deum, dilige proximum. Dilige Deum tamquam Deum ; proximum tamquam te : non enim invenies parem Deo, ut possit tibi dici : dilige Deum sicuti diligis illum ; de proximo inventa tibi est regula, quia inventus est proximo tuo par, videlicet tu ».

4° Similitudo haec dilectionis accipitur tripliciter : 1° ex parte finis, ut aliquis diligat proximum propter Deum, sicut se ipsum propter Deum debet diligere, ut sic dilectio proximi sit sancta. 2° Ex parte regulae dilectionis, ut non diligat ita proximum ut condescendat ei in aliquo malo vel peccato, ut in violatione regulae silentii, modestiae, etc., sed tantum in bonis, sicut homo suae debet solum voluntati satisfacere in bonis : et ita proximi dilectio erit iusta. 3° Ex parte rationis ipsius dilectionis, quae est bonum velle illi quem diligis. Ut ergo non diligas fratrem tuum propter propriam utilitatem vel delectationem, sed ea ratione ut ei velis omnia illa bona, tum temporalia tum spiritualia, quae ipse tibi velit[b] : et sic dilectio proximi erit vera. Cum enim aliquis diligit fratrem suum in Societate propter suam utilitatem et delectationem, non vere fratrem diligit, sed se ipsum. Iuvant ad compatiendum et ad moderate ferendam fratris infirmitatem et imperfectionem : 1° attendere miseriam propriam ; 2° attendere Dei pietatem, qui tam multa in hominibus sustinet ; 3° attendere ad naturae conformitatem : *Carnem tuam ne despexeris* (1). 4° Considerare nos esse membra eiusdem corporis, et in Societate idem habere principium, eundem Patrem, eandem Matrem.

Ad culpas, ut ait D. Gregorius (2), non debemus habere compassionem, sed zelum. Compassio quidem homini, vitiis vero rectitudo debetur. Sunt plerique, qui compassionem proximo non spiritualiter sed carnaliter impendunt, ut ei non ad virtutem sed, quasi miserendo, ad culpas faveant, et huiusmodi sunt potius crudeles quam misericordes ; non debet enim amari frater condescendendo eius vitiis et imperfectionibus, sive in malo, ut ostendit D. Basilius (3), ab exemplo Pilati de quo Ioannes, 19, 11 : Perspicuum enim est eum peccasse, quia dicit Dominus : qui tradidit me tibi, maius peccatum habet ; ex hoc enim manifeste intellegitur Pilatum consensisse iis qui illum tradiderunt, et peccatum habuisse, licet non ita grave. Perspicuum et id facit facilitas Adae, qui cum Eva consensit, et Eva ipsa serpenti acquievit : neuter enim istorum tamquam innocens impunitus dimissus est ; quin ipsa

(a) Uterque codex habet *dicitur* : non recte. (b) Sic A sup. lin., loco *vult* quod prius scripserat. B scripsit *velis*, forsan rectius.

(1) Isai. 58, 7. (2) S. Gregor. PL. t. 76 in Evang. lib. 2. hom. 32. n. 3. col. 1235 a. (3) S. Basil. PG. t. 31 Reg. brev. tr. 46 et 47. col. 1111 et 1114.

adversus eos Dei manifesta est indignatio, si quis diligenter eam observet. Hoc indicat Genesis ; cum enim Adam loco excusationis illud praetendisset (1) : *Mulier quam dedisti mihi sociam,* dedit mihi de ligno, et comedi, respondit Deus : *Quia audisti vocem uxoris tuae, et comedisti de ligno ex quo praeceperam tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo.*

Notum est autem ex varietate amoris, videlicet divini erga Deum, divini erga proximos, erga se ipsum, erga propinquos, erga socios, licet unus et idem amor sit re ipsa, nasci tamen interdum circa particulare opus aut officium scrupulum. Nam ubicumque duo movent ad aliquod opus, scilicet Deus et quidpiam aliud, difficulter cognoscitur interdum utrum magis penitiusque moveat ; verbi gratia : aliquem movet ad audiendas confessiones, seu ad aliquod aliud opus spirituale, salus animarum et favor speratus alicuius, desiderium ei placendi, delectatio aliqua alia. Hic difficulter discernitur quid horum plus afficiat animum operantis.

Similiter, desidero ego mitti in patriam, aut aliquo ire ambulatum ad sanitatem. Hic etiam difficultas oriri potest oboedientiane superiori debita an appetitus sensualis aliquis magis me moveat, ut desiderem recreationem, seu ut mittar in patriam. Movet siquidem affectus[a], ut apparet, Dei amor et salus animarum quam mihi propono in patria ; admiscet se interim subito aliqua delectatio sensualis de iis videndis quos amo, de deliciis quas simus habituri in corporis refectione, de maiore in recreatione licentia, neque tamen potest ratio facile distinguere a quo potius moveamur, an ab oboedientia videlicet concedente seu invitante, an ab illis appetitibus recreationis, etc. Evidens tamen argumentum est, quod Deus magis moveat, si omnia, hoc est principium, medium et finem, cum affectu in Deum referimus. Sin vero contra facimus, magnum et evidens est argumentum, quod plus movear ab aliis illis moventibus, quae secundaria esse deberent ; movear ergo a Deo, vel desiderio salutis animarum, vel sanitatis studio, propter maius Dei servitium. Sequor etiam quod imperfectius est, cum audio verbi gratia in confessione libentius divites, nobiles, formosos, quam pauperes, ignobiles, senes, deformes. Item cum diutius ac saepius illorum quam horum delector colloquio, ac diutius illos detineo, licet fortasse cum minore fructu, quod pauperes et deformiores sint interdum divitibus et formosis sanctiores, ac facilius sacerdotum consiliis acquiescant. Hanc ob rem S. Iacobus dicit (2) : *Nonne pauperes elegit Deus*

(a) Sic B ; scripseritne A *affectus* an *affectum* haud discernitur.

(1) Gen. 3, 12. (2) Iac. 2, 5. 6.

divites in fide, heredes regni ? Et vos exhonorastis pauperem ipsum, scilicet eum non aestimantes.

Similiter dum cogito de adeundis propinquis vel patria, etiam cum venia, si maiore cum ardore fortassis cogito de propinquorum rebus, de officiis, de praediis, de commodis ipsorum, quam benigne, quam laute ab iis excipiar, etc., et haec saepe recurrant, et mentem ab elevatione in Deum ad se revocent[a], signum illud est quod ea me magis moveant, et amor proprius dominetur. Item, aliud signum est proprii amoris et parvi zeli, quando illa opera, quae cum labore quidem coniuncta sunt, sed aliquam consolationem sensualem habent adiunctam, magis placent, ut sunt praedicatio, auditio confessionum, praesertim nobilium personarum, praefectura, etc., licet in iis obeundis magnum sit periculum, magis tamen me inclinant et trahunt ad se, sive in principio, sive in medio, sive in fine, quam animarum zelus ; item, si maiorem delectationem ingerunt quam alia opera, qualis est visitatio pauperum, docere pueros et rudes doctrinam christianam, pauperum et rusticorum sacramentalis confessio, signum est inordinatae propensionis, quam dum advertimus, eam debemus statim diligenter et fortiter corrigere, sicut fecisse legimus D. Bernardum, qui inter contionandum sentiens se titillari vitio vanae gloriae, excussit tentationem dicendo ; « non propter te incepi, nec propter te desinam ».

12. Haec caritas tripartita, scilicet erga Deum, erga proximos seu fratres nostros, et externos, continenter augeri debet. Quod ut a Deo obtineamus iuvare poterunt :

Primo : Considerare infinitum amorem quo Deus nos prosequitur, et beneficia quibus nos praevenit. Nam si oculos aperiamus, creaturae omnes nos movent ut Deum propter se, et proximos ac fratres nostros propter ipsum amemus, quia amor Dei super omnia natare videtur iuxta illud (1) : *Spiritus Dei ferebatur super aquas ;* omnes creaturas divinus ille amor lege suavissima ad nostra commoda ordinat. Ex qua consideratione D. Antonius in libro creaturarum legens, miro Dei amore inflammabatur. Sic et alios Sanctos, et nominatim B. P. N. Ignatium illa consideratio multum movebat. Et sane, Domine Deus, omnes creaturae tuae me movent ut te amem, et in singulis video linguam, quae mihi annuntiat tuam infinitam bonitatem : lingua est pulchritudo

(a) mutato *recurrunt*, quod prius scriptum erat, oblitus est scriptor etiam mutare *revocant*.

(1) Gen. 1, 2.

caelorum, et[a] claritas solis et lunae ; linguae sunt refulgentia sidera, fluxus aquarum, viriditas agrorum, diversitas florum, varietas colorum, et quidquid divinae tuae manus fabricatae sunt : dicunt linguae meae[b], Deus meus, ut te amem, reprehenduntque[c] quando te non amo. Non possum aperire oculos quin videam imagines sapientiae tuae, neque aures quin audiam praecones bonitatis tuae. Omnia, omnia, fratres mei, nascuntur ex fonte divini amoris ; hic debet incendere continenter mentes nostras ad meditandum, quia omnia propter nos facta sunt. Accedunt alia beneficia infinita, quae accepimus per Christum Dominum nostrum, praecipue passio eius sanctissima quam pro nobis sustinuit. Si inter Davidem et Ionatham, filium Saulis, tantus amor exstitit ob interfectum Goliath, quo quaeso amore debemus prosequi Christum Dominum, Davidem caelestem, qui suis vulneribus et baculo crucis Goliath infernalem cum toto suo exercitu prostravit ?

Secundus modus sive medium promovendi amoris nostri est, meditari quantum promereamur apud Deum ex officiis quae propter ipsum in proximos nostros conferimus, et gloriam illam aeternam, quam nobis repromittit.

Tertius modus est, in omnibus actionibus et operibus, quae ex instituto facimus, spiritu seu corde et practice moveri, ut Deus in omnibus glorificetur, et ut hic amor nos moveat ad operandum. Non enim satis est nos intellegere a Deo esse quae in Societate constituta sunt, sed etiam affectum et voluntatem applicare debemus ; nam, quid aliud esset homo sine voluntate cum solo intellectu, quam monstrum ? Voluntas igitur seu affectus ad ea quae consideramus et intellectu comprehendimus inclinanda est, ut cum gustu devotioneque fiant quae ad disciplinam Societatis spectant, ut ea, inquam, diligamus et in honore habeamus, nobisque sit consolatio de iis tractare quae Dei sunt et instituti ; sed practice nimirum, ut quae amamus et gustamus, eadem faciamus et in opus ac praxim deducamus. Non enim sufficit, ut illa bona et vera esse iudicemus, nec adeo ut gustum eius percipiamus, sed ad opus veniendum est. Sic enim Dei gratiam nobis demerebimur, et ei gratum obsequium praestabimus ; quod in primis optare debemus, ut nomen eius superbenedictum laudetur et praedicetur ab omni rationali creatura eius, etc. ..

(a) om. B. (b) *hae.* B. (c) Ubicumque occurrit verbum hoc, scribitur in cod. *repraehenduntur* ; quod supra immutatum semel saltem reliquimus.

49ª Exhortatio

De natali Domini, et de exemplo quod nobis dedit Christus benedictus in nativitate

1. Occasione natalicii Christi, dicam pauca hodie de eiusdem imitatione. Dedit enim nobis Deus filium unigenitum (1) ; dedit et filius nobis se ipsum (2) ; datus est nobis in pretium et in exemplum.

In pretium : qui debitores eramus divinae iustitiae, traditi servituti satanae, viribus et omni facultate non tam debilitati quam fracti et privati, ut nequiremus umquam meritorie laborare, quia non eramus solvendo, et ut Samaritanus ille iacebamus male saucii et semivivi ; missus est igitur filius Dei unigenitus, et liberavit nos a peccatis nostris, curavitque vulnera nostra. Et quia egeni et pauperes nimis facti eramus, ob infidelem et iniquam administrationem talenti nobis a Deo traditi, solvit filius Dei pro nobis, satisfecitque iustitiae divinae *propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos* (3), cum inimici essemus. O Dei bonitatem ! non auro, non gentaro redempti sumus, carissimi fratres mei, sed pretioso sanguine agni immaculati (4).

Datus est etiam nobis in exemplum, et in doctorem. Unde Apostolus (5) : *Apparuit enim gratia Dei salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut sobrie et iuste et pie vivamus in hoc saeculo, exspectantes beatam spem.*

Tria igitur nos suo exemplo docuit, ut scilicet « sobrie, iuste et pie » vivamus in hoc saeculo. Quae quidem omnibus hominibus sunt in exemplum proposita, sed nobis maxime qui Societati, sancto nomini eius et servitio dicatae, nomen dedimus.

Proponamus igitur nobis, fratres dilectissimi, ob oculos infantulum hunc[a] in praesaepi vagientem, et consideremus quibus ille armis instructus veniat ad pugnandum cum diabolo : venit enim dissolvere opera eius, et peccatorum nostrorum vincula disrumpere, iuxta illud (6) : *Dirupisti, Domine, vincula mea.* Venit sane *sicut gigas* (7) paratus *ad currendam viam,* et ad prosternendum communem hostem suum et nostrum. Ratio vero admodum insolens currendi et pugnandi : infans est, et fasciis illigatus in praesaepi recumbit, nec valet se movere, vagit, plorat, iacet ; currit tamen, et his armis pro nobis pugnat.

(a) *hunc.* om. B.

(1) Cfr. Ioann. 3, 16. (2) Gal. 1, 4. (3) Ephes. 2, 4. (4) Cfr. 1 Petr. 1, 18. (5) Tit. 2, 11-13. (6) Psalm. 115, 16. (7) Psalm. 18, 6.

Quis non admiretur potentias Domini ! non est infans hic aliis similis : insipiens videtur, specie tenus ; atqui in eo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae Dei repositi. Infans est, sed de cuius matre[a] legimus (1) : *Femina circumdabit virum.* Vir quippe[b] perfectus ab instanti conceptionis et incarnationis suae, et vir quidem, *cuius in femore scriptum est* (2) *: Rex regum, et Dominus dominantium, qui attingit a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.*

2. Est ligatus et fasciis involutus ; et in praesaepi quidem ligatus, non se movet, non resistit, sed iacet ; et ligatus iacet[c], qui dat esse et moveri omnibus mortalibus, qui universum orbem aeterna sua providentia administrat, caelos omnes ciet et torquet, Deus exercituum, occidens et vivificans pro voluntate : sed venit ut etiam nobis daret exemplum ; nam suis fasciis et immobilitate praebuit exemplum oboedientiae ; quoniam hic non solum oboedit Patri et sanctissimae Trinitati accuratissime, verum et homini, ut disceremus oboedire Deo, et propter Deum homini : *Subiecti,* inquit Petrus (3), *estote, omni humanae creaturae propter Deum.* Oboedit matri et Iosepho, patri nutricio, ad nutum ; ipsum illi movent pro voluntate in omnem partem ; modo in sinu eum tenent, modo reponunt in praesaepio. Oboedivit et Herodi et Augusto, quia utriusque mandato venit Bethlehem, ut se sisteret et censum solveret adhuc in utero exsistens[d].

Hanc autem oboedientiam coluit ab initio vitae usque ad finem ; nam sanctae matri et Iosepho erat subditus, ut habetur Lucae 2° ; et de cruce noluit deponi, nisi potestate facta a Pilato. Non est itaque bonus religiosus Societatis, qui perseveranter non oboedit Deo et propter Deum homini. Neque tantum oboedivit oboedientissimus agnus exterius, vel coactus, utpote pro aliorum voluntate ; sed oboedivit toto intellectu, toto iudicio, et tota voluntate : non enim potuisset ita ligari et involvi, moverique de loco in locum ad voluntatem sacratissimae matris virginis, nisi integro iudicio consensisset et propensissima voluntate ita dispensasset. Eius itaque exemplo, fratres carissimi, non debet esse in nobis oboedientia solum voluntatis in exsecutione exteriore eius quod a superioribus ordinatur, sed et in perfecta iudicii resignatione, ut vere consentiamus cum superiore et ipsius iudicio. Et hoc quidem debemus non tantum

(a) *Scriptum leg.* B ; sed A delevit *scriptum.* (b) *fuit.* add. B ; at inter plures inceptas et deletas correctiones, manet in A sola vox *qui,* ad quandam ex illis pertinens ; nec ullo modo apparet *fuit.* (c) *is.* add. B. In A bis fuit scriptum, bis et deletum est ; mansit tamen interpunctio. (d) Ita prosequitur B : *Neque putet quis eum nunc solum hanc oboedientiam coluisse, nam ab initio v. u. a. f. Deo in primis et sanctae* etc.

(1) Ierem. 31. 22. (2) Apoc. 19, 16 ; Sap. 8, 1. (3) 1 Petr. 2, 13.

superioribus, sed et omnibus subordinatis officialibus et administris praestare ; nam ubi quis officium obtinet, continuo ille locum Dei tenet ac superioris vicem gerit. *Non est enim potestas nisi a Deo* (1). Qua in re etiam notandum est, quod in iis quibus obsequendum est, et sive superiores immediati sunt sive subordinati, nos non debere spectare aliud quam quod Dei locum tenent, et in eis Christum Dominum. Quare non spectanda hic est superioris vel prudentia vel imprudentia, gravitas vel levitas, doctrina vel ignoratio, sed solum quod vices Dei gerat et locum teneat.

3. Secundo, discimus ex divino infantulo nostro Christo puritatem et humilitatem. *Omne vestimentum*, ait Isaias (2), *mixtum sanguine* (i. e. omnis caro luxuriosa) *erit in combustionem ignis ;* quia parvulus datus est nobis amator puritatis, eligens matrem castam et virginem, et sanctum Ioseph in patrem putativum, virginem. Ut autem eius exemplo, mi frater, sis totus purus et castus, media, quae ipse profert ad castitatem, ab ipso accipe. Nam castus esse recusat, qui media repudiat ; et qui vult finem, velle debet media ad finem.

Media sunt humilitas, abnegatio sui, paupertas. Christum vides in praesaepio et beatam virginem apud ipsum, in stabulo omnes ; Christum in praesaepio factum ut iumentum exterius, ut nos qui iumenta eramus quibus non erat intellectus, fieremus interius quod ipse erat, scilicet Deus. *Dedit* enim nobis omnibus *potestatem filios Dei fieri* (3) *;* ipse enim exinanivit semet ipsum, factus sicut vermis : *Ego*, inquit (4), *sum vermis et non homo.* Eius aeterna sapientia eclipsata est hodie propter nos, et in oculis hominum facta est insipientia, quia nec sapere videtur nec intellegere. Vere exinanivisti te, suavissime Iesu, propter nos ! Sed quomodo hanc tuam tam profundam exinanitionem imitabimur ? Hanc humilitatem seu exinanitionem Christi debemus, fratres carissimi, imitari quatenus expedit et in nobis est, quia plurimum id habet momenti ad castitatem ; nam qui relicto proprio iudicio adhaeret iudicio et directioni superioris, vix contra castitatem quicquam admittet.

Christus dat exemplum silentii, ut[a] illud servemus ; flet miserias nostras, ut et nos eas defleamus. Ipse nullos secum habet nisi optimos et castissimos ; sic et nos, fratres, faciamus, quaeramusque conversari cum melioribus et castioribus, sicut ipse fecit donec pervenit ad perfectionem aetatis, quando conversatus est cum hominibus, et ad

(a) om. B.

(1) Rom. 13, 1. (2) Isai. 9, 5. (3) Ioann. 1, 12. (4) Psalm. 21, 7.

evangelizandum praecinxit se : ita a conversatione quae noxia esse possit abstine, donec sis perfectus et mittaris a superiore, sicut Christus fuit missus ad evangelizandum (1).

Religiosus qui consentit in vitium castitati contrarium, sacrilegus est, similis illi qui templum incendit ; nam homo virgo et castus templum Dei est, quod incendit dum uri permittit igne libidinis. Praeter exemplum Christi, quod maximum apud nos pondus habere debet, remedium hoc accipias, ut oculum mentis et corporis ab his terrenis avertas, et illum convertas ad caelestia, quae cor tuum inflamment ad Dei amorem, ut infantulus noster ab ipso instanti incarnationis semper et sine intermissione divinis fuit intentus.

Aliud remedium, si mavis, accipe, si castus esse velis, ut velle debes. Sume omnia quae tibi odium ingenerare possunt rerum inhonestarum, et excita te ad amorem rerum caelestium ; oculos et sensus, ut regula monet, diligenter custodias ; fove vero hunc amorem bonis et sanctis cogitationibus continenter, ut te diabolus vacuum non inveniat ; gustatum refrena, nam Christus lacte solo in praesepio vescebatur. Cibo abundante in stomacho tuo, calor abundat ; hoc abundante, sensualitas ad malum accenditur.

4. Tertio, discimus ab infante nostro paupertatem ; nam haec magnam vim habet tum ad castitatem, tum ad ceteras virtutes. Putamus forte *Christum, Dei sapientiam* (2), casu paupertatem assumpsisse ? Eam ipse elegit, et matrem quidem pauperem, et stabulum nativitati, praesepe pro cubili, stramina et aranearum telas pro tapetibus. Optimam scilicet fecit electionem, nimirum ut eius inopia divites efficeremur (3). Similis est Deus nobilibus, qui familiaribus et amicis vestes donant pretiosas, ipsi panno mediocri contenti. Est autem paupertas maxime propria religiosis ; nam quamvis sit inferior castitate et oboedientia, sine illis tamen esse potest : illae sine hac nequaquam. Non igitur sine causa in formula votorum nostrorum paupertas primum locum obtinet ; nec sine causa Christus suas contiones et beatitudines a paupertate est auspicatus.

Sed haec quae de puero notavimus ad nostrum exemplum, externa sunt. Penetremus paulo interius, ad ea quae sunt illustriora de humilitate filii Dei. Humiliavit ergo se, verbum Dei et Deus verus, veram formam servi accipiens, et[a] quantum potuit, semet ipsum exinanivit. Non poterat verbum Dei ascendere superius, ut excelsior esset

(a) Aliter atque codex interpungimus ; secus enim illud *et* redundare videtur.

(1) Isai. 40. (2) 1 Cor. 1, 24. (3) Cfr. 2 Cor. 8, 9.

quam Deus, sed descendere potuit Dei filius quantum voluit. Et quomodo potuit magis se exinanire, quam ut se vestiret pannis nostris vilibus ? quam ut iumentum fieret ut onus nostrum portaret ? Et quid remotius esse potuit a maiestate illa divina quam hominis natura ? et quid vilius quam vermis ? Ipse tamen pro nobis vermis factus est. *Ego*, inquit (1), *vermis et non homo*. Hoc vero fecit Deus ex amore, et hunc amorem fovit ab aeterno, statuitque fieri homo propter hominem, etsi suum propositum divinum non impleverit nisi quando venit plenitudo temporis in oculis eius beneplacita. Exsecutus est autem illud propositum filius Dei tali unione, et ita libenter propter hominem se ipsum exinanivit, ut nec intellectus quidem angelicus, nedum humanus, possit mysterii profunditatem capere ; sed angeli admirabundi stupent, et adorant quod non intellegunt. Ut autem sese accommodaret nostro modo loquendi, et ut ex parte gaudium illud cognosceremus, quo ipse filius Dei repletus est nostram induens naturam, id nobis quodammodo insinuat per parabolam nuptiarum, quando nimirum sponsus et sponsa summo gaudio afficiuntur die nuptiarum : *Simile factum est, inquit* (2), *regnum caelorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo*. Non igitur maiestas illa summa vile et ignominiosum reputavit humiliare se usque ad infima ; quin honorificum duxit descendere ad infirmitates nostras, et dignum illud existimavit summo gaudio.

5. Sed existimabit forte aliquis parum decuisse tantam maiestatem assumpsisse rem tam vilem et abiectam, et tam multis contaminatam sordibus, sicut fuit natura nostra humana. Item tam abiecta officia, sicut est oboedivisse et inserviisse hominibus, iacuisse in praesaepio inter animalia, sudasse, fatigatum fuisse laboribus, famem denique passum esse, quod horribilius est, ignominiosam subiisse mortem, qualis est supplicium crucis inter duos latrones. Ad quem scrupulum tollendum respondemus, Dei filium non assumpsisse naturam humanam vitiis contaminatam, sed purissimam et ex purissimo sanguine et substantia purissimae et immaculatissimae Virginis per sancti Spiritus operationem. Filius Dei nec ab aeterno apprehendit, nec in plenitudine temporis assumpsit naturam humanam vilem et abiectam, quamvis genus humanum esset corruptissimum ac sordidissimum praeterquam in sanctissima Dei genetrice Maria ; sed eam intuebatur ab aeterno oculo suo divino ut pulchram et formosam, qualem ab aeterno eam designaverat assumere sibi in sponsam toti sanctissimae Trinitati acceptissimam, ut

(1) Psalm. 21, 7. (2) Matth. 22, 2.

quae Deo uniri et deificari poterat et decebat secundum decretum ab aeterno factum. Similiter officia quae assumpsit et obivit in nostra natura, non ut vilia et abiecta ea prospexit et assumpsit, sed ut praestantia et fructuosissima ; nec minus libenter quae fuerunt acerba et poenosa ipse suscepit et assumpsit, quam nos libenter sumimus cibum. Ideo dicebat (1) : *Cibus meus est ut faciam voluntatem patris mei,* etc.

Addo, quod filius Dei, factus homo, non etiam poenas et acerbitates ac miserias humanae naturae assumpsit, nec apprehendit ut viles, turpes et abiectas, sed ut utiles et nobiles ad operandum salutem nostram, sicuti illae operatae sunt. Hinc videmus eum ab incunabulis usque ad mortem eandem rationem tenuisse. Vides in praesaepio panniculis involutum, natum in stabulo, oboedientem Caesaris edicto, et ita per totam vitam si discurras, eundem vitae tenorem videbis. Quid potuit dicere humilius quam hoc verbum (2): *A me ipso facio nihil ; si ego glorifico me ipsum, gloria mea nihil est.* Item (3) : *Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* Postea cernis lavantem pedes, etiam impio Iudae, et demum : *Servire me fecisti* (4), ait per prophetam, *in peccatis tuis,* poenam peccatorum sustinendo. Item, licet intellegeret se esse fontem omnis boni, affectum suum tamen inflammavit amore infinito, et exinanivit se infra hominem : Ego, inquit, ut ante dictum est, ut iumentum factus sum apud te. Fecit se filius Dei pro re amata, id est pro nobis hominibus, quasi nihil ; nam qui infinite perfectus erat, descendit quantum placuit, remanens semper in sua maiestate, semper incommutabilis. O ! qualem et quantum amorem erga nos, bone Iesu, declarare dignatus es ! Heu ! qui sumus comparatione ipsius ? vere nihil ; neque tamen scimus descendere, quin potius semper contendimus sicut Lucifer absque mensura et modo ascendere.

6. Quia vero superbia valde displicet Deo, voluit Deus parare nobis viam humilitatis, factus pro nobis puer, pauper, egenus, oboediens usque ad mortem crucis. Quod propheta considerans, et hunc tam immensum amorem, non valens se continere exclamabat (5) : *Quis sicut Deus noster, qui in altis habitat et humilia respicit in caelo et in terra !*

Sed advertite, fratres mei, et ex dictis considerate Dei filium, Christum Dominum duplicem habuisse humilitatem : unam in quantum Deus, alteram quatenus homo est. Nam quatenus Deus, dignatus est infinito suo amore cogitare de descensu in terram nostram, et propositum implere in plenitudine temporis. Alteram habuit quatenus homo est, dum ea praestitit officia, et actu sustinuit quae ante commemo-

(1) Ioann. 4, 34. (2) Ioann. 8, 28. 54. (3) Luc. 22, 27. (4) Isai. 43, 24. (5) Psalm. 112, 5.

ravimus, nobis relinquens exemplum, ut bifariam eius humilitatem duplicem imitemur, studeamusque habere internam et externam. Interna porro, conceptus est quidam essentialis et efficax de minima et vilissima condicione nostra, sive de nobis opinionem abiectam habere, ita ut facta nostri comparatione ad gratiam aliorum hominum et ad eorum virtutem, ego colligam me esse vilissimum, et ad instar putridi alicuius ulceris et apostematis, praesertim quando me componam cum Dei filio, Christo Domino. Externam vero etiam habere conemur, quae est propria Societatis, ut quae mandat nemini nos preferamus, sed existimemus omnes ut nobis superiores : Parte 3, c. 18, § 4 ; deinde ut honore nos invicem praeveniamus : Exam. C. 4, § 44 ; et denique, ut honores omnes contemnamus, quod constitutiones plerisque in locis nos docent.

Dei Filius exemplo suo nos docet, fratres carissimi, ut prosequamur statum nostrum magno amore, sicuti ipse constanter perseveranterque suum tenuit, ut sive in templo sive in deserto, sive in mari sive in agro, sive solus sive cum convivis exstiterit, idem semper visus sit, semper serius, semper compositus in verbis, in gestibus, et in omnibus denique corporis motibus. Magno etiam gaudio et animi alacritate descendebat ad officia ob quae de caelo venerat, de quibus ante diximus. Itaque nos, ad ipsius imitationem, semper modesti, semper bene compositi simus ; nihil leve, nihil petulans affectatumve in verbis, gestibus, motibus nostris appareat. Descendamus etiam eius exemplo, magno cum gaudio et promptitudine, ad officia et ministeria Societatis, licet in specie gravia videantur aut abiecta. Nihil enim Deo in nobis magis placet, quam si videat nos, propter ipsum dilectissimi filii sui — in quo sibi tantopere complacuit — exemplum, libenter humilia sectari, ac libenter in eius gratiam nos abicere et deprimere ad sordes culinae et ad alia humilitatis officia ; id enim dabit nobis magnam animi quietem et laetitiam. Quod probe intellegens Christus Dominus nobis in Apostolis dicebat (1) : *Discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.*

Item quando nobis officia humiliora a superiore demandantur, non apprehendamus nec aestimemus ea ut vilia, sed ut meritoria gloriae caelestis, et sanguine Christi Domini aspersa, atque ut media expeditissima, a Deoque ordinata ad nobis conciliandum eius amorem et gratiam, ac tandem ad demerendam capessendamque gloriam beatam. Nam verbum patris aeterni licet non admiserit foeditates naturae nostrae corruptae, peccata, ignorantiam, ad malum pronitatem, imperfectiones, risum uberiorem, cachinnos, etc. assumpsit tamen libenter et cum gaudio propter

(1) Matth. 11, 29.

nos nostramque salutem naturae nostrae miserias et poenalitates, famem, sitim, frigus, passibilitatem, mortalitatem, etc. et factus est aeternus, temporalis ; impassibilis, passibilis ; immortalis, mortalis. Et ut repraesentabat sibi naturam humanam pulcherrimam ac mundissimam et ab omni sorde purgatam, sicuti ab aeterno de modo et ratione statuerat, ita immenso erga eius pulchritudinem ac nitorem amore ferebatur, iuxta illud (1) : *Concupivit rex speciem tuam.* Et quia amor est mensura gaudii, infinito ille gaudio ex eius complexu in incarnatione laetatus est. Sic nos, fratres carissimi, excitemus nos ad disciplinam nostram accurate servandam ; mente apprehendamus uberes illos fructus, quos nobis illa et regularum observatio reddet in aeterna gloria. Laetemur tanti praemii nobis parati meditatione et complexu ; nam hac via et ratione in omni officio laetitia et gaudio in Spiritu sancto replebimur. Quod nobis concedat Pater et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

50ª Exhortatio

De tribus magis in qua notantur tria ad nostram aedificationem ex parte Dei et totidem ex parte ipsorum

In praesentia tractabimus, fratres carissimi, Deo bene propitio, de tribus Magis : tria quidem ex parte Dei, et tria vel plura ex parte ipsorum in nostram aedificationem.

1. Quod ad primum attinet, mirum sane 1° quod cum tot essent homines in universo, hi ad fidem potius vocati sint de longinquo et de distinctis locis, quam alii viciniores, ut essent primitiae gentium per ipsos repraesentatarum et ut filium Dei verum et naturalem cognoscerent, oculis cernerent, manibus attrectarent, affectu et muneribus adorarent. 2° Quod non elegerit pariter cum eis aliquot de Iudaeis scribis et pharisaeis, voluerit autem hos adducere, ut dictum est, ex tam remotis partibus. 3° Quod indicio et signo tam stupendo eos vocaverit et deduxerit, videlicet stella de novo creata.

Et haec quidem ex parte Dei ; quae nos breviter ad nostram

(1) Cfr. Psalm. 44, 12.

utilitatem transferemus ; nam et nostra singulorum vocatio habet etiam ex parte Dei suam considerationem et admirabilitatem. Et 1° quidem quod absque ullis meritis nostris dignata fuerit illa divina bonitas de tam multis milibus hominum nos deligere et vocare, quando adhuc primitiae spiritus Societatis et primus fervor vigeret, ut suae divinae serviremus maiestati in consortio tot lectissimorum famulorum suorum[a]. 2° Quod ex partibus tam disiunctis voluerit nos in corpus unum coalescere ; nam multi fortassis de nobis multo magis a Deo distabant, quam reges ab Hierusalem spatiorum intervallo. Nam si qui nostrum erant in peccato mortali, quando[b] vocati fuerunt, remotiores erant a Deo quam occidens ab oriente ; et si peccatum aberat, fortasse cogitationes multorum et studia valde procul erant a Deo ; contra vero, fortasse multorum, qui in mundo remanserunt, cogitationes Deo erant propinquiores. 3° Quod per stellam, immo per stellas plurimas fuerimus vocati : stella siquidem res est caelestis. Considera ergo, frater mi, quot mediis et indiciis caelestibus, quot etiam humanis auxiliis divina te misericordia ad hoc vitae genus attraxit. Considera, inquam, quot inspirationes, quot consilia, quot exempla, quot contiones et exhortationes animam tuam excitarunt et inflammarunt, quot lectiones piae, quot colloquia sancta hanc in te voluntatem confoverunt ab illo primo instanti, quo sensisti te initio moveri usque ad ingressum. Haec siquidem omnia media stellae quaedam fuerunt a Deo ordinatae, quae tibi voluntatem Dei et vocationem indicarent. Unde videre possis divinam illam bonitatem non minus fuisse in te munificam in vocatione tua, quam Magis in ipsorum vocatione, salvo mysterio, de quo nobis ut nimis recondito non est sermo. Nam licet non viderimus parem ac similem stellam, neque realem Christi infantis praesentiam et incunabula, illa tamen ipsa sicut illi per fidem cognovimus, et sicut illi adoravimus. Neque nostra vocatio et adoratio minus erit nobis salutaris et fructuosa, si ea bene et constanter utemur, sicut illi sua vocatione bene usi fuerunt.

2. Ut autem rem penitius perpendamus, iuvabit duas Christi Domini nativitates considerare : unam, de beata Virgine, de qua evangelium : *Cum natus esset*, etc. ; alteram, in quovis iusto per gratiam ac spiritum et devotionem. Ut vero illa una sola fuit, et in uno solo loco et tempore, sic ista est multiplex, et variis fit in locis et temporibus. Hoc vero nostro saeculo, ad magnum ecclesiae sanctae commodum et utilitatem, una exstitit valde singularis, per quam videlicet Deus benedictus

(a) *tot lect. virorum.* B. (b) *primum.* add. B.

cum tam copiosa gratia spiritus et devotionis nasci dignatus est in corde B. P. N. Ignatii. Nam per ipsum visus est Christus Dominus de novo natus in mundo, maxime vero in Indiis et in aliquot partibus haeresi labefactatis, per conversionem et morum mutationem beneficio fidei, quod per Societatis ab eo inchoatae ministerium a Deo acceperunt, ut vere dici possit (1) : *Cum natus esset Iesus, ecce magi ab Oriente venerunt*. Nam continuo Societate nata, Deus visus est misisse innumeras stellas ad vocandum[a] nationes illas in barbarie et infidelitate iacentes, vel haeresi infectas et exstinctas. Hinc videmus tam varias gentes in remotis illis mundi partibus ecclesiae catholicae se adiunxisse. Et si penitius inspiciamus quanto cum spiritu, fervore et studio, et quam late longeque nostri patres et fratres in salutem proximorum incumbunt, laetabimur et admirabimur multum in Domino. Et vere, Domine Deus, mirabilia opera tua facta sunt nimis, et dilatatum est cor tuum super nos. Sit nomen tuum benedictum in aeternum.

3. Sed videamus quid a tribus Magis discere debeamus.

Digressus et profectio Magorum a suis finibus et dicionibus, insignia etiam nobis praebent disciplinae documenta. Nam primo, omnibus relictis statim se in viam dederunt, et egressi sunt de domibus et de cognatione sua. Hic igitur velim serio consideremus, fratres mei singuli, an revera ut sequamur Christum Dominum omnino exiverimus de domo et cognatione nostra : an ab amore proprio, an a mundo, an ab omnibus quae mundus amat, an a studio commodorum sensualitatis nostrae, an a familiaritatibus quae nos non promovent in via Domini, an ab usu et modo loquendi politico, an a conversatione saeculari, an denique a malis inclinationibus, habitibus et consuetudinibus. Nam si passiones adhuc regnant in nobis, et affectiones male ordinatas non excusserimus, vere non imitamur Magos et reges sanctos, qui contemptis omnibus profecti sunt, ut venirent Hierosolymam. Sed heu ! plerique haeremus in antiquis nostris miseriis, nec vere quaerimus Iesum : quaeri etenim a nobis debet morum imitatione. Neque tamen despondere animo debemus, sed cautius in futurum agere, et serio ac diligenter attendere ut inspirationibus divinis obsequamur, ut imitemur etiam Magorum constantiam ; nam iter semel ingressi, ulterius semper progressi sunt ; et quo magis procedebant, ad Christum magis accedebant.

Cum vero pervenerunt Hierosolymam, quod in primis dixerunt illud fuit (2) : *Ubi est qui natus est rex Iudaeorum ?* Hinc eruimus documentum

(a) Sic utrumque Ms. uti saepe alibi.

(1) Matth. 2, 1. (2) Matth. 2, 2.

pro vita spirituali : quod rectam et constantem intentionem semper habere nos oporteat, et in omnibus actionibus unum Christum et Deum nostrum semper esse spectandum ; illud enim est quaerere Iesum, estque maxime proprium Societatis. Item oportet semper meminisse primi propositi nostri, sicut fecerunt Magi : *Vidimus*, inquiunt (1), *stellam eius in oriente, et venimus adorare eum.*

4. Haec porro propositi primi memoria, ut vere Magos imitemur, duos in nobis operari debet effectus. Primus est, ut resuscitet in nobis gratiam quam initio accepimus, nosque eius recordatione accendamus et incitemus ad studiose quaerendum Iesum, maxime in superioris persona, sicuti regulae nos docent. Secundus effectus est, ut sic accensi et inflammati exemplo bonorum operum et mediis Societati propriis, proximos nostros alacriter iuvemus, et ad quaerendum Iesum accendamur, sicuti Magos fecisse sacrum evangelium docet. Ipsi enim Hierosolymam ingressi, inquirentes de puero nato, suo fervore commoverunt totam civitatem et regem ipsum Herodem, ut inquireret per sacerdotes ubi Christus nasceretur ; quod erat consilium saluberrimum, si Herodes animo candido rem egisset. Societas universim considerata, statim ab initio Spiritus sancti gratia accensa inquirit in Italia, in Hispania, in Portugallia, in Indiis, ubi Christus nascatur, speciatim in cordibus infidelium illorum remotissimorum ; in Europae vero partibus, an recte christianeque proximi vivant, ut ipsi ad salutem animarum suarum efformentur.

Dant et nobis Magi insignis constantiae exemplum, quando *tribulationes inveniunt nos nimis* (2), nempe ut faciamus sicut Magi fecerunt, qui imperterriti etiam coram Herode puerum natum regem confitentur, et de loco sciscitantur, ac demum per Herodem ipsum cognoscunt locum : quoniam Deus, licet permittat nos tentari, non tamen nos deserit, sed aliis mediis quam rebamur, etiam interdum contrariis, nos iuvat et promovet. Edocti ergo Magi ab Herode de loco quem essent adituri, et in quo infans inveniri deberet, consolationem accipiunt ; quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, ut saepe contigisse scimus B. P. N.

5. Docemur praeterea a Magis humilitatem, ut nimirum non dedignemur nos demittere, et auxilium etiam ab adversariis petere, sicuti Magi Herodi obsecuti sunt. Multo vero nos promptiores esse oportet ad capiendum et recipiendum consilium a superiore nostro, qui locum Dei tenet ; nam viam hanc humilitatis tenendo securi erimus. Item discimus quod ut Magi statim per oboedientiam egressi sunt Hierosolymis, stellae, quae

(1) Matth. 2, 2. (2) Psalm. 45, 2.

ipsis eclipsata erat, beneficium et directionem rursus acceperint, quam, quam diu Hierosolymis fuerunt, non viderunt : sic et nos recipiemus fructum oboedientiae, perfecte oboediendo, a stella, id est, a Deo, a quo visitabimur. Contra qui agunt et non oboediunt alacriter, tristes sunt communiter et melancholici.

Est porro notandum in regibus Magis, quod licet quaererent magnum aliquem et pergrandem regem, intellectum tamen captivantes, infantem vilibus pannis involutum, in stabulo natum et vagientem invenerunt et supplices adoraverunt, lumine fidei intellegentes ipsum esse verum Deum. Non est igitur nobis, fratres carissimi, eorum exemplo quaerendus Iesus in rebus altis et fastuosis, non in spiritu superbiae et vanae sapientiae ac eloquentiae, sed in mortificatione, humilitate, paupertate, etc.

6. Dignum praeterea est consideratione, quia neque abs re factum est quod Magi in civitate tam celebri, qualis erat Hierosolyma, ubi tam luculenta aedificia, tam multa alia inspectione dignissima, tam cito tamen ab ea recesserint. Sed documentum Spiritus sanctus per eos dare voluit religiosis, quod « minime illis consultum sit, dicit Basilius (1), ut multum versentur cum saecularibus ; quia callide observant quae dicunt et quae faciunt » : sicut Herodes callide interrogavit Magos de puero ut noceret, sic illi ut calumnias struant et detrahant ; nam et quod bonum est male interpretantur, et si quem levem defectum animadverterint in persona ipsa quae coram agit, notant et offenduntur. Et sane Christus exemplum huius cautionis nobis praebuit, licet impeccabilis esset ; nam non omnibus, ut dicit Ioannes, se credebat (2). Accedit quod nequaquam conveniat ut exponamus libertatem nostram ab alterius conscientia iudicandam. Documentum ergo nobis reliquerunt Magi perpetuo servandum.

Neque illud vacat divino consilio, quod Deus, quam diu fuerunt in civitate et in hominum turba, conspectum stellae ipsis ademit. Non enim Deus donat electis suis consolationem, dum negotia interruptis pietatis exercitationibus aliena tractant, et immemores sunt propositi finis, quem semper habere debemus ante mentis oculos ; quia finis consideratio et prosecutio est ad recte instituendum iter iam inchoatum pernecessaria.

Aves caeli cum volant in aere, pisces cum moventur in aquis, caudis suis cursus intentos dirigunt : sic nos finem intueri semper debemus, et secundum eum omnem actionum nostrarum cursum instituere. Animalia quadrupedia caudis abigunt muscas : sic nos finis nostri consideratione tentationes omnes depellere debemus.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. cap. 6, n. 1. col. 1359 sq. (2) Ioann. 2. 24.

7. Exemplo ergo Magorum, seu regum, ut praedictorum epilogum contexamus, docemur Dei filium Christum dominum nostrum studiose quaerere, affectuose adorare, tota voluntate imitari. Haec tria notantur in verbis ipsis regum : Vidimus stellam eius, et venimus adorare Dominum. Intentio bona est omnibus christianis pernecessaria, Societatis hominibus multo magis : primo, initio ingressus ; nam si recta non esset, structura aedificii spiritualis, quam ingrediens aggreditur, stare non posset nisi ad breve tempus, vel cogitationes suas reformare statim deberet : sicuti structura temporalis aedificii, si sine regula et norma assurgit, diu non consistet. Et in omnibus quidem et singulis actionibus nostris, recta intentio adesse et omnes mensurare ac dirigere debet ; quia ipsa est quae nos deducit ad finem propositum. Neque porro satis esse existimare debemus, si generatim dirigamus actiones nostras ad Dei honorem et gloriam, nos, inquam, qui religiosi sumus, sed et ad peculiarem Instituti nostri finem nobis semper collimandum est. Quin et modum, et rationem seu spiritum instituti nostri debemus studiose spectare, nostrasque actiones ad eam lineam instituere, quae propria est Societatis. Quod nisi faciamus, a scopo aberrabimus, sicuti tres reges aberrassent, nisi mentis et oculorum aciem in stellam coniecissent, quae ipsis dux viae erat et itineris.

Ita enimvero a scopo aberraret, qui paenitentias et mortificationes Societatis vellet secundum modum agendi Patrum Capuccinorum exercere ; et praeceptores similiter, si legerent et docerent secundum rationem et modum praeceptorum saecularium, qui in academiis docent ; similiter et praedicatores nostri errarent in ministerio verbi, si conarentur sequi modum et normam monachorum, seu saecularium sacerdotum. Societas habet suas peculiares rationes, secundum quas omnes actiones nostras debemus disponere et ordinare. Et illa est stella, quam intueri et sequi debemus.

Cavere praeterea debemus ne nobis sufficere arbitremur intentionem nostram esse puram et bonam, quae tendat praecipue ad Dei gloriam, sed adhibendum etiam est studium et conatus : sicuti fecisse videmus reges, quos textus Evangelicus testatur non tantum considerasse stellam, sed, *venimus,* inquiunt, *adorare Dominum.* Apostoli interrogantes si multi salvarentur, responsum acceperunt : *contendite intrare,* quia *arta est via* (1) ; et alibi, *violenti,* inquit, *rapiunt illud* (2). Sunt enim qui bonam voluntatem habent operandi et intentionem, sed hanc vellent Deum sequi, et Deum suo modo et ingenio agere[a], non ex praescripto regulae, quod Deo ingra-

(a) *sed hanc... agere.* Sic utrumque ms.

(1) Luc. 13, 24 ; Matth. 7, 14. (2) Matth. 11, 12.

tum est. Ficus licet viridis et amoena, maledicitur a Christo ; servus qui servaverat mnam intregram in sudario proprii amoris et sensualitatis, in tenebras exteriores conicitur.

8. Cavere praeterea debemus ignaviam, necnon et irrisionis metum, exempio Magorum, qui non erubuerunt, licet externi essent et reges, in civitate regia inquirere de rege nato, et manifeste praedicare quod eum adoratum venirent. Fuerunt illi ubique diligentes, expediti, intrepidi ac ferventes, servientes Deo concorditer, constanter, devote, humiliter. Eos non retardavit viae longinquitas, eiusdem asperitas, temporis rigor et intemperies, impensarum magnitudo, demum nec civitatis nec regis turbatio. D. Chrysostomus dicit (1), quod in stella videbant puerulum Iesum cum cruce splendidissima in fronte, et quod hoc eos incitabat et animabat. Obtulerunt demum aurum, tus et myrrham, singuli haec tria ; nec dedignati sunt aut aspernati stabuli abiectionem, pueri et parentis pauperiem ; sed vera luce fidei illustrati considerarunt et cognoverunt verum Dei filium, regem regum et dominum dominantium, nec infantem humanum solum esse quem ardentissima caritate adoraverunt : sed et Deum verum.

Qui desiderat, fratres carissimi — quod omnes Dei bonitate confido faciunt — cum gaudio in via Domini progredi, 1° det et committat se totum Deo ; abiciat omnem sollicitudinem rerum inferiorum, quia ipsi cura est de nobis, sicuti ipsi curae fuerunt Magi, quos ab Herodis insania liberavit. — 2° Amet unionem et pacem cum fratribus, sicut reges coluerunt inter se pacem et dilectionem. — 3° In opere Dei expeditus sit, sicut illi fuerunt. — 4° Sit constans in adversis, eorum exemplo. Nam sic agendo viam sibi parabit ad gloriam, quam nobis concedat Dominus omnipotens.

(1) S. Chrysost. PG. t. 56. Hom. 2 in Matth. col. 638 in. Notandum totam hanc Homil. seriem esse spuriam.

LIBER SECUNDUS

CIRCA REGULAS NOSTRAE SOCIETATIS

1ª Exhortatio

DE REGULIS, IN QUA PRIMO AGITUR DE EARUM NECESSITATE ; DEINDE QUOMODO REGULAE A CONSTITUTIONIBUS DIFFERANT, DENIQUE DE EARUM UTILITATE

1. Nemo sapiens et virtute praeditus durum existimabit vel inane quod Societas tam studiose curet suas constitutiones et regulas servari. Sunt etenim illae pernecessariae ad conservandum Societatis bonum ordinem ac disciplinam ; sicut necessaria sunt vasi sua vimina et vincula, ne liquor in eo contentus effluat. Et sicuti illa laxari nequeunt absque rei contentae iactura, ita, nisi diligenter quae a maioribus praescripta sunt serventur, laxata sensim disciplina, quidquid est in Societate spiritus — qui non nisi talibus praesidiis integer conservari potest — effluet vel evanescet. Tractabimus igitur, fratres carissimi, in praesenti exhortatione, primum de ipsarum regularum necessitate, deinde de earum utilitate.

Sunt igitur constitutiones et regulae ad instar mandatorum Dei, eaque[a] non tantum supponunt, sed ex iis fluunt eaque conservant. Populo Israelitico mandata fuerunt necessaria, ut in officio et cultu Dei retineretur, quem Egyptus, deliciarumque eius memoria persaepe titillabat ac tentabat. Nos porro infirmi sumus et in Aegypto huius mundi positi, in quo Pharao infernalis regnat, qui olim nos sub suo imperio detinuit, et nunc cogitationes[b] saepe suggerit, quibus non nisi regularum beneficio resistimus ; mandata vero Dei, destituti hoc praesidio, facile violaremus. In hoc ergo

(a) in margine, deletis *haec enim.* (b) prius *detin., nunc eius cog.* A. *et nunc pravas cog.* B.

deserto religionis positis, et semotis ab Aegypto seu mundi illecebris, necessaria sunt regularum praesidia, ut vitae innocentiam servemus.

Populo item Israelitico pernecessaria fuit ad ipsius sitim et tentationem exstinguendam ac superandam virga Moysi (1) ; ita regularum observantia, ut virga quadam Moysi, tangimus petram, id est Christum Dominum, in cuius honorem regulis nos subiecimus ; et a Christo fluunt in nos aquae gratiarum, virtus paenitentiae, donum lacrimarum, devotio et consolatio spiritualis, quae sunt aquae vivae salientes in vitam aeternam. (2) Sed et eadem virga mare nobis aperit huius saeculi nequam, praebetque nobis liberum transitum compressis eius fluctibus, submersoque hoste nostro infestissimo Pharaone. Ut enim superbus est et superborum princeps, cuius superbia crescit semper, superatur tamen dum[a] descendimus per humilitatem in profundum cordis nostri ad officia et ministeria vilia et abiecta, ad crebram confessionem, ad liberam imperfectionum nostrarum manifestationem, quae omnia regulae nostrae nobis praescribunt.

Per regularum ergo observationem et disciplinae diligens studium, nos mare hoc turbulentum et aestuans evadimus, pergentes inoffenso pede in terram promissionis.

Sunt denique nobis ad instar columnae igneae (3), quae iter demonstrabat et parabat populo Israelitico per desertum in terram promissionis, eumque velut manu ducebat, in quam Iosue caelestis, Christus Dominus, pro sua benignitate et clementia nos aliquando deducet ambulantes per semitas iustitiae.

2. Si quis queratur de numero quod multae sint, attendat ille[b] unum et eundem spiritum omnes continere, neque ideo[c] numerum regularum particularium gravem aestimari debere ; sicuti non censetur gravis et incommodus nummus aureus, quamvis multos asses et nummos argenteos valore suo contineat. Spiritus unus et institutum unum multas regulas ad instar nummi aurei comprehendit. Et quam, amabo, familiam invenias, quae non habeat leges et consuetudines multas, quas paterfamilias velit servari ? Onus tamen illud grave non ducitur, sed suave, quia illae familiae disciplinam et omnium domesticarum rerum ordinem bene disponunt. Non adduco aulas principum, non magistratus officia, quae leges et sanctiones habent plurimas, sed familiam civis honesti seu negotiatoris ; hanc videbis[d] continuo, si mentis aciem in eam conicias, absque regulis non subsistere.

(a) *sic superatur dum.* B. (b) In cod. A sequitur : *quicumque sit, per Christum obsecro,* unum... ; hoc exscripsit B, sed in margine notatur : *omittat.* (c) prius *propterea.* At B. scripserat : *ideo neque propterea,* quam ultimam vocem delevit. (d) supra lin. ; om. B.

(1) Num. cap. 20. (2) Cfr. Ioann. 4, 14. (3) Exod. 13 extr.

Erus peculiaribus institutis ac legibus actiones suas disponit, et continenter negotiis suis vacat : mane surgit ex praescripto et consuetudine sua ; deinde statuto tempore audit sacrum, alia hora lustrat domum an omnia bene sese habeant, tali ac tali denique hora eos convenit quibuscum negotia habet. Uxor deinde suas habet regulas a marito praescriptas easque iugiter servat, attendens modo proli, modo orationi, modo instituendis ancillis, modo parando prandio. Filius maior habet suas regulas et ex ordinatione parentis totius diei actiones obit. Famulus primarius etiam suas habet leges ; item secundarius suas. Idem est de ancillis : ita ut vivere nequeat familia ulla absque legibus, eisdemque multiplicibus ob varia officia quae praestari debent. Et hae tamen familiae et earum oeconomia non sunt perpetuae neque aliorum civium uniformes ; atqui Societatis oeconomia, sicut ipsa Societas, perpetua est et immutabilis, patetque latissime, et ubique debet esse uniformis ac similiter ordinata. Quid ergo miraris, bone frater, si quae tot officiis totque hominum et ingeniorum condicionibus et classibus constat, ordinationes multas habet et regulas ? Sed antequam progrediamur ulterius, explicemus rationem nominis, et quare regulae dicantur ; prius tamen ostendamus quod discrimen sit inter constitutiones et regulas.

3. Constitutiones igitur sunt leges publica auctoritate institutae et permanentes, quae Societatis institutum[a] in bullis generatim comprehensum, redigunt in formam communitatis et reipublicae religiosae ; suntque veluti conclusiones deductae ex principiis universalibus ad reducendum ipsum institutum in formam Societatis cum debito ordine. Hac de causa suis diversis locis tractant de diversitate classium et personarum, ut de noviciis, scholasticis, coadiutoribus temporalibus et spiritualibus, de professis, denique etiam[b] de ipsarum classium personarumque officiis, nempe provincialium, rectorum, sacerdotum, administratorum, etc., ac denique de bono esse, statu, gubernationeque huius rei publicae nostrae religiosae, omnes informando et docendo rationem bene oboediendi, administrandique officii sui.

Sunt autem constitutiones nostrae ad finem propositum convenientissimae, quoniam[c] omnibus provident, omnibusque casibus prospiciunt ; sunt breves, ut memoriae mandari possint ; sunt et clarae ac dilucidae, ut facile queant intellegi. Et, quod magni momenti est, auctorem habent, sicuti et earum declarationes, B. P. N., quae gratia est peculiaris facta[d] a

(a) *in Societate institutum.* B. (b) *denique et de.* B. Exspectes « tum etiam ». (c) in A notatur *qm* ; in B integrum scribitur. (d) *quae gr. est pecul. facta.* retinuit B, sed post *facta* add. alterum *est* sup. lin.

Deo nostrae Societati. Nam constitutiones seu statuta aliarum religionum non fuerunt factae a fundatoribus suis, sed tantum regula seu institutum eorum variis bullis summi pontificis comprehensum ; aliquo vero post tempore a iactis ipsarum fundamentis, a congregationibus seu capitulis generalibus fuerunt contextae. Fecit autem B. P. N. ipsas constitutionum declarationes sapientissime, propter casus particulares qui solent contingere, in quibus, cum deficiat interdum ratio et rigor legis servari nequeat, opus est dispensatione. Hanc autem oportuit conformari legi et spiritui ipsius Societatis : hanc ad rem serviunt declarationes. Debent enim superiores hinc videre ubi, quando, quomodo in occurrentibus casibus dispensandum sit, et ut dispensatio fluat ex lege et spiritu Societatis. Hae vero constitutiones non pertinent omnes ad quoslibet, ut singulos dirigant in suis officiis ; sed manent in manu et providentia eorum praecipue, qui Societati ipsi praesunt, eius provinciis et familiis, ut secundum eas inferiores informent et dirigant.

Regulae autem pertinent ad omnes in genere, et ad singulos in particulari, sit generalis, sit provincialis, sit rector, sit studiosus, sit professus, sit novicius : degat sive in domo professa, sive in collegiis, sive in domo probationis ; versetur vel in Europa, vel in India. Sunt autem sic dictae, quod instar amussis et lineae fabrilis dirigant structuram nostram spiritualem, et particulares actiones nostras in officiis obeundis.

Dividuntur autem bifariam ; nam aliquae sunt edictae de verbo ad verbum ex constitutionibus, absque ulla prorsus mutatione, adeo scrupulose, ut solum verbulum ad conexionem et cohaerentiam maiorem textus alicuius addendo, habita fuerit una et altera consultatio a P. Generali Everardo et assistentibus eius cum secretario. Eae autem vocantur communiter summarium constitutionum, quod ex constitutionibus decerptae sint, quod ad aedificationem et disciplinam spiritualem praecipue pertinerent. Aliae sunt communi vocabulo « communes » nuncupatae, quae ad omnes pertinent ; et aliae particularium officiorum, quae conveniunt iis qui officia particularia tractant ; utraeque vero eductae sunt ex constitutionibus vel traditionibus a B. P. N. acceptis[a] et in ordine redactae a successoribus eius. Earum autem officium est dirigere singulos in officiis sibi impositis, ut quae, v. g., ad Provincialem, ad Rectorem, ad Ministrum, ad Praefectum templi, ad Praefectum aegrotorum, etc. pertinent.

Sed videamus modo[b] quae sit tot regularum utilitas.

(a) *quae ad omnes... acceptis.* Additio marginalis in A. (b) Scriptum erat : *utilitas quae sit tot reg.* Ante haec verba additum : *Sed vid. modo.*

5. Prima. Vocabulo ipso patet officium earum esse nos regulare et dirigere in nostris officiis, ne a recto seu linea deflectamus. Regula etenim appellatur quod dirigat, sicuti normam facere videmus apud artifices et fabros tum lignarios, tum caementarios, aliosque qui sua norma et amussi opus suum bono ordine disponunt, et singula suis locis[a] collocant, ut nihil exeat distortum, sed rectum et debita proportione dispositum.

Secunda. Regulae tollunt impedimenta perfectionis religiosae, ut sunt distractiones saeculi, mundi illecebrae, carnis voluptates, etc., et informant nos ad actus virtutum. Nam observatione regularum acquirimus humilitatem, oboedientiam, patientiam, castitatem, etc., et rectum disciplinae ordinem.

Tertia. Iuvant ad observationem votorum et universae disciplinae. Sicut enim saepes custodit vineam a furibus, a lupis, a canibus, sic regulae custodiunt religiosam disciplinam et spiritum bonum.

Quarta. Componunt hominem interiorem et exteriorem. De interiore dicere possumus quod D. Paulus ad Galatas (1) adducit : *Quicumque*, inquit, *hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, et misericordia, et super Israel Dei.* Pax, id est, Dei favor, remissio peccatorum, conscientiae tranquillitas ; misericordia, id est, auxilium Dei in afflictionibus, tentationibus et necessitatibus, quod regulae nobis conferunt, saltem dispositive et per modum exhortationis seu instrumenti. Est namque regula medium quoddam ad consequendam perfectionem, id est, amorem Dei et proximi, in quo exsistit vera vitae huius perfectio. Exteriorem vero hominem etiam componunt, quoniam exornant eum modestia et decoro quodam suo statui pulchre convenienti.

6. Quinta. Est exsecutio voluntatis divinae superiori manifestatae. Sunt enim regulae ordinationes bonae, honestae et piae, traditae ab auctore instituti, Spiritu sancto inspirante, ad finem eiusdem instituti ; ut norma et amussis traditur ab artifice perito secundum artem, qua quid et quomodo fieri debeat, declarat, ut opus totum ad eam rationem et lineam dirigatur et reguletur ; ita, inquam, regulae religiosae nostrae sunt mensura et norma a B. P. N. tradita, secundum artem et institutum, quod inspirante Domino conceperat et disposuerat, qua docet quid fieri, quid prohiberi voluerit.

Vicarius autem Christi, summus Pontifex, constitutiones et regulas confirmavit ; quod nobis, fratres carissimi, magno debet esse solacio,

(a) *s. loc.* additum supra lin. A. B.

(1) Gal. 6, 16.

debetque animare ad regulas amandas et accurate servandas, quarum videmus Dominum Deum tantam habuisse rationem.

Sexta. Regula est praecipuum medium ad perseverandum. Nam licet perseverantia sit donum Dei, iuvatur tamen homo ad perseverandum per bona opera, ad faciendam certam vocationem suam, iuxta illud (1) : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Bona autem opera religiosi sunt, servare vota, regulas, superareque omnes tentationes et difficultates ; sicut miles generosus animi virtute et fortitudine, servando leges et mandata sui ductoris, superat omnes difficultates et usque ad finem victoriae pugnando perseverat. Aliqua quidem difficultas est non assuetis ; sed ipsamet difficultas confert animo magnam laetitiam, sicut laetantur victores obtenta victoria, dum dividunt spolia. *Lux orta est iusto, et rectis corde laetitia* (2) : quis vero inter nos rectus corde est, nisi qui devote et accurate servat regulas et disciplinam ? Hic nimirum rectificat cordis sui cogitationes, unde prodeunt externae operationes. *Magna* porro *multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te* (3) : qui vero regulas propter Deum servant, Deum timent, cuius voluntas in regulis expressa est.

7. Septima est : Serviunt ut doceant nos et instituant, serviantque denique pro directione, spirituumque discretione ; quia per eas discernere possumus quo spiritu et iudicio quis moveatur, proprione an communi Societatis, domestico an peregrino, falso an vero genuinoque. Nam in regulis lapidem Lydium habemus, ut cognoscamus an aliquid sit aureum an aurichalcum, an quis sit recollectus[a] an laxioris disciplinae.

Cum ergo Deo servire debeamus, non pro nostro iudicio, sed ex Dei voluntate ad has regulas animum convertere debemus, ut Dei beneplacitum faciamus, quando quidem eas nobis dederit, ut secundum eas actiones nostras dirigeremus.

Octava. Conciliant inter nos uniformitatem ; nam licet dispersi simus per universum orbem, et maximis terrarum spatiis disiuncti, concolores tamen ubique sumus, Itali, Galli, Hispani, Indi, Peruani, Angli, Scoti, Germani, Belgae. Licet vero[b] aliquid sit forte diversitatis in vestiendi modo (quia debemus nos accommodare modestis clericis gentis eius apud quam versamur), exigui tamen illa est momenti.

Nona. Quod nobis sint pro muro et antemurali ad propulsandas relaxationes irreligiosas[c] , quae contra profectum et modestiam spiritualem

(a) *collectae*. B. (b) *Et quod*. B. (c) *irr. rel*. B.

(1) 2 Petr. 1, 10. (2) Psalm. 96, 11. (3) Psalm. 30, 20.

irrepere possent, unde riderent et subsannarent nos adversarii ; dictum enim est (1) : *Destruxisti maceriam eius, et vindemiant eam omnes, qui praetergrediuntur viam.*

Demum iuvant ad officia religiosa recte exercenda. Leges enim operantur opera virtutum quae imperant, et philosophia praecepta praescribit quibus intellectus efformetur. Et ut spiritus et vita vivificant et dant spiritum operationibus, ita opera religionis et leges faciunt, et dant vitam disciplinae religiosae.

8. Debemus ergo, fratres mei, colligere hunc fructum et hanc utilitatem quam nobis subministrant regulae nostrae, magno Dei beneficio ; et animum accommodare ad diligentem earum observationem, ut Dominus Deus nobis non improperet quod in colenda vinea nobis commissa ignavi ac vecordes fuerimus. Scriptum est enim (2) : *Beatus ille servus, quem, cum venerit Dominus, invenerit,* non simpliciter quidvis facientem, sed *sic facientem,* ut egregie notavit D. Bernardus (3). Et si recte quidem obtuleris, ait (4), non recte autem diviseris, peccasti. Nos vero, si vel unicum mandatum fecisse arbitrati fuerimus, — neque enim cum fecisse dixerim nos omnia, siquidem, si quis recte finem illorum perpenderit, conexa inter se ac cohaerentia reperiet, atque adeo, ut uno soluto, reliqua etiam omnia cum eo solvi necesse sit — non propter ea quae facere neglexímus, metuimus ne poenae dandae nobis sint, sed pro eo quod recte fecerimus, praemia utique atque honores exspectamus ? « Qui de decem talentis, quae deposita apud se sint, unum aut alterum retinuerit, reliqua vero omnia domino reddiderit, non ea re iustus habeatur, ait D. Basilius (5), quod maiorem partem reddiderit, sed fraudulentus, quod minore illa defraudarit, arguetur. Sed quid dico, defraudarit ? quando cui unum modo talentum creditum fuerat, illudque ipsum integrum ac nulla ex parte imminutum reddiderat, propterea quod ad illud, quod sibi datum erat, nihil acquisiverat, male vidimus fuisse multatum. Simili ratione, qui decennium totum debitum patri honorem habuerit, is si eum postea semel tantum pulsaverit, non ut bene de illo meritus honore aliquo afficitur, sed ut parricida condemnatur ». Non satis ergo nobis esse existime-

(1) Ps. 79, 13. (2) Luc. 12, 43. (3) Nota D. Bernardi cadit scilicet in glossam : non simpliciter quodvis facientem. Cum autem Mabillonis primum volumen in quo sacrae scripturae loci in margine notantur, sedulo ab initio ad finem pervolvissem, neque locum Lucae neque glossam hanc invenire contigit. (4) Haec verba : *Et si recte quidem obtuleris, non recte autem diviseris, peccasti,* Bernardo non sunt ascribenda ; etenim nihil aliud sunt nisi Gen. 4, 7 iuxta versionem LXX, ut habet Corn. a Lapide i. h. l.; eaque invenies apud S. Bern. PL. t. 183 in Cant. Serm. 24, n. 7 a. in. (5) S. Basil. PG. t. 31 Prooemium in reg. fus. disp. col. 894 a. b.

mus,fratres carissimi, si duas, decem,viginti et plurimas regulas servaverimus; nam Deus rigidus est exactor, vultque ut omnes ad amussim servemus,ut gloriam et honorem nobis promissum ab ipso accipiamus. Qui vivit et regnat in saecula saeculorum. Amen.

2ª Exhortatio

De regulis et constitutionibus : quanta cum reverentia a nobis tractanda sint, et quam obligationem nobis imponant

1. Quanti nos facere oporteat, fratres carissimi, regulas et constitutiones nostras, quam pio studio ac religioso animo eas nos servare deceat, quantam denique auctoritatem apud nos habere debeant, nemo vestrum est qui non intellegat. Intellegit enim quisque se ideo mundum reliquisse[a], omnes praetentiones quas in eo habebat, ut sequeretur hoc vitae genus, quod sciebat multis regulis et legibus teneri. Neque est qui non proposuerit initio sponte et libenter se omne studium suum collaturum in earum observationem.

2. Sed unum illud nos non mediocriter afficere debet, quod B. P. N. Ignatium habeant auctorem et promulgatorem. Ipse enim sancto viro Deus plenitudinem spiritus et lumen sapientiae suae copiosissimum dedit, ut nos doceret et dirigeret per viam hanc ad perfectionem, ut de copioso thesauro cordis eius prodirent ad nos amplae hae et insignes divitiae sapientiae vere divinae. Quod si cuique nostrum satis fuisset audire beatum virum semel sibi dicentem : hoc facias, illud agas, ita te componas, etc., ad movendum illum ad promptissimam oboedientiam, ob amorem quo in eum ferebatur, quomodo non sufficiat nobis ad bene et reverenter pieque obsequendum regula eius manu scripta, ac nobis paterno affectu tradita? Nam in ipsa littera spiritus eius est ; itaque a nobis audiri et accipi debet atque si coram mandaret. Ipsemet enim constitutiones fecit et declarationes omnes,

(a) *et.* addiderat B, sed postea delevit.

hoc excepto, quod cum in quarta parte, de universitate, studio generali ac gradibus facultatum conferendis ageret, aliquid lucis, cum a P. Iacobo Laynes, tum a P. Ioanne Polanco, tum denique a P. Andrea Frusio, qui in universitatibus diversis fuerant, accepit.

3. Accedit quod factae illae fuerunt magno valde iudicio et consideratione, sacra multa ad eam intentionem celebrata, orationes fere perpetuae factae, adeo ut vix sit clausula ulla vel periodus, quae non constiterit illi multa oratione, et ea fere semper lacrimis perfusa. Constat hoc ex eo, quod totos octo annos posuit in eis examinandis et contexendis. Immo enimvero ut una atque altera linea statueret domos professas debere non censu ullo, sed eleemosynis sustentari (1), impendit quadraginta dies totos in orando[a], ieiuniis, paenitentiis, missis in eum finem celebratis, et semper cum lacrimis et admiranda spiritus illuminatione, cum copia et illustratione multa rerum supernaturalium, nominatim de superbenedicta et sanctissima Trinitate, quae apparuit illi sub variis figuris et aenigmatibus, apparente etiam interdum beatissima Virgine Dei genetrice, qua mediante, in quodam quaternione quem penes se habebat manu sua scriptum, hanc tantam lucem se consecutum annotavit. De quo exemplum extraxi[b]. Certe res est multa admiratione dignissima, ob multiplices gustus spirituales quos se tunc habuisse scripto reliquit, ut tanto firmior constitutio maneret.

Quod cum ita sit, quantum, sanctissime Pater, desudasti, dum tam multas alias constitutiones et ordinationes sanctissimas nobis parasti ! Et quotiens toto illo spatio octo annorum maduit charta, in qua constitutiones scribebas ! Neque porro tamen a B. P. N. factae fuerunt, sed et facultas et mandatum accessit summi Pontificis Pauli III, ut eas faceret, sicut ipse fatetur in ipso constitutionum prooemio.

4. Accedit quod, post eius obitum congregationes generales omnes sequentes eas exceperunt magna cum reverentia, volueruntque esse et haberi firmas et stabiles. Quin — ne id omittam — tempore pontificatus Pauli IV, post rigorosum examen fuerunt ab ipsomet Paulo IV, licet parum in Societatem propenso, approbatae. Nam, mortuo beato viro, ultra suum examen, sanctissimus summus Pontifex eas tradidit quattuor cardinalibus primariis, et iis fere monachis, examinandas, qui post

(a) *oratione.* B. (b) *annotavit, de q. e. extraxit.* B.

(1) P. 7, c. 2, § 2.

examen rettulerunt eas pontifici integras, nulla prorsus re, vel etiam littera immutata. Neque solas constitutiones tunc fuerunt ab eodem pontifice approbatae, sed regulae omnes nostrae, etiam officiorum minimorum ; ac demum approbatae et confirmatae fuerunt a Gregorio XIII per breve Apostolicum, et paulo post per constitutionem, cuius initium est « Ascendente Domino in naviculam », ac tandem iterum a Gregorio XIV simili edita constitutione. Utraque autem constitutio apponit etiam censuras et excommunicationes latae sententiae contra eos qui eas impugnare vel damnare auderent, vel denique declarare, glossare, interpretarive praesumerent.

Ex quibus, fratres mei, quis non videat quantum laboratum fuit a B. P. N. et postea a Societate, ut ad nos integer hic thesaurus perveniret ? Unde patet quanti eas facere debeamus. Certe nullius ordinis regulae et constitutiones ad haec usque tempora emanarunt tam cribratae, ac tam denique approbatae et confirmatae. Nam licet Nicolaus IV, in Decretali « Exiit qui seminat » « de verborum significatione », de patribus S. Francisci ponat similem clausulam excommunicationis, non extendit tamen se ad alia, quam ad regulam ipsam, seu instituti formulam ; atqui hae nostrae extravagantes sese extendunt ad ipsas etiam regulas, multo magis constitutiones ; ac tandem post tantam approbationem consecuta est Societas pacificam possessionem, determinante S. Pontifice nostrum institutum esse sanctum et Deo probatum. Ratio porro quam affert Sanctissimus uterque, est ea quam Leo X habuit in Concilio Lugdunensi, confirmans ordines mendicantium ; nimirum, quod missi sunt homines Societatis in orbem a Deo, ad utilitatem populorum, quae patet ex fructu quem faciunt in Ecclesia Dei. Hic, ait, fructus, argumentum evidens est, quod Deus ea utatur, et quod eam miserit.

Misit autem Spiritus Sanctus unum quemque nostrum, fratres carissimi, ad hanc scholam Societatis, in qua edoceretur de ratione qua acquirere posset perfectionem, vel ad eam totis viribus contenderet. Ratio vero illa regulis et constitutionibus nostris comprehenditur. Debet ergo quilibet nostrum concipere magnum propositum et desiderium eam acquirendi ; deinde oportet praestare officium boni discipuli, quod in parendo consistit. Praeceptoris autem officium exercent constitutiones ipsae, et regulae cum praefectis. Illae enim tradunt omnia quibus ad perfectionem acquirendam opus est, sive doctrinam, sive praxim spectes. Sed ita hisce parendum est, ut quae praescribunt, et iudicium et voluntas, et vires denique omnes animi ita excipiant, amplexentur et sequantur, ut a tramite eorum quae traduntur ne pilum quidem abscedant ; alioquin nihil haec proderunt. Sicuti corpori prodesse nequeunt cibi, quamlibet praestantes, nisi in ventriculum immit-

tas, et in eo concoquantur : sic et quae ad perfectionem traduntur prodesse non valent, nisi voluntas, pleno affectu, ab intellectu bene disposito commendata complectatur. Virtutem enim nemo acquirit nisi volens, ut nec divitias nisi per sollicitudinem.

5. Iam tempus est ut examinemus quam vim habeant obligandi eos qui ipsis se submiserunt. Id enim multum refert cognoscere. Non obligant ergo ex se ad peccatum ullum. Sed animadvertendum est, quod omnis lex vim obligandi habet aliquo modo ad illud quod ordinat et mandat. Omnes etenim superiores et principes rei publicae auctoritatem habent condendi leges, quae obligent subditos. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit* (1) ; et paulo post dicit Apostolus subditos obligari servandae legi, *non solum propter iram* seu offensionem potestatis, *sed etiam propter conscientiam* (2). Oboediendum est principibus propter dominium quod habent independens ab altero, sicuti habent qui vocantur et habentur domini supremi, quos sermo gallicus vocat « Souverains ». Non solum vero oboedire debemus ob timorem gladii seu poenae, sed quia nos obligant in conscientia. Quocirca regulae, quae leges sunt religiosae a suprema auctoritate confirmatae, obligant in conscientia, faciuntque ut opera ex se indifferentia, sint vel non sint meritoria, vel peccata. Sicuti equo uti in itinere, seu in necessitate, res est indifferens, item tractare pecunias, habere duas vestes, etc, religioso tamen S. Francisci peccatum est, ut patet ex Clementina « Exivit de Paradiso », « de verborum significatione » ; ubi Pontifex, ex verbis S. Francisci, obligat quos ille voluit obligare.

B. P. N. interrogatus ad quae volebat constitutiones obligare, respondit P. 6ª, cap. ultimo : quod optabat ut constitutiones, et declarationes, et ordinationes observarentur, non declinando vel ad dextram vel ad sinistram ; sed ut desiderabat ne filii sui inciderent in laqueos peccati, quod nasci posset ex obligatione, videbatur ipsi in Domino consultum, ut constitutiones et regulae nostrae non obligarent ad peccatum vel mortale vel veniale, voluitque ut in locum timoris subiret amor, studium perfectionis, et maior gloria Dei ; et ut ad hoc in regularum observatione omnes collimaremus. Nam amor quia nobilis est, nobilitat et dilatat cor. Hic porro modus, quem B. P. N., dum agit nobiscum, tenet, debet nos obligare ad perfectissime observandum constitutiones et regulas nostras. Bono siquidem filio sufficit cognoscere voluntatem patris sui, quia solummodo ut illi placeat, et rem ei gratam faciat, absque timore ullo mandatum exsequitur.

(1) Rom. 13, 1. (2) ibid, 5.

6. Quia vero non nulli sui obliti abutuntur hac B. P. N. suavitate, in praeiudicium animae suae ac disciplinae religiosae, operae pretium videtur hunc modum[a] paulo penitius expendere et excutere. Dicunt ergo : Regula est, fateor, sed non obligat ; sic enim B. P. N. voluit ut tria vota essentialia sola ad mortale obligarent, et quae faciunt professi simplicia. Item quando superior praecipit in virtute sanctae oboedientiae, vel in virtute Domini, quod rarissime voluit fieri. Obligat item promissio quam faciunt scholares fratres nostri in formula votorum de ingressu seu incorporatione in Societatem, quando ipsa eos volet admittere ad gradum professorum vel coadiutorum formatorum, quod votum sit. Item obligat similiter promissio, quae fit in ingressu Societatis de bonorum dispositione, licet votum non sit, ut congregatio 5[a] can. 1 declaravit ; quia promissio est in re gravi. Igitur totum illud quod in constitutionibus pertinet ad peccati materiam, non vi constitutionum obligat, sed quia materia gravis est ; ut sunt eae quae continent materiam voti, aut legis naturalis, qualis est quae mandat ut manifestetur grave damnum religionis[b] factum, vel impendens ; et ita regulae quae continent materiam paupertatis et oboedientiae missionisque obligant, quia quando promisimus oboedientiam et paupertatem, adiecimus « iuxta ipsius Societatis constitutiones », et ita patres gravissimi iudicaverunt esse peccatum mortale. Et P. Natalis aiebat esse sacrilegium accipere aliquid eleemosynae pro missa, ut insinuatur etiam in examine, c. 1, declarando ordinem paupertatis. Idem dici potest de constitutionibus quae declarant missiones pontificias, quibus adde et illam de non dando nec accipiendo mutuo.

7. Licet autem constitutiones non obligent ex se, S. Thomas tamen (1) dat unam doctrinam pro personis spiritualibus, loquens de regulis Praedicatorum, quae similiter non obligant ad peccatum. Dicit enim, quod nihilo minus peccari potest violando regulas ex contemptu et libidine, vel ex neglegentia, vel quia eas non magni facias, vel per affectum inordinatum, quem vocamus libidinem, v. g., frangere regulam silentii, tantum ut garriam et iocer, quod adduco exempli causa, quia regula silentii plerisque videtur esse levis, et caerimonia tantum ad dandam nudam significationem modestiae in colloquiis. Sed non sic, non sic, fratres mei, accipiendum est quod regula praescribit, sed a clamoribus et cachinnis, quia non aedificant, cavendum nobis est. Peccari potest per neglegentiam, quando praevaricatio

(a) Scripsit librarius A. *nodum.* (b) sic in utroque cod.

(1) S. Thom. 2, 2[ae], q. 186. art. 9, ad 1[m].

provenit ex fastidio et molestia, et quia sumus parum solliciti ut regulas servemus.

Praeterea D. Thomas in corpore articuli dat doctrinam, quam bonum est ut omnes intellegamus, videlicet quod omnis religiosus est obligatus ad quaerendum finem sibi[a] propositum per medium regularum suarum[a], et eorum quae illae praescribunt.

8. Unde sequitur quod quando quispiam parum curat servare regulas suas, ipse tum sit in statu valde periculoso. Et sane vereor, ut si hoc vitio et neglectu laboret, bibat ut lac imperfectionem, quamvis existimans forte non esse peccatum, quod error est atque illusio valde periculosa, ac studiose fugienda. Et qui porro talis esset multa faceret similiter peccata, et ea manifesta et gravia, versareturque in discrimine conscientiae.

Dicunt medici, quod quando quis se sentit valde gravem et fatigatum, praecipue in cruribus et tibiis, ut vix possit incedere, quod tales indispositiones vocantur « neutrae », et indicium eas dare magni et gravis alicuius morbi imminentis : spontaneae, inquiunt, lassitudines morbum indicant. Sic religiosus, qui ambulat quasi sine lege et absque regula, vicinus est casui, ac signum est quod anima illa langueat, vicinaque sit alicui gravi morbo qui eam perdat ; signum denique est, quod Deus non est cum ipsa. Nam Deus Dominus valde amat disciplinam. Hoc apparet in anima in qua habitat ; nam subito ut ingreditur, eam componit et excolit disciplina. Considerate eum qui participavit sacrosanctis sacramentis corporis Domini, vel aliquem qui devotus et collectus est : omni in re attendit quomodo se gerere debeat. Quando vero disciplinam respuit, et spiritus eius elanguet, et Deus sensim ab eo recedit permittitque ut ruat in peccata : Erudire, inquit Ieremias (1), *Hierusalem, ne forte recedat anima mea a te, ne forte ponam te desertam, terram inhabitabilem.* — Bene id[b] intellegebat B. P. N., qui tam sollicite et studiose commendavit ut regulas servaremus : « Omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis » etc. (2). Dicit « constanti animo » quia opus est perseverantia et animi fortitudine ad superandas difficultates, quas caro et sanguis iniciunt per sensualitatem repraesentando et impugnando ; « nihil perfectionis », inquit, ne dicamus : res parva et modica est, non obligat ; « nostri instituti peculiari ratione adimplenda », ut non recurramus ad aliam doctrinam et imaginationem, seu ratiunculas, quas aliquando apud alios doctores legerimus, sed incedamus via regia et trita a tam

(a) *nobis, nostrarum* : utrumque delevit A, retinuit B. (b) *illud.* B.

(1) Ierem. 6, 8. (2) P. 6, cap. 1.

multis et magnis viris, et ab eis quos cernimus in spiritu et perfectione proficere, nulla in re declinantes ad dextram vel sinistram, ut B. P. N. loquitur.

9. Advertendum autem est scientias omnes sua habere principia, quae in ipsis sunt indemonstrabilia, ac proinde solent ii quibus incumbit de iis scientiis tractare, haec principia supponere, et in ipsis convenire. Nam si velit quis de his disputare et argumenta contexere, non expedit cum ipso ulterius progredi, quia contra negantem principia non est disputandum. Huius scientiae nostrae, id est Societatis, quae scientia moralis est, sunt sua principia indemonstrabilia, ut substantialia instituti et eius finis, ex quibus constitutiones fluunt: contra haec non est curiosius investigandum, sed plane acquiescendum. Notandum est autem, quod quando scientia est practica, et quae dirigit et actuat affectum, ut voluntas sit ita temperata et disposita, ut non inducat intellectum ad aliter iudicandum de rebus quam ipsae postulant, et quam re ipsa sunt. Qualis enim quisque est, tales res esse iudicat: qui respicit res albas, rubras, etc., per vitrum viride transparens, omnia videt esse viridia; sic, qui regulam aliquam intuetur et considerat animo passione aliqua infecto, male de ea iudicat. Religio est scientia, et scientia moralis et spiritualis ac practica, habetque, ut paulo ante diximus, sua principia, in quibus oportet nos convenire et acquiescere, alioqui nobis manendum fuerat in saeculo.

Debemus praeterea servare praecepta huius scientiae, quae sunt constitutiones eius et regulae; servare, inquam, cum affectu proportionato et disposito, eo spiritu quo fuerunt factae; alioqui, si eas consideremus cum spiritu alieno, non proficiemus; si cum spiritu bono et spiritu Societatis, perspiciemus valde proportionatas esse ad finem quem petimus. Non enim debemus metiri disciplinam nostram seu regulas mensura saeculari, mensura videlicet honoris, spiritu superbiae; — quia vanae et inanes superbo viderentur, quia non sequuntur spiritum illum honoris aut propriae existimationis — sed humilitatis et contemptus sui. Hac, inquam, mensura eas mensurare et amplecti nos oportet, et faciles tunc suavesque eas sentiemus et iudicabimus. « Non est religiosae vitae exercitatio, ait S. Ephraem (1), res ludicra, sed cautela, ut diligentia recte curetur salus animae »; et Paraenesi 4ª (2). « Si bona et pulchra ieceris principia,

(1) In margine reicitur ad S. EPHREM, exhort. 2. tom. 2. Verum sumitur ex tom. 2, nº 4 Hypomn. p. 275 d. med. et ordo verborum paulum est diversus. (2) Sic in ms. Locus est in Paraen. 7ª in., p. 348. Codicem referimus ad unguem; ipse vero minus accurate fontem, in quo verba melius sane cohaerent. Ceterum fieri potest ut librarius notas Oliverii non recte exscripserit.

sic et senectutem tuam Deo gratam et acceptam traduces, erisque instar luminaris, quod multos in via Dei illuminat ; sin autem a vero recesseris, malus et non rectus exieris, cum ignominia erit et senium tuum ».

Summa est, fratres mei carissimi, quod maximum a Deo donum et beneficium accepimus, quod ut nullus nostrum existimet parvum, vel minoris faciat quam par est, recolamus nos omnia, quae habemus a natura et studio, ab ipso accepisse, atque adeo facultatem exsequendi omnia quae constitutiones et regulae nobis praescribunt ; ne autem gravate illis pareamus, quasi plus iusto a nobis exigeretur, et ne causam habeamus querendi quod nos plus illi conferamus quam ab illo accepimus. Nam beneficium quod nobis a Deo donatum est vocationis, virtute et magnitudine tantum est, ut nihil non subire debeamus pro eius servitio, et ut illius voluntati per omnia obsequamur. Quod faciendo eius gratiam et gloriam demerebimur.

3ª Exhortatio

De regulis : primo, quo spiritu et modo servari debeant ; secundo, quid commodi afferant ; tertio, quibus se involvant incommodis, qui eas neglegunt

1. Unum et praecipuum medium conservandae Societatis est regularum pia et diligens observatio. Quam ob rem Societas maximopere advigilat circa earum observationem, et superioribus quidem hoc indefessum debet esse studium. Nam si integrae[a] serventur, utilitatem ex eis reportabimus permagnam. Ex iis nimirum mores probos ac zelum honoris Dei, pietatemque hauriemus, et vitia, quae a perfectione caritatis nos retrahunt, declinabimus, fietque ut nec steriles nec infrugiferi in viam quam ingressi sumus inveniamur. Haec pia sollicitudo deducet nos ad bonas atque honestas actiones, ut non declinemus *ad dexteram, neque ad sinistram* (1), nec per contrarium vitium in aequale malum incidamus, de quo monet nos Salomon. Sed caute istud intellege. Nam idem dicit (2) quod « vias dexteras novit Deus, perversae autem, inquit, sunt sinistrae ».

(a) *integre*. B.

(1) Prov. 4, 27. (2) Cfr. ibid.

Qui fit igitur, ut qui dextrum laudat, a dextro nos avertat? Intellegit profecto per dextrum, quod dextri speciem habet, re vera tamen tale non est; quod alio in loco considerans dicit (1); « Ne magnopere iustus sis, nec supra modum sapiens ». Et istud per modum digressionis dictum sit; veniendum enim nobis est ad rem propositam.

2. Regularum igitur aliquae pertinent ad interioris hominis disciplinam, quae summario constitutionum comprehenduntur; aliae pertinent ad politiam exteriorem, quae mandata sunt et instructiones praepositorum generalium pro bona administratione Societatis, vel ad praecavenda incommoda quae nasci possent, vel ad pleniorem constitutionum observationem, vel denique ad bene et honeste componendum quemlibet in officio quod gerit, ut omnia recte et secundum ordinem fiant in nobis.

3. Servandae autem sunt tribus praecipue modis: iudicio, voluntate, exsecutione.

1° Ut serventur quo spiritu factae sunt, et perfecte atque integre[a]; non enim servandae sunt regulae pro cuiusque privati iudicio, sed communi. Non, inquam, servare eas debemus spiritu aliquo peregrino, vel ut saeculares, vel ut alii religiosi suas, quae ad eandem materiam pertinent; nec mutilate, ut partem serves, partem neglegas, ne contingat nobis quod olim monacho cuidam accidisse ferunt; nam cum indutus esset veste partim religiosa, partim militari, miles quidam ab eo offensus illum male pulsavit et contudit, qua parte vestitus erat militaris. Obiciente autem monacho excommunicationem: atqui non percutio, inquit miles, monachum, sed militem.

2° Non in spiritu timoris, ut loquitur B. P. N. in quadam regula, sed in spiritu amoris. Propterea noluit eas obligare ad peccatum ullum, ut a nobis igniculis amoris accensis ac pro affectu servarentur. Non debet videlicet quis ad servandam regulam moveri ne superior corripiat aut reprehendat, id enim minueret meritum, nec illud esset consentaneum rationi et spiritui Societatis; immo nec conveniret legi gratiae, quae tota amoris est. Hunc timorem habuerunt Iudaei in mandatis suis servandis; non autem sic nos, qui de Societate sumus. *Non enim accepistis*, dicit Paulus christianis (2) *spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba, Pater.*

3° Non causa conciliandi nobis apud superiorem maiorem gratiam; vel spiritu ambitionis, ut eveharis ad altiora officia, vel ut superior

(a) *integrae.* B.

(1) Cfr. Eccle. 7, 17. (2) Rom. 8, 15; Gal. 4, 5; 2 Timot. 1, 7.

impensius tibi faveat et indulgeat ; quia de talibus dicit Dominus (1) : *Receperunt mercedem suam.* Addo quod hae cambitio, seu artificium, pestis sit religionis et vitium maximum : *Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coram hominibus ut videamini ab eis ; alioquin mercedem non habebitis apud patrem vestrum, qui in caelis est* (2). Sed ad gloriam Dei promovendam et ad proficiendum in spiritu : « *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent* patrem vestrum qui in caelis est (3) ; et iuxta illud (4) : *Facientes voluntatem Dei ex animo.* Item, ad bonum exemplum praebendum aliis : *Nemo,* inquit Dominus, *accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum* (5). Denique nec ob utilitatem, aut commodum aliquod nostrum temporale.

4° Non ex consuetudine ; illa enim non sufficit ad meritum, nisi virtualem saltem habueris intentionem. Nam si ea consuetudo mutaretur superioris auctoritate vel alia de causa, aliquid perturbationis fortassis et tristitiae sentires. Debes ergo servare devote et ex spiritu, reputans eam esse Dei voluntatem, quae tuam debet movere ad operandum.

5° Debent servari a nobis totis viribus et toto conatu ; conatu, inquam, animi, id est, libentissime et alacriter ; conatu etiam corporis quando foret in exsecutione laborandum, quo nihil desit ad integram observationem singularum, etiam minimarum. Nam qui partim servant, partim non, assimilari possunt Samaritanis, qui Deum partim, partim idola colebant ; vel iis similes se praebent qui, contra legem, vestem ex lino et lana contextam gestabant (6). Quo praecepto Deus significabat, quod non ferat servitium dimidiatum, sed integrum requirat. Nec mollitiem in servis suis ferre potest, nec ut tales denique sint qualia sunt vasa pertusa ; nam etsi merita aliqua[a] ratione acquirunt, id est, ob regulas quas servant, perdunt tamen plurima cum alias neglegunt[b]. Scriptum est enim : *Qui in uno peccaverit, multa bona perdet* (7). Ita quidam, in vitis patrum, visus est aquam haurire[c] ex puteo, et effundere in lapidem perforatum. Et de nuntiis David missis ad regem Ammonitarum dicitur[d] quod per iniuriam fuerunt illis succisae vestes usque ad nates et barbae semirasae ; quam ob rem non fuerunt iudicati idonei qui prodirent in conspectum David, sed iussi sunt exspectare in Iericho. donec barba excrevisset (8). Ex his intellegitis, fratres carissimi, quam periculosum sit pro nostro iudicio et arbitrio regulas vel earum partem neglegere, aut neglegenter servare.

(a) *Nam mer. quae al. r.* B. (b) *illa perdunt per alias quas neg.* B. (c) *haur. aq.* B. (d) om. B.

(1) Matth. 6, 2. (2) Matth. 6, 1. (3) Matth. 5, 16. (4) Ephes. 6, 6. (5) Matth. 5, 15 ; Luc. 8, 16. (6) Deut. 22, 11. (7) Eccl. 9, 18. (8) 2 Reg. 10, 4. 5 et 1 Paral. 19, 4. 5.

6° Ad litteram sunt intellegendae et servandae sicut verba sonant. Si dicas litteram occidere, spiritum autem vivificare (1), respondeo verum id esse, sed veterem hominem occidere, non novum, qui secundum spiritum ambulat ; nam, qui sic ambulat, a regula vivificatur. Littera[a] porro regulae non debet trahi pro cuiusque ingenio et libidine, sed secundum declarationem genuinam, consensumque communem universae Societatis ; alioquin religio non esset locus — sicuti est — pacis et caritatis, sed dissensionis. Penes superiorem igitur esse debet, et est interpretandae regulae facultas.

7° Item servari debent absque dispensatione et cum hilaritate : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (2). Dispensatio, si necessaria est, a superiore petenda est, non aliter. Si ergo velimus a Deo diligi, simus in observatione regularum hilares et alacres ; eas servemus cum sinceritate et candore, ut non faciamus in occulto quod coram superiore non auderemus, nec consentiamus daemoni nos infestanti.

4. Attendamus igitur, fratres carissimi, diligenterque incumbamus in observationem integram regularum nostrarum, quod Deo gratum est, sicuti valde displicet ignavia et segnities. Ut vero nos non decipiat adversarius, in primis curandum est ut recta semper cogitemus, loquamur, operemur. Haec tria conservabunt in nobis gratiam Dei, sine qua nihil sumus ; sicuti mala cogitare, mala loqui, mala operari valde displicent Deo, et gravem poenam infert propter illa. Quod si leonem insidiantem suffocare velimus, firmiter illum apprehendamus, ne elapsus confringat ossa nostra, et instar vasis testacei nos comminuat ac disperdat. Si te in mare forsitan praecipitem dederit, cave, frater mi, ne abicias animum ; nam donec revertaris in terram, semper licet, si velis, surgere. Erga haec tria, quae iam commemorata sunt, diligentes simus, ut nihil agamus cuius nos aliquando pudeat. Nam qui in solo nomine religiosi sibi blanditur, regulis autem servandis non incumbit, nec proprias concupiscentias vincit, insipiens prorsus hic est, quoniam ad eas vitae suae rationes componere debet. Quod si, frater mi, feceris, religiosaque conversatione vitam traduxeris, universi de te sermonem facient, omnes aedificabis, omnibus exemplo bono eris. Praemium maximum tibi disciplinam servanti a Deo est repositum. Ipse fortitudinem subministrabit, concedetque contra hostem victoriam, sicuti scriptum est (3) : *Protector est omnium sperantium in se ;* item (4), *Prope est Dominus*

(a) Hanc vocem mutilavit B.

(1) Cfr. 2 Cor. 3, 6. (2) 2 Cor. 9, 7. (3) Psalm. 17, 31. (4) Psalm. 144, 18. 19.

omnibus invocantibus eum in veritate ; voluntatem timentium se faciet, et deprecationem eorum exaudiet, et salvos faciet eos.

5. Per regulas diversae virtutes in diversis hominibus notantur ; hinc suavissimus exempli et conversationis odor funditur. Contra, cum negleguntur regulae, saepe distorte vivitur, taeter odor diffunditur, et insuavis est domi forisve conversatio. Magna igitur redit ad nos ex regularum observatione utilitas.

Prima. Per eas, quae videbantur a nobis recta, apparent distorta et aspera. Atque ita, si sapimus et animus nobis bonus est, dirigimus melius actiones nostras, eis applicando regulas. Quod dum facit superior, diligenter curando ut serventur ab omnibus, qui videbantur valde recti comperiuntur esse distorti vel curvi, et qui humiles apparebant, deprehenduntur superbi et elati, iuxta illud : *Tange montes et fumigabunt* (1). Contra vero, qui non habebantur insignes, applicante superiore regulam, et secundum eam consilia, mandata, examen, ii solidi, recti et quadrati inveniuntur.

Secunda utilitas est, quod qui servat regulas, laetificat superiores et angelos Dei, quae sane non est exigua. Nam qui adicit praevaricando onus doloris superiori ad onus laboris et sollicitudinis quam iugiter habet qui praeest in sua gubernatione, facitque ut cum gemitu praesit, malum sibi creat non minimum, ut qui de numero eorum est, quos damnat Christus Dominus dicens : *Qui vos spernit me spernit* (2). Quid enim est non oboedire et non deferre regulis, quam non audire et spernere ? Secus est si quis ex aliqua levitate seu levi praecipitatione regulam transgreditur ; illi etenim vel excusantur ab aliis facilius, vel a superiore, si paenitentiam dederit, remedium accipiunt.

Tertia. Alia utilitas est, quod ad perfectionem nobis sternunt viam. Nam aliquae amoliuntur a nobis impedimenta profectus nostri, ut quae sunt negativae ; aliae iuvant et promovent profectum, quae affirmativae sunt : via etenim quasi regia sunt, quae ducit nos ad aulam caelestem. Iam vero, fingamus hominem in densa et opaca silva iter habentem, viaeque ignarum, venire vero ad ipsum quempiam qui ab errore viae ipsum non tantum revocaret, sed duceret ipse[a] ad viam rectam, necnon et chartam illi exhiberet viam illi certis lineis ac figuris demonstrantem, ac praeterea congrederetur, pericula ostenderet : quantum, reputate vobiscum, fratres carissimi, solacii homo ille acciperet ? Atqui hoc modo Deus et Societas agit nobiscum.

(a) om. B.

(1) Psalm. 143, 5. (2) Luc. 10, 16.

Quarta. Alia utilitas est, quod qui regulas servat, alios fratres suos aedificat, efficiturque lapis insignis aedificii huius spiritualis, fitque tandem operarius ecclesiae valde utilis, ne dicam quod sit terrori daemonibus ; neque queritur de multitudine vel onere regularum, sed eas ultro et sua sponte observat, quasi naturaliter : *Iustis*, ait Apostolus (1), *non est lex posita, sed ipsi sibi sunt lex.* » — « Operarius es virtutis, ait S. Ephraem (2), o frater, conduxit te Christus in vineam suam, dum tempus est[a] operare bonum. » Et paulo post (3) : « Ne timidus sis miles, neque ignavus ac piger operarius, ne fugias coronam : tempus breve est, sed iudicium longum, ad quod respiciens, o monache, admone cor tuum, et cum sancto illo loquere ac dicito (4) : *Viriliter age et confortetur cor tuum et sustine Dominum* ». Haec S. Ephraem. Vide Basilium in prooemio regul. fusius disput. (5), ubi pulchra in hanc sententiam habet.

6. Consideremus praeterea, quod opus ex regula factum sit valde meritorium, quod ex D. Bonaventura sic ostenditur. Ut, inquit, opus sit meritorium debet habere tria, sive tres condiciones ; 1° debet esse bonum ; 2° debet fieri ab exsistente in gratia ; 3° debet fieri propter Deum. Observare autem regulas est opus bonum, et procedit a religioso, qui probabiliter est in statu gratiae, et propter Deum regulae servantur. Quod si omnia opera quae facit ut religiosus, quia est in gratia, sint meritoria, — quia per ingressum religionis se totum et omnia sua consecravit Deo — quanto magis servare regulas ! Praeterea, omne opus iusti bonum et supernaturale, ut ait S. Thomas (6), est meritorium ; quanto magis religiosorum, qui prae ceteris maximi sunt amici Dei. Illi enim sunt qui sequuntur proxime disciplinam Apostolorum, quibus Dominus ipse dixit (7) : *Iam non dicam vos servos, sed amicos, quia omnia quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis.* Et Psalmista dixit (8) : *Et omnia quaecumque faciet*, scilicet iustus, *prosperabuntur*. Et : *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (9). Neque porro tantum religiosus disciplinae amans meretur sibi pacem ac tranquillitatem cordis, sed et aliis suo bono exemplo causa est profectus. Sicuti imagines in templis et aliis locis movent ad reverentiam et pietatem, seu Dei amorem : ita boni religiosi, et multo quidem efficacius, servando

(a) Legendum : *dum tempus habes.*

(1) Cfr. Rom. 2, 14 ; 1 Timot. 1, 9. (2) S. Ephraem, tom. 1. n. 60. de Patientia et Consummatione huius saeculi, p. 161 e. (3) Id. Ibid. p. 162 b. (4) Psalm. 26, 14. (5) S. Basil, PG. t. 31, col. 889 sqq. (6) S. Thom. 1. 2ae. q. 114, a. 3. c. (7) Ioann. 15, 15. (8) Psalm. 1, 3. (9) Rom. 8, 28.

suas regalas alios movent, et ad eas accuratius servandas suo exemplo inflammant, docentque operibus, sicut Christus, de quo scriptum est (1) ; *Coepit facere et docere.*

7. Incommoda, quae consequuntur eos qui constitutiones et regulas suas non servant, sunt multa. Restringemus tamen ad pauca. Sed velim advertant omnes, non instituere nos sermonem de iis qui, vel ex infirmitate vel ex quodam gravi impetu, imprudenter eas transgrediuntur, sed de iis qui prudenter et scienter eas neglegunt.

1° Qui talis est non iudicatur habere cerebrum bene sanum, sed mentem cauteriatam ; nam regulae, quid sunt aliud quam particulae et conclusiones deductae ex evangelio et sacra scriptura ? Si philosophi et ethnici prudentiores viderent nostras constitutiones, nihil in eis reprehenderent, multa vero admirarentur. Valde igitur imprudens atque adeo temerarius est, qui cum religiosus sit et professorem se omnibus praestet disciplinae nostrae, eam tamen volens et prudens neglegat.

2° Valde sibi obest, quia posset singulis fere[a] momentis facere progressum in mortificatione sui virtutumque studio, quod non facit. Experientia autem cotidiana docet eos qui ita regulas neglegunt, ab aliis aestimari indisciplinatos. conscientiae laxioris, ac periculose agere.

3° Offendit alios, et suo exemplo infirmiores ad eandem neglectionem eorum quae perfectionis sunt, traducit.

4° Superioribus gubernationis onus, quod est gravissimum, multo gravius facit, quod leve peccatum non est. Est enim scriptum ab Apostolo (2) : *Oboedite praepositis vestris, ... ut cum gaudio hoc faciant et non gementes : hoc enim non expedit vobis.* Nihil est quod magis exhilaret superiores in onere gubernationis ferendo, quam videre filios suos bene ambulare (3) ; neque quod magis affligat quam si male et indisciplinate ambulent.

5° Cogitur eosdem gressus repetere et multiplicare laborem. Nam necessario cogitur procedere ; si autem in media haereat via, periculum est ne qui montem magna ex parte conscenderat, ad imum unde inceperat praeceps aliquando ruat.

8. Causa huius defectus non es tu, Domine Iesu, sed ignavia et culpa nostra est. Non cooperamur gratiae tuae, non obsequimur tibi vocanti, et neglegimus donum vocationis, nec cavemus nobis ab impedimentis, quae sunt distractiones et levia colloquia, ad quae sumus iusto proniores. Attendamus igitur, fratres carissimi, diligenterque incumbamus officio nostro,

(a) *paene.* B.

(1) Act. 1, 1. (2) Hebr. 13, 17. (3) Cfr. 3 Ioann.

neque decipiat nos per ignaviam et socordiam diabolus, sed studeamus semper habere mentem munitam bonis cogitationibus, os apertum ad bona colloquia, manus ad opera caritatis paratas. Cogitemus serio quam multa fecisse nos vellemus in die exitus nostri ; et quis nobis aderit in hora illa, in hora, inquam, tantae necessitatis, nisi instructi simus multis virtutibus, et B. P. N. recognoscat in filiis symbola disciplinae, quam tam assiduis lacrimis, tam magno studio nobis tradidit? Quis tuebitur nos *a rugientibus praeparatis ad escam* (1) ? quis consolabitur ? quis deducet ? Certe, beatissime Pater, nisi me ignavum et ingratum filium tuum in illa hora iuveris et protexeris, vix alios patronos audeo sperare. Adiuva igitur me et fratres meos, ut dum hanc vitam ducimus, viam constitutionum tuarum inoffenso pede decurramus, servando quas nobis praescripsisti regulas et constitutiones, ut in illo ultimo transitu nihil triste, nihil molestum sentiamus. Quod nobis pro infinita sua bonitate et misericordia concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

4ª Exhortatio

IN QUA AGITUR DE PRAECIPUIS PROOEMII PARTIBUS : 1° QUOD DIVINA SAPIENTIA ET BONITAS UT SOC^tem^ DIGNATA EST INCHOARE, SIC EANDEM IPSA SIT CONSERVATURA ; 2° QUOD EX PARTE NOSTRA INTERNA CARITATIS LEX ID IPSUM SIT EFFECTURA ; 3° QUOD CONSTITUTIONES ET REGULAE AD IDEM IUVENT ET AD MELIUS PROCEDENDUM IN VIA DIVINI OBSEQUII

1. Exhortatio hodierna comprehendet, fratres carissimi, puncta et partes praecipuas prooemii, quod B. P. N. constitutionibus praeposuit. Sunt autem praecipue tres, nimirum : prima, quae docet Deum esse auctorem Societatis ; secunda, quae ostendit quod lex caritatis praecipue debeat in nobis vigere et Societatem unire ac promovere ; tertia, quae declarat quod constitutiones et regulae plurimum faciant ad Societatis conservationem, et ad melius procedendum in via incepta divini obsequii.

Attribuit autem praecipue B. P. N. causam efficientem Societatis

(1) Eccli. 51, 4.

divinae sapientiae ; non quod excludendum existimaverit divinam potentiam, quae ubique et in singulis elucet Societatis partibus, sed quod divina sapientia et Dei bonitas magis et suavius excitent animos nostros in Dei amorem.

Fuit enim magnum bonitatis et sapientiae divinae argumentum, quod tempore quo haeresum omnium huius temporis fons et auctor, infaustum illud ingenium Martini Lutheri apostatae in orbem christianum invexit, militem unum excitaverit rudem plane et absque sensu spiritus, adeo ut nihil quam de honoribus et vanitatibus saeculi cogitaret, et qui nesciebat utrum liceret hominem occidere vel non : elegerit, inquam, quem infelici illi apostatae opponeret, et ad tantum opus erigendum, et ad normam regulamque vitae tradendam plurimis sapientissimis viris ; sicuti olim elegerat Apostolos, rudes piscatores et telonarios ad fundandam et dirigendam gubernandamque ecclesiam suam. Vocavit autem Deus militem temporalem, ut ostenderet nos in Societate generosos et spirituales esse debere milites suos, studendumque nobis fore ut haberemus condiciones fortis et strenui militis.

2. Quo B. P. N. perpetuo spectans, suos alumnos saepe ad militiam spiritualem bene fortiterque tractandam exhortari solebat, erudiens nos quomodo contra diabolum esset decertandum, et quomodo semper advigilandum ne hostis praevaleret.

Ideo 1° nullam homines Societatis habere voluit firmam et stabilem sedem, sicuti milites saeculi nullam habere solent, sed ubi bellum viget et ardet, ibi ad pugnam parati sunt : ita et nos in Societate semper singulos praesto esse oportet summa animi resignatione ad omnem loci mutationem, ut intellegamus nos *civitatem hic non habere permanentem* (1).

2° Milites parum dormiunt : ita voluit B. Pater *nos de somno surgere*, ut monet Apostolus (2), et esse semper et ubique excitatos et diligentes in opere Dei contra daemonis insidias.

3° Semper armati milites incedunt : ita et nos armatos esse voluit non armis carnalibus. ut loquitur Apostolus (3), sed armis spiritualibus, qualia sunt arma militiae nostrae. Item voluit ut numquam arma deponeremus, sicuti milites numquam sua deponunt, nisi tempore pacis ; sed et tunc ea deponunt ut reparent et expoliant. Nobis certe semper bellum est cum daemonibus, ut vel nos vel proximos nostros defendamus ; quare semper accincti et armati incedere debemus, nisi ut[a] interdum arma nostra

(a) om. B.

(1) Hebr. 13, 14. (2) Rom. 13, 11. (3) Cfr. 2 Cor. 10, 4.

in religiosa quiete reparemus et renovemus per exercitia spiritualia.

4° Milites discunt et sciunt accommodare se omnium nationum moribus et ingeniis : ita et nos Christi milites omnibus omnia fieri debemus, ut Apostolus a se fieri dicebat : *Omnibus,* inquit (1), *omnia factus sum, ut omnes facerem salvos.*

5° Milites generosi principibus suis fideles sunt, et in officio constantes : quales nos etiam esse oportet Deo principi nostro, quibus dictum est : *Vovete et reddite Domino Deo vestro* (2), sicut faciebat insignis ille miles, qui dicebat : *Vota mea reddam Domino coram omni populo eius* (3).

6° Dicto oboedientes sunt, et vix prolata ducis voce, eius voluntatem exsequuntur : quo modo nos facere debemus, non[a] discutientes quid iubeatur, sed prompto animo exsequendo quod mandatur.

3. Nota vero Dei sapientiam et bonitatem non tantum Societatis esse auctorem, sed et conservatricem et promotricem. Conservat autem inspirando et dando lumen singulis, maxime vero praeposito Generali, et aliis superioribus ab eo dependentibus, quo sciant discernere rectum a distorto, quod melius est a minus bono, ad bene gubernandum. Donum enim Dei est gubernatio, ut dicit Paulus (4). Hinc Salomon initio regni sui hanc a Deo poposcit lucem et sapientiam, et obtinuit cum aliis multis gratiis ad recte gubernandum. Est autem Dei conservare quod fecit, quia eius est servare qui dedit esse ; quod videmus in natura fieri : terra conservat plantas, et aves pullos suos, etc. Qui hanc lucem a Deo non est consecutus, petat humiliter cum Salomone, quia hac destitutus et humano consilio ac prudentia politica rationes disciplinae instituens, et munera sua in Societate obiens, multis se implicat laboribus et difficultatibus. Et licet non omnino male res illi succedat, non tam perfecte tamen agit, et vix ad optatum finem studia sua perducit, quia humana sapientia non sufficit homini Societatis ad serviendum Deo, et ad ministerium suum religiose implendum. Inde dicitur (5) : *Meliora sunt ubera tua vino.* Vinum fit cum labore et sudore atque industria hominis, proinde per illud significatur scientia et industria humana, quae studio ac labore comparatur ; per lac autem, quod sine labore sugitur et hauritur ex uberibus, significatur scientia et lumen infusum, quod accipiunt boni et spirituales viri ad pedes Christi, ex Dei pectore per orationem, meditationem, lectionem sacram. Hinc Salomon (6) : *Iustum deduxit Dominus per vias rectas ... et dedit illi*

(a) *nos.* B.

(1) 1 Cor. 9, 22. (2) Psalm. 75, 12. (3) Psalm. 115, 14. (4) Cfr. 1 Cor. 12, 28. (5) Cant. 1, 1. (6) Sap. 10, 10.

scientiam sanctorum. Et alibi (1) : *Invocavi* Dominum, *et venit in me spiritus sapientiae*.

Sed advertendum quod qui hoc lumen habet, non debet tamen despicere et neglegere illud alterum, id est, lumen naturale et acquisitum. Verum, illud non debet tanti facere, quanti fortasse aliquando fecit ; quia, adveniente maiore lumine, cedere minus lumen oportet ; sed hoc alterum iuvet[a], illique subserviat, et inter se conveniant.

4. Iam dictum est quid debeat conservare ex parte Dei Societatem, nimirum illa ipsa[b], quae eam excitavit et ordinavit, Dei bonitas et sapientia[c]. Subiungit postea B. P. N. duo ex parte nostra, seu Societatis, quibus etiam Societas conservari debeat.

Proderit ergo plurimum lex interior caritatis et amoris Dei, quae imprimitur cordibus nostris per Spiritum sanctum. Nulla etenim lex hac potest esse firmior ac efficacior ; nec ulla virtus sive actio nostra Deo grata esse potest, nisi hac virtute fulcita et subnixa. Hanc porro tanto maiorem adipiscemur, quanto maiore devotione et ardore oblationem nostri Deo faciemus, ac nos abstrahemus ab amore cunctarum rerum inferiorum, ut amor noster ordinatus in Deum, ipsum videlicet in se et propter se diligendo, et in proximum[d] propter ipsum, sicuti et in nos ipsos propter ipsum. Licet autem a Deo infundatur, requirit tamen ut adsit etiam ex parte nostra dispositio. Hanc vero ut obtineamus, oratio necessaria est, et quidem seria, quae a Deo illam obtineat : mane igitur et vespere, et meridie, et media nocte, ad Deum de profundo cordis nostri clamandum est. Sic faciebat continenter B. P. N. Ignatius, dicens (2) : *Quid mihi est in caelo, et ad te quid volui super terram ?* Et B. Franciscus : « Absorbeat, inquit, quaeso Domine, mentem meam ignita et melliflua vis amoris tui, ab omnibus quae sub caelo sunt, ut amore tui moriar, qui amore mei dignatus es mori ». Haec autem caritas, hic amor legem scribit in cordibus nostris, quam si servabimus, mirifice Societatem et conservabimus et promovebimus.

5. Habere autem caritatis affectum superior debet erga subditos, 1° ut non existimet sibi assignatos esse a Deo ob sua merita, sed propter Dei erga se dignationem et bonitatem ; 2° ut eos tractet et gubernet, non ut rem suam, sed ut rem Christi sibi valde commendatam, et de qua redditurus sit exactam Deo rationem. 3° Eos amet, et iuvet verbo et

(a) *iubet*. B. (b) *illam ipsam*. B. non recte. (c) *bonitatem et sapientiam*. B. item. (d) Ante hanc vocem B non repetit *in*.

(1) Sap. 7, 7. (2) Psalm. 72, 25.

exemplo, doceat et dirigat. 4° Oret iugiter pro ipsis, et pro singulis, quando eos magis egere existimat ; 5° Compatiatur male valentibus animo vel corpore ; 6° Gaudeat de profectu et de ipsorum bono, gratiasque de eo agat Domino Deo. 7° Corripiat quando opus est, suaviter et affectu vere paterno ; 8° De nullo desperet vel desperare se fingat, sed animet et recreet secundum Deum, studiose. 9° Postremo, ipsorum necessitatibus libenter et hilariter subveniat.

Subditi vero erga superiorem bene sint subordinati. 1° Eum ament et observent ut parentem, immo et amplius, considerantes in ipso Dei personam. 2° De ipso magnifice sentiant, nimirum, quod sit vicarius Dei, quod sit ab eo electus, et quod non temere ipsis obvenerit. 3° Quod Deus peculiari quadam ratione ipsi adsit, et dirigat in iis quae ad ipsorum curam et salutem bonumque pertinent. 4° Magis ei credant quam cuivis alteri, licet familiarissimo, in iis quae ad sui directionem pertinent. 5° Libere ac sincere aperiant ei cor suum, confidantque ei maxime, certi quod, quo maiorem in ipso fiduciam reponent, apud Deum et ipsum maiorem gratiam sint habituri. 6° Si quam notaverint in eo naturalem infirmitatem, vel inordinationem, illam libenter sufferant, neque minorem de eo propterea concipiant opinionem, memores eius quod dicit Apostolus (1) : *Caritas non cogitat malum.* 7° Caveant ne onus quod gestat valde grave, suo vitio gravius illi faciant. 8° Postremo, orent filiali affectu pro ipso, ut Deus ipsius actiones in bonum commune et ad gloriam suam dirigat, ac denique ipsum excusent, laudent et commendent apud aequales et socios, quantum fert prudentia et moderatio.

Caritas erga suum aequalem et in Christo fratrem, sit etiam conspicua et constans ac discreta. 1° Cogitet magnifice de eo, ut, quod sit Deo gratissimus, et quod[a] pro eo filium suum unigenitum tradiderit cruci (2) ; 2° Quod vicissim ille Deum summopere amet, ut qui pro ipso reliquerit parentes, proximos, socios, agros, honores, patriam, etc., et quidquid mundus amat et conferre potuit ; 3° Quod est vas Deo consecratum, et ideo, quod nec facto nec verbo violare liceat vel contaminare. 4° Libenter illum excuset cum infirmitatem aliquam adverterit, ac patienter eius imperfectiones supportet ac sustineat ; 5° Libenter illi gratificetur et obsequatur in honestis, etam in minimis ; 6° Postremo, suaviter illi loquatur, et aegroto amanter deserviat.

(a) Illud non repetit B.

(1) 1 Cor. 13, 5. (2) Ioann. 3, 16 et 1 Ioann. 4, 9.

6. Secundum, quod ex parte nostra, seu Societatis, ipsam conservare potest, sunt constitutiones et regulae. Non enim caritas tollit prudentiam ; prudentia autem requirit, in rebus bene constituendis, ordinem et dispositionem ; hanc constitutiones et regulae ponunt. Assignat autem B. P. N. quattuor causas earum ; 1ª est dispositio suavis divinae providentiae ; 2ª vicarius Christi ; 3ª exempla sanctorum ; 4ª ratio ipsa. Hae enim ratione dictante iuvant et serviunt ad melius procedendum in via Domini, ut ait B. P. N. Unde sequitur, fratres carissimi, posse cognosci eum melius procedere in spiritu, seu in via Domini, qui melius observat constitutiones seu regulas, modestiam, orationem, mortificationis studium, humilitatem, silentium, etc. Illud enim signum est, quo caritas et amor his indiciis exterioribus apprime cognoscatur ; quod consentaneum est ei quod dixit Dominus (1) : *A fructibus eorum cognoscetis eos.*

7. Nota vero illud, quod dicit B. P. N., quod constitutiones et regulae serviant ad melius procedendum in via incepta divini obsequii iuxta instituti nostri rationem. Non enim omnia quae bona sunt et aliis religiosis congruentia, nobis et Societati conveniunt ; habet enim quisque ordo peculiarem procedendi modum iuxta gratiam et donum ipsi ordini a Deo traditum. Vides Patres Carthusianos solitudinem colere, in choro peculiarem rationem habere, in conversatione similiter peculiarem ; sic Franciscani, sic Dominicani, secundum spiritum quem ab ordine et radice acceperunt, se habent. Societas similiter suum modum habet in omnibus singularem. Qui ergo in Societate vellet Carthusianum imitari, vel eremiticam vitam ducere, similis esset illi, qui discere scribere contenderet pictoris penicillo, vel fabri malleo, quae non sunt propria instrumenta illius artis : sic homo Societatis sectari debet media convenientia institutis suis. Habent alii religiosi quidem multa bona ad perfectionem conciliandam, sed nobis ea essent ad instar penicillorum, qui quidem idonei sunt ad perfecte pingendum, sed non ad scribendum : sic actiones nostrae mensurari debent nostro modo agendi iuxta instituti nostri rationem, quam nostrae regulae et traditiones a B. P. N. acceptae docent.

Magnae vero nobis consolationi in hac peregrinatione nostra debet esse, quod constitutiones acceperimus non a privato hominis unius iudicio, licet sapientissimi, sed a beato illo viro patre nostro, viro, inquam, de quo possumus dicere quod de S. Stephano sacrae litterae dicunt ; *Stephanus autem plenus gratia et fortitudine faciebat prodigia, et signa magna in*

(1) Matth. 7, 16.

populo (1). Et, quod maius momentum habet, auctoritate vicarii Christi Domini eas ille contexuit, ac multis precibus et lacrimis[a] aspersit. Homo aliquis privatus, licet prudentissimus et sanctissimus, quia non habet certum et inconcussum iudicium et spiritum, errare potest ; sicuti horologium particulare fallit persaepe, quod non facit generale quod constans solis decursus nobis tradit. Ut ergo Deus O. M. dedit ecclesiae suae Spiritum sanctum consolatorem et doctorem veritatis, leges tamen et scripturas eam habere voluit, ad certiorem et meliorem suam oeconomiam : ita, praeter gratiam Spiritus sancti dare voluit Deus Societati per beatum famulum suum, et vicarium quem habet in terris, constitutiones et regulas, quae nos iuvarent ad melius in via divini obsequii incepta procedendum. Non debemus porro torpere, et ita niti divina ope, ut non concurrat opera et cooperatio nostra ; nec decuit B. P. N. gratiam acceptam sibi soli servare, sed hunc sapientiae thesaurum posteritati consignare, ut et nos eius exemplo libenter nostrum, quando opus sit, communicemus.

8. Si quis obiciat praecepta Dei et evangelia sufficere christiano, nos certe non infitiamur ; sed consilia amplectimur, quae praeceptis et evangeliis continentur, ut haec accuratius et sanctius observemus. Non enim constitutiones et regulae sacro repugnant evangelio, sed ex eo emanant ; et ut substantia ab accidentibus perficitur, ita praecepta Dei consiliis conservantur ac perfectiorem exsecutionem sortiuntur.

Nam sicut inter accidentia alia sunt necessaria, sine quibus substantia esse nequit, ut calor naturalis, humidum radicale in animali ; alia vero ad integritatem tamen aliquid conferunt (absque illis enim res esse posset, sed manca et imperfecta) : ita ex constitutionibus et regulis quaedam sunt necessaria ad perfectionem disciplinae christianae, ut sunt ipsa praecepta divina, quae in disciplina religiosa supponuntur, et votorum essentialium observatio, quae facta naturam habent praecepti ; sic et quae de modestia, humilitate, mansuetudine, patientia, etc. regulis praescribuntur. Alia sunt, quae non sunt ita necessaria, sed in religioso viro ad decentiam et aedificationem ad bonum et stabilem ordinem requiruntur ; ut sunt reliqua, quae minima quidem videri possent, magni tamen sunt facienda, ut est regula silentii, domo non egredi absque facultate et sine socio, signare nomen ad portam in egressu, signum revellere in reditu, et id genus alia. Ad omnem igitur observationem tenemur, ut constans et uniformis sit ordo in familia religiosa. Architectus, seu faber murarius,

(a) *lacr. et pr.* B.

(1) Act. 6, 8.

nisi, dum fabricatur, utatur perpendiculo et regulae directionem servet, totum opus suum multis defoedet erroribus necesse est. Iuvant igitur constitutiones et regulae ad melius procedendum iuxta rationem instituti.

9. Sunt siquidem regulae multum utiles. Nam sumus aut imbecilles et infirmi, vel animo robusti et alacres. Si infirmi, ut sunt non nulli, qui non agunt nisi impellantur, et hi debent urgeri per regulas et aliorum exempla ; si qui vero acrioris sunt ingenii, et hi quoque dirigi regulae temperamento debent. Nam ut generosi animi, si rationis magisterio regantur et temperentur, magnum ad virtutem et bene fructuoseque operandum adiumentum habent, ita, si a scientia et ratione deserantur, facile in vitium proruunt : sicuti videre est equum naturae generosae necesse habere qui ipsum doceat et inflectat exercitatione et arte, sive ad bellum et aciem, sive ad ludicrum certamen, ut victoriam reportet. Et nihilo minus licet is apprime institutus ac idoneus sit, nullum tamen egregium facinus et servitium domino suo praebebit, nisi freno et manu accuratiore directus fuerit : sic constitutiones eos, qui acriores sunt, retinent et revocant a praecipitatione ; segnes et ignavos urgent et ad virtutis officia impellunt. Regulis enim nostris tamquam freno et manu, ac continua exercitatione, calcaribusque instituimur, ut deseramus multas imperfectiones, quas vel a saeculo attulerimus, vel certe quae post ingressum in nobis neglegentius agendo succreverunt ; invitant nos, inquam, ad moderationem, ad prudentiam consectandam, ad zelum honoris Dei promovendum, ad morum correctionem, ad pietatem colendam, ad declinandum[a] vitia ac torporem, veternosamque segnitiem.

Harum praesidio fit, ut nec ob defectum steriles et infrugiferi simus, nec propter excessum periclitemur. Quam enim inutilis ac stulta est[b] acrimonia et animi impetus, nisi dirigatur, tam inutilis est iners et tarda segnities, nisi regularum stimulis urgeatur. Regularum itaque nostrarum observationi serio ac sedulo incumbamus ; sic faciendo magna hic animi pace perfruemur et tandem vitam aeternam consequemur.

(a) *declinanda*. B. (b) om. B.

5ª Exhortatio

QUIBUS DE CAUSIS B. P. N. SOC^tem NOSTRAM MINIMAM VOCAVIT, ET QUOMODO OMNES AD FINEM SOC^tis CONTENDERE DEBEAMUS, QUI EST SALUS ET PERFECTIO CUM PROPRIARUM ANIMARUM, TUM PROXIMORUM NOSTRORUM

1. In hac exhortatione dicemus primo, Deo iuvante, quare B.P.N. ut in prooemio constitutionum, ita in aliis plerisque locis earundem, et in sermonibus quos habebat, vocaverit Societatem « minimam ». Non enim minimam, ut non nulli arbitrati sunt, ideo appellavit, quod religio approbata non esset, sed spiritu et affectu humilitatis, ut doceret nos, etiam suo exemplo, ut semper essemus studiosi huius praeclarae virtutis. Item declinavit eodem affectu occasionem elationis, ne umquam eius filii appellarentur Ignatiani, sicuti plerique alli religiosi nomen habuerunt a suo Institutore, ut Benedictini a S. Benedicto, religiosi S. Dominici a S. Dominico Dominicani, et Franciscani a S. Francisco. Iudicavit enim S. Pater melius et utilius esse posteritati, ut perpetuo mentis aciem conicerent in imitationem Christi Domini. Proinde dedit Societati appellationem a nomine Iesu nostri salvatoris. Consideravit denique quod ordo quem instituerat, erat tunc postremus inter ordines religiosos. Sic se humiliavit Apostolus consideratione suae vocationis : *Novissime autem omnium*, ait (1), *tamquam abortivo, visus est et mihi. Ego enim sum minimus Apostolorum*. Non vocamur porro Socii Iesu (ut qui nos traducunt male interpretantur), quasi socii simus Redemptoris et eius consortes in generis humani redemptione[a] ; non enim socii Domini sumus, sed inter nos socii, qui sub uno Christo duce militamus, quem peculiari quodam affectu proposuimus nobis imitandum in ministeriis nostris, et in toto vitae decursu.

Humilitas quippe, quam sectatus est praecipua devotione et affectu B. P. N., dat lumen intellectui et motum voluntati ad sectandam quidem sapientiam, quod ad intellectum attinet ; quod ad affectum vero, dat ut amemus res humiles et abiectas, consectantes quod Deo gratissimum est, qui *humilia respicit et alta a longe cognoscit* (2). Quare et Christus, summa veritas, vere dixit quod regnum caelorum simile est grano sinapis, quod est minimum (3), sed satum in terra emergit in altitudinem arbusti.

(a) *in red. g. hu.* B.

(1) Cor. 15, 8. 9. (2) Psalm. 137, 6. (3) Cfr. Matth. 13, 31. 32.

Quin et alibi dixit (1) : *Nisi efficiamini sicut parvuli,* non intrabitis in *regnum caelorum.* Ioseph patriarcha dicebat : Minimus sum inter fratres meos ; et quia se humiliavit, exaltatus est super omnes in regno domini sui. Et Saul, quando ad instar pueri innocens erat, dicebat (2) : « Ego sum ex tribu Beniamin et ex familia minima ». S. Franciscus fratres suos voluit appellari Minores ; S. Franciscus vero de Paula suos appellavit Minimos.

2. Nec arrogantia ulla nomenclaturam hanc suggessit, sed pia B. P. N. devotio, et S. Sedis Apostolicae iudicium et approbatio. Occasionem autem accepit hinc beatus vir, quod cum proficisceretur in Urbem Venetiis cum P. Petro Fabro et P. Laynes, dixerit quodam die Patri Laynes se sentire Deum imprimere cordi suo haec verba : « Ego ero vobis Romae propitius ». Quod cum non intellegeret vir sanctus quid sibi illa verba vellent, eidem P. Laynes dixit : « Nescio quid de nobis fiet, forte Romae crucifigemur ». Altero vero die dixit, quod visus sibi fuisset Christus cum cruce in umeris, et pater aeternus dicens sibi : « Volo ut nobis servias » : erat autem pater Christo vicinus et Deus pater ipsum commendabat filio. Inde devotionem concepit sanctus vir erga hoc nomen magnum Iesu, et concilio habito cum sociis postea petiit ut ordo vocaretur Societas Iesu.

Alii obiciunt religionem esse novam, ac proinde non esse bonam seu laudabilem. Sed hoc non sequitur, quia omnia initio sui fuere nova : lex vetus populo Iudaico fuit initio nova ; Apostolorum praedicatio nova item fuit[a] ; ceterae religiones omnes initium suum et novitatem habuerunt. Immo enimvero hac de causa magis nos gaudere convenit, quia exemplum habemus primorum adhuc viventium et primitias degustare licet spiritus. Debemus autem dare nos operam ne in primo fervore religionis tepidi evadamus, et demus initio malum exemplum posteris nostris. Sin erimus ferventes, devoti ac spirituales, bonum exemplum posteritati relinquemus, faciemusque ut Societas sumat incrementa in dies maiora.

3. Huc usque probavit B. P. N. a priori Societatem esse bonam ; in sequenti paragrapho probat id ipsum a posteriori.

Prima argumentatio est : haec Societas approbata est a vicario Christi, ergo est bona.

Altera argumentandi ratio pendet ex fine eiusdem Societatis, hoc

(a) *item no. fu.* B.

(1) Matth. 18, 3. (2) Cfr. 1 Reg. 9, 21.

modo : quaecumque facit Societas ex praescripto instituti bona sunt ; ergo et ipsa bona est.

Notandum autem est Societatem continere duo in primis, finem videlicet et media. Primo loco proponit B. P. N. finem ipsum ut rem nobiliorem ; sicut omnis artifex proponit sibi ante omnia finem suum, quod sit principium artis, et seminarium quoddam omnium scientiarum. Hic videlicet in rebus moralibus et scientiis primus est in intentione, ac proinde etiam in Societate et in via Domini Dei. Finis ergo Societatis, ut habet paragraphus, est saluti et perfectioni non solum propriarum animarum sed et proximorum impense incumbere ; id est : finis et scopus Societatis, inter tam multa et varia quae habet et tractat, ut paupertatem, castitatem, oboedientiam, etc., salus est et perfectio nostra et proximorum. Nauclerus numquam requiem plenam habet, neque umquam contentus est donec perveniat ad portum destinatum : ita nec religiosus Societatis contentus umquam esse debet aut quietus, donec attigerit hunc portum et finem sibi propositum Societatis.

Hic finis, fratres carissimi, tam nobilis et altus est, ut pater aeternus filio unigenito eum tradiderit ; nec enim altera causa exstitit adventus et incarnationis eius, quam ut populum suum Deo reconciliaret, et salutem ei repararet, quam vitio suo genus humanum perdiderat. Hunc finem Christus ipse Dominus ut habuit, ita toto vitae suae decursu naviter exercuit.

4. Sed desideratis intellegere quae sit salus, et quae perfectio nobis proponatur. Salus igitur animae intellegenda est quae ex analogia salutis corporis explicari potest. Sicut enim corpus salutem obtinere dicitur dum sanum est, et quando suas operationes naturales valet absque impedimento exercere : sic anima sana dicitur, quando operationes divinas libere operatur, id est, quando illi bene convenit cum Deo, et secum, et cum proximo. Sanitas enim eius et salus consistit in vera cognitione et amore Dei infuso. Cum anima hunc consecuta est, facit actiones suas bonas. Hinc dicit Ecclesiasticus (1) : *Salus animae in sanctitate iustitiae melior est omni auro et argento.*

Perfectio vero huius salutis duplex est : una huius peregrinationis, quae est cognitio Dei per fidem infusam una cum caritate ; altera est alterius vitae, quae est beata Dei visio cum perfecta et consummata caritate. Quod ut melius et penitius cognoscamus, sciendum est quod perfectio sit quaedam integritas, quam obtinet anima, quando complevit et adepta est summum gradum amoris. Hinc dicit D. Paulus : *Caritas*

(1) Eccli. 30, 15.

est vinculum perfectionis (1). Finis ergo Societatis est, habere in primis salutem et perfectionem animae per gratiam Dei ; postmodum procurare easdem animabus proximorum. Homo porro ingreditur religionem, ut si non est in gratia, illam consequi studeat ; sin habeat, ut illam continenter augeat et perficiat. Prima ergo salus non sufficit religioso Societatis — nam si contentus erat gratiam Dei habere, nec eius perfectionem quaerere desiderabat, nulla causa erat cur in religionem ingrederetur ; — quare religiosus debet continenter incumbere ut maiores in virtute processus faciat, donec veniat ad perfectionem.

Saecularis dicit : sufficit mihi ut salvus fiam. Religioso porro id non sufficit ; nam status religiosi status est, ut alias dictum est, perfectionis acquirendae. Quo die religiosus dicit apud se, nolle progredi se ulterius, ac dicit : mihi satis est, retrogreditur. Non satis vobis esse debet, fratres carissimi, cives esse civitatis caelestis, sed navare operam debetis, quod Deus a vobis exspectat, ut nobiles et illustres sitis caeli cives ; neque hic sistere debetis, sed ulterius progredi, ut hoc ipsum procuretis et proximis.

Sed numquid istud ad novicios pertinet ? numquid ad studiosos et coadiutores temporales ? Immo sane etiam ad eos pertinet, et ad hunc finem omnes debent collimare. Rogare in primis Deum eos oportet, ut omnibus qui de Societate sunt, id curae sit maximae[a] ; secundo, ut studiose se ad eum finem comparent, ad eum actiones omnes suas dirigant ; Deum denique orent perseveranter, ut eos facere dignetur in Societate operarios idoneos et inconfusibiles.

Et nihilo minus possunt re ipsa etiam proximos iuvare non solum precibus, sed et salutaribus consiliis et documentis, quando occasionem habent, vel iter facientes, vel in congressibus quos cum proximis habent ; item, docendo doctrinam christianam pueros et rudes, cives et rusticos.

David iussit dari partes aequales de spoliis, quae reportaverat ex victoria, iis qui pugnaverant, et iis qui ad sarcinas remanserant (2). Exemplum dedit et Christus Dominus, dum adhuc esset novicius, id est, puer duodecim annorum. Ille enim in templo docebat et interrogabat in medio doctorum (3) ; et procedente aetate ardebat etiam exterius salutis animarum desiderio : *Meus, inquit* (4), *cibus est, ut faciam voluntatem eius qui misit me ;* et Paulus scribens ad Timotheum discipulum dicit (5) : *Attende tibi et doctrinae, insta in illis. Hoc enim faciens et te ipsum salvum facies, et eos, qui te audiunt.*

(a) *maxime.* B.

(1) Coloss. 3,14. (2) 1 Reg. 30,24. (3) Cfr. Luc. 2,46. (4) Ioann. 4,14. (5) 1 Tim. 4,16.

5. Hic finis habet suos gradus, et omnes bonos. Primo praestando proximis quod bonum et honestum est, ut exhibendo eis honorem condicioni cuiusque convenientem, deinde praestando alia officia humanitatis, debito loco et tempore. Secundus gradus est melior, ut nimirum illa officia praestentur actualiter ad Dei gloriam et honorem. Tertius est optimus et Deo longe gratissimus, qui est quaerere in omnibus officiis maiorem Dei gloriam, iuxta id quod mandat Ecclesiasticus (1) : *Glorificantes Dominum quantumcumque potueritis, supervalebit adhuc, et admirabilis magnificentia eius.* Et hic quidem gradus maxime convenit omnibus Societatis alumnis.

Aliquis, v. g. antequam admissus esset in Societatem, legebat, studebat ob honorem vel commoda huius vitae ; ingressus omnia confert ad maiorem Dei gloriam, de suis commodis minime sollicitus. Coadiutor opificium exercebat pro victu et mercede temporali ; modo idem exercet opificium, sed ad maiorem Dei gloriam, nec exspectat aliam mercedem quam Deum et regnum eius, quae summa merces est, quam Deus Abrahae promittebat dicens (2) : *Ego ero merces tua, magna nimis.*

Sed notate ordinem quem B. P. N. nobis ponit in hoc fine quaerendo, quem qui non servat, facile errat et cadit, estque tentatio, a qua, ut valde periculosa, nobis vigilanter cavendum est, ne ordine praepostero agamus. Suadet enim diabolus interdum ut religiosus, se relicto, attendat totus saluti proximorum ; et in laboribus suis sibi complacet, et quiescit, cum tamen non bene iuvet alios, qui se neglegit. *Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit ?* (3) Ex perverso hoc ordine non raro accidit ut se quispiam perdat, ceteris non prosit. Haec, fratres mei carissimi, ita debent esse in Societate coniuncta, ut numquam separentur. Qui se aedificat, proximum aedificat ; qui proximum aedificat, se ipsum aedificat, si id praestet propter Deum et proximi salutem, non quaerat autem se ipsum.

6. Nemo ergo obiciat hanc curam salutis proximorum mentem distrahere, eamque revocare a coniunctione et familiaritate[a] cum Deo. Non enim sunt haec studia in proximos, quae distrahant ac nobis noceant, si ad Dei gloriam illa suscipientes, secundum regularum praescriptum nos geramus. Regularum quippe et instructionum neglectus, cogitationes vanae quibus indulgemus, desideria noxia quibus animum oneramus, studium commodorum nostrorum, congressus cum levitate sermonis coniunctus, remissio et languor in oratione, curiositas et otium, et sermo

(a) *fam. et coni.* B.

(1) Eccli. 43,32. (2) Gen. 15, 1. (3) Eccli. 14, 5.

effusus et levis seu affectatus, haec, inquam, sunt quae distrahunt, non officia ipsa caritatis. Immo haec animum accendunt, ac devotionem conciliant, si magno nos studio passionibus nostris mortificandis bene incumbamus, et nobis sit cura ut familiaritatem cum Deo habeamus. Si Christi et sanctorum exempla nobis ob oculos in omnibus poneremus, et staremus iugiter super custodiam nostram, opera caritatis non ita nos distraherent, sed colligerent potius et cum Deo artius colligarent. Hinc D. Gregorius (1) : Cum contemplationis arcem quis tenere desiderat, prius se in exercitio corporis probet. Et sane D. Ambrosius non distrahebatur dum audiens confessiones, prior ex commiseratione peccatorum flebat, quam ipsi paenitentes.

7. Cum autem duplicis sint generis ii qui iuvari debent a nobis, ita finis Societatis ac media ad eum consequendum, accommodanda fuerunt ad utriusque generis homines, ut neutri deessemus. Sunt enim aliqui, qui ordinarie ad nos et ad templa nostra accedunt. Pro his non est nobis multum sudandum, sed attendendum tantum ut sancte, pure ac studiose in Domino proficiant. Alterius generis sunt, qui foris versantur in pagis, in castris, in oppidis, in silvis, in aquis, in montibus, in vallibus, apud infideles, apud haereticos, paganos et gentiles. Etiam ad hos excurrere oportet. Propterea subiungit summarium constitutionum § 3° : Nostrae vocationis est diversa loca peragrare, etc.

Huius peragrationis seu excursionis exempla nobis praebuit Christus et documenta : exemplum quidem luculentum ex discursionibus suis per montes et colles, maria et terras varias, item ex distributione apostolorum, quando eos misit ipse praedicatum sine pera et sacco ; unde ipse dixit (2) : *Quando misi vos sine sacculo et pera et calceamentis, numquid aliquid defuit vobis ?* Documentum vero et mandatum dedit nobis dicens suis apostolis (3) : *Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae ; qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit.* Non sunt igitur, fratres carissimi, exspectandi peccatores ut veniant ad nos, sed exemplo Christi et apostolorum eos quaerere nos oportet. De Christo enim dicitur (4) : *Venit filius hominis quaerere et salvum facere quod perierat ;* et (5) « discipulos misit binos praedicatum evangelium regni », et apostoli facti et instituti sunt ab ipso piscatores hominum. Neque illi porro exspectarunt[a] ut pisces rationales venirent ad se (6) et ad retia sua, sed obsequentes Christo

(a) *exspectarent,* B.

(1) S. Greg. PL. t. 75 Moral. lib. 6, n. 59. col. 763. (2) Luc. 22, 35. (3) Marc. 16, 15. (4) Luc. 19, 10. (5) Cfr. Luc. 10, 1. (6) Cfr. Luc. 5, 4.

Domino « duxerunt in altum naviculam suam et retia sua iecerunt in capturam ». Non sunt ergo ferendi aequis animis, qui etiam vocati a piscibus ad se venientibus, vix se loco movent. Mittit eos vocatum superior, vocat aedituus, urget ianitor hos segnes et ignavos homines, et hi excusationes nectunt in peccatis.

8. Sunt alii qui queruntur contra, quod non mittuntur ; sed tales sunt ut superior eos mittere non audeat vel debeat, quia vel ipsis non potest fidere ob morum levitatem, vel quia sunt parum providi et circumspecti, tum in verbis tum in actionibus, licet bonam habeant intentionem.

Verum, inquiunt, hae sunt suspiciones. Cur enimvero cogis superiorem suspiciones, quas odit anima eius, concipere ? Quare, ut boni faciunt, recte non ambulas ? Expellant, qui huius ingenii sunt, a se Agar servam, id est sensualitatem, cum filio, id est malis propensionibus, ne noceant Isaaco electo et populum Dei scandalizent. Cogitent non omnibus expedire in alto mari, ubi maior est fluctuum aestus maiorque iactatio, navigare. Cogita magna ibi esse pericula, atque ibi latere cete grandia et alia monstra praedam exspectantia, quae ut superentur magna opus est arte, magno spiritu ac prudentia. Non haec pericula superat, fratres mei, naturae facilitas, non laeta et iucunda conversatio, non curiositas, sed fervor spiritus, mortificatio, abstinentia, oratio ; quae si tibi desunt, noli quaeso queri de superiore qui te non exponit periculis, sed de tua infirmitate, cui exstirpandae diligentem navare debes operam. Quando bene eris ad bellum contra daemonem, mundum et carnem munitus et armis necessariis satis instructus, superior tunc te idoneum iudicabit ad conflictum, et libere te utetur ; sed specimen huius virtutis dari debebit, non per unam hebdomadam, mensem, aut tres pluresve menses, sed quam diu necesse sit ad omnium aedificationem, ut omnes de familia testimonium bonum illi perhibeant.

9. Demus ergo operam, fratres carissimi, ut per orationem frequentem ad Deum et studium disciplinae emendemus nos in melius, et semper ad perfectiora tendamus. Opus enim nobis est oratione, quae sursum nos ferat, ne, ut Apostolus ait (1), « cum aliis praedicaverimus, reprobi efficiamur » ; item studio disciplinae, ut simus idonea et concinna instrumenta Spiritus sancti ad obeunda munera Societatis. Item opus est zelo et caritate, ut discrete et fructuose ver-

(1) Cfr. 1 Cor. 9, 27.

sari valeamus cum proximis nostris, et excutere omnem ignaviam et imperfectionem. Nam sic agendo grati erimus Deo, et ipse efficiet ut superior confidenter nobis utatur, et mittat ad opus Dei. Quod nobis concedat Christus Dominus.

6ª Exhortatio

QUIBUS DE CAUSIS RATIO VIVENDI SOCIETATIS IN EXTERIORIBUS SIT COMMUNIS ; QUOD SUPERIOR INIUNGERE DEBEAT PAENITENTIAS OB DEFECTUS ; DE UTILITATIBUS PAENITENTIAE EXTERIORIS, ET QUOD SOC^tas NON OMNINO EAM EXCLUDAT, SED ATTENDAT POTISSIMUM PAENITENTIAE INTERIORI

1. Saepe audivistis, fratres carissimi, finem Societatis esse salutem et perfectionem nostram, pariter et proximorum. Quia vero parati omnes esse debemus ad hunc finem, et peragrare — ut habet regula 3 summarii const^um — per varia loca, ideo B. P. N. illi subiungit aliam, quae locum quartum obtinet, quae mandat ut victus ac vestitus nostri ratio, et ut alibi dicitur, vivendi et conversandi, communis sit in exterioribus. Non exprimit autem B. P. causas huius legis nobis impositae, quia eas facile est coniectare. Generatim tamen aliquid expressit paulo ante, dicens : ob maius Dei obsequium ; item : ob iustas causas. Variae autem particulares assignari possunt, et eas modo Deo dante assignabimus[a].

Prima sit, ut faciliorem accessum habeamus ad omnes omnis generis homines : ad clerum, ad monachos, ad nobiles, ad cives, ad rusticos. Nam cum clero convenimus in caerimoniis ecclesiasticis et vestitu, ut cum monachis in votis tribus religionis essentialibus ; cum laicis et omnis condicionis hominibus modo conversandi communi. Sic Apostolus : *Omnibus omnia,* ait (1), *factus sum, ut omnes facerem salvos.* Addo quod haec ratio firmetur exemplo Christi Domini et apostolorum, quorum victus et vestitus erat communis ; quin et Christus communem vitam duxit,

(a) *assignavimus.* B.

(1) 1 Cor. 9, 22.

ut divinam doctrinam suam omnibus hominibus impertiret. Ita nos agere docuit verbo et exemplo B. P. N., ne quem victus vel vestitus asperitate a nobis absterreremus.

Deus olim deterrebat populum suum. Hinc ad Moysen populus (1) : *Loquere tu nobis, et audiemus, non loquatur nobis Deus, ne forte moriamur.* Erat nimirum Moyses vir mansuetissimus prae omnibus, ideo populus cum eo libentius tractabat. Pastores, ut oves habeant magis familiares et obsequentes, veste ovilla vel saltem candida se induunt ; venatores colorem viridem assumunt, ne ferae assuetae viridi in silvis absterreantur et fugiant.

2. Secunda causa est : Societas a Deo excitata et instituta est, ut se opponeret haereticis et infidelibus ; illi autem abhorrent a singulari habitu religiosorum, quare medicum fugerent accedentem ; ideo nostri debent se accommodare, quantum ratio et gentis in qua versantur ingenium fert et patitur. Hinc nostri ad Sinenses sese vestiunt more sacerdotum Sinensium, ut Sinensem gentem lucrifaciant. Spectat siquidem in his Societas maiorem Dei gloriam, et maiorem lucrifaciendi Christo animas opportunitatem.

Tertia. Admitti debent homines in Societatem variarum regionum et qualitatum, ut omnibus gentibus et nationibus et linguis operarii idonei in ea parentur. Non debuit ergo determinari in victu vel vestitu austeritas quae posset obesse et bonum animarum impedire, sed relinqui cuiusque prudentiae et superiorum directioni.

Quarta. Expediebat hominum nimiae mollitiei abscindere omnem occasionem tergiversandi, quod non possent nimirum religionis institutum ullum sectari : ideo mediocri victus et vestitus ratione in Societate nostra opus fuit, ut omnes qui a Deo vocati essent, eam libenter capesserent pro maiore Dei obsequio.

Quinta. Erant plerique qui putabant perfectionem consistere in vitae austeritate et habitus distinctione : debuit ergo hic error tolli. Haec enim tantum sunt media, quae non sunt pro fine capienda, nec usurpanda ut quae magis facerent ad caritatis perfectionem. Abnegatio siquidem sui, et voluntatis ac iudicii in obsequium oboedientiae captivatio, humilitas, sui contemptus, zelus honoris Dei, hoc potiora sunt quo magis hominem interiorem perficiunt.

3. Sexta fundata est in illis verbis regulae eiusdem « nec ullas ordinarias paenitentias vel corporis afflictiones ex obligatione subeundas

(1) Exod. 20, 19.

habet », sed modum communem servat modestorum et honestorum clericorum. 1° Quia labores Societatis non ferunt maiorem asperitatem, nec Dei maior gloria id postulat ; et hunc quidem in primis se spectasse B. P. N. Ignatius aliquando dixit. Aliae religiones, quamvis bene et utiliter laborent in ecclesia Dei, non tantum tamen oneris sustinent, nec tam arduas crebrasque habent peregrinationes. 2° Non omnes nationes et gentes, quibus corpus Societatis conflatur, aeque possunt paenitentiarum asperitatem suscipere ; singulae autem Societatis familiae nationes varias habent. 3° Messes albescentes multis indigebant et indigent operariis et messoribus, nec non vineae vindemiatoribus ; eos autem solent patresfamilias commode tractare et habere, ut labores ferre queant. 4° Ut discretio et mensura assignetur, et ut nullus nimio caritatis ardore excedat laedatque valetudinem, segnior vero excitetur stimulis et directione : ideo haec mensura paenitentiae et asperitatis relicta est superioris directioni et caritati.

Non aliter fecisse videtur Deus cum Societate, quam rex aliquis cum civitate quae peculiari aliqua de causa est illi valde grata. Hanc etenim rex, quod attinet ad vectigalia solvenda, liberam esse vult, ut contribuat quod velit, licet suum onus assignet ceteris. Illa autem civitas regis beneficio non minus propensa est et alacris ad subministrandum regi subsidium ; quin liberalius tam benigno suo regi quavis alia pendit : ita Deo inspirante B. P. N. liberum esse voluit unum quemque filiorum suorum in paenitentiis spontaneis. Spectavit quippe B. P. quo sacrificio magis delectaretur ac placaretur facilius Deus. Considerans igitur pio mentis oculo Deum magis oblectari interiore mortificatione, et maius illam momentum habere ad perfectionem caritatis acquirendam, hanc praecipuo studio nobis exercendam tradidit, ut nimirum curam praecipuam ponamus in homine interiore mortificando, quo intellectus et voluntas aliaeque facultates per integram mortificationem iugiter in sacrificium offerrentur Deo in odorem suavitatis.

4. Superior porro iniungere debet paenitentias pro defectibus, vel ad profectum maiorem spiritus. Nam Christus Dominus affirmavit quod *Iota unum, aut unus apex non praeteribit a lege, donec omnia fiant* (1).

Idem etiam pronuntiavit quod (2) *Omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die iudicii.* Quamquam quis est qui audeat eorum qui ad perfectionem tendere promiserunt, peccatum

(1) Matth. 5, 18. (2) Matth. 12, 36.

ullum leve ducere, cum dicat Apostolus (1), quod *Per praevaricationem legis Deum inhonoras.*

Non existimet igitur quispiam Societatem exemptam esse ab omni paenitentia : non est enimvero. Nam ut ab interiore nemo exemptus est, sic nec ab externis exempti omnino esse possumus ; quin si maior gloria Dei externas asperitates illas a nobis exposceret ordinarias et obligatorias, dubio procul B. P. N. eas imposuisset. Atqui voluit — ut ante insinuatum est — ut qui externis minus gravaremur, sollicitius interioribus mortificationibus insisteremus, ut quod minus fit exterius, illud interius compensetur, cordis scilicet puritate, malorum habituum exstirpatione, passionum nostrarum temperamento, propriae voluntatis et iudicii abnegatione, ac denique vanorum fuga desideriorum. Externas tamen paenitentias B. P. N. duobus dicit modis posse assumi, videlicet quando eas petimus a superiore, sentientes nos egere, vel cum superior eas nobis ad maiorem nostrum profectum imponit.

5. D. Basilius in reg. brev. (2) ostendit quod superior non debeat conivere et dissimulare errata, ex praeceptis Domini, qui in vetere quidem lege dixit : Correptione corripies fratrem tuum, et non sumes propter illum peccatum. In evangelio autem (3) : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, corripe eum* etc. Porro, peccati huius iudicium quam grave sit, intellegi potest, primo quidem ex sententia Domini, qui in universum loquens dixit (4) : « qui non oboedit filio, id est, redemptori, *non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum* » ; tum ex historiis tam veteris quam novi testamenti. Animadverte quod quando Achan furatus est linguam (5) seu virgam illam auream et indumentum (6), etc. quomodo in totum populum saevierit ira Domini, licet populus ignoraret sacrilegii auctorem, et horribile supplicium quod deprehensus subivit cum suis omnibus. Heli similiter sacerdos, etsi filios improbos reprehendisset (7), quia tamen levius quam peccati exigebat improbitas eos corripuit, in extremum exitum iusto Dei iudicio adductus est.

Quod si adversus eos qui peccati nec auctores nec conscii fuerant, ira Dei ita exarsit, quid de iis dicendum foret, qui et conscii essent, et coniventes dissimularent ? Qui quidem, nisi ea praestiterint quae in epistola ad Corinthios ab Apostolo scripta sunt his verbis (8) : Quare *non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio vestrum qui hoc opus*

(1) Rom. 2, 23. (2) S. Basil. PG. t. 31 Regulae brev. tr. 47. col. 1114. Ex hoc loco totus num. 5 desumitur. (3) Matth. 18, 15. (4) Cfr. Ioann. 3, 36. (5) « Linguam seu virgam » i. e. laminam auream, in linguae formam fusam vel extensam, quae ponderabat et valebat ducentos aureos. (Corn. a Lapide, i. h. l.) (6) Ios. 7, 21 sqq (7) 1 Reg. 3, 13. (8) Cfr. 1 Cor. 5, 2.

fecit ? et quae deinceps eos fecisse Apostolus testatur cum ait (1) : *Ecce enim hoc ipsum secundum Deum contristari vos.* Hi, inquam, nisi omnia praestiterint, periculum est ne similem [a] etiam exitum incurrant.

6. Habet autem paenitentia exterior magnas utilitates ; habet, quando cum gratia coniuncta est, et cum virtute paenitentiae interiore, quod invenire[b] in bonis religiosis est : 1° enim satisfit per eam poenae temporali debitae, propter peccatum, iustitiae divinae ; 2° reliquias peccati aufert, et peccati fomitem minuit. Addit S. Thomas (2), quod quodam modo exstinguit voluntatem et pronitatem ad peccandum, expellitque malos habitus ; 3° devotionem excitat et odium peccati inducit ; 4° contra tentationes munit et roborat ; 5° gratos nos facit Deo, quando voluntate efficaci exercetur ; sicuti Ninivitis Deum placatum reddidit (3), necnon et regi Achab impio (4) ; 6° multa dona et beneficia nobis a Deo conciliat ; hinc Iudith per eam et per orationem, gratiam obtinuit ut Holophernem et exercitum eius prosterneret (5) ; 7° conformat nos Christo, qui pro nobis passus est : *Christo in carne passo, et vos eadem cogitatione armamini* (6) ; et iterum (7) : *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum* etc. ; et rursus (8) : *Recogitate eum qui talem sustinuit a peccatoribus adversus semet ipsum contradictionem, ut ne fatigemini animis vestris deficientes.*

Si sentis repugnantiam, cogita quod aut iuste ea pateris ob defectus et errores, non iniuste, et iudicium tuum erroneum esse censeas ; vel ex poena tibi imposita facias proventum, et cogita quod si non es promeritus modo, meritus es alias saepe ; denique, quod non sine Dei providentia tibi imposita fuerit. Proinde libenter sustine cum eo qui dicebat (9) : *Nos digna factis recipimus.*

Accedit, quod non admisisse culpam debeat tibi deminuere dolorem paenitentiae, quia cum iustis pateris, qui persecutionem patiuntur, meliusque conformaris Christo, qui innocens passus est, et iniuste pro iniustis. Et B. Petrus (10) : *Haec est enim,* ait, *gratia, si propter Dei conscientiam sustinet quis tristitias, patiens iniuste. Quae enim est gloria, si peccantes et colaphizati suffertis ? sed, si bene facientes patienter sustinetis, haec est gratia apud Deum : in hoc enim vocati estis.* — Conformaris etiam martyribus, qui iniuste ab hominibus propter Deum mortificati sunt : *Propter te mortificamur tota die ; aestimati sumus sicut oves occisionis* (11).

(a) *simile.* B. (b) *reperire.* B.

(1) 2 Cor. 7, 11. (2) S. Thom. p. 3, q. 84. a. 8. ad 1m. (3) Ion. 3, 10. (4) 3 Reg. 21, 29. (5) Iudith, 13, 6 sqq. (6) 1 Petr. 4, 1. (7) 1 Petr. 2, 21. (8) Heb. 12, 3. (9) Luc. 23, 41. (10) 1 Petr. 2, 19-21. (11) Rom. 8, 36.

Paenitentias autem, quae iniunguntur ob defectus, pacato et quieto animo accipere oportet, quia tenetur eas superior imponere (1).

7. Constat ex iis quae ante notata sunt, quod Societas non excludat paenitentias, sed solum dicitur quod ordinarias et ex obligatione instituti iniunctas non habeat. Facimus enim in Societate, Deo sit laus, alacriter paenitentias multas, vel nostra sponte, vel quia a superioribus ad profectum nostrum imponuntur. Sed attendit praecipue Societas ad interiorem, quod praecipua sit, nec excludi possit, quia procedit ex amore Dei : in amore autem Dei non potest esse excessus, sicuti esse potest in paenitentiis exterioribus ; ita nec in dolore de offensa Dei, nisi per accidens, ut si prorumperet in actus exteriores indiscretos, ut sunt lacrimae iusto uberiores. Abbas Felix dicebat quod ut umbram nostram circumferimus compunctionem.

Nota autem duplicem esse paenitentiam huius generis, scilicet unam secundum actum, alteram secundum habitum. Primi generis paenitentiam impossibile est perpetuo habere ob naturae imbecillitatem. Secundi generis haberi potest continenter et haberi debet, ut videlicet nihil homo faciat contrarium illi, nec quo tolli possit talis habitus. Nam S. Thomas ita sentit (2), et quod haec ad salutem omnibus sit necessaria, iuxta illud (3) : *Convertimini ad me in toto corde vestro :* non in exteriore austeritate, quae non potest semper tolerari. Et apud Marcum dicitur (4) : *Omnis victima sale salietur.* Sal vero discretionem sapientiae significat. Unde ad Colossenses (5) : omnis *sermo vester semper in gratia sale sit conditus.* Item ad Corinthios (6) : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant* in vobis. Et propheta David dicit : *Honor regis iudicium diligit* (7).

Thurecremata ait : paenitentiam digne agit, qui quae commisit et praeterita mala sic deplorat, ut futura iterum non committat ; nam qui plangit peccatum et iterum illud committit, est similis illi qui laterem crudum lavat ; quia quanto magis lavat, tanto sordidiorem facit.

Debemus ergo, fratres carissimi, attendere diligenter ne et nos laterem crudum lavemus, relabentes in eosdem saepe[a] defectus, pro quibus paenitentiam fecimus exteriorem a superiore iniunctam ; nam exterior paenitentia iuvare debet interiorem, cuius signum est. Non est quidem necessaria omnino sicut interior, habet tamen suas utilitates, ut ante dictum est.

Sed petet aliquis : qui fit, quod post paenitentiam multi ad eundem

(a) *saepe in eosdem*. B.

(1) Eccli. 22, 3. 6 ; item 1 Reg. 3, 13. (2) S. Thom. p. 3, q. 84. a. 9. c. (3) Ioel. 2, 12. (4) Marc. 9, 48. (5) Coloss. 4, 6. (6) 1 Cor. 14, 40. (7) Psalm. 98, 4.

defectum redeunt? Respondeo ex D. Basilio (1), quod ab illo defectu priore non fuerint plane purgati ; unde, velut a radice quadam pessima, eadem quae antea pullularunt. Sicuti si quis arboris ramos exciderit, radicem tamen reliquerit, nova statim vitulamina succrescunt et pullulant : sic qui iterum atque iterum relabuntur, ex ipsis prioribus defectibus initium ac vitam accipiunt. Interdum etiam ex aliis occasionibus delictum nascitur ; oportet ergo causas excidere, et stirpitus evellere defectum, v. g. si ex contentione vel invidia promanaret defectus, vel si ab arrogantia, vel cupiditate gloriae : hae radices penitus sunt evellendae.

8. Dicit B. P. N. quod paenitentias quivis assumere poterit, quae sibi videbuntur cum approbatione superioris, etc. Debet homo se conservare in Societate ad maius opus quam sit paenitentiae asperitas exterior, nimirum ad conversionem animarum. Proinde huius rationem habere debet in Societate superior, ne milites, quos parat Domino ad expugnandum regnum diaboli et ad aedificandam arcem Dei, indiscretis paenitentiis se conficiant, ut debilitati nequeant aedificare, vel in vanum laborent qui aedificant eam (2). Sane, fratres carissimi, qui suum iudicium sequeretur saepe aedificaret super arenam : ut ergo solide et prudenter aedificet, sequi debet superioris iudicium.

Anima, quae Deo servire debet ad animarum salutem, satagat ex una parte, ut corpus non praevaleat contra spiritum et contra se, iuxta illud : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo* (3) ; ex altera parte, ut serviendo non deficiat. Primum fit dum corpus laute non tractatur ; secundum, quando non frangitur et debilitatur corporalibus paenitentiis, vel exercitiis spiritualibus. Nam si nimium quis sibi indulgeat in oratione, in fletu, in mentis elevatione, etc., potest se laedere et inutilem facere.

9. Consilium Thomae de Kempis est (4), ut homo devotus, si omnino mensuram servare nequeat, nutriat potius corpus suum paulo abundantius, quam ut deficiat nimia cibi subtractione. Ita de mentalibus exercitiis praestat aliquid remittere, quam nimium contendere. Ne vero fiat excessus in alteram partem, cum homo non sit bonus iudex in causa propria, iudicium superioris deposcat ; nam in Levitico mandatur (5) « ut sal in omni sacrificio adhibeatur ». Qui navem onerat plus

(1) S. Basil. PG. t. 31 Regulae brev. tr. 289. col. 1286. (2) Cfr. Psalm. 126, 1. (3) 1 Cor. 9, 27. (4) Thom. a Kemp. Medit. 19 de fatig. Chr. n. 3 (Ed. Colon. 1728). (5) Levit. 2, 13.

aequo, periculum adibit naufragii ; et qui arcum nimium extendit, illum debilitat vel frangit. Qui paenitentiam refugit aut non petit, signum est quod non sit sollicitus de suo profectu ; qui quaerit et facit, sed non secundum consilium superioris, argumentum est proprii iudicii, et periculo ille se exponit ruinae. « Nullo alio vitio diabolus monachum pertrahit ac perducit ad mortem, quam cum eum, neglectis consiliis superiorum, in suo iudicio persuaserit confidere, » ut explicat B. P. N. de Oboedientia § 11, ex Cassiano (1).

Caro mortificanda est, et id facere sollemne est servis Dei : etenim *Qui sunt Christi, carnem suam cruxifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (2). Sed quia perfectio hominis consistit principaliter in interioribus : *Non est enim regnum Dei esca et potus* (3), fit ut actus interiores habeant rationem finis, exteriores mediorum. In fine nulla mensura adhibetur, sed quanto magis de fine obtinetur, tanto melius ; in mediis vero mensura necessaria est, et adhibetur secundum proportionem ad finem. Ut medicus v. g. sanitatem ponit pro suo fine, praebet autem medicinam in mensura et pondere, quantum scilicet expediat ad sanitatem : sic homo in fide, spe et caritate nullam mensuram debet habere ; ideo dicitur illi (4) : *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex omnibus viribus tuis, et ex omni mente tua.*

In exterioribus autem actibus adhibenda est mensura discretionis in ordine ad caritatem. Unde patres sic commendarunt discretionem, ut S. Antonius ceteris eam virtutibus praetulerit. Est autem discretio, non tam virtus quam quaedam moderatrix virtutum, ordinatrix affectuum, et doctrix morum ; tolle hanc, et virtus vitium erit. Isidorus, lib. de Synodis (5) : « Quidquid boni cum discretione feceris, virtus est ; quidquid sine discretione feceris, vitium est : virtus enim indiscreta pro vitio deputatur ».

Felices igitur nos, fratres carissimi, qui iugiter habemus apud nos directorem actionum nostrarum, ne circumveniamur a spiritu erroris. Nihil ergo agamus vel temere, vel nostro iudicio, sed toti pendeamus ab eo qui locum Dei tenet. Sic enim inoffenso pede viam quam ingressi sumus ad Dei gloriam decurremus. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

(1) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 2, cap. 11. col. 541 b. (2) Galat. 5, 24. (3) Rom. 14, 17. (4) Luc. 10, 27. (5) S. Isidorus. In utroque codice, tam in textu quam in margine, re vera scribitur *lib. de Synodis ;* librarius ergo erravit describendo vocem *Synonymis* quam auctor notis scripserat. Etenim vid. PL. t. 83 Synonymorum lib. 2, n. 79, col. 863 ; rem, non verba, invenies etiam lib. 2 Sentent. cap. 34, col. 635. 636.

7ª Exhortatio

De confessione : cur in ingressu generaliter omnes confiteri debeant ; et quibus de causis bis in anno, sexto videlicet quoque mense, a non habentibus statum fixum in Socte confessio generalis fiat ; et de tribus condicionibus ad bene confitendum requisitis.

1. In hodierna exhortatione agemus, adiuvantibus piis votis vestris, de 5ª et 40ª regulis summarii. Nam in hoc conveniunt, quod utraque ad conscientiae purgationem pertineat, et possunt non numquam in confessione sacramentali coalescere ob utriusque affinitatem. Duo autem his regulis continentur : unum, ut initio ingressus in Societatem, videlicet in prima probatione, reddatur ratio conscientiae per confessionem generalem, et haec quidem ut fiat superiori, vel alteri ab ipso designato, de totius vitae peccatis et delictis. Alterum, ut item confessio generalis fiat deinceps sexto quoque mense, usque ad professionem vel stabilitatem in Societate, in eo gradu in quo a P. praeposito Generali quis constituitur. Sed haec confessio generaralis semestris fit tantum de his quae acciderunt ab ultima generali, retroacto sex mensium decursu facta.

2. Exspectatis, arbitror, fratres carissimi, cognoscere quare totiens fiat confessio generalis in Societate, quae in nulla alia fit religione ? Ut ergo votis vestris satisfaciam, huius reddam rationem et causas.

Prima igitur est, ut perfecte curentur vulnera in saeculo accepta ; et deinde repetitur sexto quoque mense, ut ea quae in religione contracta sunt delicta, similiter curentur. Nam qui in itinere vulneratur, festinat domum reverti, ubi habeat maiorem curandi vulneris sui commoditatem quam in hospitio externo. Nos in peregrinatione vitae huius non attendebamus tam studiose ad valetudinis spiritualis curam, sicuti in domo Domini et in Societate. Et quidem statim in initio examinamus nos diligenter ac soli sedemus recolligentes nos et studentes recolligere annos nostros in amaritudine animae nostrae (1), et nacti spiritualem ac peritum medicum, vulnera nostra illi ostendimus, patimurque ut ea involvat, liget, ungat, consolidet.

(1) Cfr. Isai. 38, 15.

Secunda. Quia alii ordines, ut Benedictini, S. Bernardi et ceteri hunc usum ab origine sui induxerunt, ut initio ingressus suo abbati seu superiori de tota anteacta vita confiteantur. Caesarius inter alios, in dialogis (1), terribilia exempla affert de iis, qui vel imperfecte, vel nullo modo confessi fuerant. Quin et usus ecclesiae habet etiam hoc tempore, ut canonici saeculares quotannis teneantur confiteri suo decano, ut animae bene purgatae sint Deo magis acceptae.

Tertia. Ne qui veniunt de saeculo, alios suis vitiis inficiant. Una enim ovis scabiosa scabiem suam facile aliis affigit.

3. Quarta. Ut rationem status animae nostrae Deo exhibeamus, sitque illi studium nostrum gratum, quia pientissimus omnium bonorum largitor libenter condonat peccata quae confitemur, declarantes nos in multitudine miserationum ipsius fiduciam totam nostram collocare.

Quinta. Ut cognoscamus et consideremus penitius Dei bonitatem, videntes nostras iniquitates esse multas et gravissimas, et ipsius nihilo minus clementiam, dum facit nos sentire in visceribus animae nostrae suavitatem misericordiae suae, *Qui solem suum oriri facit super bonos et malos* (2); cognoscamus quoque sapientiam eius immensam, qui tam suaviter et per tam suavia media nos ad se revocat; ut agnoscamus denique ineffabilem eius potentiam, qui tot scelera et improbitates auferre possit et velit per homines ministros suos, nec non et quadriduanum iam foetidum solo verbo possit et velit suscitare. *Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat* (3) ? Sic tu rex potentissime et suavissime Iesu, nos pauperes et inopes collocas cum principibus tuis.

Sexta. Ut ingrediamur portam civitatis, quae est humilitas; quoniam B. P. N. Ignatius proponit nobis hoc speculum conscientiae initio, ut in eo perspiciamus delicta nostra, abiciamus superbiam saecularem, humiliter subiciamus umeros nostros suavissimo iugo Christi Domini, intellegamusque, ex vita nostra anteacta, iustissimum esse ut ceteros fratres etiam simpliciores indoctioresque nobis humiliter anteponamus.

4. Septima. Ut compensemus tempus praeteritum multis improbitatibus contaminatum, ponderemusque quam male annos praeteritos

(1) S. Caesarius. PG. t. 38, col. 851 sqq. De confessione nihil reperimus praeter Dial. 4. interr. 194 et 195, et exempla Caïni « qui primus mentitus est Deo » et Ananiae cum Saphira. Caesarius Arelatensis (PL. t. 67. col. 1042 et t. 39. col. 1741 sqq.) non conscripsit *Dialogos*. (2) Matth. 5, 45. (3) Psalm. 112, 5.

transmisimus, quibus decurrentibus nihil fere boni, mali vero plurimum fecimus : sicuti iter facientes cum considerant sibi adhuc superesse longum iter usque ad terminum propositum, qui initio tardius progressi sunt, postea concitatiore gradu iter peragunt.

Octava. Ut habeamus quietam conscientiam, in qua, ut in lectulo florido, Christus Dominus quiescere et manere dignetur. Nam si in ea fuerint spinae peccatorum vel scrupuli, non est in ea Christo perfecta quies, nec mansio spiritualis. Qui malos umores retinent in stomacho, edere nequeunt cum appetentia, nisi stomachus medicamentis purgetur.

Nona. Ut accipiamus maiorem gratiam : magnam siquidem institutum nostrum postulat. Dat porro eam Deus paenitenti propter humilitatem istam confitentis, propter sacramenti dignitatem et virtutem, et ob nostram sedulam cooperationem maioremque nostram dispositionem et contritionem ; et quia fit perfecta confessio totius vitae, et satisfactio per orationes et indulgentias summorum pontificum, quae paenitenti subveniunt ; denique, propter propositum de novo factum emendandi vitam in melius.

Decima. Ut superior melius possit nos curare. Medicus nempe ut aliquem diuturno morbo laborantem bene ac perfecte curet, quaerit de causis morbi, ut perfectius curet.

Ex causis iam commemoratis, quis non intellegat quam utilis in Societate et necessaria sit ista constitutio ? et quid decentius honestiusque, quam habere tot socios eiusdem propositi ? Nullus enim omnino est in Societate qui id non praestiterit, et se praestitisse impense gaudeat in Domino.

5. Petat vero aliquis cur sexto quoque mense confessio generalis fiat ? Respondeo :

1° Ut possimus melius cognoscere quem fructum fecerimus praeterito sex mensium decursu ; quae et qualia impedimenta habuimus, quanta zizania in agro animae nostrae malignus spiritus seminaverit, et num haec bonam sementem suffocaverit ; et ut denique cognita mala nostra diligenter studioseque excutiamus. Quod cum vix perfecte fieri possit una confessione, vel pluribus particularibus, propter infirmitatem nostram, sexto quoque mense generali confessione comprehendimus ; vel ut, si quid imperfecte quidpiam in confessione praeterita essemus confessi, repetito novo examine et semestri confessione defectum suppleamus.

Accedit quod nobis religiosis continenter crescit lumen et notitia maior imperfectionum nostrarum, nec sunt iidem oculi nobis, qui prius : dat, inquam, cotidie gratia lumen maius. Nam si qui philosophiae

dant operam, plus habent cognitionis eius scientiae in medio curriculo quam in initio, quid mirum si religiosus in schola perfectionis plus lucis a Deo procedente tempore accipiat.

2° Ut perspiciamus lucrum quod fecimus et fructum ac progressum nostrum in reformatione hominis interioris et exterioris. Sicuti mercatores post longam et difficilem navigationem sese colligunt, et perpensis accurate rationibus dati et accepti, vident subducendo quid boni quidve mali acciderit ad facultates ; recogitant scopulos et pericula quae subierunt, causasque dispendii, ut iterata navigatione detrimenta compensent ac maioribus spebus conceptis, navigationem suam melius in futurum instituant : sic, inquam, inquirendae sunt causae minoris profectus nostri ; vel si dederit Deus fortassis maius ex navigatione compendium spirituale, gaudeamus in ipso, et vires animi redintegremus ad lucrum maius.

3° Ut resuscitemus gratiam et spiritum quem accepimus per donum vocationis ; senescit enim interdum in nobis et veterascit nisi iuvetur : sicut aedes nisi crebro ab aedilibus vel dominis visitentur et reparentur.

4° Ut superiores ipsi magis nos perspectos habeant, et si profecisse nos videant, laetentur in Domino ; sin minus, sarculum, ligonem, stercorationem, irrigationem, et denique quae opportuna sunt adhibeant. Est enim superiorum descendere interdum in hortum suum[a], et singularum plantarum incrementa considerare.

5° Ut voluntas in bono proposito magis firmetur, opus vero diaboli destruatur. Dum enim videt nos tantum studium ponere ut nos humiliemus, desperat et debiliora evadunt eius molimina. Humiliamur autem recognoscendo nostras affectiones, infirmitates, ignaviam, et excitamus nos ad meliora studia ; unde fit ut Deus praebeat se nobis liberaliorem, cernens cooperationem nostram, ac desiderium sibi placendi ac bene serviendi. Non enim patitur, fratres mei dilectissimi, bonitas illa divina se vinci a nobis, sed si bene serviendi voluntatem redintegramus, maioribus nos donat viribus et gratiis. In confessione porro declinari debent scopuli duo. Unus est, ut paenitens non sit nimium scrupulosus, non anxius, non nimius, quod provenire solet ex amore proprio, vel ex mala consuetudine sic se accusandi, vel ex ignorantia, quod discernere nequeat ubinam lateat peccatum. Alter scopulus est nimiae laxitatis, qui quidem provenit vel ex neglegentia se cotidie accurate examinandi, vel quia neglegenter tractat quae pertinent ad conscientiae puritatem, vel ex ignorantia, quod non agnoscat examinis utilitatem, vel

(a) *desc. in h. s. interdum.* B.

peccatum esse neglegenter confiteri. Sed timeat, qui talis est, illud : « ignorans ignorabitur » (1) ; vel denique, ex malitia, quod sacrilegium esset et manifeste contra integritatem confessionis, si res graves essent. Omnia enim integre sunt confitenda, ne forte falx ignea de qua Ioëlis cap. 2. (2) quam propheta vidit, talem excidat ac deleat, dum audet sacrilegium admittere.

6. Confessio, cum sit medecina, ut dictum est, vulnerum nostrorum, immo perfecta nostra sanitas, permagni fieri debet ; et ex diligentia curandi corporis nostri colligendum est quid facere debeamus. Non sufficit medicinam esse paratam, sed infirmo bene debet applicari, et ab ipso sumi. Quia igitur sacra confessio, sive generalis sive particularis, principale medium est nobis datum a Deo ad conciliandam nobis eius gratiam, propterea statim ab initio summarii constitutionum, nimirum 5°, 6° et 7° §, de ea mandatum datur et de sacra communione, ac de cotidiana conscientiae suae examinatione. Nam haec media, confessionis videlicet et communionis sacrae, multo excellentiora sunt aliis quae comprehendit ipsum summarium, quia continent et dant ipsam gratiam, et ab eis derivantur in nos merita Christi Domini in salutem nostram. Oratio, mortificatio, et cetera virtutum opera bona quidem sunt valde, non sunt tamen aliud quam opera quae facimus adiuti Spiritus sancti gratiâ. At in confessione, ibi sunt actus contritionis et confessionis, quae partes sunt sacramenti ; ibi sunt praeterea actus fidei, et spei remissionis peccatorum. Sed quod praecipuum est, adest et ipsum sacramentum, quo nobis Dei gratia applicatur et confertur, opus videlicet Christi ipsius auctoris sacramenti. Quocirca, ut magna est sacramenti et medii huius dignitas et adiumentum nostrum, si bene eo utamur, ita est grave malum et damnum nostrum, si male utamur.

Quando ergo quispiam ingreditur in Societatem, statim iubetur facere confessionem generalem, ut peccata, quae ex Aegypto nos sunt consecuta, suffocentur in traiectu maris ad terram sanctam religionis ; quae est, fratres mei, gratia valde singularis, quam nos ab exordio accepimus, cuius fructus et gustus adhuc manet in vobis, et fecisse vos confessionem primam generalem[a] gaudetis ; sed et gaudetis et exsultatis in Domino, quod sexto quoque mense confitendum sit eis qui non sunt professi aut coadiutores formati ; nam his — ut habet regula 5[a] — singulis annis confitendum est[b].

(a) *gen. primam.* B. (b) Hoc verbum om. B.

(1) Cfr. 1 Cor. 14, 38. (2) Cfr. Ioel. 2, 5 et 3, 13.

Cogitate ergo, fratres mei, quod quando confessionem sacramentalem instituitis, et manus sacerdotis absolventis supra caput vestrum extenditur, tunc, iuquam, summa cum devotione attendite et considerate Christi Domini nostri pretiosum sanguinem pro nobis in cruce sparsum fluere de manibus sacerdotis in animas vestras, eas per ipsum emundari ab inquinamentis suis, ac Christi Domini meritis exornari.

7. « Requirit autem Dominus a nobis, ut ait S. Augustinus l. 50 hom., hom. 12, tom. 10 (1), confessionem peccatorum, non quia ipsa ille non cognoscat, « qui scrutator est cordium et renum (2) », sed quia vult[a] nos humiliari, sicuti diabolus superbire. Diabolus ergo desiderat peccata nostra per superbiam, et verecundiam superbiae filiam, taceri. Vellet etiam potius peccata nostra a nobis excusari et defendi, quam accusari, ut inveniat quod nobis obiciat ante tribunal iudicis aeterni. Deus autem benedictus, quia pius est et misericors, vult ut ea confiteamur in hoc saeculo, ne pro illis confundamur in futuro. » Idem de vera et falsa paenit (3). « Erubescentia in peccatorum confessione partem habet remissionis », et multum satisfactionis confert nobis, qui erubescentiae dominantes nihil eorum quae commisimus patrem spiritualem, Dei ministrum, latere volumus. Et ibid. c. 4 (4). « Peccator ponat se omnino in potestate iudicis, in iudicio sacerdotis, nihil sibi reservans sui, ut omnia eo iubente paratus sit facere pro animae reparandae vita, quaecumque faceret pro vitanda corporis morte. Nam per hoc sacramentum, si contritio et desiderium adest vitae, vita animae recuperatur infinita. »

8. Tria autem requiruntur ut bene confitearis : 1° ut cum humilitate tam cordis quam corporis accedas, sicuti reus ad iudicem. Cum humilitate, ut Chananaea illa, quae caniculam se reputabat, sequens Dominum (5) ; et Magdalena, quae retro procumbens pedes Domini lacrimis lavit (6) : ita et tu, fratrer mi, ad pedes Christi accede. 2° Ut brevis sis, et vere tamen omnia proferas et confitearis cum prudentia, quia non debet dimidiari confessio ; sed brevis sis, ut non contexas historias. 3° Sit circumspecta, ne recenseas ea quae ad rem non faciunt, nec mentiaris, nec alios accuses. Non utaris ambagibus, sed quae

(a) *sed quiapud* (sic) *nos hum. sicut.* B.

(1) S. Augustin. PL. t. 39 Append. serm. 253, n. 1. col. 2212 extr. 2213. Non refertur ad verbum. Cfr. sermonem seq. initio. (2) Psalm. 7, 10. (3) S. Augustin. PL. 40 de vera et falsa Paenit. cap, 10. n. 25 p. in., col. 1122. (4) Immo ibid. cap. 15, n. 30 p. in. col. 1125. (5) Matth. 15, 27. (6) Luc. 7, 38.

dubia sunt proponas ut dubia ; et habeas propositum firmum emendandi te, et capiendi media opportuna contra peccata quae confessus fueris. Cave vero ne ex aliqua reticentia aucuperis laudem et existimationem maioris virtutis quam in te sit. Omnis denique fictio absit, quia illa in confessione mala est et periculosa. Ananias et Saphira partem manifestarunt, partem tacuerunt, quod fuit ipsis causa ruinae et mortis (1). Sic nos ergo deinceps geramus, fratres mei in confessionibus nostris, ut non habeat diabolus quod nobis obiciat post confessionem, et maxime vero in die transitus nostri ex hac vita ; sed ut cum psalmista dicamus (2) : *Confitebor tibi, Domine, in toto cordo meo*, ut gratiam inveniamus apud Dominum iudicem nostrum.

8ª Exhortatio

SUPER REGULA 6ª ET 7ª : PRIMO QUID SIT CONFESSIO ; 2° QUAE EIUS PARTES ; 3° QUAE CONDICIONES AD VERAM CONFESSIONEM REQUIRANTUR ; 4° QUARE TAM FREQUENTEM IN SOCtᵉ VOLUERIT B. P. N. ESSE CONFESSIONEM ; 5° QUAE CONFESSIONIS UTILITAS ; DENIQUE, 6° UNDE ORTUM HABEAT, QUOD NON PROFESSI AUT COADI. FORMATI BIS IN ANNO GENERALITER, PROFESSI AUTEM ET COADI. FORMATI SALTEM SEMEL IN ANNO GENERALITER CONFITERI DEBEANT

Rursus B. P. N. praescribit nobis ut confiteamur sacramentaliter singulis hebdomadibus, quo puriorem in conspectu Dei conscientiam habeamus. Ideo in praesenti exhortatione, ad maiorem eius intellegentiam, declarabimus : 1° Quid sit confessio. 2° Quot sint eius partes. 3° Quae requirantur ad veram confessionem condiciones. 4° Quibus de causis tam frequens sit in Societate confessio.

1. Quod ad 1ᵘᵐ attinet : confessio est exterior propriorum peccatorum, in foro spirituali secreto, cum sui accusatione manifestatio. Non enim sufficit per modum historiae peccata sua narrare,

(1) Act. 5, 1-11. (2) Psalm. 110. 1.

sed revera cum pondere et eorum detestatione sunt narranda confessario secreto ; nam confessio publica, quae fit in foro fori, non est sacramentum.

2. Partes confessionis integrantes et essentiales sunt tres : cordis contritio, oris confessio, operis satisfactio (1).

Prima pars, contritio, est peccati praeteriti, quia offensa Dei sit, voluntaria detestatio super omnia, cum proposito de cetero non peccandi. In detestatione porro tria sunt : 1um ipsa displicentia, et nullo modo velle amplius peccare ; 2um de peccato commisso tristitia, quae nascitur ex eo quod intellectus peccatum factum esse intellegit, et malum praesens inevitabile ; 3um ex hac tristitia sequitur etiam sensus in corpore, qui lacrimas interdum excitat. Non est autem dolor hic contritio, sed eius effectus ; nec ipsa tristitia contritio est, sed cum tristitia adiuncta detestatio, ut velit potius paenitens incurrisse omnia mundi mala quam peccasse, quod sit offensa Dei.

Secunda pars est ipsa confessio, quae, ut ante dictum est, ore fit et verbis non obscuris. Petet fortassis aliquis, saltem apud se, quae peccata necessario sint confitenda. Ad hoc respondeo : 1° quod omnia peccata mortalia, et haec omnino necessario ; 2° venialia, quando dubitatur an sint mortalia, et haec etiam necessario ; 3° nobis religiosis, etsi venialia confiteri necesse non sit, communiter expedit tamen, propter perfectionis statum quem profitemur, ea confiteri ; nam peccata venialia fervorem devotionis impediunt et spiritualem profectum, suntque Deo exosa.

3. Confessio ut sit omnino perfecta, quattuor debet habere condiciones :

Prima est, ut sit integra. Non enim potest dividi, quia Deus non partitur condonationem, nec remittit aliqua peccata, alia non ; nec partem condonat, partem reservat. Non potest ergo paenitens, involutus multis peccatis mortalibus, paenitentiam facere de eorum parte altera, quoniam, ut ait S. Augustinus (2) : Deus odit omne peccatum et peccatorem. Quomodo speret ergo peccator consequi remissionem ex parte peccatorum ? Non potest remitti peccatum unum in eo qui multa habet, sed omnia condonanda sunt pariter. Implicat enim contradictionem, ut idem peccator eodem tempore sit in gratia[a] et in peccato, sit Dei amicus

(a) *Dei.* add. B. supra lineam.

(1) De hac tertia parte nihil in praesenti exhortatione, sed in proxime sequenti, et quidem n° 5. (2) S. Augustr. PL. t. 40 de vera et falsa Paenitentia. cap. 9. n. 24 m. (Scio enim). col. 1121.

et simul inimicus ; ut sit coniunctus cum Deo et a Deo separatus, destinatus caelo et inferno. Quare necessario fieri debet confessio de omnibus omnino peccatis. Ut vero sit integra, 1° curare debemus, fratres carissimi, ut confessarius bene intellegat peccati nostri gravitatem ; 2° explicandus est peccatorum numerus ; 3° circumstantiae narrandae, videlicet, finis, loci, temporis, personae ; nam circumstantia interdum ex veniali facit mortale, proinde est explicanda ; interdum mutat speciem peccati, et tunc etiam explicanda ; interdum multiplicat peccata, et similiter aperienda, ut si quis habens votum castitatis, peccatum carnis committeret, peccaret primo contra praeceptum, deinde contra votum.

Secunda: debet esse diligens,quia non debemus accedere ad confitendum absque debita diligentia et praeparatione, ut v. g. a negotiis, sine ulla recollectione. Et haec diligentia debet esse moralis, et secundum iudicium prudentis viri pro ratione temporis a quo non est paenitens confessus.

Tertia : debet esse fidelis, id est vera; et hoc tripliciter : 1° ut paenitens nullum interponat mendacium, ut negando quod fecit, vel affirmando quod non fecit ; 2° ut dubium sub dubio, et certum ut certum dicatur ; 3° circumstantiae mutantes speciem manifestentur ; nam peccatum carnis admissum in loco sacro, gravius est quam alibi admissum ; et si cum scandalo, adhuc gravius foret. Accipere rem alienam quae templo ac Dei servitio deputata est, gravius est peccatum quam si alia acciperetur.

Quarta[a] : debet esse oboediens ; ut nimirum paenitens paratus sit et firmum propositum habeat acceptandi et exsequendi paenitentiam iniungendam a confessario, quaecumque illa fuerit, in remedium peccatorum, et ad evitandas peccati occasiones.

4. Quod vero tam saepe in Societate confiteri debeamus, argumentum est curae paternae ac sanctae sollicitudinis, quam Deus per Societatem gerit nostri : ut nimirum melius consulatur infirmitati nostrae. Duobus porro indiget homo in statu naturae corruptae, nimirum, ut evacuet malos umores, deinde ut conservet bonos, ad quod praecipue attendunt saeculares qui in aere degunt infecto. Similes autem sumus nos nautis, qui statis temporibus exhauriunt sentinam ; alioquin aquae per rimas intrantis copia navigio periculum afferret. Quod si per rimas nostras, id est per sensus, nihil mali umoris in animam importaretur, non esset hac regula opus, neque hoc exhauriendi studio. Verum semper nobis negotium est cum peccatis, ut etiam septuagesies septies iubeatur Petrus peccata condonare (1), id

(a) omittit A.

(1) Cfr. Matth. 18, 22.

est, quotiescumque nobis opus est venia eamque suppliciter petemus[a].

David audit[b] Nathan prophetam, deinde dixit (1) : *Peccavi Domino ;* propheta autem statim subiunxit : *Dominus transtulit peccatum tuum.* Hinc David dixit (2) : *Confitebor adversum me iniustitiam meam Domino, et tu remisisti impietatem peccati mei.* Augustinus (3) : « Nullus debitae gravioris poenae accipit veniam nisi qualemcumque, etsi longe minorem quam debeat solverit poenam ; atque ita impertitur largitas misericordiae, ut non relinquatur etiam iustitia disciplinae ». In psalm. 17 (4) : Lacrimis et eleemosynis studiose redimenda sunt peccata. Vide locum, cap. 15, de paenitentiae medicina, tom. 9 (5) : « Non sufficit mores in melius commutare, et a factis malis recedere, nisi etiam de iis quae facta sunt satisfiat Deo per paenitentiae dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis ; non enim tantum dictum est (6) : abstineatis a peccatis, sed, *et de pristinis* inquit Sapiens, *deprecare* Dominum *ut tibi dimittantur.* »

Alia causa est frequentis confessionis, quod spiritu infirmamur ; per confessionem autem renovamur et fortes evadimus, atque ut aquilae renovatur iuventus nostra (7). Aquila cum senex est, ac rostrum habet nimis curvum et aduncum, ut vix possit comedere, tam diu eo percutit petram, donec curvitas tollatur. Et ut habet aliam proprietatem, videlicet ut immergat se aquis donec madefiat tota, tum soli ardentissimo se exponit, donec pennae vetustate debiles decidant et novae succrescant : ita nobis faciendum est. Nam malae consuetudinis habitus, praesertim vero ad malum patrandum voluntatis pronitatem frangere debemus, et cotidie frequenter, donec victoriam obtineamus. Item affectum et animum lacrimis madefactos ad ardentem solis iustitiae misericordiam exponere debemus, sicut Propheta, qui « lacrimis stratum suum de nocte rigabat » (8).

5. Dices fortassis Davidem rigasse stratum suum, et confessum esse Nathan peccatum suum, quia de peccato mortali angebatur, in quo est periculum, peccata autem tua tantum esse venialia. Sed adverte, mi frater, minimum in navi foramen eam posse perdere, nisi mature obtu-

(a) Sic in utroque cod. (b) Sic in utroque cod. « *audit... dixit* ».

(1) 2 Reg. 12, 13. (2) Psalm. 31,5. (3) S. Augusт. PL. t. 40 de Continentia, cap. 6, n. 15 p. in., col. 358. (4) Sic in utroque cod. indicatur. Loco tamen ad quem remittit, psalmus ille non citatur. (5) Huiusmodi inscriptio neque in ed. veteri neque in Mabillonensi occurrit ; erravit scil. librarius, debuitque scribere « De Paenitentiae utilitate ». PL. t. 39 Sermo 352, cap. 5, n. 12, cl. 1549 a. m. (lin. 12). (6) Eccli. 21, 1. (7) Cfr. Psalm. 102, 5. (8) Cfr. Psalm. 6, 7.

retur ; neque libenter sustinet saecularis quispiam parva ulcera, aut parvos morbos, sed statim adhibet curam et manum medicam : nam *Qui spernit modica, paulatim decidet,* ait Sapiens (1). Non curare peccata levia quia levia sunt, non est filiorum sed servorum, sed mercennariorum, qui non serviunt ex amore et affectu Deo, sed metu. Qui Deum vere amant, omnia oderunt quae Deus odit : odit autem maxime peccata. Moveat[a] nos exemplum Semei, oblitus misericordiae et benignitatis regis, iterum praevaricatus dum ex civitate contra mandatum egreditur, ut suos quaereret servos, infelici morte multatus est (2). Ne ergo tu sequare servos tuos, id est propensiones et cogitationes tuas vanas et huius saeculi, ne similiter ruas in mortem. Peccatum veniale, ait Gerson, deliberate factum, fit abutendo misericordia Dei, quia nullum peccatum natura sua, sive de se, est veniale, sed solum propter respectum ad Dei misericordiam, qui voluit esse veniale : unde peccatum mortale et veniale non differunt intrinsece et essentialiter, sed tantum per respectum ad Dei misericordiam. Quin et Durandus, cum aliquot aliis doctoribus, tenet nullum peccatum veniale remitti sine paenitentia ; et hinc, si placet et delectat formaliter vel virtualiter, non remitti, quia remanet complacentia et peccatum.

6. Tertia causa est, quod peccatum veniale etiam minimum, impedit ingressum paradisi, quantumvis quis sit alioqui perfectus ; ideo debet purgari in purgatorio, si in hac vita non purgetur per paenitentiam, quae securissima est in sacramento et efficacissima. Quamvis vero parva appareant in oculis mortalium, sunt tamen fortasse magna in oculis divinis et foeda : quare debent paenitentia deleri. Parvum peccatum disponit saltem animam in discrimen maioris mali seu lapsus.

De confessione octiduana fit mentio in 4 cap. Exam. ; P. 3, c. 1 ; P. 4, c. 9. Ubi notandum, quod in aliis locis absolute dicatur : « Confiteantur octavo quoque die » ; in 3 P. adicitur « saltem ». Nota praeterea praescribi octavo quoque die, sed non saepius esse communicandum. In declaratione 4[tae] partis dicitur quod frequentius quam octavo quoque die communicari possit peculiares ob causas, et habendam esse potius rationem necessitatis quam devotionis ; protrahere autem ultra octo dies, non sine ratione speciali licet. Quare vero, petet forte a me devotus aliquis frater noster, non conceditur passim saepius quam octavo quoque die communicare ? Respondeo non caveri

(a) Utrum A scripserit *moneat* an *moveat* distingui non potest ; at B alterum mutavit in *moveat*.

(1) Eccli. 19, 1. (2) 3 Reg. 2, 36 sqq.

ideo quod malum sit, sed quia propter condicionem naturae nostrae corruptae, et quia saepe non nulli sunt nimium distracti, periculum foret ne aliqui confidentius accederent nimis distracti et leves, praesertim quod omnes in Societate sint bene occupati, et necessitates ac negotia temporalia saepe urgeant. Monet autem D. Paulus ut non nisi bene parati accedamus (1) : *Probet autem se ipsum homo*, ait, *et sic de illo pane edat, et de calice bibat.*

De confessione non est idem iudicium, sed potest adiri confessarius quotiescumque conscientia gravatur.

7. Confessio quae memoratas condiciones habet, valde utilis est ; nam in verbis psalmistae allatis dicitur (2) : *Remisisti impietatem peccati* vel cordis *mei.* Est ergo utilis : 1° ad remissionem peccatorum. Augustinus (3) : Nullum tam magnum peccatum, quod confessione non deleatur, etiamsi Lazarus quadriduanus esset et foeteret. 2° Utilis est ad purgationem animi. Est etenim confessio vomitus veneni diabolici. *Si coactus fueris in edendo multum, surge e medio, evome, et refrigerabit te* (4). Chrysostomus (5) : « Confessionem puta esse egressionem impuritatis et spurcitiae, quae intus erant inclusae ». Et sicut in corpore sanguis abundans saepe requirit minutionem ad salutem, sic sanguis peccati continuo excrescens frequenter confessionem requirit. 3° Servit ad ornamentum et decorem animae. Bernardus in quadam epistola (6) : « Ama confessionem, si affectas decorem ; confessioni iungitur decor et pulchritudo. Nam si peccata sunt, in confessione lavantur ; si bona opera, emundantur ; cum mala tua tu confiteris, exhibes Deo sacrificium spiritus contribulati ; cum Dei beneficia recolis, immolas Deo sacrificium laudis. Bonum animae ornamentum confessio, quae peccatorem purgat, et iustum reddit purgatiorem ». 4° Valet ad evitandam confusionem damnationis. Nam si homo peccata non detegit, Deus revelabit ea in die obitus ad damnationem. Dixit Dominus per Nathan ad David (7) : *Tu enim fecisti abscondite, ego autem faciam verbum istud in conspectu omnis Israel, et in conspectu solis.* Unde Glossa sup. Psalm. 31 : Quando homo peccatum detegit, Deus tegit ; et quando homo tegit, Deus detegit. Si homo agnoscit, Deus ignoscit. Glossa super Psalm. 66 : Illis non iudex sed advocatus est Christus, qui se propria confessione damnarunt. — Postremo regnum caelorum promeretur. Iuda primus ingressus est mare rubrum in egressu filiorum

(1) 1 Cor. 11, 28. (2) Psalm. 31, 5. (3) S. Augustinus. PL. t. 40 de Fide, Spe et Car. cap. 65, col. 262. Vel ibid. de Salut. docum. cap. 52 m. (O mi frater... Et si transgredimur), col. 1066. Cfr. tom. 38, sermo 71 (cap. 11). col. 445-467. (4) Eccli. 13, 25. (5) S. Chrysostomus, PG. t. 56. Opus imperf. In Matth. hom. 3 col. 650, lin. ult. (6) S. Bern. PL. t. 182 Epist. 113. col. 258, n. 4. (7) 2 Reg. 12, 12.

Israel de Aegypto (1), propter quod regnum promeruit, ut dicit magister in historia. Iuda autem confessionem denotat, in cuius tribu Christus natus est ; sic in confessione promeremur regnum caelorum, quia illa ponit hominem in via paenitentiae, per mare rubrum significata, facitque Christum nasci in corde per gratiam ; unde Ambrosius (2) : « Confessio a morte liberat, aperit paradisum, spem salutis tribuit, quia non meretur iustificari qui in vita sua non vult confiteri ».

8. Ut autem confessio fiat semel in anno saltem superiori, vel ei quem deputarit, ab iis qui statum stabilem in Societate obtinent, ab aliis vero qui nondum habent certum statum, bis, id est sexto quoque mense, deductum id est ex principiis instituti, et fere religionum omnium. Nam superiori debet patere tota conscientia cum multa puritate et humilitate, ut loquitur B. P. N., ut nimirum quidquid in corde latet, proferatur in lucem ante superiorem, nulla re occultata. Quo mandato B. P. N. voluit ut qui nos gubernat, dominus et director sit conscientiarum nostrarum, vitae nostrae et virtutum, ut conscius sit malorum habituum nostrorum, malarum inclinationum et bonorum habituum, inspirationumque divinarum et tentationum. Hanc rationem detegendi per confessionem superiori suo conscientiam receperunt maiore ex parte sacri ordines religiosorum, habentque id ex instituto. Si servent omnes an secus hoc saeculo nequam, nostrum non est expendere. Carthusiani patres constitutionem habent, ut qui ingreditur in religionem, et qui mutat locum, aut quando accidit novum superiorem institui aut diu afuisse a loco, faciant ei confessionem generalem. Quod si ordo tam abstractus a saeculo, et qui non habet occasiones quas habemus, hanc servat disciplinam, nos, qui tam multas occasiones distractionum habemus ob officia et ministeria nostra, licet ea sint optima, iusta ac sanctissima, mirari nullo modo debemus, si B. P. N. simili, immo multo mitiore constitutione nobis et saluti nostrae prospexerit.

In ordine Cisterciensium, abbate etiam D. Bernardo, exstitit regula, ut non solum in ingressu omnes confiteantur Abbati, non tantum ab ultima confessione facta alteri, licet approbato et deputato ab ipso abbate, sed de omnibus anteactis confessionibus ; et in capitulo generali suo mandatum est sub poena excommunicationis latae sententiae ut ita fieret. Quod si rigidum est et durum, certe benignum et suave est quod in Societate servatur.

(1) In margine reicitur ad Exod. c. 14. Hoc tamen non habet vulgata, estque traditio iudaica. Cfr. Corn. a Lapide in Exod. c. 14, v. 22. (2) Ambros. PL. t. 17 Sermo 25, n. 1. col. 655. a.

Cum vero Sixtus IV eam constitutionem probasset et confirmasset, concessit ut ii qui in capitulo generali exsisterent, possent eligere confessarium, qui eos absolveret ab omnibus casibus reservatis in suo ordine. Quam concessionem et privilegium. cum capitulares male intellexissent, existimarunt se non amplius obligatos esse confiteri superiori de iis quae confessi erant confessario, qui habuerat potestatem a Sede Apostolica absolvendi. Quod cum intellexisset idem Sixtus IV, declaravit facta Bulla et ea postea impressa, quod non fuerat sua mens mutare regulam tanti momenti. Quare voluit servari consuetudinem reddendi rationem conscientiae Abbati, sicuti institutum fuerat a fundatoribus, et approbatum a Sede Apostolica. Quod factum et servatum est inviolabiliter.

Beatus igitur P. N., quem Deus dedit nobis pastorem et medicum, moderatiorem se nobis praebuit in hac constitutione et regula quam fecit. Debemus ergo, fratres, eam magna cum devotione suscipere et observare, ut medicinam animabus nostris sanandis perutilem, et gratias agere patri nostro caelesti, quod tam paterne nobis prospexerit ad ipsius gratiam retinendam, et ad eam, si forte nostris culpis perdidissemus, de novo nobis conciliandam. Sit ergo, pientissime Iesu, tibi laus, gloria et gratiarum actio in aeternum et ultra.

9ª Exhortatio

DE CONFESSIONE : QUOMODO SIT INSTITUENDA ; QUID PRAEMITTENDUM, QUID IN IPSA AGENDUM ET QUID POSTEA ; ITEM QUI FRUCTUS AD NOS EX FREQUENTI CONFESSIONE PROVENIANT ET A QUIBUS POST CONFESSIONEM CAVERE DEBEAMUS ; ET PAUCA QUAEDAM DE CASIBUS RESERVATIS (1).

1. Confessio sive generalis sive particularis praemittere debet diligens examen, et considerationem peccatorum factorum ab ultima, ut omnia et singula afferantur commodius ad ipsum iudicium confessionis.

(1) Exhortationis inscriptio et initium propria manu in cod.A auctor immutavit,ut infra notabitur. B vero nihil habet praeter sic immutata.

Sic etenim agendo conscientia purior erit, et animus quietior. Ezechias rex recogitavit annos suos in amaritudine animae suae, et adiecti sunt ei vitae quindecim anni (1). Et psalmista scopebat singulis diebus spiritum suum (2). Confessio sequens examen est Deo accepta, facitque ut conscientiam habeamus magis tranquillam et serenam, et ut ex omni opere eliciamus meliores fructus, caveamusque in futurum a maioribus defectibus. Hortulanus bonus examinat diligenter et purgat areolas suas, nec sinit herbas malas quamvis parvas crescere, quia adultae difficilius evellentur. Quomodo autem fieri debeat hoc examen et cotidianum, dicemus in sequenti exhortatione fusius.

Ante confessionem breviter petenda est gratia ad bene cognoscendum et confitendum peccata nostra, et ea renovanda sunt in memoriam, quod faciendum non est vel oscitanter vel cum anxietate. Item neque debemus timorem admittere qui perturbet propter confessarii vel gravitatem vel auctoritatem ; sed considerandum est hominem esse qui expertus est non numquam infirmitates humanas, proinde nosse et velle compati cum infirmitatibus nostris, et exhibiturum se patrem. Habeat tamen paenitens internam et externam adversus ipsum reverentiam, quia iudex est et locum Dei tenet. Excitet dolorem de peccatis admissis contra Deum et proximum, ex amore Dei nascentem, per considerationem bonitatis suae erga nos, qui dolor contritio appellatur.

2. In ipsa confessione humiliemus nos in corde Deo, corpore sacerdoti ; flectendo genua, oculos habentes demissos, manus coniunctas. Primo loco signemus nos signo sanctae crucis cum magna reverentia. Dicamus primo loco quomodo nos habuerimus in confessione ultima, si quid scrupuli ex ea remanserit, si paenitentiam iniunctam devote persolverimus. Item de sacro facto, vel de sacra communione, quam reverenter nos in ea habuerimus, et quo affectu et spiritu sacram eucharistiam perceperimus. Deinde clare et perspicue absque ulla ambage peccata nostra manifestemus, sincere, ut sentimus et ut res se habet in individuo, non in genere tantum, et absque excusatione ulla.

Fugiamus extrema, ut ne simis anxii et nimii, neque nimis laxi, ut sollemne est iis qui de rebus parvis non faciunt sibi scrupulum, cum tamen in conversatione ordinaria sint leves, et mores ostendant ipsos non esse tam sanctos quam apparent, dum paucissima confitentur. Et qui multo meliores sunt, ordinarie magis se accusant quam illi, quos tamen plerique cognoscunt et dolent saepe errare et limites disciplinae transgredi, sed

(1) Is. 38, 1-5. (2) Psalm. 76, 7.

non faciunt sibi inde scrupulum. Quod ex una de quattuor causis potest procedere :

3. Primo, ex ignorantia. Cavendum est autem ne ignorans ignoretur (1). Sicut ille qui ingressus officinam pharmacopolae ex vase venenum sumpsit et comedit, quia non satis rem expendit, nec sibi prospexit. Si conquererentur de ignorantia et doceri vellent, possent doceri ; sed neglegunt, quia spiritus superbiae eos a profectu revocat.

Secundo, ex parvo lumine mentis, ut accidit caecis, qui vident quidem litteras, sed minime discernunt quae illae sint : sicuti caecus ille evangelicus, nondum perfecte illuminatus, dicebat (2) : *Video homines sicut arbores ambulantes.*

Tertio, ex neglegentia examinis cotidiani, quod diligenter non tractant, cum in commodis quaerendis corporalibus sint accuratissimi.

Quarto, ex malitia, quod esset pessimum et sacrilegum ; etsi non tam malitia quam verecundia esset : quia integritas confessionis violari potest, si res graves neglegerentur.

4. Non est quidem paenitens obligatus ad confitendum omnia peccata venialia ; sed nos, ratione status nostri et quia tendere semper debemus ad perfectionem, nihil debemus prudentes et volentes omittere.

Qui nimii sunt in confessione et anxii, id fortassis habent ex scrupulo, vel ex amore proprio, vel ex mala consuetudine sic se accusandi, quia nesciunt ubi lateat peccatum.

Aperienda sunt etiam confessario impedimenta quae sensimus profectus nostri, quas tentationes, quas affectiones pravas et inclinationes senserimus, ut cognoscat medicus causas et radices tam parvi profectus ex tam crebra oratione et sacramentorum usu.

Sit denique confessio bene ordinata, ut initio incipiamus a cogitationibus, maxime iis quae ad Dei cultum referuntur. Deinde procedendum ad verba, si quae videlicet protulerimus indecentia, levia, irreligiosa et contra proximum et fratrem nostrum. Deveniendum demum ad opera : an quicquam fecerimus contra disciplinam, contra regulas et modestiam religiosam. Postremo de omissione accusare nos debemus ; nam religiosus praecipue per omissionem offendit (3).

(1) Cfr. 1 Cor. 14, 38. (2) Marc. 8, 24. (3) In margine, ad exhortationis inscriptionem, notavit auctor : « hoc potest omitti » et penna delevit usque ad verba « et quid postea ». Haec igitur est inscriptio, quam habet B : « Quid post confessionem sit agendum ; 2° qui fructus »... uti supra. Tum ad calcem alterius paginae (sc. in *recto* sequenti) inscripsit quae hic in annotationibus sequuntur.

5. Post confessionem, primo quoque tempore persolvenda est paenitentia iniuncta, actis Deo gratiis quod tam clementer peccata dimiserit. Deinde danda est opera, ut media capiamus ad emendandum quod ante male fecimus, et cavendum a recidivis. Fugienda sunt omnia oblectamenta miserae nostrae sensualitatis, ut sunt verba levia et ridicula, risus effusi, actiones quae non promovent disciplinam ; nam, ut dicit D. Bernardus (1) : delicata est consolatio spiritualis, neque iis se communicat qui terrenas ac sensuales consectantur. Filii Israel non receperunt manna de caelo, quam diu duravit eis farina Aegypti (2). Quid autem aliud est farina Aegypti, quam opera saeculi et oblectamenta mundi ?

Cor nostrum non debet occupari cogitationibus vanis et superfluis, ut capax sit gratiae Dei et consolationum spiritualium. Debes, frater carissime, induere magnum animum, et excitare fervens desiderium proficiendi et ditandi animam tuam divitiis caelestibus, exemplo Iacob patriarchae, qui multos annos sustinuit ardorem solis in aestate, frigoris vehementiam in hieme, ut Rachelem coniugem obtineret (3). Debes praeterea sollicitior esse quam semestri praeterito, ut ineas novam vitam ; saepe recolligere animam et sensus tuos, et vacare diligenter orationi et piis exercitationibus ; ne tamen in iis te tuo iudicio geras, nihil facias non conscio superiore aut patre spirituali. Neque vero debemus, fratres mei, quibusvis exercitiis spiritualibus vacare, sed iis dumtaxat quae iuvent contra vitiosas inclinationes, et intendere animum in bonas et utiles considerationes. Debemus praeterea advertere ne

---

Exhortatio nona

Angustia temporis, fratres carissimi, facit ut sit futura exhortatio hodierna solito vobis brevior. Dicemus enim tantum : 1° quid post confessionem sit agendum ; 2° qui fructus ad nos redeant de frequenti confessione ; 3° a quibus demum post confessionem cavere debeamus ; postremo, de casibus qui in Societate reservantur superioris definitioni et absolutioni, quod attente velim audiri, et pro affectu excipi.

Post haec redit ad verba exhortationis « Post confessionem, primo quoque.... » uti supra, n. 5.

(1) S. Bern. PL. t. 184 Gauf. declam. cap. 55, n. 66. a. b. col. 472. Cfr. t. 183 Serm. 4 de Nativ. col. 100 c. Ibid. Serm. 3 in Ascens. n. 7. col. 307. (2) Cfr. Deuter. 8, 3. 16 et Gen. 16, 3. (3) Gen. 29, 18 sqq.

nostrae exercitationes spirituales sint momentaneae, durantes ad aliquod spatium breve, aliquando eas assumentes, paulo post reicientes : debemus enim esse constantes et perseverare usque in finem ; nam, ut ait S. Bernardus (1), ille merito suspectus est de inconstantia, qui modo unum vult, modo alterum ; modo se exercet, modo quiescit, et tot consilia accipit quot loca et personas videt.

6. Fructus confessionis frequentis sunt multi et praeclari :

Primus est, quod confert illa nobis gratiam, quae est inaestimabilis thesaurus, et cui nihil in hoc mundo potest comparari, 1° ex parte sacramenti, et ut dicitur, ex opere operato : Christus enim huic sacramento, sicuti et ceteris, sui sanguinis virtute et merito quandam gratiae portionem contulit, participantibus sacramentis communicandam ; 2° ex parte operis operantis, propter religionem atque virtutum opera, quae homo exercet in hoc sacramento, humiliando se, orando, genuflectendo, paenitentiam persolvendo ; ita ut, quo maior praeparatio est et devotio, maior sit gratiae collatio.

Secundus. Mediante contritione culpam remittit peccatorum tum mortalium tum venialium, et poenae debitae certam partem ex opere operato quidem ; maior tamen uni quam alteri remittitur ex opere operantis.

Tertius. Praeservat hominem ne facile cadat in peccatum : cum enim cogitat se manifestare debere confessario, diligentius cavet.

Quartus. Non permittit ut peccata, mali habitus et inclinationes pravae in anima agant radices.

Quintus. Dat lumen intellectui. Confessarius enim, qui Dei et Christi Domini locum tenet et vices gerit, non modo medendi facultatem[a] accipit a Deo, sed etiam illuminandi et paenitentem dirigendi. Deus enim cui dat officium in Ecclesia, dat etiam necessaria ad illud exercendum ; atque ita paenitens confessario magnam fidem et reverentiam debet habere.

Sextus. Ex frequenti confessione discit homo bene confiteri peccata, sicuti ex frequenti usu pulsandi citharam[b], ars comparatur.

Septimus. Minus et tenuius tentatur homo a diabolo, quia saepius eius fraudes detegit.

Octavus. Affert serenitatem et pacem conscientiae (2), quia « mens sibi bene conscia iuge convivium est ».

(a) *non m. fac. med.* B. (b) *ex frequenti pulsu citharae.* B.

(1) Cfr. S. Bern. t. 182 de Praec. et Disp. cap. 16, n. 46. col. 886 ubi aliis verbis rem eandem exponit. (2) Cfr. Prov. 15.

Nonus. Dat securitatem paenitenti ; nam qui est in statu gratiae, nulla mortis vel mundi pericula formidat. « Nulla enim nocebit adversitas, si nulla dominetur iniquitas (1) ».

7. Superest ut dicamus tribus verbis cui facienda sit in Societate confessio ; hoc enim paragraphus 6us et 7us summarii nobis indicat. Est igitur ordinarius, qui a superiore constitutus est omnium confessarius, si unus sufficiat ; alioqui adduntur plures ; sed singuli nihilo minus suum habent certum confessarium et stabilem. Quod si cum licentia confiteretur alteri, mandat constitutio ut postea totam suam conscientiam proprio paenitens aperiat confessario, ut is eam bene perspectam habeat. Sed petet aliquis, an liceat cuique eligere suum[a], quem velit ? Respondetur quod non, sed illum solum qui sit a superiore ei deputatus. Habet enim regula communis, quae hanc explicat, ut id non fiat absque licentia superioris, cuius est causam et necessitatem discernere.

Neque id grave esse debet religioso Societatis, quod commune est omnibus ordinibus religiosorum. Immo et non nulla capitula canonicorum designatos habent a praelato suo confessarios aliquos, duos vel tres, quibus liceat canonicis confiteri, non alteri, ut Insulense (2), etc.

8. Desiderat forte aliquis intellegere de casibus reservatis, quare et qua auctoritate reserventur. Expediam ergo istud tribus verbis.

Sicut in ecclesia summus Pontifex reservat sibi aliquos casus, qui appellantur « papales », ut[b] eos qui in bulla Cenae continentur ; et episcopi casus episcopales, et abbates suos, a quibus subditi absolvi nequeant nisi ab ipsis, vel de eorum licentia : sic in Societate, a sui[c] origine, statutum est ut sint aliqui casus a quibus confessarii ordinarii absolvere nequeant, sed reserventur superiori : et aliqui quidem rectori, aliqui provinciali, alii denique difficiliores soli Generali. Immo, in quinta[d] congregatione generali, misit summus Pontifex congregationi plerosque casus in quodam scripto, a quibus nemo posset absolvi, nisi a Generali, qui vix umquam venissent ulli de Societate in mentem[e]. Reservantur autem hi casus ad cohibendos animos hominum, ne sint faciles et proni ad peccata, quod ad imitationem Dei fit, qui graviora peccata gravius solet punire, et quodammodo per semet ipsum ulcisci.

(a) *tum.* legit et scripsit B. (b) *et.* B, mendose. (c) Sic in utroque cod. (d) *in 4a.* scripsit B. (e) *qui v. umq. ulli de Soc. ven. i. m.* B.

(1) S. Bern. PL. t. 182 de conv. ad Cler. cap. 22, n. 40. col. 856 extr. (2) Insulae *(Lille)*, dioec. Cameracensis, in parte septemtr. Franciae.

In lege veteri non omnia genera leprae poterat quilibet sacerdos mundare, et in lege nova scriptum est (1), quod *Quicumque dixerit verbum contra filium hominis remittetur ei, qui autem dixerit contra Spiritum sanctum non remittetur ei, neque in hoc saeculo neque in futuro ;* faciliusque condonatur et leviore poena dignum est peccatum ex ignorantia et infirmitate naturae commissum, quam ex malitia. Qui autem sint huiusmodi casus reservati, non est loci huius et temporis explicatio.

9. Confessione absoluta nobis cavendum est ab eorum familiari usu, qui nobis possint importare aliquam offensionem, vel causam peccati aut distractionis, ut sunt v. g. ii qui proni sunt ad murmurandum, ad detrahendum aliis, ad aliorum defectus et infirmitates commemorandas, ad loquendum de propinquis, de principibus[a], bellis, etc. Neque minus eorum consortium familiare declinare debemus, qui loquerentur de rebus mundanis et carnalibus, quod absit ut talis unus sit inter nos. Ait enim psalmista (2) : *Cum sancto sanctus eris ;* quod licet de Deo dictum sit secundum litteram, saepe tamen a doctoribus refertur ad mores nostros. Debes te, mi frater carissime, adiungere potius iis qui sunt virtutis et disciplinae studiosi, qui Deum timent, graves sunt et modesti, a quibus possis semper audire et cernere quae te aedificent et in Domino recreent.

Considera carbonem frigidum ; si admovetur igni, statim incalescit et ignem concipit : ita, si tepidus es vel frigidus, libenter conversando cum devotis et modestis, similis ipsis tandem evades. Apostoli adiuncti Christo evaserunt sancti et pleni Spiritu sancto ; S^us^ Marcus contubernio S^ti^ Petri institutus est, et factus tandem evangelista. Ita S^us^ Timotheus adiutus fuit a S^to^ Paulo, licet ille iuvenis esset, et tandem factus est episcopus et martyr. S^us^ Augustinus conversatione et doctrina S^ti^ Ambrosii ad magnam sanctimoniam devenit. S^us^ Maurus adulescens adiunxit se D. Benedicto, et factus est in ecclesia Dei vir magnus, abbas denique et multis miraculis clarus.

10. Iuvemus igitur, carissimi fratres, nos mutuo bona et religiosa conversatione, et super omnia post confessionem et gratiarum actionem, propositumque factum corrigendi vitam nostram. Dominus enim Deus valde amat disciplinam ; quod apparet in anima, quae ipsi se per confessionem et sacram eucharistiam et ardentem amorem coniungit ; nam subito eam componit et disciplina[b] excolit. Bene id

(a) *princibus.* B. lapsu calami. (b) Scripsit E *disciplinā*, claritatis gratia.

(1) Matth. 12, 32 ; Marc. 3, 28. 29 ; Luc. 12, 10. (2) Psalm. 17, 26.

intellegebat B. P. N., qui tam sollicite et studiose nos monet, parte 6ª, cap. 1° et in summario § 15, ut omnes constanti animo incumbamus, ut nihil perfectionis quod divina gratia consequi possimus, in absoluta constitutionum nostrarum observatione, nostrique instituti peculiari ratione adimplenda praetermittamus. Non enim contentus est pater noster caelestis ut boni simus, sed vult nos esse perfectos : *Estote,* inquit (1), *perfecti, sicut pater vester caelestis perfectus est ;* et Abrahae dicebat (2) : *Ambula coram me et esto perfectus ;* et Levit. (3) : *Sancti estote, quia ego sanctus sum ;* et (4) : *Sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.* Ioan. (5) : *Si quis mihi ministrat, me sequatur ;* et Rom. (6) : *Induimini Dominum Iesum Christum.*

Cogitemus necessitatem generose laborandi nobis impositam esse quando huic sanctae Societati nomen dedimus, et nos spectaculum factos esse mundo, angelis et hominibus (7). Ita plane, bonis et malis pariter : bonis quidem ut aedificentur bene, et imitentur vitae nostrae innocentiam, et studium colendi et glorificandi Deum, nec non et suae perfectionis ; malis autem et improbis, ut exemplo nostro moti convertantur ad cor. Sic et angelis bonis et malis spectaculum facti sumus ; utrimque dicitur ; O ! si ad nos transeat ! intentione quidem dissimili, sed non dispari forsan voluntate et desiderio. Cum vero omnes oculi in nos coniciantur, fratres mei, absit ut oculi nostri recedant a nobis ; a dextris siquidem et a sinistris intenti esse debemus ne nos ipsos neglegamus : *Me exspectant* — inquit psalmista (8), loquens in persona beatorum ac caelestium spirituum — *iusti, donec retribuas mihi ;* et de peccatoribus quidem et improbis angelis : *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me* (9). Hinc mihi gehenna si non fecerim officium, inde paratur corona si inconfusibilem operarium me exhibuero. Non libeat, quaeso, fratres mei, inter haec duo extrema nos medios oscitari[a], nugari, tempus inutiliter transmittere ; nam, ut D. Bernardus ait (10), ut regnum Dei speremus, oportet primum super membra propria regnare, et non est via ad regnum sine labore et sine primitiis regni. Contendamus ergo intrare per angustam portam (11), quae ducit ad vitam beatam ; quam nobis donet Deus trinus et unus. Amen.

(a) *oscitari.* A ; prius *oscitare,* ut habet B ; utrumque recte.

(1) Matth. 5, 48. (2) Genes. 17, 1. (3) Levit. 11, 44. (4) Ibid. 21, 8. (5) Ioann. 12, 26. (6) Rom. 13, 14. (7) Cfr. 1. Cor. 4, 9. (8) Psalm. 141, 8. (9) Psalm. 118, 95. (10) S. Bern. t. 182 de Conv. ad cler. cap. 7, n. 12 c extr. col. 841. (11) Cfr. Matth. 7. 13.

10ª Exhortatio

De examine conscientiae cotidiano : quid sit ; quotuplex sit ; quomodo fieri debeat ; et quae sit eius utilitas

1. Proprium est Societatis ex obligatione cotidie et quidem non semel examinare conscientiam suam. Est autem examen stilus ille seu libramentum, quo in libra cognoscitur aequalitas vel inaequalitas rei quae ponderatur : a libra enim sumpta est analogia. Debemus nimirum omnes actiones nostras diligenter pensitare, ut eas reducamus ad iustum et ad suum principium seu finem nobis propositum.

Duplex autem est examen, generale unum, alterum particulare. Generale est, quo discutimus et examinamus omnes defectus et profectus nostros qui contigerunt ab ultimo examine conscientiae, circa cogitationes, verba, opera et omissiones ; et hoc ordinatur ad deflendos defectus nostros et ad rogandum Deum ut eos condonare dignetur. Item ordinatur ad confessionem faciendam suo tempore. Examinamus ergo actiones nostras, ut eas intellegamus esse reducendas ad regulam, secundum quam operari debemus vel proposuimus, ut si operatio a stilo et lege deviet, vitium agnoscentes, serio et ad pedes Christi Domini proponamus in futurum eas melius ordinare et dirigere.

Finis igitur examinis est errorum ac defectuum nostrorum emendatio. Neque porro debemus spectare solum materiam actionis, sed et modum quem tenuimus in opere faciendo. Nam et in modo error contingere potest, vel levis vel gravis, ut scilicet declinat vel a spiritu et fine regulae, vel ab intentione superioris.

2. Debet autem habere examen quattuor condiciones : 1ª. Ut qui se examinare contendit, proponat sibi regulam seu principium, secundum quod ipse se examinet. Non enim sufficit nobis, fratres carissimi, ut ob oculos nobis ponamus finem hominis christiani ; neque ut examinemus nos secundum finem Societatis in genere, sed oportet descendere ad particularia et diligenter nos examinare de defectibus singulis, ad quos nos magis pronos et proclives sentimus. 2ª. Necessaria est cognitio et consideratio libera ab omni passione et amore proprio. Nam si passione occupatus est animus, non apprehendet nec intelleget gravitatem defectus, sed eum aestimabit parvum et

exigui momenti, neglegendo pertransibit ; sed etiamsi veniale esset, et parvum vitium aut defectus in saeculari, est tamen in religioso omnis culpa adeo deformis, ut non nulli doctores censuerint omne peccatum veniale esse necessario a religioso confitendum, et vix aliter elui posse quam confessione. Quae sententia etsi communiter non teneatur, certum tamen illud est, quod Deo valde displiceat, et quod de eo debeamus strictam rationem reddere. 3ª. Oportet ut propositum firmum vitandi omne peccatum et vivendi secundum regulam et principium nostrum adsit. Neque satis est quempiam intellegere quid agere debeat, sed debet praeterea firmiter[a] resolvere et determinare efficaciter quod ita faciet. Hoc vero propositum debet esse stabile, constans et magnum ; et quidem tam magnum, ut se extendat ad fugiendum omne crimen et peccatum mortale super omnia mala, et ad servandum[b] omnia praecepta Dei et Ecclesiae, et *Vota, quae distinxerunt labia mea* (1). Item, debet esse perfectum, ut se extendat[c] ad fugiendum diligenter venialia omnia, etiam minima, quantum in se erit, ut resarciat vitae praeteritae iacturam, quaerendo in omnibus Dei beneplacitum. Postremo, debet esse rectum, ut nitatur spe divini auxilii ad devitandum omnes omnino peccatorum occasiones, et ad applicandum remedia et medicamenta singulis peccatorum vulneribus accommodata, et ad suum profectum spiritualem congruentia.

3. Debet praeterea habere dolorem socium, et lacrimas, saltem interiores, de offenso Deo suis culpis et defectibus. Concipietur autem dolor : 1° Considerando divinam iustitiam ex exemplis Luciferi, Adae, diluvii, Dathan et Abiron, Ananiae et Saphirae. 2° Considerando quantum per peccatum amiserimus ; nam etsi veniale solum sit, impedit tamen ab ingressu gloriae caelestis, et obnoxium est poenae propter offensam Dei ; sed et deminuit fervorem caritatis animumque disponit ad alios defectus et vitia, quoniam peccatum unum sternit viam ad aliud et aliud, et inducit facile ad quodvis. 3ª Considerando quanta nostra exstiterit ignavia et ignorantia, et quantum ea debilitati simus, et quam difficulter redimus[d] ad nos, et ad statum in quo paulo ante fuimus.

4ª Condicio est ut intellegamus non satis esse cognoscere peccata et de his dolere, sed oportet etiam quaerere media se emendandi et singulos defectus corrigendi, quia hic est finis examinis, videlicet ut per commoda media quidquid contrarium regulae in se invenerit residere, reli-

(a) om. B. (b) Ita hic et in sqq. (c) om. B. (d) sic in utroque cod.

(1) Psalm. 65, 14.

giosus procul abiciat, et quae sunt consentanea media fortiter ac strenue assumat.

4. Post examen detestari nos oportet vitae ante actae errata ac defectus, ab altero nimirum examine praecedente ; immo et totius vitae, imitando Thamar (1) quae operuit se, significans dolorem et confusionem concipiendam esse de miseria et infelicitate nostra, et quod intervallo illo, quod effluxit inter utrumque examen, tam ignaviter et socorditer nos habuimus. Item diligenter advigilandum ne rursus cadamus, considerantes nos continenter esse in conspectu Domini, iuxta illud : *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (2) ; et sane SS. Patres non raro dicebant (3) : *Vivit Dominus, in cuius conspectu sto.* Considera qua sollicitudine incedit homo, qui ambulando gestat vas vitreum pretioso liquore plenum, ne cadat et ne aliquid effluat. Similem curam nos habeamus, ut animam in hoc corpore inclusam, quae liquorem gratiae in confessione recuperavit, non violemus et frangamus peccatis novis. Sic denique nos geramus quasi ultimus dies nobis adesset ; habeamus, iuxta Sapientem (4), oculos nostros coniectos ad illud quod rectum est, et palpebras nostras ad gressus nostros.

Quattuor ergo sunt nobis necessaria, ne tam leviter in priores defectus recidamus : 1° commendare Deo actiones nostras et consilia ; 2° eas expendere antequam fiant ; neque tantum substantiam ipsam actionum, sed etiam omnes circumstantias earum. Nam si vel una mala sit, totum operis aedificium malum et cariosum <erit>, v. g. si fiat bonum opus non congruo tempore, loco, aut modo, id sufficit ut vitiosum sit ; 3° ut diligenter aperiamus nos patri nostro spirituali, et ubi difficultatem vel dubium aliquod habemus, consilium ab eo accipiamus ; 4° ut caveamus omnem affectionem inordinatam et praecipitationem ; nam haec excaecat mentis oculos[a] et deliberationem non admittit. Adde his et constantiam in retinendo proposito : solet enim diabolus eos ab inconstantia tentare qui serio ad Dei servitium animum accommodant, suadens quae mundi sunt, quae cum in religione haberi nequeant, animum imbecillem et incautum perturbant.

5. Utilitates examinis sunt :

Prima. Quod purificat conscientiam et mundat a sordibus peccatorum, iuxta illud psalmistae (5) ; *Scopebam spiritum meum.*

(a) haec m. o. exc. B.

(1) Gen. 38, 15. (2) Psalm. 15, 8 ; Act. 2, 25. (3) 4 Reg. 3, 14. (4) Cfr. Prov. 4, 25. (5) Psalm. 76, 7.

Secunda. Disponit nos ad maiora Dei beneficia recipienda. Ubi enim peccatum est, nec gratia nec virtus esse potest ; quando abest peccatum, gratia animam implet et ornat, quam peccatum defoedabat.

Tertia. Facit ut confessio sit bona et perfecta, ac Deo accepta.

Quarta. Facit ut oremus melius et devotius, et ex omni opere eliciamus plures et meliores fructus, maxime ex sacramentorum perceptione. Nam ex defectu examinis procul dubio plerumque nascitur, ut ex usu sacramentorum et officiorum nostrorum parum fructus colligamus.

Quinta. Facit ut caveamus a maioribus defectibus. Bonus hortulanus non sinit malas herbas crescere, sed diligenter eas evellit, ne suffocent bonas : ita parvi defectus debent diligenter tolli, quia semina sunt maiorum defectuum. Non enim est vel ingenium vel scopus diaboli, nos in peccata venialia trahere et in eis retinere, quia scit quod per ea sola non periremus in aeternum ; sed propositum eius est nos trahere ad mortalia. Nauta diligens magnum adhibet studium obturandis minimis foraminibus, ne paulatim aqua ingrediente navis pessum eat : ita defectibus nostris, etiam minimis, statim obviandum est, quia viam sternunt ad maiores pedetentim inducendos.

Sexta. Examen faciles et agiles nos reddit ad bene operandum, ac robustiores ad repugnandum et resistendum.

Septima. Liberat nos a Dei iudicio. Nam cum hic nos diiudicamus, a Deo, inquit Paulus (1), non diiudicabimur.

Octava. Examen medium est efficacissimum, si crebro fiat, ad obtinendam veram animi[a] pacem et tranquillitatem. Qui hoc non utitur, vel certe oscitanter et perfunctorie utitur, vehitur certe equo passionum absque habenis, tanto periculosius quanto maiore fertur impetu. Examen vero diligenter factum nos a periculis revocat, et nostras omnes actiones reducit ad disciplinam et regularum observationem. Cum vero illae sint fundatae in ratione et in Deo ipso, sequitur quod per examen crebrum actiones nostrae actu in Deum fere semper referantur, in quo summa pax nobis est.

6. Debet autem magno affectu fieri et ex sincero amore Dei. O utinam, fratres mei carissimi, hunc serio adhiberemus cotidiano examini nostro ! Nam si vere studiose adhiberemus, et affectus noster ad instar ignis in caelum ferretur, multo sane magis proficeremus, et nostro ferventi zelo proximos nostros aedificaremus.

Move, Christe Iesu, move corda nostra sicut movere solebas cor

(a) *ad ver. obt. an.* B.

(1) Cfr. 1. Cor. 11, 31.

B. P. N. ut affectus noster ignescat amore tuo et ad te semper tendat. Docet nos, fratres mei, sacra scriptura duos illos fratres Cain et Abel obtulisse Deo munera ; sed ad alterius oblationem Deus non respexit, respexit autem ad Abel et ad munera eius (1). Ubi advertere debemus, quod Deus prius personam, deinde munera respiciat ; quia Deus pluris facit cor hominis quam omnia dona eius. Patet ex Isaiae divinis et prolixis verbis (2). Pluris enim facit Deus affectum Abelis quam donum, cuius cor ardens erat et ad sacrificandum impellebat ; non ita Cain, fratris eius. Et [apud] Lucam (3) cum multi offerrent in gazophilacium, Deus pluris fecit duo minuta viduae quam pretiosa dona multorum divitum, quia haec plus habebat affectus. Et ut ostendat Deus non tam se res nostras quam cor poscere, dicit[a] (4) : *Fili, praebe cor tuum mihi.*

7. Peccata nostra, per examen et confessionem, sunt sicut sagittae repercussae contra diabolum, eumque superant et confodiunt, quia Deus sua misericordia facit ut hoc[b] possint. Non superavit Moyses Pharaonem per leones, ursos, tigrides, elephantes, gigantes, etc. sed per ciniphes, muscas, ranas, locustas, culices ac minutissima anamalia (5). Sic Samson, non gladio et machera, sed asini mortui mandibula multos stravit hostes et fugit Philistaeos (6) : ita peccatis nostris, licet vilia sint et abiectissima, facit potentiam in brachio suo et devincit superbos (7), *De stercore erigens pauperem* (8).

Formulam examinandi conscientiam et peccata discutiendi nobis tradidit S. P. N., constantem quinque punctis ; quod quia omnibus notum est brevitatis causa praetermitto.

8. Debemus vero nos examinare de peccatis circa quattuor regulas : 1[a] est legis naturae, quae docet aliis faciendum vel non faciendum, quod nobis fieri vel non fieri cuperemus. Expedit ergo seria cogitatione discutere an alicui proximorum offensionis causam praebuerimus, ei faciendo vel negando quod nobis fieri cuperemus. 2[a] est lex praeceptorum Dei, contra quam etsi, Deo sit laus, neminem hic putemus graviter offendere, impingimus tamen cotidie, non raro admittendo quaedam peccata venialia, quae quo maiora sunt, hoc pluris facienda. 3[a] regula est videre an contra vota a nobis aliquid[c] commissum sit. Habent enim rationem praecepti divini postquam facta sunt ; propterea diligenti stu-

(a) om. B. (b) om. B. (c) *aliq. a nobis.* B.

(1) Gen. 4, 3-5. (2) Isaï. 1, 11 sqq. (3) Luc. 21, 1-4. (4) Prov. 23, 26. (5) Exod. cc. 8 et 10. (6) Iudic. 15, 15-17. (7) Cfr. Luc. 1, 51. (8) Psalm. 112, 7.

dio cavere debemus ne contra ea impingamus, ac in examine bene discutere conscientiam nostram, an fortassis aliquid, quod absit, contra aliquod eorum admiserimus. 4ª est summarium constitutionum et regulae nostrae, quibus servandis in conspectu Dei nos subiecimus, et iis ad omnem virtutem Societati nostrae propriam instruimur, praesertim in modis et mediis perveniendi ad perfectionem Societati congruentem, et votorum nostrorum perfectam observationem.

Facto examine, debemus magna cum humilitate et vultus confusione — quando quidem stamus ante iudicem tamquam rei qui sententiam exspectant —, debemus, inquam, excitare dolorem cum detestatione peccatorum tali, ut optaremus potius quamvis facere paenitentiam, quam similes defectus et delicta sponte iterare. Debemus denique, quod docet quintum punctum, proferre firmum emendationis propositum, quod nihil aliud est quam voluntas et desiderium inflammatum cavendi deinceps quam diligentissime ab omni tali defectu, et propositum firmum utendi mediis conducentibus ; ac demum petenda gratia ut id praestare possimus.

Fit autem istud examen generale cotidie bis ; sub prandium videlicet, maxime vero vesperi. Iam de particulari pauca etiam dicamus.

9. Examen porro particulare est, quo revocamus in memoriam ac diligenter notamus lapsus nostros in aliquod vitium, quod superare volumus et conamur. Postulat autem hoc examen tria tempora, ut habet B. P. N. in libello exercitiorum : 1ᵘᵐ tempus est matutinum, quo debet homo, statim ut de lecto se proripuit, proponere diligenter sui custodiam circa punctum aut vitium aliquod particulare, quo carere [a] cupit. 2ᵘᵐ tempus est pomeridianum, id est, primum tempus commodum post prandium, in quo petenda est a Deo gratia ut reminisci possimus quotiens in peccatum seu delictum illud particulare inciderimus, et in posterum proponere maiorem circa illud cautionem. Facienda autem est discussio, exigendo nimirum ab anima sua rationem de peccato, seu vitio illo, et singulas diei partes percurrendo ab ea hora qua surreximus usque ad praesentem, considerando quotiens illud admiserimus ; proponendum denique nobis est toto reliquo temporis spatio diligentius nobis cavere a lapsu. 3ᵘᵐ tempus est vespertinum, in quo post cenae horam est facienda discussio secunda, percurrendo item horas singulas ab examine priore usque ad praesens elapsas ; numerandoque vices, quotiens deliquerimus, et conferendo denique lapsus posteriores cum lapsibus prioris examinis videre debemus si emendaverimus nos. Si emen-

(a) scriptum est *carere* in utroque cod., non autem « cavere ».

daverimus, gratias agere debemus Deo, et maiorem animum proficiendi sumere et a Domino auxilium petere. Quod si non profecimus[a], accusare nos et proponere maiorem cautionem in futurum, et auxilium petere a Deo benedicto ad id praestandum.

10. Est autem differentia inter hoc examen et aliud generale. Primo quidem in materia, quia illud versatur circa cogitationes omnes, verba et opera commissa a priore examine usque ad secundum. Examen vero particulare tantum versatur circa unius vitii lapsus, qui interdum non sunt peccata, v. g. circa incessum nimis incitatum vel tardiorem, circa tarditatem in ministerio mensae, etc., item circa exercitationem alicuius virtutis. Distinguuntur etiam tempora, quia generale non fit summo mane quando surgitur ; fit autem particulare ter in die, ut dictum est et notatur in libro[b] exercitiorum : nam mane proponitur quidem emendatio et cautio a lapsu ; quae tamen vel de nocte vel mane ante examen acciderunt, discutiuntur nihilo minus et notantur.

Quod si haec, fratres mei carissimi, diligenter cotidie[c] in praxim deducemus, ipso sensu cognoscemus profectum nostrum et aliis manifestus fiet, et cor nostrum amore Dei accensum inardescet vehementius in odium peccatorum. Gaudebit et cor nostrum de victoria quam de hoste reportabimus, et exaudiet Deus orationes nostras. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

(a) Sic uterque cod., etiam post *emendaverimus*. (b) *in libello*. B. (c) omisit B.

11ª Exhortatio

De sacra communione : 1° quam frequens in societate esse debeat et quis eius fuerit usus in ecclesia primitiva et succedentibus temporibus ; 2° quae praeparatio ad eam sit necessaria ; 3° quo spiritu et modo communicare debeamus ; 4° quomodo post communionem habere nos debeamus ; denique, [5°] qui sint communionis fructus et utilitates.

1. Quam frequens in Societate esse debeat sacra communio praescribit B. P. N. regula 6ª summarii constitutionum, ubi, postquam egit de confessione particulari et hebdomadaria, nec non et de examine conscientiae, sicuti in praecedenti regula egerat de generali confessione, mandat ut octavo quoque die sacramentum eucharistiae sumatur. Dicitur autem haec sacrae eucharistiae sumptio « communio » propter id quod fit ; nam qui participat de aliquo, dicitur communicare. Est itaque communio, participatio, quia participamus de carne et divinitate Christi, ut Damascenus ait (1), et coniungimur illi, et inter nos, ac quasi unum corpus efficimur ; unde et sacramentum dicitur pacis et caritatis. Dicemus ergo in hac exhortatione, fratres carissimi, 1° loco, quis fuerit usus in ecclesia primitiva et succedentibus temporibus, 2° de praeparatione ad eam necessaria. 3° quo spiritu et modo cummunicare debeamus, 4° quomodo post communionem habere nos debeamus. Denique, [5°] qui fructus et quae commoda ex communione ad nos promanent.

2. Fuit ergo olim multiplex usus sacrae communionis[a] circa eius frequentationem.

Primus fuit, quando in ecclesia primitiva tenebantur singuli sub praecepto cotidie communicare, quod est videre per Anacleti decretum, dist. 2, cap. « Per acta », de consecr. : « Omnes, inquit, singulis diebus communicent, nisi velint ecclesiasticis carere liminibus ; sic statuerunt apostoli, sic sancta romana tenet Ecclesia. »

Secundus fuit, quando, tempore procedente, devotio populi christiani imminuta est, et tepor praevaluit. Tunc praeceptum est ut

(a) *comm. sacrae.* B.

(1) S. Ioann. Damasc. PG. t. 95 in Ep. 1ª ad Corinth. v. 16 c. d. et 17. col. 647. 650.

saltem singulis dominicis communicarent, ut habetur cap. « Illa autem » dist. 2ª.

Tertius fuit, quando adhuc maiore exsistente tepiditate multi communionem relinquebant. Ideo institutum fuit ut ter in anno communicarent, videlicet diebus natalis Domini, paschae et pentecostes. Ita Fabianus papa, mart. cap. « Etsi non frequentius » de consecrat. dist. 2. Addidit vero Soter papa diem iovis sanctum, quo voluit omnes communicarent : cap. « In cena » eadem dist.

Quartus demum usus, valde refrigescente caritate, ad auferendam peccatorum occasionem, Innocentius III instituit ut saltem semel in anno omnes communicarent, scilicet in paschate : cap. « Omnis utriusque sexus » de paenit. et remiss. Et in hoc statu est modo ecclesia, quae non obligat ad frequentiorem communionem, nisi in casu necessitatis.

3. Desiderat fortassis aliquis ex nostris fratribus cognoscere an expediat saepe communicare ? Respondetur, quod abstinere a sacramenti huius perceptione ex vera humilitate, propter miseriam propriam, sit actus meritorius, et qui sic abstinet, assimilatur centurioni (1), qui simili affectu permotus, noluit Christum recipere in domum suam, dicens : *Domine, non sum dignus*, etc. Accedere vero ad hoc sacramentum ex devotione, est actus bonus et meritorius, quia est actus religionis. Proinde, qui ita est comparatus, assimilatur Zachaeo (2), qui, prae amoris magnitudine, festinans descendit, et gaudens Christum recepit in domum suam ; dixitque Christus : *Hodie huic domui salus facta est.*

4. Accedere igitur frequenter melius est, ceteris paribus, quam abstinere ; nam qui abstinet meritum non habet, nisi ex parte operantis et devotionis atque humilitatis, etc ; qui vero accedit, ultra gratiam quam consequitur ex opere operantis, habet gratiam ex parte sacramenti. Addo, quod accedere procedit ex amore, abstinere autem ex timore ; melius autem est et gratius Deo amare quam timere, ut habet D. Thomas in Opusculis. Adde praeterea, quod magis honoratur Christus ab eo qui accedit quam ab eo qui abstinet. Nam opere ipso confitetur Christum esse auctorem salutis, accipiendo remedium ab ipso institutum : ut medicus magis honoratur quando accipitur medicina ab eo praescripta. Confitetur, inquam, Dei omnipotentiam, credendo Christum esse sub speciebus sacramenti ; confitetur carita-

(1) Matth. 8, 5 sqq. (2) Luc. 19. 1 sqq.

tem, qua Christus mortuus est pro genere humano : nam accipere sacramentum, est recolere memoriam passionis eius.

Est denique opus maioris perfectionis frequenter communicare. Ideo legimus primitivam ecclesiam maiorem obtinuisse perfectionem quia frequentius communicabatur : *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum et communicatione fractionis panis, et orationibus* (1). Et haec sententia fuit sanctorum antiquorum. Ideo S. Ignatius, epist. 10ª ad Ephes., loquens de hoc sacramento dicit (2) : Festinate frequenter ad eucharistiam accedere ; quando enim hoc assidue agitur, potestates satanae expelluntur. Cyprianus, serm. 6 super orat. domin. (3) ; Ambrosius l. 4 de sacram. c. 4 (4) : « Accipe cotidie, quod cotidie tibi prosit, sic vive ut merearis cotidie accipere ». « Quae verba sumpsit Augustinus serm. 28 de verb. Domini (5) ; et idem August, : de consecr. d. 2, c. « Cotidie » : cotidie communicare nec laudo, nec vitupero, singulis autem dominicis, suadeo et hortor (6) ; Chrysost. hom. 5 in epist. ad Timotheum (7).

Ad haec, sacramentum hoc cibus est et potus spiritualis : cibus autem et potus debet esse homini frequens, ut calor naturalis iuvetur. Homo denique saepe cadit in peccatum veniale, quod minuit caritatis fervorem, qui huius augustissimi sacramenti perceptione fovetur et augetur. Non omnibus tamen conveniens est eadem frequentia, sed varia esse debet pro personarum varietate ex iudicio patris spiritualis.

5. Quae requirantur, petes, ad bene communicandum. Respondeo, quod illa quae ad sumendum cibum corporalem. 1° Credulitas sive fides quod cibus corporalis nutriat sumentem, et augeat. Hoc cibus hic sacer praestat ; dicitur enim (8) : *Venite ad me omnes, qui laboratis, et onerati estis, et ego reficiam vos* : id est, qui sentitis defectus, molestias, tentationes, et onerati estis peccatis, « et reficiam » id est, confirmabo vos adversus tentationes, et reparabo quod per peccatum incommodatum est, ita ut nihil remaneat non refectum.

2ª Requiritur lotio manuum et sordium, quia cibus est caelestis et divinus, cibus hominum, non bestiarum. Ideo requiritur munditia a pec-

(1) Act. 2, 41. (2) S. Ignatius. PG. t. 5. Epist. ad Ephes. cap. 13. col. 746. (3) S. Cyprianus. PL. t. 4. de Or. Domin. cap. 18, col. 531. (4) S. Ambros. PL. t. 16 de Sacram. lib. 5, cap. 4, n. 25, col. 452. (5) S. August. PL. t. 39 Serm. de verb. evang. 84, n. 3 col. 1908 extr. et aliis locis. (6) S. August. PL. t. 42 de Dogm. eccl. cap. 23. col. 1217. Cfr. de Lugo, ap. Migne, Cursus compl. tom. 23. col. 662 sqq. (in h. l. num. 13). (7) S. Chrysost. PG. t. 61 Epist. 1ª ad. Tim. hom. 5, n. 3. col. 529. Item ibid. t. 48 Hom. 6 de B. Philogonio. col. 755 (« Nunc autem », et q. sqq.) (8) Matth. 11, 28.

cato ; alioquin imitari esset Iudam, in quem introivit satanas. Et pretiosus liquor ponitur in vase mundo ; ideo dicitur (1) : *Probet autem se ipsum homo,* hoc est, lavet se ; et psalmista (2) : *Retribuet mihi Dominus secundum iustitiam meam et secundum puritatem manuum mearum.* Christus sepultus est in sindone munda et in sepulcro novo.

Ut vero hic cibus est spiritualis, ita per modum spiritualem traditur ; et ut corporalis, requirit ad sui digestionem calorem nativum : ita cibus hic spiritualis, ut animae prosit, exigit caritatis ardorem. Hic autem calor, seu devotio debet esse actualis, ut sentiunt plerique ; nam si solum sit virtualis, non percipitur sapor, nec gustatur quod sumitur, ut tam pretiosus cibus postulat.

3° Requiritur masticatio cibi et ruminatio, seu meditatio, quae potest fieri hoc modo : *a)* Excitanda est fides, ut consideres sub speciebus vere adesse corpus et sanguinem Christi Domini, et per consequens, eius divinitatem vere et realiter. *b)* Illas species et accidentia per se subsistere, et non inhaerere corpori Christi ; item, tantum esse sub una quantum sub utraque specie, et quod minima quaeque particula totum Christum, id est corpus, sanguinem, animam ac divinitatem contineat. *c)* Doceat fides non esse credendum hic visui, tactui, gustui, odoratui, sed soli auditui, qui tibi dicit : « Corpus Domini nostri Iesu Christi » etc. ; alioquin, mi frater, decipereris ; nam sensibus illis videmus, tangimus, gustamus et odoramus panem ordinarium seu cibarium ; firmiter autem credimus ibi esse corpus Christi verum. Istud fuit figuratum in Isaac (3), qui fuit deceptus in visu et tactu : caligabant enim oculi eius, et existimavit se manus Esau tangere, et in gustu sensit saporem venationis quam appetierat, quae tamen non erat ; sed in auditu non fuit deceptus, dixit enim : *Vox quidem, vox Iacob est, sed manus, manus sunt Esau.* Idem canit ecclesia ; « Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, praeter rerum ordinem » (4).

Ruminanda igitur hic est magnitudo ac dignitas cibi quem sumimus ; consideranda contra est vilitas et miseria nostra. Si rex adiret domum pauperis vilem et abiectam, quis non miraretur ? et quid non faceret hospes in demissione sui ? De arca Dei dicitur (5) quod *Deus percussit de viris Bethsamitibus septuaginta viros,* id est principes, *et quinquaginta milia plebis, eo quod vidissent arcam Domini.* Terrori est daemonibus ; nobis non erit formidabilis, dum consideramus vilitatem et indignitatem nostram ?

« Philisthiim (6) ut cognoverunt arcam Domini venisse ad castra, valde perterriti fuerunt et animis ceciderunt » ; et cum Dominus percussisset

(1). 1 Cor. 11, 28. (2) Psalm. 17, 21. (3) Genes. 27, 18 sqq. (4) Ex hymno *Lauda Sion.* (5) 1 Reg. 6, 19. (6) Cfr. 1 Reg. 4, 6 sqq.

Ozam (1) quia tetigerat arcam, extimuit David dicens : *Quomodo ingredietur ad me arca Domini?* et reputans se vilissimum deposuit vestes regias, et saltavit ante arcam Domini in iubilo, volens etiam haberi vilissimus apud populum in comparatione Dei. Quod non capiens Michol, irrisit eum ; ipse vero contra respondit se vilem esse et futurum in oculis Domini. Quantum vero differt veritas ab umbra ! corpus Christi Domini ab arca !

Deinde ruminanda sunt passio et cruciatus acerbissimi quos pro nobis salvandis pientissimus Iesus sustinuit. Sustinuisti vere gravissimos et acerbissimos cruciatus, dulcissime Iesu ; ideo dicebas (2) : *O vos omnes, qui transitis per viam, attendite et videte si est dolor sicut dolor meus !*

Considerandum item, quod carnem et sanguinem tam pretiosum et nobilem tradere nobis voluerit in cibum et potum. Unde D. Bonaventura : « Quis, ait, se continere potest, quin statim omnibus oblitis se totum et non per partes proiciat in Deum, dum cogitat Deum summum ». Si lapis calore resolutus in aes vertitur, si herba in vitrum, quomodo ad hunc immensum calorem non liquescat anima mea ? Multi sancti ex hac consideratione contempserunt omnia, et multi solo sacramento contenti vitam duxerunt quasi caelestem : *Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in aeternum* (3).

Considerandum praeterea quanti periculi sit male comparatum accedere ad esum divini huius cibi. Audiamus Apostolum ad Corinthios dicentem (4) : *Ideo inter vos multi infirmi, et imbecilles et dormiunt multi.* Idem : *Qui manducat et bibit indigne, iudicium sibi manducat et bibit, non diiudicans corpus Domini.* Accedendum igitur est cum summa cordis humilitate, et supplici reverentia ac demissione, et cum plena denique ac robusta fide, intentioneque honoris[a] Dei. Beatissima Virgo susceptura in utero filium Dei magnam fidem habuit, ideo illi dicitur (5) : *Beata quae credidisti.* Habuit maximam gratiam, ideo dictum est illi (6) : *Ave, gratia plena.* Exstitit humillima, ideo dicit (7) : *Ecce ancilla Domini.* Habuit firmum propositum et voluntatem faciendi quod Deo esset gratissimum ; ideo dicitur (8). *Conservabat omnia verba haec in corde suo.* Excitet ergo in nobis, fratres carissimi, humilitatem profundissimam tanti principis ad nos miseros venientis consideratio.

(a) *amoris.* B.

(1) 2 Reg. 6, 6 sqq. (2) Lament. Ierem. 1, 12. (3) Ioann. 6, 52. (4) 1 Cor. 11, 29. 30. (5) Luc, 1, 45. (6) ibid. 28. (7) ibid. 38. (8) Luc. 2, 51.

6. Post communionem quonam pacto nos gerere debeamus paucis etiam dicamus. Quem ad modum ante ipsam necessaria est pia et devota praeparatio, et in ipsa sumptione ardens et affectuosa consideratio et admiratio, ita postea opus est magna et provida custodia ; diligenti, inquam, sui custodia et observatione, ut gradus fiat ad alteram dominici corporis sumptionem, et ad maiorem gratiam recipiendam. Contingit siquidem quibusdam, ut minus proficiant in spiritu ex frequenti communione, quod post eam quaerant statim solacia externa et corporis. Cavendum est ergo a multiloquio, et in secreto cordis fruendum est Deo, qui se nobis dedit : ipsum enim habemus, quem totus non capit orbis, quem nec totus mundus nec infernus totus potest tibi auferre, nisi velis. Mandatur autem nobis a B. P. N. ut per eam efficiamur devoti, robusti et fortes, ne contingat nobis quod de se ipso dicit psalmista (1) : *Percussus sum ut fenum et aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum.*

Non sunt igitur post communionem quaerendae consolationes sensuales, immo neque spirituales sensibiles ; hae si dentur a Deo, recipiantur quidem cum humilitate et gratiarum actione. Neque enim parvi faciendae sunt vel reiciendae, sed desiderandae potius ; verum praecipuum in eis momentum ponendum non est, neque ex earum affluentia vel carentia iudicanda est cuiuspiam praeparatio, vel spiritualis dispositio ; quin, si desint, gratiarum actio habenda est, et exercenda magno affectu, cum desiderio bene serviendi Deo et Societati propter ipsum.

Audiendus porro est sermo eius, etiamsi nobis loquatur *post parietem*, ut loquebatur in canticis sponsae suae (2), id est, animae fideli ; et clamandum cum propheta (3) : *Quis dabit mihi pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam ?* Denique, caute ambulandum est post sacram communionem, ut nihil vani, nihil irreligiosi, nihil quod sit[a] contra tanti hospitis dignitatem agamus vel loquamur. Immo enimvero quaerenda sunt omnia quae ipsi possint placere, et quae ipsum, ut ita loquar, exhilarent.

7. Ad conservationem porro conceptae consolationis et fructus spiritualis iuvare potest plurimum psalmus (4) : *Dominus regit me et nihil mihi deerit.* Item (5) : *Benedic anima mea Domino, et omnia quae intra me sunt, nomini sancto eius.*

(a) *si.* B, lapsu calami.

(1) Psalm. 101, 5. (2) Cfr. Cant. 2. 9. (3) Psalm. 54, 7. (4) Psalm. 22, 1. (5) Psalm. 102, 1.

[Primus fructus]. Item consideratio, quod is quem in communione recipimus vita est animae per gratiam, quae fructus est inaestimabilis; nam illa non solum dat gratiam et remittit peccata venialia, verum etiam et mortalia, ut ait S. Thomas (1), quando facto diligenti examine, in memoriam non subiit peccatum aliquod, cum tamen revera exsistat: nam tunc attritus accedit ad mensam Domini, quod sufficit.

Secundus fructus est, quod dirigit et instruit hominem iuxta illud psalmi (2) : *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo* ? et (3) : *Dominus regit me.*

Tertius fructus est, abundantia et plenitudo gratiae. Dicitur enim (4) ; *et nihil mihi deerit.* Nec mirum, quia continet sacra eucharistia Christum Dominum plenum gratia et veritate, ut possit dici ei qui sacram communionem accepit, illud Pauli (5) : *Gratias ago Deo meo pro vobis, quod in omnibus divites facti estis, etc.*

Quartus fructus est, spiritualis refectio et dulcedo, quod illis verbis significatur (6) : « *In loco pascuae ibi me collocavit* ». Est enim manna absconditum, quod nemo scit nisi qui accipit. De hoc ecclesia canit : « Ex altari tuo, Domine, Christum sumimus, in quo cor et caro nostra exsultant ».

8. Quintus est, concupiscentiae inordinatae refrenatio, secundum illud (7) : *Super aquam refectionis educavit me.* Ros ardorem refrigerat (8), de quo dicitur (9) : *Rorate caeli desuper, et nubes pluant iustum.* Est autem ros copiosissimus iuxta ac suavissimus in hoc sacramento.

Sextus. Servat a cotidianis defectibus, id est, a peccatis venialibus, iuxta illud (10) : *Animam meam convertit,* ne videlicet saepius cadamus ; nam etiam *iustus septies* in die *cadit* (11). Debet igitur unus quisque diligenter sibi cavere.

Septimus. Ad bonum inclinat ; hinc dicitur (12) : *Deduxit me super semitas iustitiae, propter nomen suum.*

Octavus. Contra tentationes diaboli virtutem et remedium subministrat (13) : *Si ambulavero in medio umbrae mortis,* id est tentationum, *non timebo mala, quoniam tu mecum es.* Dominus[a] <Hebra>eorum domus et familias ab angelo percutiente eripuit, quorum fores linitae erant sanguine agni paschalis (14).

(a) om. B.

(1) S. Thom. p. 3ª q. 79. a. 3. c. Non ad verbum refertur. (2) Psalm. 26, 1. (3) Ps. 22, 1. (4) ibid. (5) 1 Cor. 1, 4.5. (6) Psalm. 22, 1. (7) Psalm. 22, 2. (8) Cfr. Eccli. 18, 16. (9) Isai. 45, 8. (10) Psalm. 22, 3. (11) Prov. 24, 16. 12) Psalm. 22, 3. (13) ibid. 4. (14) Cfr. Exod. 12, 23.

Nonus. Servat contra mundanas persecutiones et tristia (1) : *Parasti in conspectu meo mensam, adversus eos, qui tribulant me.*

Decimus. Intellectum illuminat et voluntatem inflammat ; hinc illud (2) : *Impinguasti in oleo caput meum.* Caput animae est ratio et voluntas, quae benignitate et oleo misericordiae per sacram communionem impinguatur, et inflammatur gratiarum magnitudine. Intellectus vero illuminatur atque elevatur ad cognitionem veritatis. Unde discipuli non cognoverunt Dominum nisi in fractione panis (3). Aperiuntur enim oculi bene ac devote sumentis sacram eucharistiam ; et (4) « aperti sunt oculi Ionathae, cum gustasset modicum mellis ».

Undecimus. Divino amore animam inebriat ; quare dicitur : *Calix meus inebrians quam praeclarus est* (5). Sicuti enim ebrii omnium laborum et rerum mundanarum, deliciarumque huius mundi obliviscuntur, sic qui inebriantur spirituali consolatione.

9. Duodecimus. A reliquiis peccatorum et poenis purgatorii liberat ; idcirco dicitur (6) : *Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitae meae,* id est, post vitam praesentem in purgatorio ; placat, inquam, Deum iratum, sicut filiis Israel placatus est per sanguinem agni paschalis : liberati enim fuerunt a tenebris Aegypti. Et Daniel in lacu leonum exsistens accepit prandium Habacuc (7), qui capillo[a] delatus est ab angelo ad lacum leonum : sic anima in lacu purgatorii exsistens accipit prandium eucharistiae ab Habacuc sacerdote, qui capillo[a], id est, intentione et applicatione defertur ad animas in purgatorio detentas. Et, ut ait Altisiodorensis (8), numquam missa celebratur, quin anima aliqua liberetur a poena purgatorii ; quia sponsa Christi ecclesia, in omni missa facit specialem commemorationem pro liberatione animarum : pie autem credendum est Christum, qui immense sponsam suam diligit, eius preces non repudiare.

Decimus tertius. Confert gloriam. Hinc illud (9) : *Ut inhabitem in domo Domini, in longitudinem dierum ;* et (10) *Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum.*

10. Quis non admiretur, fratres mei, potentias Domini et divitias bonitatis eius ? Admiremur ergo et devote prosequamur institutum Societatis communicando octavo quoque die, sicuti regula praescribit

(a) In textu codicis A scribitur « *uno crine* », quibus non deletis, scripsit Oliv. in margine « capillo ».

(1) Psalm. **22**, 5. (2) ibid. (3) Luc. **24**, 30. **31**. (4) Cfr. 1 Reg. **14**, **29**. (5) Psalm. **22**, 5. (6) Palm. **22**, 6. (7) Dan. 14, 33 sqq. (8) *Altisiodorum*, saepius *Antis...*, urbs Franciae (*Auxerre*, Yonne). (9) Psalm. **22**, 6. (10) Ioann. 6, 59.

et sancti Ambrosius et Augustinus consulunt, Cassianus maxime, qui prolixe hunc usum communionis commendat (1) : « Multo enim iustius est, inquit, ut cum hac cordis humilitate qua credimus et fatemur, illa sacrosancta mysteria numquam pro merito nos posse contingere, singulis ea dominicis diebus ob remedium nostrarum aegritudinum praesumamus, quia ut vana persuasione cordis elati vel post annum dignos eorum participio nos esse credamus ». Sic enim facientes, fratres carissimi, gratiam uberem a Domino consequemur.

12ª Exhortatio

NON ESSE CUM PARENTIBUS ET PROPINQUIS CONVERSANDUM, ET QUIBUS DE CAUSIS ; DE TEMPERANDO NOSTRO ERGA EOS AFFECTU, ET QUIBUS MEDIIS AD ID PRAESTANDUM INCITARI POSSIMUS ; DENIQUE QUID CAVENDUM IN CONVERSATIONE ETIAM CUM FRATRIBUS NOSTRIS RELIGIOSIS AC DOMESTICIS

Hodie Deo propitio exponemus vobis, fratres carissimi, regulam 8ªm summarii, quae desumpta est ex Constitutionibus, Examinis cap. 4, § 6. Est autem tota de fugienda conversatione parentum et propinquorum. Dicemus vero tria, iuvante Dei gratia : 1° Non esse conversandum cum parentibus et propinquis, et affectum nostrum erga ipsos esse temperandum. 2° Media adducemus, quibus id faciamus[a]. 3° Quae nobis cavenda sint etiam cum fratribus nostris in eadem Societate degentibus aperiemus.

1. Quod libenter aliqui conveniant parentes, procedit ordinarie ex amore nimio adversus eos, sicuti et frequentes ad eos dare litteras. De hoc igitur amore pauca dicamus, ut videamus an cum merito et profectu nostro possimus aliquando agere coram, vel per litteras.

Amor igitur in parentes potest esse triplex : naturalis, carnalis[b], spiritualis. Amor naturalis nec debet abici nec contemni, quando qui-

(a) *faciendum* B. (b) *et* spir. add. B.

(1) CASSIANUS. PL. t. 49 Coll. 23, cap. 21. col. 1279 b.

dem consequatur hominis naturam, quae cum a Deo creata sit, bona est ; et quilibet effectus naturaliter cognoscit, amat et fertur in suum principium et causam. Hic porro ordinatus esse potest, quando nimirum filii parentes amant secundum ordinem rationis et Dei voluntatem. Et nihilo minus nobis hic amor, fratres carissimi, temperandus est, et caute nos in eo gerere debemus, alioquin inordinatus esset et carnalis, Deoque ingratus omnique studio fugiendus ; quia nobis, qui nuntium remisimus mundo, parentibus, nobis ipsis, ut Deo nos dedicaremus et eius sancto servitio, maxime proprium est illud servare divinum praeceptum (1) : *Qui non odit patrem suum et matrem et uxorem, et filios, et fratres, et sorores, adhuc autem et animam suam, non potest meus esse discipulus.*

Sunt enim parentes et propinqui aestimandi a nobis non aliter quam si non essent, et veluti omnino mortui essent. Quod fecisse Christum Dominum in sacro evangelio legimus, dum peculiari ratione et exemplo vacare vellet eis quae Dei erant. Nam nuntiantibus non nullis (2) : *Ecce mater tua, et fratres tui foris stant quaerentes te,* respondit : *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* Ubi docuit neglegendos esse parentes ab iis qui se Dei servitio manciparunt. Nam, ut ait D. Basilius (3) : Parentes multum afferre solent distractionis, saepe etiam occasiones perditionis et amissionis regni caelestis, adeo ut Christus Dominus inimicos salutis esse dixerit : *Et inimici,* inquit (4), *hominis domestici eius.*

2. Petes vero : quibus in rebus sunt habendi inimici et odiendi ? Non enim absolute odiendi sunt, quibus naturae vinculum et Dei praeceptum nos devinxit ; sed odiendi quippe nobis sunt in iis quae communiter nos impediunt a consectandis divinis praeceptis vel consiliis, 1° in cogitatione ; 2° in collocutione ; 3° in epistolis utrimque dandis et recipiendis ; 4° in negotiorum tractatione.

Nam quod attinet ad primum, cogitare temere de parentibus et eorum negotiis, vita, moribus, divitiis, paupertate, filiorum collocatione, facultatum incremento, alienum prorsus est ab eo qui coniunctionem habere debet cum Deo, ac sollicitus esse eorum quae sunt Domini. S. Paulus eum qui ita comparatus est « divisum » vocat (5). Abiciendae igitur sunt[a] hae curae et sollicitudines ; neque etiam sub specie boni retinendae, quia saepe hac ratione decipimur, et dictum est a Domino

(a) *Sunt igitur.* B.

(1) Luc. 14, 26. (2) Matth. 12, 47. 48, et Luc. 8, 20. 21. (3) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 32, n. 1 in. et 2. col. 995. (4) Matth. 10, 36. (5) 1 Cor. 7, 33.

ei qui cogitabat de sepeliendo parente mortuo (1) : *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos.* Appellat nimirum etiam mortuos, eos qui tales curas suscipiunt quando ad Dei cultum et servitium vocati sunt. Mortui siquidem sunt perfectioni et caelesti disciplinae.

3. In collocutione odiendi sunt et fugiendi, ut qui peste infecti sunt fugiuntur ; quoniam colloquia miscere cum parentibus, multis fuit perniciosum et causa ruinae. Excitantur etenim[a] ipsorum verbis, lacrimis, gestibus et manuum attrectatione affectus olim sepulti amoris, gaudii, sollicitudinis, etc., qui veluti venti animum a Deo seiunctum et vacuum rapiunt et exagitant ; adeo ut quies tota[b] perturbetur, quae in religioso animo praecipuum bonum est. Cavendum igitur ne nimia indulgentia et remissione quietem perdamus et pacem. Ex hac enim perturbatione nascitur continuo tristitia quaedam et melancholia, et tentationum saepe aestus gravissimus, qui difficulter sedetur. Nam daemon religiosos tristes graviter impugnat, et captando ex tristitia occasionem[c], cogitationes perditas in cor immittit ; deinde taedium circa spiritualia, ut amplius eis non sapiant, et cum Hebraeis nauseam capiant super manna (2) ; et ita paulatim adit anima periculum.

4. Ut porro conversemur et colloquamur cum parentibus, propinquis et amicis, adesse debent tres condiciones[d] : 1° ut qui colloqui debet sit valde prudens, circumspectus, in vocatione constans, et timore Dei praeditus, ut valeat damnum praesens cavere ; 2° ut possit eos iuvare eisque prodesse, nullam carnalem affectionem adversus eos prae se ferendo ; 3° ut non ineat huiusmodi colloquia, nisi ex mandato et modo praescripto a superiore. Non enim Deus libenter habet, ut ullum inordinatum affectum erga eos geramus, sed omnem vult in se transferri.

Causae vero quare non conversemur cum propinquis sunt : Primo, quod soleant semper afferre, ut paulo ante insinuatum est, aliquas animi perturbationes eorum colloquia. Revocant in memoriam personas, loca, spatia, actiones, praesentia, praeterita, futura, quae mentem rapiunt ad se ; unde sequitur ariditas et afflictio mentis, ut vere de ipsis dici possit illud Ecclesiastici (3) : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.* Ut enim pix attrectata manui adhaeret et odorem suum ingenerat, ita sermones propinquorum et rememoratio saeculi species saeculi imprimunt et odore ipsius afficiunt.

(a) *enim.* B. (b) *tota quies pertubetur* (sic). B. (c) *oppugnationem.* B. (d) *tres ad. deb. cond.* B.

(1) Matth. 8, 22. (2) Cfr. Num. 21, 5. (3) Eccli. 13, 1.

Secunda est, ne concutiatur propositum nostrum ab eis. Scriptum est enim, ut ante dictum est (1) : *Inimici hominis domestici eius.*

Verum dices : sentio me fortem et constantem. Respondeo, quod saltem conversatio debet tibi esse suspecta, exemplo regis Israel, ad quem cum rex Syriae gentilis misisset Naaman lepra infectum, ut eum curaret (2), quamvis id ad eius honorem pertinere videretur, timuit tamen, quia inimicus erat, et scidit vestimenta sua : *Numquid Deus*, inquit, *ego sum*, etc. Sic tu, frater carissime, propinquos et amicos suspectos habere debes, ne decipiant ; quin et te ipsum habere suspectum, et tecum reputare : numquid ego tanta virtute et animi fortitudine praeditus sum, ut illaesus ex hoc congressu evadam ?

5. Propinqui conantur movere ad sui commiserationem, inducendo praetextus salutis animae, afferunt desolationem suam, infirmitates corporis, afflictiones spiritus, adiciunt lacrimas et preces, offerunt officia, dignitates, etc. Quare melius est sequi consilium Domini : Sine mortuos sepelire mortuos suos ; et, quod alibi mandat (3) ; *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Cogita serpentem illum frigore correptum ac rigidum, quem cum quidam intulisset per commiserationem in sinum suum, et confovisset, tandem caloris beneficio resumptis viribus benefactorem suum momordit et interemit. Hinc Hieronymus (4) : per calcatum perge patrem, per calcatam perge matrem etc. : genus pietatis est in hac re esse crudelem. Non debemus tamen parentes odio habere simpliciter et absolute, sed amore sancto et bene ordinato eos prosequi. Signum erit tibi veri odii et amoris, si cum versabere cum ipsis mandato superioris, secundum regulam D. Basilii : non tractes cum ipsis, nisi de rebus quae eos aedificent (5). D. Basilius interrogatus quomodo debeamus tractare cum parentibus, et iis qui nobis fuerunt coniuncti, respondet in reg. brev. (6) : « sicut Dominus, qui cum nuntiaretur ei de matre et fratribus, quod starent foris quaerentes eum, respondit (7) : *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* » Exemplum nos moveat Theodori, discipuli B. Pachomii, qui nolens videre sororem nec matrem, illas convertit ad religionem (8).

Dices eos posse iuvari in salutem animae abs te ; rem fore Deo gratam et magni meriti. Atqui possunt etiam non iuvari ; et potest esse tentare Deum, aliquidque fortassis inest quod Deo displicet ; et congressio denique potest tibi creare damnum, sicuti magnum meritum, si affectum inordinatum mortificaveris. Exempla multa exstant,

(1) Matth. 10, 36. (2) 4 Reg. 5, 5 sqq. (3) Matth. 10, 37. (4) infra, p. 458, not. 2. (5) supra, p. 454, not. 3. (6) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 188. col. 1207. (7) supra, p. 454, not. 2. (8) Vitae PP.PL. t, 73, Vita S. Pachomii. cap. 30.31, col. 250-252.

et illa clara de non paucis, qui post congressum abierunt retro conversi ad ollas Aegypti, qui miserrime inter parentes mortui sunt. Et in Societate non desunt exempla eorum qui, multis miseriis et morbis afflictati, infelicem vitam duxerunt, infeliciterque obierunt ; ne dicam de iis qui iusto Dei iudicio sibi et parentibus fuerunt exitio.

6. Remedia sunt : Primum, cogitare quod sumus mundo mortui, ut esse profecto debemus et regula praescribit. Quidam eremita Apollo nomine, ut refert Cassianus (1), rogatus a fratre secundum carnem, ut se iuvaret ad extrahendum bovem praecipitatum, respondit ante viginti annos mortuum se esse.

Secundum remedium est Christi exemplum, qui ut nos doceret amorem hunc temperare, matrem suam sanctissimam ac dilectissimam aliquando durius allocutus esse visus est, ut in Cana Galilaeae (2) : *Quid mihi et tibi est, mulier* ? Item, quando in templo remansit (3) : *Nesciebatis quia in his, quae Patris mei sunt, oportet me esse ?* Denique in cruce positus dixit afflictae Matri (4) : *Mulier, ecce filius tuus ;* et discipulo : *ecce Mater tua.*

Tertium remedium est exemplum apostolorum, ut Iacobi et Ioannis (5), *Qui relictis retibus et patre secuti sunt Iesum* ; ubi Hilarius (6) : « docemur, inquit, Christum secuturi, ut saecularis vitae sollicitudine et paternae domus consuetudine non teneamur ».

7. Quartum, exemplum et auctoritas aliorum sanctorum, de quibus Basilius in reg. brevior. (7) : Patres[a] nostros, inquit, ut propria viscera diligamus, si accedere nos ad servitutem Christi non prohibuerint ; si autem prohibuerint, nec sepulturam eorum aspicere debemus. Isidorus l. 3 de summo bono cap. 21 (8) : « Sicut nostra nobis non odienda est anima, sed eius carnales affectus odio habere debemus : ita nec parentes odio habendi sunt, sed eorum impedimenta, quae nos ab itinere nostro[b] praepediunt ; Dominus enim[c] ita praecepit nobis parentes odiendos esse, sicut animas nostras » ; ubi nota quod Dominus coniungit odium patris et animae nostrae, ut eodem modo se habeant.

(a) sic uterque codex. (Parentes ?) (b) *recto.* l. c. Isidori. (c) *dum tamen Dnus. ibid.*

(1) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 24, cap. 9 c. col. 1297. (2) Ioann. 2, 4. (3) Luc. 2. 49. (4) Ioann. 19, 26. 27. (5) Matth. 4, 21. 22. (6) S. Hilarius. PL. t. 9 in Matth. cap. 3. n. 6. col. 931. (7) Quomodo erga cognatos affici debeamus exponunt Reg. fus. 32 et br. tr. 187-190, et Const. monast. 20. In nullis verba reperimus ; sed reg. 189 cum interr. est ad mentem. (8) S. Isidorus. PL. t. 83 Sentent. lib. 3, cap. 21, n 6. col 695.

8. Hieronymus exponens iliud Matthaei : *Qui amat patrem suum plus quam me*, etc., dicit (1) : Si necessitas venerit ut amor parentum sive filiorum amori Dei comparetur, et non possit utrumque servari, odium in suos, pietas servanda est in Deum. Et epist. 2° ad Heliodorum (2) : « Recordare tyrocinii tui[a], quo in Christo in baptismo consepultus, in sacramenti verba iurasti, pro nomine eius non te patri parciturum esse, non matri. Ecce adversarius in pectore tuo Christum conatur occidere.... Licet parvulus ex collo pendeat nepos, licet sparso crine et scissis vestibus ubera quibus te nutrierat mater ostendat, licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem, siccis oculis ad vexillum crucis evola. Solum pietatis genus est in hac re esse crudelem. » Idem (3): « At contra, inquit, scriptura praecipit parentibus obsequendum ; sed quicumque eos supra Christum amat, perdit animam suam. Gladium tenet hostis ut me perimat, et ego de matris lacrimis cogitabo ? propter patrem militiam Christi deseram, cui sepulturam Christi causa non debeo, quam etiam eius causa omnibus debeo » ? Chrysostomus declarans illud Matthaei (4) : Dimitte mortuos sepelire mortuos etc. Dicit hoc Christus, non iubens contemnere amorem qui est ad parentes, sed monstrans quod nihil caelestibus negotiis magis nobis necessarium esse oporteat, quae tanto studio obeunda sunt, ut etsi magna sint quae abire [b] urgeant, incumbere tamen omni diligentia atque invigilare debeamus. Quid enim maius videtur quam, dum sepeliantur parentes, adesse ? quid enim facilius aut breviore tempore peragi potest ? etc. Vide locum.

9. Quintum est animum accommodare rationi ipsi ; quia Deo magis tenemur, quia est primus et essentialis pater noster. Unde illud (5) : *Numquid non ipse est pater tuus, qui possedit te, et creavit te ?* Et ut omnium ramorum arboris una est radix, sic, etsi homo hominem generet, unus tamen est pater qui omnes creavit. His igitur de causis debemus temperare affectum nostrum erga parentes et propinquos. Praecepit quidem filiis ut honorent parentes, sed modo debito, ut amor noster referatur ad Deum, et in Deo sit, ut sit spiritualis et bene ordinatus — quo pertinet divisionis initio factae membrum tertium — neque adversetur caritati. Debemus enim amare ipsos, amando id

(a) *diem.* add. Hier. l. c. (b) sic ap. Keerbergium et in cod. ; non « obire ».

(1) S. Hieron. PL. t. 26 Conment, in Matth. lib. 1. col. 68 (vers. 37). (2) Immo eiusdem in 1ª epist. ad Heliod. PL. t. 22 Ep. ad H. 1ª (14), n. 2 p. m. col. 348. (3) ibid. n. 3 col. 349. lin. 9. (4) S. Chrysost. PG. t. 57 in Matth. hom. 27 (28), n. 3. col. 348 in. Versio parum differt apud Keerbergium, magis apud Migne l. c. (5) Deut. 32, 6.

quod in eis est praecipuum, id est, animae bonum et salutem, sive, ut uno verbo dicam, hominem in ipsis interiorem. Quod facimus dum pro ipsis oramus, et Deo eos [a] commendamus, ut eos servet a peccatis, et non sinat cadere in tales necessitates temporales[b], quae ipsos impellant in impatientiam et murmurationem contra suam divinam maiestatem.

Ceterum, negotiis eorum temporalibus curandis vel promovendis implicare nos non debemus, nisi casus illis accideret eiusmodi, qui esset commiseratione dignus. Neque tamen eius etiam generis negotia suscipere aut commendare debemus apud magnates et magistratus, nisi ex directione et iudicio superioris. Multo vero minus litteras et munuscula ab ipsis accipere decet, ne sensim diabolus affectum inordinatum excitet in nobis.

Haec caverunt diligenter D. Basilius in regulis suis utrisque, hoc est, fusius disputatis et brevioribus ; S. Ephraem, in suis exhortationibus ; S. Bernardus, in sua regula.

10. Neque porro B. P. N. solum prohibet conversationem cum parentibus, sed neque quidem cum domesticis voluit nos indifferenter conversari. Nam cum teneatur religiosus quisque tendere ad perfectionem, etsi a fratribus non est ut a parentibus periculum, est tamen distractionis et inquietudinis saepe occasio, impedimentumque profectus spiritualis. Nam, etsi bonus frater est, non est tamen adhuc fortassis rebus spiritualibus satis instructus ; debeo autem cavere occasiones conversandi cum his qui sua consuetudine et familiaritate me non iuvant ac promovent. Non debes quidem illis dare signa aversionis ullius, neque prae te ferre quod superiores forsitan familiaritatem improbent, sed studio maioris perfectionis magna cum prudentia discretioneque debes incumbere et bono tuo prospicere. Nam conversando familiariter cum levioribus, evaderes ipse levior, minus observans disciplinae, magis addictus risibus et nugis, minus simplex, minus ad oboediendum promptus, ac tandem, Deo permittente propter remissionem tuam, facile declinares in verba malitiae, in murmurationes, irrisiones, suspiciones, detractiones, iudicia, ac demum in conventicula et clancularias congressiones.

Tales enim fructus proferre solent familiaritates et consuetudines singulares, a quibus Societas ab ortu suo semper abhorruit. Et sane, mi fratrer, quid tibi utilius, quid suavius, quid iucundius esse debet quam conversari indiscriminatim cum omnibus, ne quempiam fugere

(a) *ipsos.* B. (b) *corporales.* B.

videaris ? Libentius attamen ac saepius versari debes cum humilibus et mansuetis, cum simplicibus et devotis, cum morigeratis et Deum vere amantibus, ac in spiritu proficientibus, cum promptis ad nutum superioris, et cum iis denique quos mortificationis suae cernis esse studiosos. Hi enim sunt Deo et omnibus cari, hi sunt omnibus ob virtutem amabiles, hi sunt verae et genuinae[a] religionis nostrae propagines, hi fratrum nostrorum laetitia, concinna ministeriorum Dei instrumenta, et Societatis egregia ornamenta. Alii illi contra sunt tepidi, curiosi, indevoti, elati, spiritum non habentes, vasa vacua, crux et onus superioribus, bonis afflictio et tristitia, disciplinae laxamentum, a quibus cernimus, hei mihi ! produci saepe fructus inutiles et peracerbos.

Remedia esse possunt : 1um ut nolitis, fratres carissimi, cum talibus sermones miscere, nisi ad profectum et consolationem spiritualem pertinentes, licet illi ad alia provocent. Vos vero, qui spirituales estis, hoc cernentes suaviter illa convertere nitamini in salutaria colloquia et documenta. — 2um ut solus cum solo nullus conversetur, quoad eius fieri potest ; et si necessitas postularet, id ad breve tempus sit, et rarissimum ; stultus enim et imprudens ac sui valde immemor est, qui cum conversando possit proficere, eligit potius occasiones deficiendi. Agit videlicet ad instar illius qui in Scalda sursum navigium impellens, subinde quiesceret et conto naviculam suam non propelleret ; sentiret siquidem paulo post suo malo valde se delapsum esse, fluctibus fluminis scapham rapientibus, adeo ut quod modica mora deperditum est, una et altera hora vix labore compensari possit ; ita enimvero neglectus parvus disciplinae, tepor spiritus, animi remissio religioso valde est noxia. Non enim sentitur usu gratiae et devotionis subtractio ; ubi postea sentitur, non nisi cum maerore et dolore sentitur.

Quare summopere vos rogo, carissimi fratres, vobis diligenter caveatis ab his familiaritatibus tam noxiis, a congressu cum saecularibus, nisi quando ille instituitur ad curandam eorum salutem, ac denique ab omnibus caveatis[b] occasionibus distractionis, imitantes in eo viatores, qui cum diutius in itinere dormierunt, festinant postea ut socios praecedentes assequantur. Quod nobis omnibus[c] concedat gratiarum largitor Deus.

(a) *vere et genuinae.* B. (b) *cav. ab omn.* B. (c) om. B.

13ª Exhortatio

DE SUBDITORUM DEFECTIBUS SUPERIORI MANIFESTANDIS SIVE PER SE SIVE PER ALIOS, QUA DE RE AGITUR REGULIS 9ª ET 10ª ; DE MANIFESTATIONIS HUIUS UTILITATE ET NECESSITATE ; DE IISª DENIQUE, QUAE AD HANC DILIGENTER EXCERCENDAM INCITARE AC MOVERE POSSINT

1. Hodierna exhortatione explicabimus, Deo auxiliante ac vobis aspirantibus, quae de manifestandis superiori defectibus nostris monent regulae 9ª et 10ª, et quidem verbis efficacibus ac sane gravissimis, ut perfectionis nostrae studio vel nos ipsi superiori manifestemus defectus nostros, vel certe per alios ad superiorem deferri ad maiorem profectum nostrum aequo ac libenti animo velimus. Caritas porro et instituti nostri ratio fundamentum est huius officii, quo ad altissimum perfectionis et abnegationis nostri ipsius gradum aliquando pertingamus. Haec enim ratio datur cap. 4º Examinis. Nam exuere se bonis temporalibus, via quidem expedita est valde ad perfectionem religiosam ; sed cessio illa externa est. Intrinsecum autem maius est quidpiam, amor in parentes ; sed et hoc parentum amore multo magis afficit et penetrat pectus nostrum, multoque magis a nobis sentitur, relinquere nosmet ipsos[b]. « Fortassis, ait D. Gregorius (1), laboriosum non est homini relinquere sua, sed valde laboriosum est relinquere se ipsum. »

Nam amor proprius magnam vim habet in nobis, ut qui nascitur nobiscum[c], a nobis fovetur, ac nobiscum denique adolescit. Quod non ignorans B. P. N. et quanta sit vis veneni huius, adhibet statim post regulam miserae sensualitati nostrae difficilem, hanc multo difficiliorem, ut gradum faceret ad perfectiora. Ut vero dolorem nostrum, si quo afficeremur, leniret, addit id fieri ad maiorem in spiritu profectum et ad maiorem submissionem et humilitatem propriam. Nam quando nitimur proprio nostro iudicio, saepe aberramus a recto ; proinde, neque debemus ex nostra opinione et sensu, huius regulae et aliarum momentum et utilitatem metiri. Quia regulae et ordinationes, cum sint res religionis, servandae sunt non alio affectu et iudicio

(a) *de his.* B. (b) Sic in utroque codice singula verba et ipsa interpunctio huius sententiae. Sic intellegimus : *hoc,* sc. relinquere... ; *amore,* i. e. mul. magis quam amor. (c) *nob. nasc.* B.

(1) S. GREGOR. PL. t. 76 Lib. 2 in Evang. Hom. 32, n. 1. col. 1233.

quam religionis, *spiritualibus spiritualia comparando* (1) et eo spiritu quo factae fuerunt, eas excipiendo et adimplendo. Nam si cum spiritu honoris vel cum nostra praesumptione eas intellegere et in praxim deducere voluerimus, nobis non succedet ex animi sententia.

Apud Lacedaemonios non erat licitum gubernatoribus et senatoribus iunioribus disputare de suis legibus et statutis, donec provectioris essent aetatis ; sed debebant solum incumbere iis bene servandis et procurare ut ab aliis servarentur ; ac denique primum ac praecipuum eorum studium erat, ut sibi compararent solidam earum intellegentiam, earumque momentum, dignitatem et utilitatem ipsa praxi intellegerent. Meminerimus illius Pythagorae αὐτὸς ἔφα, satisque nobis sit quod B. P. N. plus quam Pythagoras has nobis regulas tradiderit multorum annorum spatio expensas et consideratas, nec sine multis lacrimis. Addo, quod non possis dicere te eas ignorasse, tibique fuisse impositum[a]. Nam initio non tantum tibi lectae sunt, sed et ad aliquot dies in prima probatione tibi traditas ad eas legendum et expendendum retinuisti. Neque hoc solum, sed examinatus es a Magistro Noviciorum de his et aliis difficultatibus, quae tibi accidere possent. Ad haec, quater in anno sanctissime constituit B. P. N. ut noviciis hae regulae et difficillima quaeque quae in Societate circa regulas et alia solent contingere, proponerentur.

Quod procul dubio, mi frater, tecum actum est, et diligenter iisdem temporibus examinatus fuisti an ferre onera posses. Quid amplius exspectare potuisti ? Sufficere quidem haec certe debuerunt. Nihilo minus singulis etiam mensibus praeleguntur nobis hae et ceterae regulae ad mensam inter prandendum. Si haec non sufficiunt, en aliud tibi propono. Ob oculos tibi pone Christum Dominum, et repraesenta ipsi omnes tuos defectus novos et vetustos, eos recognosce et pondera, atque ad pedes Christi detestare. Si feceris, non aestimabis iudicium hominum, neque adeo tuum. S. Macarius, discipulus S. Antonii, dicit nos non debere[b] intueri eum qui nos reprehendit ut inimicum, sed ut ministrum iustitiae Dei. Voluit B. P. N. ut subditi a superioribus cognoscerentur, quo possent melius regi et gubernari.

2. Dices : quae utilitas ? Multiplex est.

Una : melius possunt subditi iuvari, et maiore studio et amore ac sollicitudine a superiore curari, si interius ut exterius cognoscantur. Exemplum sit de amicis apertis et bene notis.

(a) Sic in utroque codice. (b) *Macharius. Anthonius.* B.

(1) Cor. 2, 13.

Altera : possunt melius conservari a malis et periculis incidentibus in via spirituali, iudicio et directione superioris : ut navigantibus in mari necessarius et pergratus est sedulus et peritus gubernator.

3. Tertia : mitti debent homines Societatis ad diversa loca et vitam agere in quavis mundi plaga, ubi maius Dei obsequium et animarum auxilium speratur, ut habet regula 3ª desumpta ex P. 3ª Constitutionum, cap. 1º, et ex P. 6, c. 3. Debent igitur necessariis documentis et consiliis bene esse instructi ; dari autem illa apposite et utiliter nequeunt, nisi bene notis. Addo quod, nisi noti sint, eos procul ab oculo superioris ponere, esset illis perniciem salutis afferre, praesertim quod interdum soli inter cuiusvis condicionis et sexus homines versari debeant. Debent itaque superiori esse bene noti[a], ut iuxta cuiusque vires munia imponantur.

Quarta : ut etiam possint superiores sufficienter providere necessitati missionum, atque adeo Societatis corpori, ne in aliquo damnum ipsa accipiat. Quare valde expedit, ut omnes omnium propensiones ac voluntates cognoscantur, nec non defectus ac vitia ad quae singuli propendent, ut periculis non exponantur ; et licet optimi ac fortissimi essent, ut tamen sciant negotia, quae illis committuntur vel in servitium ipsius Societatis vel ecclesiae catholicae, prudenter ac provide tractare et absolvere.

4. Est itaque non tantum utilis, sed etiam necessaria in Societate haec providentia, ut nostris superioribus diligenter ac libenter nos nostrique cordis intima aperiamus. Hoc D. Basilius mandat (1), ut neque fratrum, neque sua obtegere quisquam debeat delicta superiori. Et Cassianus dicit (2) : illud magnopere commendatum a sanctis in vita spirituali, ut ne ullam celarent tentationem in corde, sed patefacerent seniori, ne callidus hostis posset quempiam decipere, destitutum discretione directioneque superioris. Addit insuper hostem non posse deicere nisi eos, quos vel per arrogantiam vel verecundiam inducit ut abscondant cogitationes. Et signum, inquit, tentationis diabolicae est, cum quis confunditur illam aperire superiori. Cum videntur[b] aliqui velle latere in angulis, suspicionem concipimus, quod fures sint vel malefici.

5. Dices fortassis non esse peccata, sed leves imperfectiones, ideo

(a) *bene es. noti.* B. (b) *ap. superiori, cum videntur.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 46 b. col. 1035. (2) Cassianus. PL. t. 49 Instit. lib. 4, cap. 9 b. col. 161.

non manifestandas. Atqui hinc fit, ut plerique non cognoscantur a superioribus, neque possint dirigi nisi superficialiter. Debent autem cognosci imperfectiones omnes et earum radices, quia origines esse possunt peccatorum.

Dices praeterea, te remedia scire quae dabuntur. Verum interdum [a] etiam falleris proprio iudicio. Addo quod varia sunt remedia, quae melius possunt applicari ab eo qui nulla passione movetur, sicut tu in propria causa. Et sane medici aegroti se ipsos curare non solent. Addo praeterea quod interdum non adsit tanta virtus et persuasio ad pugnandum contra hostem, quam Dominus Deus dabit, pro infinita sua bonitate, obsequenti sanis consiliis superioris [b] ; ne dicam quod ipsa manifestatio propria, ut manat ex dispositione et providentia divina, ita magnam habet efficaciam accipitque remedium singulare.

Dices denique : me pudet, et apud superiorem in minori ero aestimatione. Cave, frater mi, tibi a superbiae spiritu insidiante. Non enim causa est quam ob rem te pudeat, nam omnes tentamur. Quae pudoris causa est militi, si ex insidiis feriatur ? Pudor sit superari a tam levi tentatione. Dicebat quidam, ut refert Cassianus (1), omnes triplici modo tentari : vel ad probationem, ut Iob ; vel ad emendationem, ut purgentur ; dicit enim Dominus (2) : *Ego, quos amo, arguo et castigo ;* vel ob merita delictorum, ut factum est in morte filii Bethsabeae (3). Cum ergo propter aliquem ex his modis possimus tentari, non est cur vereamur nos ipsos superiori manifestare.

6. Condiciones, quae solent consequi hanc manifestationem defectuum, esse debent humilitas, puritas, caritas, quibus virtutibus nisi quis suffulciatur, vix serio quicquam in hoc genere agere poterit. Adesse debet humilitas, ne quasi magnifica narremus, et extollamus nos de vitio ut de bono opere, iuxta illud (1) : *Laetantur cum male fecerint, et exsultant in rebus pessimis.*

Puritas etiam adsit, quae fuget omnem fictionem et artificium, ut non intendamus nisi gloriam Dei et profectum nostrum. Item caritas, quae fiduciam praebeat nos bene aperiendi superiori nostro ad Dei gloriam et profectum nostrum in spiritu maiorem. Cassianus refert de B. illo Serapione (5) quod cum tacuisset longo tempore tentationem gulae, et de pane furtim sumpto, et eam tandem magno cum dolore

(a) *Verum et. interd.* B. (b) *san. sup. cons.* B.

(1) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 6, cap. 11 in. col. 660 b. (2) Apoc. 3, 19. (3) 2 Reg. 12, 14. (4) Prov. 2, 14. (5) Cassianus. PL. t. 49 de Serapione (tentatio gulae) Coll. 2, cap. 11. col. 538-540.

et sui confusione abbati suo Theoni manifestasset, fuerit curatus, et visus sit daemon in specie lampadis ardentis cum taetro odore egredi de pectore eius visibiliter ; unde diabolus per confessionem huius confusus, non habuit de cetero vim eum tentandi de gulae vitio.

7. Quinta utilitas est, quod iuvat ad amorem conciliandum superioris. Is enim cernens sibi commissum se totaliter, ac suam conscientiam tam aperte sibi pandere, non potest eum non amare et ipsi deinceps confidere.

Sexta utilitas est, quod valde prosit ad profectum cuiusque in spiritu, et ad conservationem Societatis. Quo enim purius et simplicius atque liberius subditi se aperient superioribus, sive per se id faciant sive alii eorum loco, plurimum id habebit momenti ad bonam disciplinam et ad avertenda omnia quae illi obesse possent. Nam sicut utilissimum foret corpori non recte habenti, si medicus perspectum haberet quod illi est noxium, ut malum depelleret : sic corpus Societatis, depulso eo quod nocere potest, ut sunt vitia et deformitates, hoc melius habet.

8. Ideo SS. Patres valde solliciti fuerunt ut conscientia omnium semper pateret superiori, et ut D. Bernardus ait, nulli in ea essent anguli, in quibus sordes colligerentur. Cassianus duas causas assignat (1), ob quas non velit homo patefacere cogitationes et tentationes suas superiori, verecundiam scilicet et arrogantiam. Sed *Qui abscondit scelera sua*, ait Sapiens, *non dirigetur* (2), et quo maiore fiducia superiori suas imperfectiones detegit, hoc maius praebet superiori amoris argumentum, ut ante insinuatum est. Neque hoc verecundum ulli esse debet, quia honorificum est et gloriosum vincere se ipsum, sicuti viro forti superare suos inimicos et expugnare urbem. *Pro anima tua*, ait Sapiens (3), *ne confundaris dicere verum ; est enim confusio adducens peccatum, et est confusio adducens gloriam et gratiam.*

S. Ephraem (4) dicit quod « quando quis sponte sua peccata et defectus superioribus prodit, correctionis vitae signum praebet ; occultare vero, animi male affecti indicium exsistit. Nullus enim cum furibus currens et partem suam cum adulteris ponens (5) hos

(1) CASSIANUS. PL. 49 Coll. 2, cap. 12. col. 542. (2) Prov. 28, 13. (3) Eccli. 4, 24. 25. (4) S. EPHRAEM tom. 2, n. 31, Attende tibi, cap. 9. p. 326 a. (5) Cfr. Psalm. 49, 18.

prodit umquam, quia nimis passioni et affectioni indulget ». Superiores vero, ut ait S. Basilius (1), debent se gerere erga subditos ad instar nutricum.

9. In spectaculis et antiquis gentilium theatris videre erat quomodo cum feris atque leonibus homines decertarent. Nihil porro minus faciunt religiosi, qui certamen ineunt iugiter contra se, contra carnem, contra mundum, contra daemones. Quin Apostolus vitam suam spectaculum appellavit (2), ut intellegatis, fratres mei, quod in agone certatis ; vocat et stadium, et se in eo decurrere scribit, et sic pugnare ut aerem non videatur verberare[a], ut intellegatis totam vitam nostram luctam esse et stadium, et angelos spectare quomodo nos geramus, sicuti faciunt homines boni et mali.

Sed cuiusmodi sunt quae vident angeli, nisi operationes occultas, laqueos quos maligni spiritus posuerunt nobis in occulto, invasiones ex insidiis, machinationes eorundem miro modo conceptas et implicitas, quo pacto eas vos transiliatis, atque evadatis ? Spectant, inquam, angeli industriam vestram, quomodo adversarium in fugam vertitis. Talibus spectatoribus, semper praesentibus, ignavos et inertes minime nos esse decet, fratres carissimi : homines porro spectant, cernuntque res externas quae contra nos excitantur, persecutiones, afflictationes, anxietates, contemptiones, accusationes, morbos, incommoda, etc. ; verum angeli, tentationes et immissiones malarum cogitationum, pravorum iudiciorum, quae immittuntur per angelos malos.

10. Ad haec porro omnia diligenter exercenda poterunt nos excitare sequentia :

Primum, loci praestantia. Grande etenim vitium est illi qui in religione vivit tepide et languide. De talibus queritur Ieremias (3) quod dilectus mala fecit in domo Domini, et in terra sancta peccata multa : peccata enim et offensae Dei ratione loci et familiae maiora sunt, estque grave inter tot famulos Dei non bene vivere.

Secundum, temporis opportunitas. Nam in religione etiam temporis ratio invitare debet ad studium perfectionis ; est enim nobis *tempus acceptabile et dies salutis* (4), neque exigua culpa est occasiones tam opportunas neglegere.

Tertium : invitat consortium tam multis egregiisque exemplis orna-

(a) *pugnare, non aerem tamen ut verberet.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. brev. tr. 98. col. 1131 a. Cfr. 1 Thess. 2, 7. (2) Cfr. 1 Cor. 4, 9. (3) Cfr. Ierem. 11, 15. (4) 2 Cor. 6, 2.

tum, quibus in perniciem suam abutitur ille qui inter bonos malus est.

Quartum : invitant impelluntque vota et promissiones non hominibus tantum, sed etiam Deo factae, quod nimirum ad finem propositum actiones omnes nostras referremus. Est autem finis propositus, perfectio nostra.

Quintum, consideratio, quod qui non proficit inter bonos et in tam sancta disciplina, ad quam singulari Dei beneficio vocatus est, multa bona et multa merita perdit.

Quamvis vero in imperfectiones et transgressiones regularum saepe religiosus bonus, qui desiderat proficere et de virtute in virtutem progredi, incidat, neque propterea faciat contra vota sua, non facit tamen quod initio recepit et proposuit, abstinere videlicet ab omni inordinatione et defectu, quatenus infirmitas humana ferret. Et fortassis non advertimus et aestimamus defectus nostros, quia parvi sunt et vix a tepidis sentiuntur ; nam et quidam vermiculi, nisi tangantur, videntur aliquando non vivere, sed tacti se movent : ita non cognoscimus interdum nostros [a] defectus, sed icti vel levi verbo commovemur. Quod argumentum est imperfectiones et passiones adhuc vivere in nobis ; nam si quis est mortuus cum Christo et bene mortificatus, non sentit et emortua fere passio est.

Ex fumo ignem cognoscis subesse : ita, si tibi attendas, et verbis, gestibus ac motibus tuis, quando vel reprehenderis, vel frater verbo te offendit, cognosces vivasne tibi, an cum Christo mortuus sis. Non possumus, certum est, uno die passiones seu malos habitus nostros firmiter ordinare et componere, sed assidua exercitatione, iuxta illud Apostoli (1) : *Donec formetur Christus in vobis.* Ad quem gradum si perveniemus, fratres carissimi, omnia tunc levia erunt nobis, et omnia metiemur secundum ipsius sanctam voluntatem, ut artifices archetypum et idaeam sibi propositam imitari videmus.

(a) *def. nost.* B.

(1) Galat. 4, 19.

14ª Exhortatio

DE DEFERENDIS AD SUPERIOREM ALIENIS DEFECTIBUS, ET UT CONTENTI SIMUS NOSTROS DEFERRI PER QUEMVIS ; DEINDE QUOMODO FIERI DEBEAT DELATIO, ET QUOD NON TANTUM DEBEAMUS VELLE NOSTROS DEFECTUS DEFERRI, SED ETIAM DEBEAMUS VELLE NOS CORRIGERE ; PRAETEREA QUOD TENEAMUR EX CARITATE AD ALIORUM CORRECTIONEM IUVARE ; DENIQUE UNDE HOC IMPEDIMENTUM NASCATUR, QUOD VIDELICET MINUS PARATI SIMUS AD ALIORUM CORRECTIONEM

1. Nona et decima regula summarii monemur, quod ad nostrum profectum contenti esse debeamus, per quemvis qui extra confessionem noverit nostros quosvis defectus, illos deferri ad superiorem, necnon ut parati simus iuvare Societatem ad aliorum correctionem.

Sicuti morbi aliqui sunt corporis, ita sunt et animae ; et quem ad modum illi corporales suos habent medicos, sic hi spirituales suos. Ut autem curentur, medicis debent ipsi morbi innotescere, et hi causas eorum debent investigare, et monere aegrum ubi opus est, atque remedia adhibere morbis congruentia.

Id autem mali persaepe contingit filiis Adae, ut ignoremus morbum nostrum et nos esse sanos existimemus, cum valde aegrotemus. Et medicamenta quidem per se sunt bona, sed infecto palato dulcia sunt amara : sic, spiritualiter loquendo, suavis est delatio, suavis et pretiosa admonitio, quia ex caritate proficiscitur, sicuti et correctio ; verum iudicium nostrum saepe malum est et depravatum. Sunt tamen corrigendi ex parte[a] ipsius superioris, et illi incumbunt ex iustitia et officio ob bonum publicum ; omnibus vero competunt ex caritate ; dicit enim Christus Dominus (1) : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum*, etc. Et notum quidem est praeceptum, et in Societate maxime necessarium ; neque est in religione servandus ille praecepti processus, ut primum solus frater corripiatur abs te necessario. Nec talis ordo requiritur in Societate, in qua quisque cessit iuri suo, dum promisit se servaturum has regulas, nominatim 8ᵃᵐ, 9ᵃᵐ et 10ᵃᵐ, ut ceteras ; tum

(a) *corr. partes.* B, perperam. Intellege : *corrigendi*, sc. filii Adae ; et illi *incumbunt*, sc. admonitio et correctio. Et codex A prius scripserat : *Sunt tamen corrigendi partes...* ; sed ipse Manaraeus supra lineam addidit *ex* et induxit *s* vocis *partes*.

(1) Matth. 18, 15.

etiam quia saepe, et fere semper, melius quisque corrigitur per superiores.

Finis autem praecepti huius spectandus est in primis ; est autem, ut proximus emendetur, et non noceat communitati. Quare relicto tali ordine, eo debemus conferre consilium et studium nostrum, ut finem praecepti praecipue obtineamus ; quocirca relictis aliis, oculos conicere debemus eo maxime, ut per superiorem frater noster secundum Deum iuvetur. Recurrimus siquidem ad superiorem non ut ad iudicem, sed ut ad patrem ; secus esset si res iuridice essent tractandae, ut ante et per iudicem[a], quod fit, ut praeceptum insinuat, per denuntiationem publicam, quae fit praelato ut praelato et iudici, non ut patri.

Fundatur autem hoc iuvamen quod praestatur fratri ad eius emendationem in fide et caritate ; et ad illud omnes in Societate tenentur cooperari, in quocumque sint gradu : non enim es fratri fidelis et amicus, si exhibes illi officium inimici. Sic sentit abbas Smaragdus (1), et affert, ut illud confirmet, decretum antiquum ordinis S. Benedicti, quo asseritur quod non faciat officium amici, qui cum sciat defectus alicuius momenti, eos non manifestat superiori ; quin officium potius facit crudelis inimici. Quia qui modo posset curari paterna admonitione, medicina leni[b], quia non manifestatur ulcus eius, tandem magno ipsius et familiae damno aliquando patefit.

2. Nam quod attinet ad honorem eius, cuius te, mi frater, magnam habere rationem putas, uter quaeso maiorem eius habere debet et solet, tune an superior? In Exam. c. 4, § 35, potest, inquit B. P. N., curari si manifestetur, honore ipsius salvo et existimatione. Nam postea erumpente foras ulcere, nec ea suavitate curari, neque bonum nomen intus retineri potest, quia sua sponte malum erumpens, taeterrimum de se spargit odorem, fitque Societati malum peracerbum. Proinde dicebat David (2) : *Corripiat me iustus in misericordia ;* hoc enim officium vera misericordia est : *Oleum autem peccatoris* — sequitur — *non impinguet caput meum.* D. Thomas, Quodlib. 11, dicit quod caritas ea est, quae in hac materia dat et tollit obligationem, quia ad eam reducuntur praecepta evangelii, exceptis praeceptis fidei et sacramentorum. Illa facit ut praecipue spectemus maius bonum fratris, et ut ambulet tutius, ne forte vitium cum detrimento erumpat

(a) *ut ante, et per iudicem.* B. (b) *levi.* B.

(1) SMARAGDUS, abbas S. Mich. ad Mosam. PL. t. 102 Commentar. in Reg. S. Bened. cap. 23 col. 846 c. d. (2) Psalm. 140, 5.

in publicum. Nam, ut ait D. Basilius (1) : Morbus cum dissimulatur, fit incurabilis. Peccatum enim occultare fratris, nihil aliud est quam aegrum ad mortem sua sponte ruentem impellere.

Nemo ergo sit qui suo aut alterius peccato latebras quaerat. Nam dissimulatio, ut qua satisfacias humanae legi dicenti manifestationem vitiorum proximi non esse honestam, est, ait idem sanctus, contra legem caritatis. Nam cum delatio fiat superiori ut patri, quod malum curari potuit melle et suavi medicina, curari debet postea cauterio vel resectione, quod peius est. Idem D. Basilius (2) affert exemplum Acham qui ob virgam auream clam ablatam, debuit lapidibus obrui, ne totus populus Israel pateretur (3).

3. B. P. N. cum intellexisset non nullos adulescentes nostros inordinate ambulare, et aliquid contra puritatem admisisse, misit de domo professa ad collegium P. Ioann. Polancum, qui omnes — erant novem vel certe undecim[a] — a corpore Societatis resecaret. Non potero, aiebat vir sanctus, dormire donec sint dimissi : videtur enim super me repente ruitura domus, quam diu illi in collegio degunt.

Ex dictis et allatis colligitur, quod si culpa fratris mei non est emendata, possum, immo debeo ex officio caritatis ipsum deferre ad superiorem, ut remedium afferat fratri laboranti. Id enim tunc non contra, sed secundum evangelium fit, quando immediate, absque illo processu evangelico, culpa quae potest labefactare corpus integrum, ad superiorem defertur ut ad patrem, qui benigne et servato honore famaque fratris ipsum sanet.

Quomodo vero potes sperare emendationem fratris, quem vides a superiore, Dei vicario, fugientem, cui data est fratris cura, si defectus et vitium non manifestetur ? Quin etiam, licet roget et obsecret ut taceas, promittens emendationem, non est tamen tutum illum neglegere et in eo statu relinquere. Videtur siquidem dicere quod Saul Samueli (4) : *Honora me coram senioribus populi,* etc ; non enim est illa humiliatio, quae eum deducat ad sanitatem et meliorem mentem, sed studium latendi et liberius peccandi. Abbas Smaragdus (5) in commentariis regulae S. Benedicti cap. 23 affert decretum quoddam abbatum Stephani et Pauli vetus, et dicit : si quis alterum in quocumque peccato viderit et distulerit priori manifestare, cognoscat se esse

(a) Videtur sic intellegendum : *erant novem(decim) vel certe undecim.*

(1) S. Basil, PG. t. 31. Reg. fus. tr. 46. col. 1035 cum nota 81. (2) S. Basil. ibid. Reg. brev. tr. 47 b. col. 1114. (3) Ios. 7, 25. (4) 1 Reg. 15, 30. (5) Smaragdus, vid. supra, p. 469 nota 1.

peccati nutritorem, et per omnia aequalem peccanti, quia animae suae, et illius quem tegit, est durissimus inimicus. Quibus verbis et sententiae consonat quod dicit D. Basilius (1) : Quem ad modum nullo modo bene meritum, ait, illum de nobis diceremus, qui quae pestifera essent in corpore nostro includeret, sed eum potius, qui cum dolorifero cruciatu et cruoris emissione per lancinationem opertum venenum extraheret, ut quod noxium esset repelleret aut extruderet a corpore, aut per morbi cognitionem eius curandi ratio facilius cognosceretur, ita sane et de morbis animae sentiendum est ; maxime autem ei consentaneum est, quod Christus mandat (2) : *Dic Ecclesiae*, id est praelato.

4. In aliis plerisque religionibus visitatores inquirunt cum censuris et castigationibus publicis, in quibus tamen non existimant se quicquam agere contra ordinem evangelicum. Sed in casibus omnino secretis, de quibus hic agimus, servari debet intentio legis, et quod honor et fama fratris requirunt. Sed quid ? ergone omnes facti sumus censores actionum fratrum nostrorum ? Absit. Societas postulat ut magna cum caritate et simplicitate procedamus, ut minime curiosi simus, et ad actiones fratrum nostrorum non attendamus, nisi ut eorum bona exempla sectemur. Nimia curiositas sapientibus semper displicuit. Utinam vero ita nos gereremus, ut non videremus festucas fratrum nostrorum (3) !

Experientia porro docet grave malum esse manifestare aliis, praesertim tentatis et levibus, quod superiori ut medico et patri non dicis ; contingit enim ut tentatus unus pluribus aliis noceat. Cavendum est autem ne quis moveatur suspicionibus ; neque enim illae deferendae sunt, neque iudicare debes fratrem tuum quod sit superbus, ambitiosus, proprii iudicii. De talibus nullo modo monendi sunt fratres, multo minus ad superiorem deferendi, ne detur fratribus perturbationis occasio, et iudicium temerarium facias.

5. Quod ad modum attinet, delatio fieri debet verecunde et cum prudentia, atque, ut dicitur, cum grano salis. Debet et oratio praemitti, qua petas a Deo gratiam et lumen, ut in omnibus bene et cum caritate te geras. Dicit enim Sapiens, quod prius os Domini consulendum est, qui operatur omnia in omnibus : *Considera*, inquit (4), *opera Dei, quod nemo possit corrigere quem ille despexerit.* Considera te

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 46 a. b. col. 1035 (versio Cl. Sonnii). (2) Matth. 18, 17. (3) Cfr. Matth. 7, 2. (4) Eccle. 7, 14.

solum esse instrumentum Dei ; ideo cum lenitate et mansuetudine, monendo etiam fratrem, procedas : *Fratres, si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis...* ait Apostolus (1).

Ad hanc lenitatem comparandam : 1° considera an habeas idem vel simile vitium, ne dicatur tibi (2) : *Qui alium doces, te ipsum non doces ; medice, cura te ipsum* (3). 2° Si non habeas nunc, cogita an non aliquando habueris, et num[a] fortassis imperfectiones maiores. 3° Quod ille, quem monendum putes, forte habeat plures virtutes quam tu ; quas si non videas, id accidere, quod per humilitatem eas tegat. 4° Quod fortassis apud Deum maior sit, illique carior quam tu. *Qui* ergo *se existimat stare, videat ne cadat* (4).

6. Non tantum parati esse debemus ut nostrae imperfectiones deferantur ad superiorem, sed debemus etiam velle corrigi. Non enim sufficit sciri nostros defectus, et quod habemus morbos et umores peccantes, sed optare debemus ut nobis adhibeatur medicina, ut pravi umores egerantur. Debemus, inquam, libenter admittere correctionem, et gratias agere superiori vel superbiam nostram vel alia vitia amputanti ; sicuti non tantum gratias agunt, sed etiam dant pecunias aegri medico et chirurgo cauteria adhibenti, vel etiam membrum corruptum resecanti. *Virga atque correptio*, ait Sapiens (5), *tribuit sapientiam* ; sed sicut stulti abiciunt medicinam quantum libet pretiosam, sic nos stulti sumus, quando fugimus correctionem ; nam dicitur a Sapiente (6) : *Qui diligit disciplinam, diligit sapientiam ; qui autem odit increpationes, insipiens est.* Et (7) : *Si extra disciplinam estis, cuius participes facti sunt omnes, ergo adulteri*[b]*, et non filii estis.* Sensitiva pars tam male constituta est, ut si frenum desit, sicut ferus equus sessorem praecipitem agit et deicit : ita illa animam. Reprehensiones sunt virga Moysis (8) ; eas cum fugimus in colubrum nobis vertuntur, et dum multa cogitamus de earum asperitate, peiores videntur quam sint, et horribiles atque acerbae apparent ; sin caudam apprehendamus, id est, bonum finem et intentionem superioris spectemus, suaves sunt et directivae ; proinde debemus Deo districtam rationem reddere de contemptis. *Cor eorum*, ait Iob (9), *longe fecisti a disciplina, propterea non exaltabuntur*, videlicet, nec in hoc mundo per gratiam, nec in futuro per gloriam. Christus videtur Petrum[c] severius repre-

(a) *non*, deleto *num*, scripsit B. (b) *adulterini*. Uterque cod. (c) *Chr. Pet. vid.* B.

(1) Gal. 6, 1. (2) Rom. 2, 21. (3) Luc. 4, 23. (4) 1 Cor. 10, 12. (5) Prov. 29, 15. (6) Prov. 12, 1. (7) Hebr. 12, 8. (8) Exod. 7, 9. 10. (9) Iob. 17, 4.

hendisse quam ceteros apostolos : *Vade,* inquit (1), post me, *Satana ;* et in horto (2) ; *Simon, dormis ? Non potuisti una hora vigilare mecum* (3) ? *Animam tuam pro me pones ? Amen, amen dico tibi : non cantabit gallus, donec ter me neges.*

Debet ergo velle quisque ita ad incrementum spiritus iuvari, ut quidquid ab aliis in moribus suis notatum fuerit obesse virtutibus aut perfectioni, illud referatur ad eum qui praeest, quo melius iuvari queat. Hoc vero desiderium praesupponit cognitionem propriae infirmitatis, quod satis sibi esse nequeat quispiam ad perfectionem acquirendam, et ad dignoscendos corrigendosque proprios errores ; favet enim quisque sibi impense nimis, adeo ut in iis quae ad proprias virtutes pertinent, fere decipiatur. A qua cognitione propriae infirmitatis maxime procul absunt, quem ad modum et ab humilitatis et perfectionis studio ac spe, illi qui non libenti animo suos defectus ab aliis notari vident, sed aut errores extenuant, aut penitus excusant, aut notantem denique accusant alicuius alterius erroris.

7. Altera pars exhortationis monet nos omnes obligari iisdem regulis ad cooperandum ad emendationem fratris, quod officium, sicuti alterum, fundatur in caritate. Tenemur ergo amare proximum, sicut Christus dilexit nos : *Hoc,* inquit (4), *est praeceptum meum, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos* ; amavit autem nos Christus amore gratuito, non ex meritis nostris, vel ob amorem quo illum prius prosecuti fuerimus. Hinc dicitur (5) : *In hoc apparuit caritas Dei, non quasi nos* prius *dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos...* Debemus ergo amare proximos, non solum eos, a quibus beneficium acceperimus, vel quos nos amare scimus, quod quidem iustum et honestum est ; sed non illud satis est ad virtutem et meritum. Dicit enim Dominus (6) : *Si diligitis eos qui vos diligunt, quam mercedem habebitis*[a] *? nonne et publicani hoc faciunt ?*

Amavit nos item Christus amore vero et sincero, non propter utilitatem suam sed propter nostram, et vocatur hic amor, amicitiae, sive honestus. Nam ille quem Christus reprehendit, amor est concupiscentiae, non gratuitus sed utilis. Vera autem amicitia aestimanda non est temporalibus commodis, sed amore gratuito pensanda. Quia vero non diligimus vere et secundum Deum, ideo facile mutamur et commovemur contra eum quem paulo ante amavimus, quod argumentum est

(a) *habetis.* in utroque cod.

(1) Matth. 4, 10 (2) Marc. 14, 37. (3) Ioann. 13, 38. (4) Ioann. 15, 12. (5) 1 Ioann. 4, 9.10. (6) Matth. 5, 46.

non amari fratrem, sed quae fratris sunt, eius videlicet gratiam, eruditionem, morum comitatem, agendi elegantiam, etc.

8. Item nos debemus amare proximum sicut nos ipsos : 1° quo affectu nos ipsos diligimus, non sensualiter ; 2° sicut nos, id est, in quo nos, scilicet in Deo, et non in mundo, id est, non saeculariter, nec in pravitate morum ; 3° sicut nos, id est, propter quod nos, scilicet propter Deum ; finis enim dilectionis nostrae et fructus debet esse Deus ipse, ut ipse sit[a] merces tota nostrae dilectionis (1) : *Ego sum merces tua, magna nimis ;* 4° sicut nos, id est, ad quod nos, scilicet, ad gratiam in praesenti vita, et gloriam in futura ; nec enim nos, nec proximos nostros ad alium finem diligere debemus : *Deum time* (2) *et mandata eius observa* : *hoc enim est omnis homo,* id est, perfectio omnium hominum. Nam, ut ait S. Augustinus : Deus fecit hominem ut Deum cognosceret. cognoscendo amaret, amando possideret, possidendo frueretur. 5° Sicut nos, id est, quo modo ipsi nos amamus, id est, supra res omnes naturales et temporales, ac supra corpus proprium, sed infra Deum. Plus enim debemus amare salutem proximi quam bona temporalia et corpus nostrum ; et pro salute animae eius, si necessitas urgeat, debemus haec omnia exponere.

9. Non debemus ergo amare fratres nostros ob res leves et ob familiaritates sensuales ; nam 1° res hae leves et iocosae familiaritates volucres caeli sunt, quae tollunt bonum semen haustum in oratione et mentis elevatione, ac salutaribus colloquiis. Item 2° trahunt nos et afficiunt erga illa vitia, quibus leves homines sunt obnoxii ; 3° creantur inde mali habitus tractandi de vanis et inutilibus rebus ; 4° generatur inde difficultas et verecundia loquendi deinceps de bonis et piis rebus ad aedificationem.

Conficitur hinc, hoc est, ex obligatione diligendi proximum sicut nos, et sicut Christus dilexit nos, quod tenemur impertiri illi beneficium correctionis, et eum ad superiorem deferre. Nam sicut morbi corporales curatione et medicamentis indigent, sic morbi proximorum spirituales ; medicus autem est superior : debemus ergo illi significare fratris nostri morbos, ut eos curet.

10. Impedimenta huius officii fere proveniunt ex superbia et amore proprio : 1[um], quia timemus, sicut moris est mundanis, haberi censores

(a) om. B.

(1) Gen. 15, 1. (2) Eccle. 12, 13.

et delatores. Atqui res secreto hic fit, et superiorem aestimare debes prudentem et providum, ut nemo resciscat quod officium praestiteris. — 2um impedimentum nascitur ex tenui notitia et amore vocationis et instituti. Nam qui novit, amat et intellegit esse de substantialibus instituti fratris saluti consulere, deferendo ipsius infirmitates graviores superiori, ut eum sanet : certe, qui amat institutum, amat et quod graviter praescribitur ad ipsius conservationem. — 3um est caecitas mentis, quae est filia superbiae ; cum videlicet praeferendam putat legem mundi, quae praescribit ut non deferat ad superiorem vitia fratrum, sed ut agat sicuti loquuntur mundani : « en homme de bien[a] », et tegat eorum vitia, quod illud sit honestius et decentius. — 4um impedimentum provenit ex amore proprio, quod velis placere, neutiquam displicere hominibus ; quae magna est imperfectio, et religiosae familiae valde noxia. Sed ambulandum est nobis, fratres carissimi, in sancta simplicitate et puritate, sectandaque sunt nobis ea quae sunt perfectiora, et contemnendi[b] respectus humani, qui impediunt nostram et fratrum nostrorum perfectionem. Despiciamus ergo hos respectus. Vere humilis est, qui se propter Deum neglegit, facile despicit cetera, et respectus omnes vanos ; qui studet Deo placere, et intellegit se ipsi secundum institutum debere servire. Hoc ergo faciamus et diligemur a Deo.

15^a Exhortatio

QUOD SUPERIORES TENEANTUR CORRIGERE DELINQUENTES ; QUOMODO ET QUAS OB CAUSAS IMPENDENDA SIT CORRECTIO ; QUO FINE FIAT CORREPTIO ; QUAE EXTREMA FUGIENDA AB IIS QUI AD FRATRUM IUVANT CORRECTIONEM ; QUAENAM FRATERNAM CORRECTIONEM IMPEDIANT ; DENIQUE, QUID NOS MOVERE DEBEAT UT CORRECTIONEM LIBENTER ADMITTAMUS

1. Hodierna exhortatio, fratres carissimi, docebit nos, Deo propitio, permagni referre ad conservationem Societatis, ut superiores

(a) Quod vertitur latine : *tamquam vir bonus.* (b) *contemnandi.* B.

nostri non dissimulent culpas et defectus delinquentium, sed eos corrigere sint solliciti cum debita caritate et in spiritu lenitatis, iuxta illud Apostoli ad Galatas (1) : *Si praeoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos, qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis, considerans te ipsum, ne et tu tenteris.* D. Basilius (2) : « Superior, inquit, seu qui auctoritate valet, debet suscipere indignationem adversus subditi vitium vel neglegentiam, sed adhibenda est cautio, ut indignatio sit ratione temperata. Nam gladiis medici utuntur, utuntur et homicidae : verum hi, ut proximum suum interimant, impulsi immanitate irae ; illi contra, quod ex ratione ipsis utuntur, magnas gladio afferunt utilitates, quia in periculo constitutos homines liberant. Eodem modo, qui adhibita in consilium ratione sibi indignandum censuerit, magnopere illi utilis fuerit adversus quem animo incitatus sit, nempe qui eius neglegentiam corrigat vel improbitatem ; contra autem, qui ab ira vinci se sinit : ab eo enim rectum proficisci non potest. Non est ergo alienum ab eis qui mansuetudini student, animo interdum in loco incitari. Exemplo nobis sit Moyses, de quo sacrae litterae asserunt fuisse hominem omnium mansuetissimum ; quando tamen ratio postulare visa est, vehementissime est indignatus. Patet, quando populus vitulum fabricavit (3) ; item quando etiam ritibus nefariis Beelphegor se polluit » (4).

Superior autem ad correptionem obligatur (5) ; et considerare debet malum proveniens ex defectu, atque utilitatem quae ex ea provenit, quam docent exempla plurimorum sanctorum. Quam rationem quia non est secutus Heli sacerdos (6), morte cum filiis multatus est. Gregorius super Lucam (7) : « Aliud est, ait, quod agitur typho[a] superbiae, aliud, quod zelo disciplinae ; falsa illa iustitia dedignationem habet, vera autem iustitia compassionem[b] ; et iusti solent recte peccatoribus dedignari, quia, etsi foris increpationem per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant. »

Nullum porro debet a superiore aestimari vitium leve aut parvum, quia Apostolus ad Romanos dicit (8), quod *per praevaricationem legis Deum inhonoras ;* et 1. Cor. 15. in idem consentit. Ideo immitis habendus non est is qui admonet et arguit, quem ad modum qui in corpore alicuius qui a venenata aliqua bestia morsus esset, si venenum resi-

(a) τῦφος, fumus, arrogantia. (b) *cum passione.* B.

(1) Galat. 6, 1. (2) S. Basil. PG. t. 31, Constit. monast. c. 13 c. sqq. col. 1375. (3) Exod. 32, 19. 27. (4) Num. 25, 5. (5) Matth. 18, 15 ; Galat. 6, 1 ; 2 Thessal. 4 : sic enim notatur, loco 2 Thessal. 3, 15,uti conicimus. (6) 1 Reg. 4, 17. 18. (7) S. Gregor. PL. t. 76 in evang. Hom. 34, n. 2, col. 1247 a. (8) Rom. 2, 23.

dere sineret cum posset extrahere, iure immitis diceretur, non autem qui extraheret ; quin qui eiusmodi esset, is caritatem evertere censendus esset, utpote qui non mederetur cum posset. Scriptum enim est (1) : *Qui parcit virgae, odit filium suum ; qui autem diligit illum, instanter erudit.* Licet vero contristetur qui corripitur, non propterea omittendum correctionis officium, quia tristitia ea est ad salutem, qualem Apostolus indicat 1 Cor. 15 (2).

Lima correctionis custodit munditiam ; qui munditiam optat, correctionem non fugiat, sed appetat (3). Gregorius (4) : « Ille solus amicus meus erit, qui ante adventum districti iudicii maculas mentis meae tergit ». Ignis tribulationis Deo est pro correctione et lima ut nos purget : Deus enim purgat eos, quos aurum et argentum reputat ; unde gaudere debet homo cum videt se in igne tribulationis positum. Iacobi 1° (5) : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis, etc.* Sunt quidam infelices, qui a lima correctionis, ex qua debuerunt contrahere munditiem, contrahunt potius rubiginem, dum de correctione dedignantur et deteriores fiunt. Quos S. Ephraem, tom. 2, c. 10 § de Virtute (6), lapideas animas habere dicit, quas nequeat correctio adhibita emollire.

2. Necessaria tamen est lima seu ignis tribulationis, ob tria mala, quae redundarent ex defectu in damnum totius religionis : 1um est infectio. Sicut enim ovis morbida, nisi sanetur, inficit gregem, ita peccatum unius incorrectum inficit alios. Origenes sup. illud Numerorum (7) : « Suspende principes in patibulo » ita ait : populo coguntur praepositi reddere rationem, ne forte non docuerint, non monuerint, non sollicite arguerint eos qui primum peccaverunt, ne contagio dispergeretur in plures. — 2um est difficultas corrigendi. Quanto enim ad plures pervasit infectio, tanto difficilius est eam corrigere. Glossa sup. illud Iob : *Squamis se prementibus* (8) : « Qui divisi corrigi potuerunt, in iniquitatum suarum pervicacia uniti perdurant ». — 3um est, difficultas ad omne bonum. Nam qui non corriguntur, inepti ad bonum redduntur, ita ut nullum bonum spirituale possit ad eos introduci : una videlicet alteri coniungitur squama, et ne spiraculum qui-

(1) Prov. 13, 24. (2) Immo 2 Cor. 7, 9. 10. (3) S. Basil, in reg. fus. disp. interr. 50, 51, 52. PG. t. 31, col. 1039 sqq. (iuxta Manaraeum). (4) S. Gregor. M. PL. t. 77 Epist. lib. 2, Ind. 10, ep. 52, col. 596c, in. (5) Iac. 1, 2. (6) Neque in cap. 10, neque in antecentibus res id genus legitur. Fortasse meminit auctor cap. 2^{i}, ubi « duram cervicem » offenderat ; vel n° 28, p. 317 b, aut n° 58, p. 370 b. (7) Origen. PG. t. 12. Hom. in Num. 20, n. 4, col. 735 a (Vides). (8) Glossa super Iob. 41, 6. Per errorem indicavit A caput 4 Iob.

dem[a] intrat per eas, id est, nulla exhortatio spiritualis apud tales proficit.

Dantur porro a superiore correctiones, 1° Ut nosmet ipsos cognoscamus. Amor enim proprius ita nos occaecat, ut saepe putemus nos bene facere, cum male facimus ; et quia nullus bonus est iudex in propria causa, ideo oportet ut superiores nos reprehendant et dirigant. D. Bernardus dicit omnes artes suos habere ductores, quin et animalia ipsa, ut cervi, aves, apes ipsae. Quod si nullae discuntur artes absque correctione, sive liberales sint sive manuales, quanto magis ars virtutum, quae omnium maxime est ardua, ductorem ac correctorem exigit. 2° Ut efficiamur humiles. Bernardus (1) : « Si vis humilitatem, ne fugias humiliationem ». 3° Ut verecundia quadam incitati non relabamur totiens in eadem vitia et imperfectiones. 4° Ut dum in hac vita punimur, in alia non diiudicemur. 5° Quia correctio ostendit hominem esse dissimilem diabolo ; est enim ille incorrigibilis, et qui non vult corrigi, illi assimilatur[b], ut vestigium pedi. 6° Quia congruit correctio huic hominum statui ; quia in caelo nulla est officii huius necessitas, quia nulla ibi est culpa ; neque in inferno, quia nullus est ibi qui velit corrigi ; sed in praesenti vita maxime convenit, et est donum homini maximum. 7° Quia amanda et optanda est correctio : *Argue sapientem et diliget te* (2) ; et : *Qui odit increpationes, insipiens est* (3).

3. Quod cum ita sit, amanda est maxime ab omnibus religiosis, qui ingressi sunt in religionem ut corrigant vitam suam. Si nolit religiosus corrigi, laetificat carnem, et non stabit ; contra, si correctionem libenter admittit, eam contristat et flagellat, ut legitur de S. Benedicto (4), qui percussit puerulum, et daemonem ab eo fugavit. Sed suscipi debet prompta voluntate, alioqui correctio nihil prodest ; quod ut fiat, tres secum habeat virtutes necesse est : humilitatem, quae[c] libenter monetur ; caritatem, ut amet Deum valde, quia *caritas foras mittit timorem* (5) ; denique fortitudinem, ut superet omnem difficultatem et tentationem subeuntem.

S. Ephraem (6) : « Ne virtutem, inquit, despexeris, quod ex eius exercitio aliquid laboris ac molestiae capias, verum fortis esto et

(a) om. B. (b) *assim. illi.* B (c) Sic A et B.

(1) S. Bern. PL. t. 182 Epist. 88. n. 11. col. 217 a. (2) Prov. 9, 8. (3) Prov. 12, 1. (4) S. Bened. vita ex lib. 2 Dialog. S. Gregorii. cap. 4. PL. t. 66. col. 142 (percussit virga *monachum*). (5) 1 Ioann. 4, 18. (6) S. Ephraem, tom. 2 n. 19 de Virtute. cap. 9. p. 303 d.

confide quia cito fructus eius comedes. Si autem utiles commonitiones male acceperis, in novissimis te paenitebit, quando consumpseris carnes tuas et corpus tuum, et dicas : *Cur detestatus sum disciplinam et increpationibus non acquievit cor meum, nec audivi vocem docentium me, et magistris non inclinavi aurem meam ? Paene fui in omni malo, in medio Ecclesiae et Synagogae* (1). » — Idem (2) : « Tum[a], carissime, veritatem audiens, cave irascaris ; si vero adversus eum qui medicinam tibi affert, indignaris, iam declaras te sanari nolle, neque a morbo liberari ». — Idem. (3) : « Oportet cum omni humilitate eum, qui familiariter sua exponit arcana, consolari, sicut scriptum est : *Considerans te ipsum, ne et tu tenteris* (4) ». — Si quis insanabilis invenietur, abscindatur, ait D. Basilius (5).

4. Sed iam tempus est ut ostendamus nos etiam debere ad aliorum correctionem iuvare, quod non tantum praescribit regula decima, sed, ut dictum est in praecedenti exhortatione, etiam praeceptum Domini, qui id iubet (6) : *Si peccaverit in te frater tuus*, etc. ; et (7) : *Si quis ex vobis erraverit a veritate, et converterit quis eum, scire debet, quoniam qui converti fecerit peccatorem ab errore viae suae, salvabit animam eius a morte.* Qua in re contingunt interdum duo extrema : sunt etenim aliqui qui corrigunt nimis libenter, et oculatiores sunt in aliorum erratis diiudicandis quam in suis, eo quod sint in aliorum rebus nimis curiosi, seu quia aliqua passione moveantur ; quibus illud obici potest (8) : *Quid vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides ?* Hoc superbia praecipue subministrat. Alii contra nimis invite alios corrigunt, quod provenire potest vel[b] ex amore proprio, quod nolint aliis displicere, sed hominibus placere. At hi receperunt mercedem suam, videlicet laudem et gratiam humanam, quam aucupantur.

Reprehensionem[c] igitur seu admonitionem fraternam impediunt : 1° Timor mundanus displicendi. At omittendum non est officium plenum caritatis, nec neglegenda iustitia propter gratiam et opinionem hominum. Si enim hominibus placemus, Deo displicemus : *Si adhuc hominibus placerem,* ait Paulus (9), *Christi servus non essem.* 2° Indiscreta

(a) Scriptum est in cod. A. *Tm,* in B. prius *Tui,* quod mutatum est in *Tm.* In S. Ephraem legitur *Et tu.* (b) unicum *vel* legitur in utroque cod. (c) Iam monuimus hanc vocem scriptam esse per *ae* ; hic in utroque cod. Sic verbum proxime sequens.

(1) Prov. 5. 12-14. (2) S. Ephraem, tom. 2, n. 28. Attende tibi ipsi. cap. 6. pag. 317 a. (3) Id. ibid. n. 31. pag. 326 a. b. (4) Gal. 6. 1. (5) S. Basil. PG. t. 31. Reg. brev. § 57 et 61. col. 1122, 1123. iuxta Manar. (6) Matth. 18, 15. (7) Iac. 5, 19. 20. (8) Matth. 7, 3. (9) Gal. 1, 10.

humilitas, quae humilitas non est nisi imaginaria, et reprehendere quem non debes iniustitia est ; Christus Dominus, Ioannes Baptista, Paulus, etc. non fuerunt superbi et ipsi tamen acerrime reprehenderunt delinquentes. 3° Remissio spiritus et zeli honoris Dei. Atqui propter hanc punitum legimus Heli sacerdotem (1). 4° Timor perdendi aliquid de existimatione, ut contionatores, praeceptores, etc. qui multas improbitates sustinent conivendo, ne auditorum numerus ipsis minuatur ; sed talibus viris et omnibus christianis debet inesse libertas spiritus. 5° Verecundia tum naturalis, tum nascens ex amore proprio. Sed bonus christianus cogere se debet ad praestandum officium, quando usus venit. 6° Timor scandali, sed hoc scandalum passivum ac minime timendum est, quia agitur hic de erratorum correctione et de proximi salute. 7° Infirmitas eius qui deberet reprehendi ; cumque ex officio correctionis non speratur fructus, sed potius detrimentum animae eius timetur.

5. Correctionem vero ut libenter admittamus, movere nos debet sacra scriptura : *Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus* (2). Item Prov. 3 et 4 ; Ad Hebraeos, 13 ; rursus Prov. 9, 25, 29 ; Eccli. 10 ; quibus locis demonstratur <eius> utilitas. Malum proveniens ex defectu huius officii notatur Prov. 15 : *Qui abicit disciplinam*, etc.

Dicet fortassis aliquis : « Video hanc correctionem habere aliquam utilitatem, et pertinere ad bonum animae ; sed maioris perfectionis esse existimo ut ea mihi non fiat, quia persona boni nominis sum et non minimae auctoritatis. Ego nollem male audire apud superiorem, quia satago ut apud omnes bene audiam ; et licet quae facio mihi non probentur, ea tamen tegi desidero, quia superior si resciret, non intueretur me amplius bono, ut aiunt, oculo. » Ad hunc respondeo : Frater, venistine ad Societatem ut in honore esses et pretio ? ingressus sane non es per ostium ! Finis quem tibi proposuisti, non fuit bonus et rectus ; ideo te debes emendare, et hoc venenum amoris proprii a te depellere ; alioquin Deus non dabit perseverantiam. Venimus ad religionem ut hoc officium nobis praestaretur ad maiorem in spiritu profectum. Non venisti, mi frater, ut lateres, sed ut ad instar accensae lucernae super candelabro positae, omnibus colluceres (3), et tua te virtus omnibus amabilem et conspicuum faceret ad Dei gloriam, et ad Societatis munia utilius sanctiusque obeunda ; non ut magnus esses secundum vanitatem saeculi.

Religio locus est correctionis et paenitentiae : qui non intendebat

(1) Vid. supra, p. 476, not. 6. (2) Psalm. 2, 12. (3) Matth. 5, 15 ; Luc. 11, 13.

corrigi, nulla causa erat quam ob rem in Societatem ingrederetur. Dixit Sapiens (1) : *Auris, quae audit increpationes vitae, in medio sapientium commorabitur.* Item (2) : *Qui acquiescit increpationibus, possessor est cordis.* Item (3) : *Plus proficit correptio apud prudentem, quam centum plagae apud stultum.* Item (4) : *Melior est manisfesta correptio, quam amor absconditus ;* et : *Meliora sunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oscula odientis.* Item (5) : *Corripiet me iustus in misericordia et increpabit me ; oleum autem peccatoris non impinguet caput meum.* Dicat ergo unus quisque nostrum, fratres carissimi, apud se : ego veni ad religionem ut me ipsum cognoscerem, ideo in futurum me ipsum, Deo auxiliante, vincam ; laetabor quando superior, qui pater est animae meae, cognoscet defectus meos, ut me adiuvet ; et ut correctio aperiat mihi magis oculos, et cognoscam melius quid Societas de me sentiat, petam reprehensionem etiam publicam. Nam et te, Christe Iesu, qui fons es perfectionis, lego sciscitatum fuisse, quem dicerent homines esse Filium hominis. Petam igitur reprehensionem publicam, ut intellegam quos fratres mei in me notarint defectus ; expedit enim mihi, in salutem animae meae, ut intellegam quid de me haec familia sancta et Deo cara communitas sentiat, quid in me alios offendat, ut me queam emendare. Intellego siquidem hunc fructum esse pretiosissimum, quem in communitate et religione colligere possumus ; et D. Gregorius dicit (6), quod verus religiosus amat corrigi, et qui non amat, verus religiosus non est, nec humilis ; quod avertat Deus a nobis.

16ª Exhortatio

DE PRAESTANTIA SOCIETATIS ; DE CORRECTIONE, SIVE DE PAENITENTIIS, QUAE OB DEFECTUS INTERDUM EMERGENTES A SUPERIORIBUS INIUNGENDAE SUNT

1. Quia non nulli, ut veri simile est, aliqua admiratione et tristitia tenentur ob P^tris^ N^tri^ Arnoldi[a] ad Carthusianos transitum, operae

(a) Nomen hoc tertia manus scripsit in marg. cod. A ; deest in B.

(1) Prov. 15, 31. (2) Prov. 15, 32. (3) Prov. 17, 10. (4) Prov. 27, 5. 6. (5) Psalm. 140, 5. (6) S. GREGOR. PL. t. 76 Moral. lib. 23, cap. 13, n. 25, col. 266.

pretium duxi hodierna exhortatione pauca de eius consilio vobis dicere. Deinde dicemus de iis quae ostendant praestantiam et bonitatem Societatis, ac demum, de poenis, sive paenitentiis quae ob defectus interdum emergentes iniunguntur.

Primo igitur loco, ut eximam vobis molestiam et tristitiam, dicam non nulla de utriusque ordinis instituto, ne cui vel scrupulus vel minus aequa de Societatis instituto insideat opinio. Debet ergo omnibus esse compertum, eum patrem non recessisse a nobis, quasi illud vitae genus, quod iam sectatur, existimaverit eo quod deseruit esse perfectius. Non enim vir bonus et minime indoctus ita iudicavit ; sed arbitratus est sibi modo quam vitae rationem amplexatus est esse convenientiorem, ob suas, ut loquebatur, infirmitates, quod hoc Societatis institutum, ut perfectissimum est, ita homines perfectiores postularet, ad praestandum ea in proximos caritatis officia, quae ex principiis instituti nostri ubique Societas praestare solet. Se nimirum experiri ea se non posse amplius obire sine spiritus sui dispendio et salutis periculo. Recessit porro a nobis non libenter, nec omnino suaviter, sed quasi per vim quam sibi intulit. Vidisses, cum abiret, fluenta lacrimarum ex oculis fluere, ut etiamnum fluunt, quotiescumque nobiscum de mutatione sermonem facit. Magnum valde certamen secum[a] habuit, neque reor daturum ulli umquam consilium, ut Societatis institutum cum alio quovis commutet.

2. Est, fratres carissimi, hoc vitae genus nostrum, Deo sit laus, longe optimum ac maxime salutare. Res bona dicitur vel quia licet ex se bona non sit, ordinatur tamen ad bonum finem, ut medicina amara ; vel quia in se res bona est, atque in bonum finem ordinata, ut medicina suavis et sapida. Nostra ergo religio hoc secundo modo bona est, quia est approbata a S. Sede Apostolica, et omnes sui partes habet optime constitutas, et ad optimum denique finem est ordinata. Nam, quod ad finem attinet quem sibi praestituit, licet alias saepe de eo dixerimus, impellor tamen quasi necessitate, ut etiam modo aliqua adiciam.

Cum igitur constet quod status religionis sit quaedam vivendi ratio et formula, qua ad caritatis perfectionem disponimur et exercemur, multa necessario cum erga se, tum erga proximos officia praescribit. Varietas hinc nascitur officiorum, et exercendae caritatis diversitas. Religiones autem variae et multae ad varia et multa ordinantur munia ; singulae autem ad propria et instituto suo convenientia. Illud

(a) *sec. cert.* B.

porro certum est, quod caritas se extendat ad Deum et ad proximum propter ipsum ; hinc nascitur religionum diversitas. Nam aliquae soli Deo et contemplationi ac divinis officiis vacant, aliae ad actionem et convenientem sibi Dei cultum, aliae denique ad utramque vitae rationem ordinatae sunt, ut abbas Nestero[a] apud Cassianum disserit (1). Inter opera porro vitae activae praecipua sunt ea quae ordinantur directe ad salutem animarum, ut sunt contionari, catechizare, confessiones excipere, et huiusmodi alia officia, quae quando ex plenitudine contemplationis derivantur, praeferuntur simplici contemplationi, ut notavit Gregorius de viris perfectis dicens (2), quod memoriam suavitatis suae haustam in contemplatione eructant ; et, ut nobilius ac praestantius est illuminare quam lucere, ita praestantior est actio, quae contemplata aliis tradit, quam ea quae simpliciter contemplatur.

3. Proinde, summum gradum in ordinibus religiosis tenent illi qui ad docendum et praedicandum ordinantur, quia propinquiora sunt haec officia perfectioni episcoporum, ut ait D. Thomas (3).

Secundum vero locum eae obtinent religiones, quae ordinantur ad contemplationem. Tertium denique, quae ad actiones exteriores ordinantur.

In singulis autem gradibus attenditur praeeminentia unius religionis ad alteram, secundum altiorem actum in eodem genere ; ut potior est in tertio gradu, ea quae ordinatur ad redemptionem captivorum fidelium inter infideles, quam quae tendit ad hospitum exceptionem ; et in secundo, ea quae ad orationem potius quam quae ad lectionem viam tenet ; ac demum, secundum quod una religio ad plura vel pauciora ex his operibus ordinatur.

4. Ex dictis patet huius instituti nostri perfectio. Nam ad perfectissimam actionem cuiusque gradus ordinatur inter contemplativas, activas et mixtas ; et quod amplius est, ad plurimas actiones se extendit, videlicet ad praedicandum, docendum doctrinam christianam, seu catechizandum, necnon ad docendum alias scientias in ordine ad theologiam, sacramentorumque administrationem, praecipue confessionis et communionis ; ad orandum praeterea et contemplandum, et

(a) Uterque codex scripsit *Nestorius*.

(1) CASSIANUS. PL. t. 49 Coll. 14, cap. 1-3, col. 953 sqq. (2) S. GREGOR. PL. t. 76 in Ezech. lib. 1, hom. 5. n. 12, col. 826 b ; ibid. hom. 3. n. 9, col. 809. Cfr. t. 75, Moral. lib. 7, n. 61. col. 764. (3) S. THOM. 2. 2ae. q. 188, a. 6. c. (p. m. *Sic ergo...*)

ad alios instituendos in oratione et contemplatione per exercitia spiritualia. Ad opera item externa se extendit latissime, videlicet ad redimendos captivos, visitandos incarceratos, afflictos et infirmos, ad pacificandos discordes, ad pauperum denique subventionem ex instituti sui principiis vacat. Unde videre licet, quod etsi non omnia et universa, at certe plurima et praestantissima opera caritatis minima haec, ut loquebatur B. P. N., Societas complectatur. Quare est institutum procul dubio praestantissimum ; ut iure optimo doluerit et fleverit uberrime bonus ille Pater Arnoldus[a] quando fuit illi a nobis recedendum.

Sed advertite, fratres mei, multas religiones institutas esse ut vacent uni praecipue ex his operibus et officiis, videlicet, vel ad doctrinam christianam docendam[b], vel ad curandos infirmos, vel ad redimendum[c] captivos, etc. Atqui Societas ad haec et ad omnia quae ante commemorata sunt, ex instituto suo ordinata est, ut videlicet huic vel illi eius alumni operi et officio vacent, pro voluntate superiorum, vel temporum locorumque indigentia.

5. Quod ad media attinet ex quorum perfectione etiam attenditur religionis perfectio, ea sunt in Societate ad eius finem accommodatissima. Quod patet ex similitudine cum arca foederis antiqui testamenti. Nam ut in ipsa tria erant reposita dignitate praestantia (1), ita et in arca Societatis ad Dei cultum fabrefacta, tria inveniuntur divina manu posita : primum manna suavissimae gubernationis et conversationis, ob unionem animarum in magna nationum diversitate, ob ingeniorum elegantiam, morum comitatem, doctrinae claritudinem, et rerum quae valde frequenter ex variis nationibus per litteras referuntur copiam. Et ut mannae instar suavitas et dulcedo discretionis sentitur, ita animi omnium valde in ea[d] oblectantur. Addo quod cibus, potus, vestitus, conversatio est communis, quod spirat miram boni odoris suavitatem, et ad finem propositum convenientiam ; quia imitationem habet et exemplum Christi Domini et apostolorum. Oportuit enim Societatem, quae officia Christi et discipulorum, ad reducendum peccatores ad Deum per paenitentiam et vitae imitationem, obeunda recepit, omnium hominum condicioni, quantum fas fuit, se accomodare, ut omnia omnibus fieret (2) ; et ut milites, qui sub principe aliquo merent, eius symbolum

(a) *ille Arn.* tertia manus supra lin. in A ; librarius vero cod. B. scripsit *bon. pat. Noster*. Prius tamen scribebatur sola littera *N*. (b) sic in utroque cod., non vero *docendum*, ut paulo supra. (c) sic in utroque cod. (d) *in ea valde*. B.

(1) Hebr. 9, 4. (2) Cfr. 1 Cor. 9, 22.

— quam livraeam vocant — gestare solent, ita et nos Societatis alumnos Christi mores induere, quoad eius fieri potest, oportuit.

Habet et arca nostra legis tabulas, id est, leges et constitutiones, institutionesque instituto valde congruentes ; et quod magnam habet suavitatem, regulae ex vi et natura sua ad peccatum non obligant, licet non raro transgressionem peccatum consequatur, ut si quis de industria vel ex contemptu regulam aliquam transgrederetur ; est enim tunc medii a Deo dati ad perfectionem consequendam neglectus. Ad eam autem omnes religiosi ex instituto tenentur, testibus D. Thoma, D. Bonaventura, D. Antonino et aliis plerisque. Non habent tamen constitutiones obligationem ullam ex se, quae ad peccatum inducat. Voluit siquidem B. P. N. nos Societati et Ecclesiae servire in spiritu amoris, non timoris. Proinde neque Societas habet carcerem, nec paenitentias ordinarias ex obligatione.

6. Verum, inquies, suavitas haec non percipitur ab omnibus, quin aspera res esse censetur interdum non nullis Societatis disciplina. Respondeo, diversas ob causas insuavitatem hanc posse contingere : 1° Quia aliqui considerant res Societatis quasi a longe et in confuso, et ideo graves et asperae videntur ; ut qui a longe spectat tabulam affabre depictam ; in ea[a] videt montes, valles, deserta, agros incultos, arbores parvas, excelsas, etc. ; sed si accedat propius, remque penitius examinet, non iam montes et valles, sed omnia plana conspicit : sic debemus, fratres carissimi, propius accedere, et magno affectu et amore ministeriis nostris vacare ad melius cognoscendas res Societatis. Sunt cibi aliqui qui non gustantur nisi masticando ; nam si integer deglutiatur, eius[b] non sentietur suavitas.

2° Non nulli sunt pleni malis habitibus, assueti delectatione illicitorum ; hic vero gustus iis infectus saporibus, non facile percipit officiorum et ministeriorum Societatis suavitatem. Sicuti filiis Israel non sapiebat manna, quia eorum gustus memoria caeparum Aegypti infectus erat. Oportet ergo rerum omnium terrenarum atque illecebrarum mundi memoriam penitus exuere, exercere se vero bonis studiis et actionibus, et desideriis, ut « vacemus et videamus quam suavis est Dominus (1) » et *quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde* (2).

3° Alii saepius de rebus alienis quam de propriis sunt solliciti ; haec porro curiositas vel nimia facilitas gustum animae inficit. Nam

(a) *et in ea*. B. (b) sic : *integer, deglutiatur, eius*, in singulari numero, uterque cod.

(1) Videntur misceri Psalm. 33, 9 et 45, 11. (2) Psalm. 72, 1.

licet res illae natura sua malae non sint, non conveniunt tamen professioni nostrae, ut, v. g. qui saepe cogitaret vel loqueretur de quiete Carthusianorum : si cum affectu et propensione ad eam quietem id agitaret, minus de sua vocatione sentiret et gustaret, quin etiam forsitan eam fastidiret. Non debemus igitur nos hisce periculis et distractionibus exponere, et cavendum diligenter ne cum daemone, seu pravis suggestionibus eius, de nostro instituto disputemus. Nam cum vota nostra, Dei beneficio, ipsi nuncupaverimus, — sint autem illa principia indemonstrabilia scientiae nostrae religiosae — omnem contrariam eis suggestionem diaboli repudiare et abicere debemus, et cum humili ac ferventi gratiarum actione ad Deum nos convertere et auxilium petere.

7. Neque porro Societas tantum habet manna et legis tabulas, sed virgam etiam habet, quae flores et fructus suavissimos producit : virgam, inquam, habet correctionis. Nam licet illa noverit religiosos suos moveri debere potius amore quam timore ad opus bonum et ad disciplinae observationem, non ducit tamen virgam esse otiosam et sibi inutilem ; nam illa nos dirigit caritate amoreque virtutis. Non agunt superiores Societatis aspere et severe, ut plerique faciunt abbates, sed admonitione correptioneque utuntur, quando usus venit. Non intentant carceres, non officii privationem, non excommunicationem meditantur ; immo neque mandant ulli in virtute sanctae oboedientiae, nisi in gravi necessitate.

Habet quidem Societas ius carceris et excommunicationis, sed mavult omnia amanter et paterne agere. Et sane filius Sunamitidis mulieris non surrexit ad tactum baculi Elisaei (1). sed per affectum et amplexum prophetae se humiliantis et ad pueri rationem se accomodantis, et cum oratione et spiritu suo confoventis : sic superior in Societate suos fovet, et ad ipsorum infirmitatem quantum fas est sese accommodat. Pungit nihilo minus interdum et urget, sicuti fecisse eundem prophetam legimus cum Giesi discipulo suo (2).

Similiter fecit et docuit esse faciendum Christus et apostoli eius. Audite unum de primariis, et qui plenus erat spiritu Dei (3) : *Quid vultis ? in virga veniam ad vos, an in caritate et spiritu mansuetudinis ?* etc. Sic Deus, cuius misericordia est infinita, virgam habet et ea utitur, non quod illa absolute ipsi placeat, sed quia nostra infirmitas et nostra salus illam exigit ; v. g. *Deus mortem non fecit, nec laetatur in perditione vivorum* (4) *; benedictum* tamen *lignum* praedicatur, *per quod*

(1) 1 Reg. 4, 31 sqq. (2) Ibid. 6, 25-27. (3) 1 Cor. 4, 21. (4) Sap. 1, 13.

fit iustitia (1). Superior virga uti debet, quando id ratio postulat, nisi indiscretus et insipiens haberi et esse velit ; sed ea utatur sicuti Deus. Quomodo vero Deus virga utitur ? Summa cum caritate, iustitia, benignitate, suavitate atque providentia. Ita superior se gerat, ut in ipso eluceat, dum corripit, magna sapientia, mansuetudo atque benignitas.

8. Virga porro haec semper producere deberet fructus amygdalinos, id est, dulces et suaves ; profert tamen interdum malos et acerbos praeter opinionem. Causa vero huius discriminis ut plurimum est indispositio eius qui corripitur ; nam in malis et protervis vix umquam effectum bonum producit absque amarulentia. Si porro virga percutiat interdum bonum et mitem, facit fructum bonum ; sicuti bonum semen cadens in terram bonum profert fructum, et quidem copiosum. Malus fit ex correctione tristis ; inde indignatur et in impatientiam ruit ; hinc vero in proterviam, murmurationes, detractiones, suspiciones, ac demum abyssus abyssum invocat, abyssum, inquam, peccatorum et inferni, « *tradentur*que *in manus gladii*, et *partes vulpium erunt* (2), Bonus affert fructum bonum. Nam is agnoscit statim suam infirmitatem, et se ad hoc venisse ad religionem agnoscit, et ut suam crucem ferat atque se mortificet ; ac persuadet sibi virgam a Deo datam esse, eamque suscipit quatenus a Deo est, vel agente vel permittente. De manu vero tam boni parentis accipit velut margaritam hilari ac prompto animo ; nec attendit ad asperitatem externam amygdali, sed ad fructum et nucleum contentum ; sicuti hortulanus sapiens non attendit ad asperitatem praecipue piri vel vitis, sed ad suavitatem fructus exspectati. Spina rosas profert suavissimas, habet tamen suos aculeos.

Consideranda est ergo, fratres carissimi, virgam paenitentiarum, quatenus venit de manu Dei ; tunc enim consolationem et suavitatem habet : *Virga tua, et baculus tuus ipsa me consolata sunt* (3). Imperfectorum poena non est tamen omnino inutilis ; nam licet ipsis non prodesset, bonis tamen est ad cautionem et timorem ; *Ut audientes ceteri timorem habeant, et nequaquam talia audeant facere* (4), quae sententia etiam confirmatur cap. 21, 21. Neque tantum bonis prodest poena religiosi imperfecti, sed aliis etiam, qui aliquo morbo spirituali laborant. Ideo dicitur (5) : *Pestilente flagellato stultus sapientior erit ;* et (6) : *Multato pestilente sapientior erit parvulus.* Actor. (7) : *Factus est timor magnus in universa ecclesia,* ob mortem videlicet Ananiae et uxo-

(1) Sap. 14, 7. (2) Psalm. 62, 11. (3) Psalm. 22, 4. (4) Deuter. 19, 20. (5) Prov. 19, 25. (6) Prov. 21, 11. (7) Act. 5, 11.

ris ; et ad Timotheum dicitur (1) ; *Peccantes coram omnibus argue, ut et ceteri timorem habeant.*

9. Cogitat fortasse apud se quispiam : At superior interdum virga tangendo, dat subdito turbationis occasionem ; turbatio autem peccatum est. Respondetur : Verum quidem esse ; sed si adeo indispositus est religiosus, ut ex tactu virgae turbetur et in imperfectionem aliquam labatur, quam gestu vel verbo declaret, praeservatur tamen a gravioribus, et agnoscens tandem suam culpam se componit. Vae autem illis, qui pervicaces et protervi perseverant, et qui se iuvare ad perfectioraque tendere neglegunt.

Alius etiam fortassis apud se reputabit, quod virga aliquando adhibeatur iniuste. Respondeo, quod numquam sine Dei providentia, quae nos regit et gubernat. Addo, quod si non es, mi frater, iam meritus, meritus tamen es alias ob causas praeteritas. Addo, quod passiones saepe fallunt, ut non agnoscas delictum. Superioris praeterea est, ut periti medici, non solum medicinam purgativam praebere, sed et praeservativam, alioqui officio pastorali deesset. Debet demum subditos probare et ad virtutem exercere. Sic Deus servum suum Iob, sic Tobiam, sic Abraham exercuit. *Tentat vos,* aiebat Moyses populo (2), *ut palam fiat,* id est, vos scire et cognoscere ipsa experientia faciat, *utrum diligatis eum.* Sancti omnes valde profecerunt adversis : patet id ex sanctis paulo ante commemoratis, et infinitis aliis ; nec mirum, cum Deus maxime tum ipsis affuerit. Hinc dicebat propheta David in persona Dei loquens (3) : *Cum ipso sum in tribulatione ; eripiam eum et glorificabo eum.*

Quando omnia nobis sunt prospera, tunc anima extra se evagatur ; virga autem facit ut revocetur ad cor, et ad se ; ad se vero reversa, incipit videre imperfectum suum, quod prius non videbat ; quin omnia plana et salva esse reputabat. Virga ergo dat intellectum. Dina, filia Israel (4), quia non habuit virgae usum et exercitium, extra se vagata est, et tabernacula sua egressa violata fuit a filio Sichem. Sic filii Heli, quia non senserunt virgam patris indulgentioris, secuti sunt inania, et neglecto Dei cultu carnis voluptates, propter quas a Deo morte multati sunt (5). Praeservat etiam virga a malis maioribus, quia causas peccatorum tollit, et mortificat quae pertinent ad concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum et superbiam vitae.

(1) 1 Tim. 5, 20. (2) Deuter. 13, 3. (3) Psalm. 90, 15. (4) Genes. 34. (5) Vide supra pag, 476, nota 6.

10. Iuvat ergo virgae tactus 1° ad purgationem, quia culpa foedat ; at paenitentia, quasi ignis, animam purgat, ut ignis materialis purgat aurum. Hinc Christus ait (1) : Omnem palmitem in me ferentem fructum, pater meus purgabit illum, ut fructum plus afferat. — 2° Illuminat, quia poena facit cognoscere culpam (2) : *Virga atque correptio tribuit sapientiam.* Figura exstat Tobiae capite undecimo, ubi dicitur Tobias illuminatus felle igni superposito (3). Gregorius (4) : « Oculos, quos culpa claudit, poena aperit. » Sic contingit non raro ut errata non cognoscamus nisi moniti ; vel, si videmus et agnoscimus erratum, culpae tamen gravitatem non advertimus nec ponderamus. — 3° Excitat ad emendationem, ut iterum non cadat peccatum in nos. Unde comparatur myrrhae, quae conservat a putrefactione : sic virga operatur in nobis, ut in nostris miseriis non persistamus. — 4° Iuvat ad meritum et ad mortificationem propriam. — 5° Ad imitationem Christi pro nobis passi. — 6° Satisfacimus per eam poenae temporali, debitae iustitiae divinae propter peccatum. — 7° Peccati reliquias ac fomitem minuit atque debilitat. — 8° Devotionem excitat et odium inducit peccati. — 9° Animam contra diaboli tentationes et molimina roborat, et minuit. — 10° Deo nos reconciliat et gratos facit, si pia ac bona voluntate suscipitur ; nam Ninivitis Deum placavit et propitium fecit (5), sicuti et regi Achab, quod humiliatus esset (6). — 11° Multa dona et beneficia obtinet a Deo ; unde Iudith per paenitentiam sponte assumptam et per orationem gratiam promerita est, et Holophernem eiusque exercitum delevit. — 12° Accedit quod unius punitio multis sit cautio ; nam de Deo vulgo dicitur : unum castigat et centum emendat aut admonet. Nec laetatur superior virgae usu ; quin tristatur velletque non uti, sicuti princeps et iudex gladio non uteretur, nisi necessitas impelleret pro salute proximi et disciplina, quae vallum est religionis, ideo diligenter custodienda : displicet peccatum iudici, non persona.

11. 13° Hoc praeterea boni habet virga, quod ut contristat imperfectos, sic consolatur bonos. Gaudent enim boni superiorem habere zelum, et non esse acceptorem personae, ipsum disciplinam studiose tueri ; demum gaudent se non implicari malis ; quin etsi virga initio imperfectos contristat, id accidit ut in medicina amara, quae sumpta turbat totum corpus et debilitat, causatque in toto corpore quandam

(1) Cfr. Ioann. 15, 2. (2) Prov. 29, 15. (3) Tobias 11, 13. 14. Cfr. Tob. 6, 8, ubi de corde, non de felle piscis. (4) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. lib. 15, cap. 51, n. 58, col. 1111. Cfr. t. 76. lib. 25, cap. 8, n. 19, col. 331 in. (5) Ion. 3, 10. (6) 3 Reg. 21, 29.

umorum alterationem atque inordinationem maximam. Sed praecesserat altera inordinatio peior, videlicet umorum corruptio, quae generat morbum et in corpore universam perturbationem, quam inordinationem secunda alteratio et turbatio, quam inducit medicina, componit : sic qui correctionis medicinam suscipit, licet aliquid perturbationis sentiat, quod malum est, efficit tamen ut mali umores inordinatarum passionum tollantur. Hinc psalmista (1) : *Priusquam humiliarer ego deliqui,* et subiungit : *Propterea eloquium tuum custodivi.* Et Paulus (2) : *Omnis disciplina in praesenti quidem videtur non esse gaudii, sed maeroris,* etc. Ita cum navis tempestate iactatur, et nubes diem eripit, nihil aliud videas in mari quam horrorem, pavorem et trepidationem ; verum ubi restituta lux est, atque ea tempestate perlata navis ad portum conspicitur, naucleri tum demum cernunt fructum illius tempestatis : solent enim naves plerumque plus spatii emetiri tempestate quam serenitate.

Si quis dicat paenitentias Societatis esse saepe leves et parvi momenti, fatebor equidem. Sed considerare debemus, habere nihilo minus parvas paenitentias vim medicinae : sicuti pillula res parva est, si materiae quantitatem spectaveris, sua tamen virtus et efficacia adeo magna est, ut omnes corporis partes pervadat, umores colligat et egerat.

12. Qui praeest porro, debet peculiarem curam gerere eorum qui tentationibus magis sunt obnoxii. 1° Quia tales magis egent consolatione et curatione. Non est opus bene habentibus medico, sed male habentibus (3). Bona ratio aliquando curandi infirmos est, submittere occultos consolatores, qui licet accedant cum licentia superioris, nullam tamen dant significationem quod ab ipso submissi sint, sed quod compassione permoti licentiam petierint visitandi ; quam ad rem aptiores sunt seniores et sapientiores. — 2° Ne pereat ulla de ovibus sibi a Deo commissis ; nam bonus pastor sollicitus esse debet de singulis pecudibus. — 3° Reputare debet curam sibi datam esse omnium, praecipue infirmorum. Bernardus (4) : « Quae sanae sunt portari non indigent ; quoscumque ergo de tuis inveneris tristes, pusillanimes et murmurosos, ipsorum te patrem noveris esse. » Item ad praelatos loquens (5) : « Discite, inquit, subditorum matres vos esse debere, non dominos » : matris autem est, de filiorum et maxime infirmorum salute sollicitam esse. — 4° Ob comminationem aeternae damnationis. Ezechiel (6) :

(1) Psalm. 118, 67. (2) Hebr. 12, 11. (3) Cfr. Matth. 9, 12. (4) S. Bern. PL. t. 182 Epist. 73, n. 2. col. 187. (5) Bern. PL. t. 183 Serm. in cant. 23, n. 2. col. 885 b. (6) Cfr. Ezech. 34, 2. 3.

Quod crassum erat assumebatis. Vae pastoribus Israel, qui pascebant semet ipsos. — 5° Ob exemplum Christi Domini, qui centum habens oves in deserto, nonaginta novem reliquit, ut unam quaereret (1).

Studeamus, fratres mei, ita nos gerere inter fratres nostros, ut superioribus non simus oneri : simplices simus absque artificio, puri absque vitio. Simplicitas in intentione actiones nostras in Deum dirigit, in quem illa semper intendit ; puritas vero in affectione Deum apprehendit, et de ipso divinisque rebus gustat. His duabus alis quisque nostrum sublevabitur a terra, et spiritu erit in caelo. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus.

17ª Exhortatio

SUPER REGULA 11ª SUMMARII : DE MUNDI CONTEMPTU ET EORUM QUAE MUNDUS AMAT, ET DE AMANDIS IIS QUAE CHRISTUS DOMINUS AMAVIT ET AMPLEXATUS EST

1. Quando Deus in veteri testamento aliquid volebat magni momenti dicere, ut sacrae scripturae docent, aliquid solebat praefari, ut attentionem populi conciliaret, ut ibi (2) : *Audi, Israel ; Ego sum Dominus Deus tuus*. Item apud Isaiam (3) : *Audite, caeli, et auribus percipe, terra ; filios enutrivi, ipsi autem spreverunt me*. Item (4) : *Attendite, popule meus*. Et rursus in cantico Moysi (5) : *Audite, caeli, quae loquor, audiat terra verba oris mei*. Ita B. P. N. verus Dei discipulus, in hac regula praefatus est, ut nobis ostenderet ardens desiderium suum, ut haec constitutio seu regula servaretur, quod in ea posita sit tota hominis religiosi perfectio. Praefatur, inquam, dicens : « Diligenter animadvertant oportet, magni faciendo, summique momenti id esse ducendo in conspectu creatoris ac Domini nostri, quantopere iuvet ac conferat ad vitae spiritualis profectum, » etc. Addit Pater noster « in conspectu Domini », quod idem est atque si diceret ut sancti olim loquebantur in praesentia Dei : « *Vivit Dominus* », aiebat quidam (6), « *in cuius conspectu sto* » ; et psalmista (7) : *Providebam*

(1) Luc. 15, 4 sqq. (2) Reicit auctor ad Exod. 20 ; at haec in ed. Vulg. ibi non occurrunt. Habentur autem ap. Marc. 12, 29, et Psalm. 80, 9, 11. (3) Isa. 1, 2. (4) Psalm. 77, 1. (5) Deut. 32, 1. (6) 4 Reg. 3, 14. (7) Psalm. 15, 8.

Dominum in conspectu meo semper ; et de improbis agens, ostendensque causam improbitatis eorum dicit (1) : *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* Peccatores enim et mundi amatores haec non intellegunt, et si intellegunt, non perpendunt, sed ad instar caecorum de imaginis pulchritudine iudicant. Est autem aliquid facere in conspectu Dei, idem dicere atque ut actio et oratio nostra placeat Deo : *Intret,* ait psalmista (2), *in conspectu tuo oratio mea,* Domine, id est « placeat » ; vel est idem ut cum reverentia et humilitate agamus, sicuti ante regem statur. Dicimur ambulare in conspectu Dei, quando Deus respicit nos et suo favore prosequitur ; *Ambula,* aiebat Abrahamo (3), *coram me, et esto perfectus.*

Duo autem praecipue continentur in hac regula, abhorrere videlicet ab iis omnibus quae mundus amat, et amplecti omnia quae Deus amat et Christus amplexatus est : nam in his duobus summa religiosae perfectionis est collocata. Nam omnibus christianis praeceptum est (4) : *Declina a malo et fac bonum* ; religioso autem alia perfectiora, nimirum, vestire se iisdem vestibus quibus Christus vestitus fuit. Peccatores contra faciunt ; hinc de iis queritur Dominus (5) : *Dereliquerunt me fontem aquae vivae, et foderunt sibi cisternas dissipatas quae continere non valent aquas.* Beatus ergo P. N., mundo omnino contrarius, duo bona contraria duobus illis malis praescribit servanda, ut videlicet amemus et complectamur quae Christus pro nobis est amplexatus, et abhorreamus ab omnibus a quibus Christus abhorruit. *Vade,* inquit (6), *si vis perfectus esse, et vende quae habes,* hoc est, abhorre ab omnibus quae mundus amat, *et veni, sequere me,* id est, amplexare quae ego amplexatus sum. Quod audiens et penetrans D. Petrus dixit (7) : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te.* Quod utinam aliquando perfecte dicere et observare valeamus.

2. Debemus porro abhorrere ab iis quae mundus amat, ut solent hostes ab inimicorum consiliis abhorrere, quod mala et noxia illis sint. Nam nisi fugiantur hostium consilia, tollent illi arma quibus defendere nos oportet, ac tandem nos arcis propugnatores expugnabunt, subigent, vita privabunt. Nisi abhorreamus a mundo hostis nostri studiosissimo, cognoscet daemon quibus nos rationibus utimur et nobis ab ipso cavemus, ut sunt humiliationes, mortificationes, etc. quas enitetur fucatis rationibus et dolis nobis auferre, ut sublatis

(1) Psalm. 53, 5. (2) Psalm. 87, 2. (3) Gen. 17, 1. (4) Psalm. 36, 27. (5) Ierem. 2, 13. (6) Matth. 19, 21. (7) Matth. 19, 27.

armis cognoscat nostras cogitationes et consilia sensim fieri mundana, nosque paulatim evanescere.

Advertendum autem est mundum praecipue amare quattuor, ut notat B. P. N., videlicet honores, famam, magni nominis existimationem in terra, et divitias.

Est autem honor, 1° reverentia, quae alicui exhibetur in virtutis testimonium ; 2° honor accipitur pro dignitate, dominio et magistratu, iuxta illud (1) : *Gloria et honore coronasti eum*, scilicet hominem ; 3° pro laude (2) : *Et finem illorum sine honore ;* 4° pro praemio (3) : *Hoc honore condignus est, quemcumque rex voluerit honorare.* Haec omnia debemus fugere, omniaque arbitrari cum Paulo ut stercora (4).

3. Fama est nomen quod de aliquo spargitur, sive in bonum sive in malum ; famam et laudem in malum sectantur illi de quibus Sapiens (5) : *Laetantur cum male fecerint et exsultant in rebus pessimis,* ut qui gloriantur de homicidiis patratis, de furtis ; psalmista (6) : *Si videbas furem, currebas cum eo, et cum adulteris portionem tuam ponebas.*

Bonam famam non debemus omnino fugere, quia nobis necessaria est propter proximos, et *Melius est nomen bonum, quam divitiae multae* (7) ; praecipue iis qui ex officio dispensatores sunt ministeriorum Dei, et vacant saluti animarum, sicut faciunt Societatis homines. Estque gravis eius iactura, adeo ut facilius possit compensari damnum ex homicidio acceptum, quia facile illud potest aestimari ; sed damnum spirituale boni nominis aestimari nequit, quando cadit in personas quae multos habent a se pendentes, ut sunt superiores, pastores, contionatores, praeceptores, etc. neque cognosci potest quam profunde in cordibus inhaeserit nota illata.

4. Quomodo debeat restitui famae laesio a detractore, vide Scotum in 4, dist. 15, q. 4, ubi dicit, quod murmurator seu detractor, licet non possit restituere famam alteri ablatam, quin se infamet et declaret mendacem et calumniatorem, non refert, ait, quia praevalere hic debet quod alteri iniuste ablatum est, et quod iuste alteri debetur. Iam vero proximo iuste fama debetur ; mihi, qui detraxi, iuste non debetur ; sed quod iustum est, amare teneor et quaerere proximo, qui damnum a me accepit. Haec ille. Neque tamen, proprie loquendo, se infamat restituendo, sed reddit proximo bonam existimationem et opinionem, quod est laudabile ; illius autem erat opinionis indignus

(1) Psalm. 8, 6. (2) Sap. 5, 4. (3) Esth. 6, 9. (4) Cfr. Philip. 3, 8. (5) Prov. 2, 14. (6) Psalm. 49, 18. (7) Prov. 22, 1.

possessor. Augustinus ad Maced. l. 2, et decret. 2, c. 14. q. 6 « Si res ».

Qui murmurando refert quae audivit[a], non ut infamet, sed ex neglegentia et levitate aliqua, licet sint gravia, non tenetur ad restitutionem, nisi rem auxisset, vel modo suo dicendi induxisset alios ad credendum ea vera fuisse. Non enim fuit inde proximi fama ablata seu denigrata, quia auditores non debuerunt credere homini referenti quae dici audivit, maxime quando refert dici publice, fuisse vera ; immo, qui tam facile crederet, offenderet, dicente Ecclesiastico (1) : *Qui credit cito, levis corde est.*

Qui vero aliquid vidisset et certum esse sciret, restituendo famam non deberet dicere se mentitum esse, quia mentiretur et peccaret, sed dicat hoc, vel simili modo : nolite credere N. talem esse qualem ego dixi vobis, quia male et indiscrete atque ex levitate locutus sum ; habeo illum pro viro bono, etc.

Haec paulo quidem fusius quam exhortationis ratio postularet, operae pretium tamen duxi ita extendere sermonem, quia faciles interdum sumus in loquendo, etiam ubi proximi fama notatur. Cetera quae regula continet, intellegi possunt de temporalibus commodis et sensualitatibus ; haec enim omnia magni fiunt a mundanis ; quae si sectemur, cum sint arma et instrumenta inimicorum nostrorum, procul dubio irretiemur et capiemur ut hamo pisces. Ut ergo veri religiosi simus et Christi discipuli, sequamur nostrum ducem, qui spretis mundi illecebris *Exsultavit ut gigas ad currendam viam* ab honore ad dedecus : *A summo caelo*, inquit psalmista, *egressio eius* (2), id est, a summa dignitate ad contraria.

5. Ex hac regula elice primum, quod debemus esse omnino contrarii mundo, et sectatores amicique Christi Domini, abhorrendo ab eo quod amat mundus, et amando quod ipse Christus amat. Item, quod non tantum debeamus relinquere et fugere quae mundus amat, sed abhorrere, ut maxime noxia ac pestifera, quae mundus aestimat et laudat. Sunt autem plurimis causa perditionis ; nam ut dixit D. Ioannes (3) : *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, et concupiscentia oculorum, et superbia vitae. Egredimini*, inquit Isaias (4), *de Babylone*[b], id est de mundo, ut unus quisque salvet animam suam. Augustinus : « Si te delectat mundus, semper vis esse immundus. »

Praeterea elicitur ex regula, quod non debeamus sequi commoda nostra, non diligere prima loca, non officia altiora, non aestimari a

(a) refert, qui aud. B. (b) *de Bab.* om. B.

(1) Eccli. 19, 4. (2) Psalm. 18. 6. 7. (3) Ioann. 2, 16. (4) Isa. 48, 20.

gratia aliqua quam Deus dederit, non aliis nos praeferre, non dedignari aliis honorem exhibere, caput aperire, conversari cum iunioribus, sed humilia semper sapere et desiderare : *In humilitate*, ait Paulus (1), *superiores sibi invicem arbitrantes*. Non debemus item solliciti esse de existimatione nostra ; sed ut non demus ulli occasionem offensionis et scandali. Proinde nec solliciti esse debemus de excusationibus, quando a superiore reprehendimur ; sed etiamsi non offenderimus, libenter humiliare capita nostra propter Christum, qui pro nobis tot contumelias et opprobria sustinuit. D. Basilius sciscitanti an oporteat honorem quaerere, respondet in regulis (2) : Reddere quidem honorem edocti sumus, requirere autem prohibiti. *Quomodo*, inquit Christus (3), *vos potestis credere qui gloriam ab invicem accipitis, et gloriam, quae a solo Deo est, non quaeritis ?* Esse itaque multum sollicitos de nostra existimatione et honore, indicium est modicae fidei, et non habere nos magnam cum Deo communicationem. *Si adhuc hominibus placerem*, ait Paulus (4), *Christi servus non essem*. Si porro qui oblatam sibi gloriam et honorem accipiunt, condemnantur, consequens est condemnari eos qui non oblatam requirunt. Reputate saltem apud vos, fratres mei, quali iudicio illi digni sunt.

6. Quid vero de temporalibus rebus ac de commoditatibus corporis sentiemus ? Sollicitos certe esse an commoda sint cubicula, vestes similiter[a] meliores, libros elegantes et multos, imagines venustas, etc. desiderare, non est sane consentaneum primo proposito nostro, qui contenti fuimus ut viliora quaeque nobis traderentur. Non sumus quidem, Deo sit laus, proni ad voluptates carnis, sed libenter tamen sentimus et admittimus voluptatem et oblectamentum saporum suavium in mensa, recreationum, ambulationum, otiorum, etc. In his, fratres mei, omnibus nos ita habere debemus, ut secundum regulam mortui simus mundo. Non possumus quidem abicere omne delectamentum in cibo, sed mortificare debemus miseram nostram sensualitatem, quantum possumus : *Primum* et avidissime *quaerite regnum Dei, et haec omnia adicientur vobis* (5). *Si pes tuus scandalizat te* (6), etc. Iuvat etenim ad mortificationem et salutem animae relinquere in mensa interdum ea quae magis gustum et sensualitatem titillant.

Debemus praeterea amare quae Deus amat. Amavit autem Deus Christus Dominus pati iniurias, labores, sudores, incommoda, etc. propter nos ; similia ergo et nos debemus amare. *Qui vult*, inquit

(a) Addidit A in margine ; deest in B.

(1) Philip. 2, 3. (2) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 36. col. 1106. (3) Ioann. 5, 44. (4) Galat. 1, 10. (5) Matth. 6, 33. (6) Matth. 18, 8. 9 ; 5, 29. 30. Marc. 9, 42.

Christus (1), *post me venire, abneget semet ipsum ;* et adulescentulus morti expositus ait (2) : *E caelo ista* [membra] *possideo, sed propter Dei leges nunc haec ipsa despicio.* Ad Philippenses (3) : *Salvatorem exspectamus Dominum nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostrae, configuratum corpori claritatis suae.* Qui vult ergo novam vestem, exuat veterem.

Christus amavit munda, seu cordis puritatem (4) : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Apocalypsis : *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum* (5). Quae mundus amat, immunda sunt, quia hominem immundum reddunt. Aurum in se mundissimum est ; dicitur vero immundum quando luto maculatum est. Anima similiter munda est in se, sed immunda fit per peccatum : virtutes autem mundae et amandae. Christus amavit semper aeterna, et voluit ut ea quaereremus : *Quaerite primum regnum Dei* (6), etc. Anima nostra similiter gaudeat aeternis ; corpus sive sensualitas transitoriis gaudet. Legem mentis sive spiritus sequamur, fratres mei, aeterna quaeramus et amemus, ad quae creati sumus.

7. Dicit regula quod nos debeamus indui eadem veste quam Christus induit. Haec Christi vestis in primis est humilitas, de qua Apostolus (7) : *Exinanivit semet ipsum formam servi accipiens*, sive induens. Vestis Christi est crux et cruciatus, opprobria, flagella, etc., de qua Isaias (8) : *Quare rubrum*, ait, *est vestimentum tuum* ? Respondet autem Dei Filius : *Torcular calcavi solus.* Hac veste gloriabatur Apostolus dicens (9) : *Stigmata Domini Iesu in corpore meo porto*, monetque ut idem faciamus : *Imitatores*, ait (10), *mei estote, sicut et ego Christi*, videlicet libenter patiendo pro Christo opprobria, contumelias, etc. *Absit mihi gloriari*, ait idem, *nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi* (11). Hac veste induta fuit B. Virgo, cuius *animam* sub cruce *gladius* doloris *pertransivit* (12). Vestis Christi est paupertas, quam nascens elegit, induit, gestavit per totam vitam, adeo ut et in morte omnino nudus crucifixus sit, omnibusque bonis exutus, exutus inquam vestimentis, honore, commodis, existimatione omni apud impios ; vestis (denique)[a] Christi est patientia, quam induere et iugiter retinere debemus, sicut Christus Dominus patientissime cruciatus omnes toleravit ; vestis denique Christi est oboedientia, quam amavit (13) *usque ad mortem, mortem autem crucis.*

(a) Vocem hanc oportuit deleri ; est tamen in utroque cod.

(1) Matth. 16, 24. (2) 2 Machab. 7, 11. (3) Philip. 3, 20. 21. (4) Matth. 5, 8. (5) Apoc. 21, 27. (6) Matth. 6, 33. (7) Philip. 2, 7. (8) Isa. 63, 2. 3. (9) Gal. 6, 17. (10) 1 Cor. 11, 1. (11) Gal. 6, 14. (12) Luc. 2, 15. (13) Philip. 2, 8.

Mirum est profecto, si rem iusto pondere perpendamus, mundanos pro iis quae mundus amat tantum laboris et sollicitudinis suscipere, licet certi non sint quod ea sint consecuturi vel servaturi ; contra vero religiosos, qui certi sunt de retributione caelesti, si mundum contemnant et quae Deus amavit ament et consectentur, tam ignavos tamen et remissos esse ad laborandum pro eis bonis innumeris, quae ipsis tum in hac vita, tum vero maxime in aeterna illa beatitudine certissime ac liberalissime a Deo repromittuntur. Certe, si amor esset vivus et efficax in nobis, multo alacrius labores huius vitae sustineremus, ut digni efficeremur promissionibus Christi. Remissio porro inde provenit, quod ipse amor Dei in nobis sit remissus ; mensura etenim amoris, mensura est operationis et disciplinae.

Quam insignis et ardens exstiterit in sanctis, docent cruciatus et tormenta quae pro Christo sustinuerunt. Qui vere cupit esse Christi aeternisque bonis perfrui, paupertatem divitias esse existimet, afflictionem corporis recreationem, asperitatem virtutis delicias, improperium honorem, contumelias gloriam. Haec enim vera servorum Dei gloria est ; neque vero solum improperia miles Christi propter eum ferre velit, quin si deliciae et oblectamenta mundi contigerint, ea ut stercora respuat ; si laudes hominum atque honores sic existimet ut ea quae non sint, quin et propter huiusmodi confundi atque lugere religiosus studeat ; laetetur autem quando vilia et abiecta contingunt ; ait enim Apostolus (1) : *Per arma iustitiae a dextris et a sinistris, per gloriam et ignobilitatem, per infamiam et bonam famam,* ut in utrisque[a], etc.

Talem enim, fratres mei, decet esse religiosum, qui se Christi discipulum et verum Societatis alumnum profitetur ; et quem ad modum incus, licet quidem semper verberetur, non tamen movetur neque concavitates in se recipit, sed eadem et[b] inconcussa sibique similis semper manet, sic et qui verum vult se exhibere religiosum, inter tribulationes, quae ipsi eveniunt sive exterius ab hominibus sive interius ab improbo spiritu, inconcussus et constans maneat, respiciens continenter in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum, et fiduciam suam collocans in Christum, quem imitatur, dicens-

(a) Cum sequatur *etc.*, haud scio an librarius scribendo erraverit. Uterque codex idem habet. Fortassis supplendum est : ut in utrisque *exhibeamus nosmet ipsos* (exhibeat se relig.) *sicut Dei ministros*, l. c., v. 4. (b) om. B.

(1) 2 Cor. 6, 7. 8.

que cum Propheta (1) : *Esto mihi in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvum me facias.* Quod nobis concedat benignissimus Iesus. Amen.

18ª Exhortatio

DE ABNEGATIONE ET MORTIFICATIONE SUI IUXTA REGULAM 12ᵃᵐ: 1° OSTENDUNTUR CAUSAE CREBRIUS DE HAC MATERIA COLLOQUENDI ET CONTIONES HABENDI ; 2° QUID SIT ABNEGATIO SUI ; 3° QUOTUPLEX EA SIT ; 4° IN QUAE EXTREMA PRORUANT VERE NON ABNEGATI ; 5° QUAE SIT NECESSITAS MORTIFICANDI SE, DENIQUE QUI ERRORES CIRCA MORTIFICATIONEM CONTINGERE POSSINT

1. Multum desudavit Christus Dominus, multaque passus [est] ut animas nostras emundaret ab omni peccato, pararetque in sponsas acceptabiles, faceretque unum quemque nostrum *sectatorem bonorum operum* (2) ; quam ad rem haec regula nobisᵃ a B. P. N. est proposita, qua hortatur ut praecipuum nostrum studium ponamus in abnegatione et mortificatione nostri, utque, evulso amore proprio et vitiis a terra animae nostrae, solidas virtutes inseramus. Quin et idem B. P. N. monet regula 18ª ut de iis crebram mentionem faciamus in contionibus nostris et conversatione. Causae huius frequentis sermonis variae sunt : 1ª Ut quisque conceptus suos proferat ad profectum suum et proximorum. 2ª Ut inflammemur affectibus et desideriis rerum caelestium, tractando nimirum de iis rebus quae avocent mentem a mundo, carne et peccatorum sordibus. Exempla exstant in vitis sanctorum patrum multa ; et de duobus quidem legimus, qui per totam diem totamque noctem intenti divinis colloquiis, obliti sunt cibum paratum sumere. Et de quodam legimus, quod semper dormituriebat quando sermones vel saeculares vel futtiles miscebantur, quando vero spirituales, statim expergiscebatur eratque attentissimus. 3ª Ut iuvemus

(a) *haec reg. nobis.* bis scripsit B.

(1) Psalm. 30, 3. (2) Tit. 2, 14.

debiliores contra hostium impugnationes. Nam salutaribus colloquiis quot iuvantur, tot a vitiis revocantur, vel certe ad profectum spiritualem promoventur. 4ª Ad exercendum talentum. Nam et mercator non perfecte peritus, loquendo et conferendo saepe de contractibus, contractus discit facere. Neque tamen tibi persuadere debes institutas esse contiones domesticas solum ad exercitium, sed multo enimvero magis ut accendamur animis, et ut superior, per eum qui praeest contionibus et colloquiis, intellegat quis fervor, quis zelus sit in uno quoque nostrum. Debemus igitur saepe agere de abnegatione nostri, id est, debemus nos hortari mutuo ut exuamus nos nobis ipsis, et ut evacuemus animas nostras imperfectionum, defectuumque pulveribus et sordibus, virtutes vero iuvante Dei gratia substituamus.

2. « Est enim abnegatio sui ipsius, ait D. Basilius (1) summa rerum omnium vitae superioris oblivio, atque a suis voluntatibus recessio », iuxta illud Lucae (2) : *Si quis vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam cotidie, et sequatur me.* Oportet enim primum omnium se ipsum abnegare ; dein sustollere crucem, quam ad rem magna nobis obici impedimenta videmus a vita communi huius mundi, ob varios tumultus et occupationes, quae ea vita eiusque memoria solet afferre. Deus enim, qui vult nobis dare summos honores, dignitatem summam, gloriae suae participationem, hoc etiam ab uno quoque nostrum exigit, ut honores, dignitates, pacem, quam mundus dat, non ex parte sed omnino relinquere et despicere firmiter apud nos statuamus. Est igitur abnegatio sui, in holocaustum Domino se offerre, ac nolle amplius suo iudicio, sua voluntate, suis viribus, sua doctrina uti pro arbitrio, sed ex alterius directione propter Deum ; ac omnino se alterius voluntati tradere dirigendum. Negat quippe se ipsum religiosus, cum mundo se talem exhibere detrectat qualem eum mundus esse exoptaret ; cum negat se mundum cognoscere, negat se amplius ipsius consilia velle sequi, vel etiam audire.

3. Est autem abnegatio triplex : 1ª Praecepti, quod est impedire voluntatem nostram ne peccet ; 2ª est consilii, nimirum abdicare se etiam licitis propter Deum ; 3ª perfectionis, quae est tradere se plene et perfecte in alterius potestatem, renuntiando propriae voluntati et iudicio, quod Societas a singulis filiis suis exigit suoque iure requirit. Sed istud non fit nisi Dei gratia auxiliante ; eius vero auxilio animus subnixus, expedit se rerum praesentium curis et affectibus, traditque se

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 6. col, 926 c. (2) Luc. 9, 23 ; Matth. 16, 24.

Dei vocantis voluntati per superiores dirigendum, quod est externum auxilium. Sic Moyses (1) a Deo vocatus sprevit opes Aegyptiacas, negavit se filium filiae Pharaonis, sicque vitam suam instituit, ut Deum invisibilem tamquam visibilem sibi proponeret, atque sic evacuavit animum terrenis affectibus desideriisque divitiarum, ut improperium Christi thesauris Aegyptiorum anteponeret (2).

Hoc geminum, fratres carissimi, auxilium nos etiam usque in finem, sicut Moyses, integrum servare studeamus ; nam nisi faciamus, quid nobis proderit esse religiosos ? Quorsum enim facultas expediendi et erigendi se illi tradatur, qui in luto defixus haeret, neque annititur se iuvare ? quorsum medicina aegrotanti paretur eam sumere renuenti ? quorsum famelico cibus, qui nolit edere ? quorsum thesaurus pauperi tribuatur, qui inops esse velit ? quorsum denique dux itineris ei qui in suis erroribus velit versari et perseverare ? Debemus ergo velle dirigi, et libenter directori obsequi. Dico « libenter », ne serviliter, quod aliqui faciunt, oboediamus ; quia non accepimus *spiritum servitutis in timore* (3) : non est, non est hic, fratres, spiritus Societatis. Si quis ita se haberet, quod absit ! magis apparenter et in speciem operaretur, quam veraciter, quando quidem animum habeat non recte dispositum ; et qui ita operatur, non proficit in Societate, quia eius spiritu nec movetur nec regitur : non habet ille virtutem oboedientiae, sed velamentum malitiae. Spiritus Societatis est, ut ex amore et caritate omnia obeamus.

4. Extrema igitur duo hic sunt fugienda : unum est duplicitas seu artificium, in quo deviat qui se vere non abnegavit et exuit, sed adhuc amore sui plenus est, nec ambulat in veritate, imminenti vicinus ruinae. D. Ioannes in epistola sua tertia canonica ait (4) : *Maiorem non habeo gratiam, quam ut audiam filios meos in veritate* et simplicitate *ambulare*. Illi enim apparere volunt quod non sunt, ad instar eorum qui in comoedia personam regis vel illustris alterius viri repraesentant, cum sint alioqui de faece populi.

Alterum est error eorum qui minus libenter oboediunt superiori, quod sit iudicio ipsorum imperfectus, vel quia ipsum errare iudicant. Sed si advertant Christum dicere de scribis et pharisaeis (5) : *Super cathedram Moysi sederunt... omnia ergo quaecumque dixerint vobis servate et facite ;* et D. Petrus in prima sua cononica (6) : *Servi, subditi estote dominis* vestris, *non tantum bonis et modestis, sed etiam dyscolis ;*

(1) Hebr. 11, 23 sqq. (2) Hebr. 11, 26. (3) Rom. 8, 15. (4) 3 Ioann. 4. (5) Matth. 23, 2. 3. (6) 1 Petr. 2, 18.

qualiscumque igitur sit superior, si te ipsum vere abnegasti, ipsi gravate non oboedies propter eum quem repraesentat, et qui in ipso est ratione auctoritatis, et cui vota nostra nuncupavimus. Nam si mancipia ita servire debent dominis ut in eis considerent personam Christi, ut docet Apostolus (1), quid religiosi facere debemus ?

Addo et tertium errorem, eorum videlicet qui nimii sunt in petenda directione, ut scrupulosi aliqui, qui minima quaeque proponunt superiori vel patri spirituali. Nam et hi parum aut nihil proficiunt, sed semper incipiunt, vetustaque illis semper nova sunt, nec umquam eis satisfit ; sed hi abdicare et mortificare debent proprium iudicium, humiliare se et credere patri spirituali. Quod si non possint perspicere et assequi omnia, credant, inquam, ut faciunt in rebus fidei, et existiment ibi latere mysterium cuius non sunt capaces. Praecipue vero vult B. P. N. ut paci et caritati inter nos servandae studeamus, quo omnia nostra in caritate fiant. Quod ut D. Apostolus (2), ita et constitutiones et superiorum placita a nobis passim exigunt.

5. Varia sunt in Societate officia, sed ad unum omnia respiciunt, ad pacem et concordiam, propter Deum pacis amatorem ac largitorem, et[a] ut caveamus dissensiones (3) : *Omne* enim *regnum in se divisum desolabitur ;* et Christus ad discipulos (4) : *Habete inter vos pacem.* Voluit scilicet Christus discipulos suos inter se concordes et unitos, propterea illis saepe caritatem mutuam commendat (5) ; *Haec mando vobis ut diligatis invicem.* Item (6) : *hoc est praeceptum meum.* Item fecit apostolos et discipulos ministros pacis et concordiae ; et Paulus (7) : *Ministerium reconciliationis dedit nobis,* quasi dicat : ex officio curare debemus ut ministri pacis simus inter Deum et homines, et inter ipsosmet homines ad invicem.

Unio, quae eodem spiritu constat et iisdem studiis, ut est singulare ac rarum Dei donum, sic est exquisitissimum medium ad propugnandam et roborandam Societatem, tum adversus eius hostes invisibiles, tum haereticos, tum infideles, tum denique ad conservandos bonos in officio, vacillantes autem et debiles corroborandos animandosque. Nam apud omnes haec unio multorum devincta nexibus caritatis et unionis desideriorum bonorum, sed et studiorum, eruditionis ac doctrinae, ubique locorum similitudine ornata, nobis etiam dormientibus pugnat, defendit, convincit, reducit male de Societate sentientes. Quin et regionibus longe dissitis huius tam laudabilis

(a) om. B.

(1) Ephes, 6, 5 sqq. (2) 1 Cor. 16, 14. (3) Luc. 11, 17. (4) Marc 9,49. (5) Ioann. 15, 17. (6) ibid. 12. (7) 2 Cor. 5.18.

unionis fama admirandam facit Societatem, et in animis hominum operatur rarum et insignem quendam amorem, quo nihil potentius, nihil suavius ad iuvandum mundum vitiis immersum.

6. Sal in sacris et profanis litteris signum semper fuit amicitiae. Deus omne sacrificium et oblationem sale voluit aspergi (1), quia pacem voluit coli inter homines, pro quibus offerebatur. Pythagoras, qui multa ex sacris litteris desumpsit, item praecepit ut omnes in omnibus cibis salem imponerent, id est, ut omnia facerent ex caritate. Antiquis in conviviis primum ferculum fuit salis ; et hodie, in omnibus mensis, primum quod apponitur, est sal. Et moscovitae, ut refert Antonius Possevinus, qui ibi egit nuntium apostolicum apud magnum illum ducem, quando invitant aliquem ad epulum quodlibet, semper invitant ad panem et salem. Nisi quattuor umores in corpore humano debitam et iustam proportionem habeant inter se, certa est et proxima ex intemperie invaletudo. Non debet inter nos strepitus esse et divisio, sed firma semper unio. Origenes scribens contra Celsum, eum monet ut salem et mensam non praetereat, id est, amicitiam non spernat ; quod qui vere abnegavit semet ipsum, haud difficulter servat, unionemque cum superiore et aequalibus colit firmam et stabilem. Sed tempus est modo ut aliquid de mortificationis necessitate dicam.

7. Quam necessaria igitur sit mortificatio religioso volenti in spiritu proficere et perfici, patebit ex his paucis quae subiungam. Nam in praesentia, ne sim prolixior quam par sit, praecipuam partem huius tractationis in peculiarem exhortationem reiciam.

Esse igitur necessariam mortificationem patet ex loco D. Ioannis, vel potius Christi Domini (2) : *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit*, etc. Sed advertendum est varios varie mortificationem usurpare, et errores quosdem circa eam interdum se intermiscere daemonis arte, qui fructum eius tollere intendit.

Primus error est eorum qui exteriores tantum mortificationes usurpant, aut sufficere iudicant, non attendentes quod actus virtutis exteriores vim et vitam accipiant ab interioribus, adeo ut solum dicantur et mereantur dici actus virtutis, actiones quae ab interiore promanant vel imperantur. Sunt ergo necessarii etiam motus et affectus interiores. Nam si me tantum in exterioribus exercuero, similis ero homini qui in comoedia vel tragoedia personatus imperatoris

(1) Levit, 2, 13. (2) Ioann. 12, 24.

personam repraesentat, cum is vilis sit et interdum infamis. Patet et hoc ipsum ratione manifesta : passiones enim sunt affectiones animae, et consequenter interiores et spirituales, quae per exteriores actus non mortificantur, nisi quatenus eas interiores concomitantur.

Secundus error eorum est qui exteriores neglegunt mortificationes, reputantes totum negotium mortificationis consistere solum in interiore homine. Atqui multum hi falluntur ; nam sicut arbor sine foliis nequit fructus ad maturitatem et perfectionem perducere, ita nec actus interiores absque exterioribus possunt nos ad perfectam perducere mortificationem. Nam licet homo per orationem et alios actus interiores aliquid acquirat mortificationis, eam tamen non consequitur integram, nec perfectam, nec tam brevi tempore, nec denique tam facile ; et cum actum mortificationis exterioris vult, qui ita est comparatus, exercere, magnam sentit difficultatem et repugnantiam ; unde colligis actus exteriores et interiores simul debere ad mortificationem perfectam obtinendam concurrere.

Tertius error est eorum qui mortificationem non recte et prudenter usurpant, ut optatae virtuti seu necessitati congruit, quod in vanum est laborare. Neque passiones hac ratione temperamentum necessarium ac rectam ordinationem capiunt, ut v. g. dum caput dolet, medicamentum pedi si adhibeatur, operam et medicinam est perdere, capiti vero nihil prodesse. Cum ergo honoris appetitus nos infestat, non debemus gulae temperandae studium conferre, neque appetitum edendi mortificare, sed nos potius in iis quae humilitatis sunt exercere, ut per varios et multiplices actus humiliationis eum appetitum superbiae frenemus et mortificemus. Et sic de reliquis. Qua in re studium accurate si adhiberemus, brevi vitia multa exstirparemus.

Quartus error eorum est qui credunt propriis viribus vitiorum habitus exstirpare, ac passiones mortificare se posse. Advertendum autem est, quod id esset amorem sui sive proprium confovere ac promovere, qui fons et sedes est omnium passionum inordinatarum. Hac igitur ratione nullo pacto umquam passiones, mi frater, viceris, quin cotidie debilior ac minus aptus evades. Hinc persaepe fit, ut magnam sustineamus animi perturbationem ; nam cum spiritu superbiae ducimur, Deus nobis resistit, gratiam siquidem non praestat nisi humilibus. Bonum est ergo, immo necessarium, ad Deum confugere, in eo fiduciam nostram collocare, patris nostri spiritualis consilio uti, non in nobis ipsis nostrisque viribus solum confidere ; quia ut ait psalmista (1) : *Fallax equus*

(1) Psalm. 32, 17.

ad salutem, in abundantia autem virtutis suae non salvabitur ; et alibi : *Mihi autem adhaerere Deo bonum est ; ponere in Domino Deo spem meam* (1).

Quintus error eorum est qui totum negotium Deo committunt, nihil cooperantes, quia aiunt : *Sine ipso factum est nihil* (2) ; et, *Nisi Dominus custodierit civitatem, frustra vigilat, qui custodit eam* (3). Et hi sane nihil proficient ad mortificationem veram conciliandam, quin magnam potius nutrient tepiditatem et acediam. Vigilandum est nobis et contendendum ; nam ut ait Augustinus (4), qui fecit te sine te, non salvabit te sine te. Et suavis divinae providentiae dispositio suarum cooperationem exigit creaturarum[a]. Verum quidem est, quod etiam nostra adhibita diligenti cooperatione et conatu, nisi spem in Deo collocaverimus, et ipse suam praestiterit nobis opem, in vanum nos laborabimus. Atqui semper ille praesto est, ut adiuvet, modo et nos iuvare velimus et petamus. Sic ergo debet nostra institui operatio, ut omnem nostram operam aeque operi faciendo impendamus atque si totum opus ex nobis solis penderet ; ita deinde nos humiliare posita nostra industria, et de nobis tam demisse sentire, atque si totum opus a Deo solo perfici et transigi deberet ; in Deo, inquam, confidere debemus, sed et allaborare, ut nostra intentio, operis initio et in eius medio et in fine, ad ipsum Deum recta semper tendat, ut nec in nobis, nec in hominibus aliis speremus aut commendationem ab ullo exspectemus, sed semper agamus quod dicit sponsus in cantico (5) : *Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum* : super brachium, ob externas occupationes ; super cor, ob internas et intentionem, quae debent signaculo amoris corroborari. Quod faciendo meritum apud Deum habebimus, et gloriam aeternam consequemur.

(a) *Su. coop. cr. exi.* B.

(1) Psalm. 72, 28. (2) Ioann. 1, 3. (3) Psalm. 126, 1. (4) S. August. PL. t. 38 serm. 169, cap. 11, n. 13. col. 923 (Qui ergo). (5) Cant. 8, 6.

19ª Exhortatio

SUPER REGULA 13ª : QUIBUS CONSIDERATIONIBUS AC MOTIVIS HUMILIA ET ABIECTA AMPLECTI DEBEAMUS, QUIBUSQUE DE CAUSIS HUMILIARE MERITO NOS POSSIMUS

1. Agemus in hac exhortatione, fratres carissimi, de regula 13ª, quae continet abnegationis sui et humilitatis studium, quae virtutes maxime conveniunt ei qui optat in religione, praesertim vero in Societate, processus bonos ad Dei gloriam facere, ipsique religiose servire. Qui mundo et sensualitati inservit, impatiens et elatus esse solet ; haec autem regula ea vitia tollere docet. Equo indomito et superbo frenum si adhibes, fremit quidem, sed ubi accepit, a puero regitur. D. Iacobus in sua canonica dicit de hominis lingua « quod sit indomita (1), et quod nullus eam domare possit, cum cuncta animantia domentur » ; quid de toto homine diceret, quando sine freno fertur impetu quodam, quo eum propensio rapit ? Considera iam hominis impatientiam in adversis, levitatem in prosperis, inconstantiam in omnibus. Considera elationem circa bona naturae et fortunae ; nam haec incitant eum ad superbiam, sicut talenta animae acquisita ad iactantiam Quid igitur remedii ? Despicere sensualitatem et verecundiam, quae impedire solet nos in obeundis vilibus officiis. Despiciéntia autem haec requirit duo ex parte Dei : lumen fidei et donum fortitudinis et amoris. Sine fide enim et fiducia nemo ad despiciendos honores et quae mundo grata sunt pervenire potest ; unde D. Paulus (2) : *Vobis autem donatum est non solum ut credatis, sed ut et patiamini.* Lumen fidei dicit Deum esse gratiae et virtutis largitorem, remuneratoremque bonorum operum ; moderate docet esse sufferendum, confortat ad patiendum (3).

2. Ex parte nostra aliquot considerationes iuvare possunt. Prima est brevitas abiecti officii seu servitii. Omne enim tempus breve est respectu consolationum quae sperantur. Et si rem vero iudicio aestimemus, longum tantum esse cernemus respectu mortificationum. Sed illud imperfectum est ; nam ut sit etiam longius, breve tamen est respectu futurorum bonorum. Secunda: numquam haec officia obeuntur, si promptus est animus, sine magna consolatione, quae semper

(1) Cfr. Iac. 3, 7. 8. (2) Philip. 1, 29. (3) Hebr. 11.

cum humilitatis exercitatione est coniuncta. Nec quisquam maiorem humiliationem in vita passus est absque consolatione quam Christus Dominus, qui, ut aiunt doctores, quando in cruce dixit (1) : *Deus, meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me !* nullam habuit consolationem in parte inferiore ; Deus autem semper nobis dat aliquam, etiam aliquando maiorem, quam sit ipsa humiliationis materia. Tertia est spes bonorum aeternorum. *Laus impiorum brevis est, et gaudium hypocritae ad instar puncti* (2). Punctum nullam habet dimensionem[a], nec videlicet latitudinem, nec profunditatem, nec longitudinem[b] : non longitudinem, quia parum durat ; non latitudinem, quia ad paucos se extendit ; nec[c] profunditatem, quia non pertingit ad cor, sed consistit tantum in imaginatione, quod reputetur nimirum ab hominibus et ab omnibus magni fiat. Quarta consideratio est, quod mens humiliantis se est exemplar et speculum caelestis vitae. Quia videt Deum per fidem, eum possidet non quidem re, sed spe ; eo vero fruitur per amorem et caritatem. Quinta est consideratio exempli quod nobis Christus dedit, qui, cum esset sapientissimus, et Deus, non elegit tamen honores, sed humilia, volens nobis indicare ad instar boni medici, quid nobis foret melius. Item exempla plurimorum sanctorum, qui regna et honores summos despexerunt. « Mens denique iusti est iuge convivium (3) ».

Postremo consideremus ad quid venerimus. Nullus, credo, exsistit de nobis, qui firmiter non proposuerit initio servare omnes constitutiones et regulas Societatis et instituti ; illae[d] porro nos invitant ad Christum, ad eius paupertatem, ad stabulum pro cubiculo, ad crucem pro lectulo, ad fellis potationem pro potu.

3. Haec igitur probatio imitationem Christi ex parte continet, nimirum ut in rebus humilibus nos exerceamus. Nam in eis patientia et humilitas exercentur, quia sunt viles, laboriosae et taediosae natura sua, et contra sensualitatem, immo saepe et contra propensionem voluntatis. Sed illa sibi vim infert, et facit religiosus ad instar eius qui equum iungit currui ; licet enim calcitret et fremat, constanter tamen illi imponit iugum, et aratro seu currui iungit ac trahere cogit : sic homo ligat se et suam voluntatem currui oboedientiae et humilibus officiis obeundis ; etiamsi sensualitas recalcitret, perdurat tamen, nec[e]

(a) *Null. h. dim. pu.* B. (b) *nec long. nec pr.* B. (c) *non.* B. (d) *ille.* B. mendose. (e) *ne.* B. mendose.

(1) Matth. 27, 46 ; Marc. 15, 34. (2) Iob. 20, 5. (3) Cfr. Prov. 15, 15.

vult amoveri, sed dicit Deo cum Propheta (1) : *Ut iumentum factus sum apud te* et in religione, ideo feram onera et vilissima quaeque propter sanctissimum nomen tuum. Dicit D. Basilius (2), quod religiosus arbitrari debeat se esse mancipium in religione, proinde[a] non debere velle se regere suo iudicio et voluntate, neque disponere de corpore suo, neque de ulla re sua vel aliena ; sed debere se continere intra terminos servitutis et omnia facere ex directione oboedientiae, sicut mancipium ex arbitrio domini sui.

Non enim servire debet religiosus superiori ut homini, sed ut Deo, cuius vices gerit, quia Deo sua vota nuncupavit, non homini. Unde superior, qui aliquid ei imponit ministerii abiectioris v. g. culinae, non deberet rogare, sed dicere absolute : hoc vel illud facias, hoc omittas, etc. Neque officia et ministeria haec inferiora vilia vocari aut reputari debent, quia totum est caritas, et ea exhibentur Deo altissimo. Dicuntur quidem vilia et abiecta, sed secundum corticem et materialiter. D. Basilius : Debet, inquit (3), pietatis cultor « viliora etiam opera magno cum studio magnaque cum animi alacritate suscipere, scireque nihil minutum et vile[b] esse, quod Dei causa fiat, sed grande et spirituale, et huiusmodi quod caelum nobis et praemia caelestia conciliet. Quam ob rem, licet pro communi utilitate sequi oporteat sarcinaria iumenta, quae communitati serviant, recusare religiosus non debet ». S. Ephraem (4) : « Ne te extollas, inquit, in cogitatione animae tuae, ne abripiatur velut taurus anima tua ; frondes tuae comedentur, et fructus tuos perdes, et relinquas te ipsum ut lignum aridum in deserto. » Audi Prophetam dicentem (5) : *Improperium exspectavit cor meum et miseriam;* quoniam (6) *in humilitate nostra memor fuit nostri* Dominus, *et redemit nos ab inimicis nostris.*

Si de muneribus quae abiectiora sunt aliquid exercendum sit, scire convenit salvatorem quoque ipsum discipulis ministrasse et abiectiora opera fecisse : magnum autem homini esse si Dei imitator exsistat, cum per haec quae humilia sunt ad altitudinem illam, quod illum imitatus est, ascendat ; quamquam « quis iam ausit quidpiam humile appellare, quod Deus ipse attingere non dubitavit (7) ? »

4. Officia magna et splendida non decet petere a superiore, vel

(a) *ac proinde.* B. (b) *vileque.* B.

(1) Psalm. 72, 23. (2) S. Basil, PG. t. 31 Constit. mon. cap. 23. col. 1411 a. (3) S. Basil. PG. t. 31, Constit. mon. c. 23 in. col. 1410-1411. (4) S. Ephraem. t. 2, n. 62. Paraen. 26, p. 379 d. (5) Psalm. 68, 21. (6) Psalm. 135, 23. 24. (7) S. Basil. l. c. cap. 23 extr.

certe cum aliquo pudore et condicione peti debent, ut est, v. g. contionari etiam per pagos, catechizare rudes, etc., quia haec aliquid honoris et splendoris adiunctum habent ; multo vero amplius, si contio in aliquo celebri loco habenda foret. Alia officia tutissimum est postulare, sed exerceri non debent absque superioris facultate. Quando autem hanc obtinuit, tum dicere debet cum Apostolo (1) : *Absit mihi gloriari nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Superbi vero sicut et desides et ignavi plangendi sunt, ut qui oculos habeant et non vident, aures habeant et non audiunt (2) ; et qui fieri possent spectaculum iucundum Deo, angelis et hominibus, spectaculum fiunt daemonibus, qui laetantur quando religiosum inertem et in exercitiis humilitatis tristem vident. Neque tantum commendat B. P. N. ut abiecta officia libenter subeamus, sed hortatur ut etiam libentius illa[a] praestemus a quibus sensus noster magis abhorret.

Causae sunt : Prima, ut patiamur aliquid in honorem Christi, in satisfactionem peccatorum nostrorum, et ad conformandum nos ei qui venit ministrare, non ministrari, et re ipsa servivit homini, etiam pessimo usque ad lotionem pedum. Secunda, quia sancti propter minima peccata magnam paenitentiam subierunt : victitarunt radicibus, aqua contenti erant, terram pro lecto habebant (3) : *Usque in hanc horam et nudi sumus, et colaphis caedimur.* S. Ioannes Baptista, licet in utero santificatus, quantam paenitentiam fecit, id habes Matthaei 3° et Marci 1° (4). Quare, quando haec vel alia nobis iniunguntur in quibus nobis aliqua est paenitentia, continuo pro culpis illa Domino offeramus, ut si aliquo contra propensionem eundum, vel aliquid agendum miserae sensualiti ingratum, cogitemus quod olim pedes habuimus ad currendum in malum, et manus ad operandam iniquitatem.

5. Tertia, quia in hoc saeculo nemo certus est de statu suo interiore, neque de sua constantia ; ascendimus quidem in montem omnes, sed facilis est lapsus, quia praeceps et lubricus est. Proinde Apostolus (5) : *Castigo*, ait, *corpus meum, et in servitutem redigo.* Si non puniatur caro seu sensualitas in parvis, ad maiora progreditur ; sicuti pueri parvi, nisi puniantur quando res parvas furantur, pergunt ad maiora et amari sunt parentibus. Punienda est caro, ut corroboretur spiritus. Quarta, quia sensus sunt inimici nostri domestici, qui nobiscum dormiunt, bibunt, comedunt, ac semper sunt nobiscum, nec excludi

(a) *ut et. illa lib.* B.

(1) Gal. 6, 14. (2) Cfr. Psalm. 113, 5 sqq. (3) 1 Cor. 4, 11. (4) Matth. 3, 1-4. Marc. 1, 3-6. (5) 1 Cor. 9, 27.

possunt ; sunt quoque ministri carnis, quare debent illi nobis displicere, ut inimici nostri. Nec tantum ipsi, sed et caro, et propria voluntas atque iudicium : sicut qui confligendo prostravit hostem, cogit eum facere quod vult. Quinta, ut patientiam addiscamus et humilitatem, quod fit patiendo et ministeria humilia exercendo. Exercendo siquidem et faciendo quae non vellemus secundum sensum, discimus et proficimus ; ac veluti pueri qui discunt grammaticam debent cotidie quinque horas sedere in schola, et subire interdum flagella ut addiscant et proficiant, ita et nos submisse agendo discimus humilitatem et in eam progressum facimus. Hanc commendat nobis ipsa admonitio sacrae scripturae, ut illud (1) : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* Prius enim Christus humilitatem « coepit facere, quam docere » (2).

Causas humilitatis, si diligenter attendimus, in omnibus paene rebus invenimus : in iis quae sunt infra nos, in iis quae sunt in nobis ; in iis quae sunt contra, in eo quod est supra nos. Infra nos sunt quattuor elementa, quia ex illis constituti sumus. Quae in terra nascuntur, ea sunt nobis valde necessaria. Animalia irrationalia multa habent quibus nos caremus. Caeli luminaria sua luce nos iuvant et recreant : absque luce oculi essent tibi inutiles. In nobis autem quaedam sunt ex parte corporis, quaedam ex parte animae. Ex parte corporis, eius origo ex putredine (3) ; eius finis, pulvis et cinis ; status eius praesens, is quem considerabat qui dicebat (4) : *Humiliatio tua in medio tui.* Superbiat, inquit S. Hieronymus qui secum semper sentinam portat. Ex parte animae, multae causae subministantur humilitatis ; nam si in peccato est quispiam mortali, inferiore gradu et loco est quam canis et porcus, quia duplicis mortis debitor est. Si dubitat de statu conscientiae, non est quietus et securus de salute. Contra nos sunt hostes insatiabiles[a], qui nos suffocarent saepe in die, nisi divina protectio impediret (5). Supra nos est omnipotentia Dei, parata ad vindictam superborum.

6. Conferunt, iuxta D. Basilium, ad humilitatem (6) : 1° Assiduitas subiectionis. 2° Consideratio fragilitatis et spes rei melioris. 3° Temporis et officii brevitas : momentaneum enim est quidquid patimur, aeternum autem quod exspectamus. 4° Honores et divitiae non nisi

(a) *invisibiles.* B ; quod emendavit A.

(1) Matth. 29. 11. (2) Act. 1, 1. (3) Iob. 17, 14. (4) Mich. 6, 14. (5) Iob. 41. (6) Haec verba nusquam invenimus. Quattuor vero media quae sequuntur, ex Constit. mon. S. Basil. cap. 22 de oboedientia et cap. 24, n. 2, col. 1414 assumi videntur.

longo tempore parantur. Non igitur mirum sit, si ut honorem aeternum consequamur, aliquamdiu hic laboremus. 5° Numquam haec officia obeuntur absque magno animi sensu et voluptate, quando prompta voluntate propter Deum suscipiuntur. 6° Consideremus denique nos esse in Societate, quam B. P. N. minimam solebat appellare, quia humiles esse desiderabat eos qui ipsi nomen darent. Haec ut obtineamus quae ante commemorata sunt, vis sane quaedam nobis inferenda est, quia contra sensualitatem sunt quae ministeria et officia in Societate humilitas docet ; sed paulatim iugo suavi Christi assuescimus. Consideremus S. Petrum per totam vitam in humilitate deflevisse peccatum suum, licet ipsi esset remissum. S. Magdalena similiter, cui peccata omnia publice a Christo remissa erant, per plurimos annos paenitentiam egit in deserto. Si pudor irrepat, et revocet ab officiis abiectioribus, subdolam artem agnoscamus hostis nostri, et caveamus ne eum in consilium adhibeamus, ut ait D. Gregorius Nazianzenus (1), ne eius[a] suasionibus in speciem bonis locum demus ; nec vereamur, fratres carissimi, haberi boni religiosi, aut boni humilesque fieri. Quis enim miles vereatur inter milites strenuus aestimari et dici ?

7. Fugiamus item ignaviam atque desidiam, quae nihil aut perparum operatur : *Vult et non vult piger,* idcirco *stercore bovis lapidabitur,* ait Sapiens (2). Studium et conatus necessarius est : magna etenim et praeclara sunt ea, quorum causa bello lacesseris ; magna proinde cautione et tutela opus est, atque labore : *Labores enim manuum tuarum quia manducabis ; beatus es, et bene tibi erit* (3). — *Egestatem operata est manus remissa, manus autem fortium divitias parat* (4). — *Propter frigus piger arare noluit, mendicabit ergo aestate, et non dabitur illi* (5). — *Dulcis est somnus operanti, sive parum sive multum comedat* (6). — « Laboremus operantes manibus nostris » (7).

D. Basilius (8) : « Praesens vita universa laborum est atque certaminum ; contra, futura in praemiis compensationibusque posita est, quod insinuavit Apostolus proxime migraturus : *Bonum certamen,* ait (9), *certavi,* etc. Quin et salvator (10) : *In mundo,* ait, *pressuram habebitis ;* et rursus Apostolus (11) : *Per multas trubulationes oportet nos intrare*[b]

(a) *ne ius.* B. (b) *introire* B.

(1) S. Gregor. Naz. PG. t. 36 de Baptismo, cap. 10. col. 370. (2) Prov. 13, 4 ; Eccli. 22, 2. (3) Psalm. 127, 2. (4) Prov. 10, 4. (5) Prov. 20, 4. (6) Eccle. 5, 11. (7) Cfr. 1 Cor. 4, 12. (8) S. Basil. PG. t. 31 constit. mon. cap. 24, col. 1411 c. 9) 2 Tim. 4, 7. (10) Ioann. 16, 33. (11) Act. 14, 21.

in regnum Dei. Proinde qui desiderat post hanc vitam regnare, hic non quaerat otium, non honores consectetur » ; prorsus ab omni ambitione et otio ignaviaque religiosus alienum habere animum debet. Nam si in hac vita laboribus ac recte factis suis esse praemium vult, misera profecto illius mercedis condicio est, qui pro aeternarum rerum iactura caducis hic inhiet ; si vero secum decrevit in hac vita labores tentationesque perferre, et eorum mercedem in caelo recipere, non modo honores consectari non debet, sed ne oblatos quidem admittere, at recusare et reicere.

Quocirca nihil vile, nihil contemnendum putes, mi frater, in statu religionis ; nullum laborem subterfugias ; si despiciaris, ne cures, sed contende Deo esse gratus ; ne consolationem sensualem quaeras, sed in humili Dei servitio sit consolatio tua ; ipsum virtutis et disciplinae studium repleat animam tuam omni gaudio praebeatque amanti dulcedinem spiritus. Amor quidem Dei per se suavis est et dulcis ; sed ut eum obtineamus, amor proprius nobis vincendus est, et cum nobis ipsis[a] iugiter pugnandum, sed non negat Deus bene pugnantibus consolationis fructum. Et spina rosam profert suavem, et vitis rudis et nodosa fructum suavissimum ; sic opus humile et sordidum utilitatem habet praestantem, immo copiosam hic praebet consolationem se mortificanti et humilianti : *Vincenti*, inquit Dominus (1), *dabo manna absconditum*. Sic Deus suos replet consolationibus, sed cessantibus mundi huius recreationibus et oblectamentis. Sequamur ergo, fratres carissimi, Societatis nostrae salutare hoc documentum, ut semper in Domino maiorem nostri quaeramus abnegationem et continuam in rebus omnibus, quoad possumus, mortificationem : sic faciendo Deo valde accepti erimus. Quod nobis concedat Pater et Filius et Spiritus sanctus. Amen.

(a) *et contra nos ipsos.* B ; sic etiam prius A.

(1) Apoc. 2, 17.

20ª Exhortatio

SUPER REGULA 14ª, QUAE ANTEVERTENDAS ESSE DOCET TENTATIONES, ET REMEDIA APPOSITA ADHIBENDA

1. Tentare proprie est experimentum de aliquo capere, sive periculum facere qualis quantusve sit quispiam, hoc est, quam fortis, quam industrius, quam constans, quid sciat, quomodo respondere possit : sicuti dux tentat militem aliquid ei committendo ardui, ut cognoscat virtutem eius et ingenium ; praeceptor tentat discipulum, ut intellegat quid sciat, et quam scite apteque valeat respondere.

Multis autem regulis admonemur[a] de tentationibus propter illarum periculum, quia tempore tentationis facilis est casus, ut in pugna facilis est laesio vel interitus. Tentat autem diabolus ut occidat et devoret ; hinc in sacris scripturis dicitur (1) : *Vae terrae et mari, quia descendit ad vos diabolus habens iram magnam ;* et, *Militia est vita hominis super terram* (2). Ideo non debemus mirari conflictum, seu tentationes, sed illis fortiter repugnare ; miles, qui in bello miraretur tormentorum fragores, rideretur.

2. Tentat vero nos diabolus multis modis, quia religiosis infestior quam ceteris, quod religiosi profiteantur aperte se eius esse hostes. Tentat autem eos de iis quae ad eorum statum in primis pertinent, maximeque de inconstantia, ut nimirum vivant mundo, qui mundo mortui esse debuerunt. Suadet enim quae mundi sunt, et quae in religione haberi nequeunt ; idcirco conatur eos sensim inducere ut ad mundum afficiantur, et ut ulterius progrediendo ad mundum etiam revertantur. Facit nimirum ut solet cum perditis et desperabundis hominibus ; nam iis qui calamitate opprimuntur, suadet suspendium, ut a malis praesentibus liberentur : ita religiosis ad fugiendam carnis macerationem, disciplinae religiosae rigorem, clausurae angustias, suadet defectionem, ut optata potiantur libertate. Magna igitur diligentia nobis opus est, et antevertere debemus valde studiose omnem tentationem. Inde D. Bernardus sermone ad sororem ait (3) : Carissima soror, audi B. Hieronymum dicentem : Non quaeruntur in christianis

(a) *admonet.* B.

(1) Apoc. 12, 12. (2) Iob. 7, 1. (3) S. BERN. PL. t. 184 de Modo bene viv. cap. 20 in. col. 1236.

principia vel exordia, sed finis et perseverantia : Paulus male coepit, sed bene finivit ; Iudas bene coepit, male autem finivit.

Mandat[a] autem B. P. N. ut antevertamus tentationes, quod officium ad eos qui praesunt referendum insinuat. Ut varia autem peccantium ingenia sunt, ita magna opus est sagacitate et industria ad cognoscendum[b] quibus quis tentationibus agitetur, et ad sapientiae remedia adhibenda, quibus animae morbus depellatur.

Nam sunt qui obstinato studio in hoc incumbunt, ut instar « aspidis surdae et obturantis aures suas non audiant vocem sapienter incantantis (1) » ac salutaria consilia suggerentis. Alii vero sunt qui maiore animo et audacia ad medicorum consilia frontem aperte perfricant, in proterviam et flagitium aperte prorumpentes ; quos cum amore prosequi oporteret : eos ut hostes ulcisci superiores debent, non ipsos quidem odio habentes, sed vitium quo laborant. Est itaque haec ars antevertendi et applicandi remedia difficillima, ut praeclare ostendit D. Gregorius Nazianzenus in primo suo apologetico (2). Concludit autem nihil esse praestantius superioris exemplo ad religiosum bene componendum. Alios quidem movet oratio, alii calcaribus opus habent, alii freno. Nam qui lente et segniter ad virtutem, ait, moventur, hi verborum stimulis excitandi sunt ; qui vero spiritu plus quam par sit incalescunt ac praecipiti impetu feruntur, his rationis[c] frenum non sufficit, sed et asperitas aliqua adhibenda est et submovendae perturbationis occasiones.

Aliis laus prodest, aliis reprehensio, modo utraque tempestive adhibeatur ; nam intempestive et improvide adhibita nocumentum affert. Alios cohortatio ad officium ducit, alios obiurgatio ; atque haec rursus alios si palam arguantur, alios si remotis arbitris increpentur : sunt enim qui nihil curant privatas reprehensiones, publica autem emendantur ; sunt rursus qui liberius reprehensi pudorem omnem abiciunt, contraque privatis admonitionibus meliores fiunt.

Quidam ita studiose accurateque observandi sunt, ut ne minima quidem et levissima ipsorum errata dissimulentur, nimirum qui, eo quod peccata sua nemini fere cognita putant, — quandoquidem id moliuntur — prudentiae calliditatisque laudem sibi insolenter arrogant. Contra, in aliis ad non nulla conivere satius fuerit, ita ut videntes

(a) Hic in A ponitur « 2° » ; quod omittimus, cum neque 1° neque 3° inveniatur. (b) *ad cogn.* om. B. (c) prius *orationis*, A. sed o erasum est ; retinuit autem B.

(1) Cfr. Psalm. 47, 5. 6. (2) S. Gregor. Naz. PG. t. 35. Oratio 2ª, cap. 15. col. 423 extr. (praefecti autem).

superiores non videant et audientes non audiant, ne alioqui ipsi nimis crebris obiurgationum aculeis confixi et obruti ad desperationem incitentur. Quin etiam cum non nullis ita agendum est, ut irati hominis et contemnentis ac de salute eorum desperantis speciem prae te feras, cum tamen re vera nec ipsis irascaris, nec contemnas, nec pro perditis ac deploratis habeas, quorum videlicet natura id requirit. Alii rursus lenitate et humilitate curandi sunt, coniunctaque animi alacritate et promptitudine ad meliorem spem revocandi : alios videlicet vincere, aliis cedere plerumque utilius fuerit. Neque enim quia virtus semper est omnibus praeclarissima et fructuosissima, vitium contra turpissimum perniciosissimumque sit ; eodem modo[a] medicinae quoque eadem est ratio, ut unum idemque medicamentum iisdem semper vel saluberrimum sit, vel periculosissimum, v. g. acerbitas aut clementia, singulaque ex his quae proxime enumerata sunt : verum aliis hoc medicinae genus bonum atque utile fuerit, aliis contraria medendi ratio conduxerit, prout res vel occasio tulerit, vel aegrotantium denique mores admiserint. Quae omnia ratione distinguere, exacteque perspicere impossibile est. Quocirca medico spirituali, via procul dubio regia, magna cum circumspectione incedendum est, « nec ad dexteram vel ad sinistram declinandum est », ut Sapiens ait (1).

Totus hic paragraphus fere est D. Gregorii Nazianzeni primo apologetico, quia nihil melius dici vel excogitari potest in hanc sententiam.

3. Sed tempus est ut veniamus ad remedia contra tentationes.

Quando filii Israel in deserto percussi fuerunt, Deo ordinante, per serpentes ignitos, (2), quibus statim interimebantur, adhibitus est in remedium, divino consilio, serpens aeneus palo affixus, in quem qui infecti erant oculos conicientes, subito sanabantur ab eo veneno. Hac figura dabatur nobis documentum, quod percussi veneno peccati, et exagitati passionibus nostris atque tentationibus inimici, debemus continuo respicere in auctorem fidei, Christum crucifixum ; nam in ipso remedia continentur contra omnes tentationes morsusque peccati ; v. g. si vitio gulae, fratres carissimi, aliquis tentatur[b], piis et attentis oculis Christum crucifixum intueatur, cui in cruce posito pro solacio oblatum est, non vinum pretiosum, non cibus delicatus, neque adeo modicum aquae limpidae, qua egebat maxime ad exstinguendam sitim, sed eius loco fel aceto mixtum. Si hoc cogitabis et pie considerabis,

(a) in margine notat A : haec sunt paulo obscuriora. (b) *tentetur*. B,

(1) Cfr. Prov. 4, 27. (2) Num. 21, 6 sqq.

pudebit te quod cogites de deliciis appetitus tui sensualis. Si venenum superbiae a daemone propinetur, quod est vitium omnium pessimum maximeque Deo exosum, coniciamus mentis oculos in Christum crucifixum, cuius intuitu deici potest in terram cum omnibus suis filiabus et evelli ex nostro corde usque ad fibras extremas.

Si te vana gloria, mi frater, vexat, contemplare tristem et miserabilem aspectum suavissimi Christi Domini, respice formosissimum eius corpus non ornatum elegantibns vestibus, sed nudum et flagellis concisum; respice manus non anulis ornatas sed clavis penetrantibus transfixas; caput eius intuere non aurea sed spinea corona redimitum; respice eius vultum obscuratum, oculos contusos et lacrimosos, caput et collum incurvatum propter onus iniquitatum tuarum, quae supergressae sunt super caput eius. Age ergo, et dic ipse tibi: O infelicem hominem! quomodo audeas te vana gloria efferre, cernens Dei filium propter te ita depressum et humiliatum! Deprime, deprime, miser, exemplo Christi collum tuum et superbiam tuam; pudeat te, vilissima creatura et mancipium abiectissimum, quod non imiteris sequarisque exemplum Domini tui. In hoc speculo inveniamus, fratres carissimi, remedia et medicinam contra omnia vitia et imperfectiones nostras; quia tota ipsius vita, omnia verba, omnes motus, omnes gressus eius nobis exempla fuerunt disciplinae, et hisce eius exemplis antevertere oportet tentationes irrepentes.

Conformat se huic regulae documentum D. Basilii (1), quod dat in Regula fus. disput. Cassianus vero tria dat, (2) contra omnes tentationes et vitia, remedia generalia: metum videlicet gehennae, sive poenas legum seu regularum; spem ac desiderium regni caelestis; desiderium et amorem virtutis. Nam *timor Domini odit malum* (3); spes, ait, omnium vitiorum excludit incursum: *non* enim *delinquent omnes, qui sperant in eo* (4). Amor quoque sive caritas non metuit ruinam peccatorum, quia *Caritas non excidit* (5), *caritas operit multitudinem peccatorum* (6). Idcirco D. Paulus omnem salutis summam in istarum trium virtutum consummatione concludit: *Nunc,* inquit (7), *manent fides, spes, caritas, tria haec, maior autem horum est caritas.* Fides namque est, quae futuri iudicii ac suppliciorum metu facit contagia vitiorum declinare; spes vero mentem nostram de praesentibus avocans, universas corporis voluptates caelestium praemiorum exspectatione contemnit; caritas denique nos ad amorem Christi et

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 51. col. 1039. (2) Cassian. PL. t. 49 coll. 11, c. 6 in. col. 852. (3) Prov. 8, 13. (4) Psalm. 33, 23. (5) 1 Cor. 13, 8. (6) 1 Petr. 4, 8. (7) 1 Cor. 13, 13.

spiritualium virtutum fructum mentis ardore succendens, quidquid illis contrarium est, toto facit odio detestari.

Quando qui inimicitias inter se habent, ad conflictum concurrunt, qui non satis instructus ad pugnam accedit, periculum adit vitae, quia adest hostis armatus et odio inflammatus, ut impetum faciat et interimat[a]. Debet ergo instructus esse qui resistere contendit, vel fuga sibi consulere. Sic in tentationibus hostis praesens est nobis insultans, armatus ad nocendum, vibrat tela sua in nos cum tentat, petitque nos ad mortem. Ideo fugiendum est nobis occasiones devitando, divertendo animum et aliis occupando ; vel certe acriter est repugnandum et sustinendum cum patientia et longanimitate, faciendo contraria tentationi, ut consulit regula de qua agimus, et aliae quae mandant evitari occasiones et causas, ut est fuga parentum, ad eos scriptitatio, otii declinatio, solidarum virtutum exercitatio.

Sed praecipuum remedium in omnibus est ad Deum recurrere. Populus Israeliticus cum profundius iaceret in vitiis, tradebatur a Domino in potestatem hostium, spoliabatur, affligebatur ; sed recurrendo ad Deum liberabatur, quotiescumque per humilitatem et animi demissionem id agebat ; aliquando citius, aliquando tardius, ut videre est in libro Iudicum (1). Sic nos religiosi, qui populus sumus Deo dicatus, si ab hoste lacessimur, cavendum est ne, contra Dei voluntatem, vitiis succumbamus. Nam traditi per lapsum in potestatem hostis, facultatem non habemus assurgendi, sed opus est misericordia salvatoris, qui sicut samaritanus ille evangelicus vere custos hominis nos curet et sanet. Praevenienda igitur est, ut monet regula, tentatio, exercendo nos in virtutibus contrariis, ut semper simus parati ad fugiendum vel resistendum, iuxta illud psalmistae (2) : *Paratus sum et non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* Ideo cogitandum interdum nobis in examine est ad quod vitium magis proni simus, de quo magis tentari soleamus peccato, et tunc parare nos ad resistendum per paenitentias vel exercitationes virtutis contrariae.

4. Nota vero dici in regula : « adhibitis earum contrariis » ; nam si ego sentio me superbum, non solum debeo ad orationem recurrere, sed ad ea quae conciliare mihi possunt humilitatis gratiam et virtutem, officia nimirum humilitatis, profunda et seria meditatio infirmitatum mearum, ut praeveniam hostis infestationem.

(a) *perimat.* B.

(1) Iudic. 2, 14 sqq. (2) Psalm. 118, 60.

5. Dicet fortassis quispiam : nullam sentio difficultatem, nullam tentationem molestam. Huic ego respondeo istud signum esse fortassis tepiditatis, et quod dormitet ille in imperfectionibus suis. Attendat ne paulo post magno impetu insurgat inimicus, et praecipitet eum in interitum. Interdum enim daemon levi demulcet hominem tentatione, ut ad maiora progrediatur. Assimilatur videlicet vulpeculis, quae licet parvae sint, laedunt tamen acriter ; fingunt interdum etiam se mortuas mira calliditate, ut aves appropinquantes capiant (1) : *Capite nobis vulpes parvulas, quae demoliuntur vineas*, canit sponsa ; nam accedentes vastant et perdunt.

Dicet forsan etiam alius : in eiusmodi conflictu multa forte committuntur peccata venialia. Respondeo, quod e contrario tanta est poena tentationum et molestia, tanta peccati dispicientia, ut illa culpam omnem amoliatur, vel incidentem deleat ; quin et crescat meritum. Unde sicut sensus in tentatione carnis nocet saluti, si consensus accedat, ita sensus spiritualis et devotionis, qui recipitur plerumque in tentationibus, iuvat et promovet ad gratiam, facitque tentatio ut homo perfectior evadat.

Dices : ego oro Deum, sed quid iuvat orare in tanta tentatione et ariditate ? oratio tunc non est pura nec affectuosa. Respondeo esse duram et fortem, ideo posse obtinere quod dulcedo et suavitas obtineret. Sic sentit D. Bernardus super illud psalmi (2) : Delectare in Domino, et dabit tibi petitiones cordis tui ; « Non, inquit, hoc dictum est de affectu, sed de exercitio » ; hoc enim implet qui conatur, etiamsi non pertingit ; ideo Dominus non considerat suavitatem et consolationem, sed rationis iudicium. Et sane simplicibus et parum exercitatis saepe quidem prodest consolatio, sed et diabolus potest se ipsis transfigurare in angelum lucis ; ideo saepe melius est ut et ipsi careant ea suavitate et delectatione sensibili, ut exerceantur magis in humilitate. Potest etenim diabolus perturbare et vexare portionem animae inferiorem, seu sensualitatem, et potentias sensitivas interiores et exteriores ; potest et delectare eisdem[a] gaudiis et[b] apparente voluptate sive ficta dulcedine, ut homo incautus et inexpertus deceptus ruat. Nam et per consensum aliquem vires animae superiores inde etiam capere[c] possunt gaudium et voluptatem, ut sic totus homo consolationem sentiat, vixque persuadere sibi[d] possit ab alio esse quam a Deo, cum certissime tamen sit a diabolo, cui dum creditum est plus quam oportuit, homi-

(a) *easdem.* B ; quod correxit A. (b) om. B. (c) diceres A scripsisse *cupere.* (d) *sibi pers. p.* B.

(1) Cant. 2, 15. (2) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 5 in quadr. n. 7 d. col. 180.

nem pertrahit in superbiam et vesaniam, ita ut cadat, vel cetera utiliora et debita omittat officia. Exempla habemus in vitis sanctorum Patrum.

6. Nam etsi angelus sive bonus sive malus non possit penetrare essentiam animae, sive partem superiorem ipsius, et per consequens neque operari in ea, quia omnis operatio debet fieri per contactum, potest tamen spiritus unus, etsi non illabatur in alium spiritum, in corpora ipsa agere, et vexare, ut dictum est, partem inferiorem et potentias sensitivas, ut etiam eius vis redundet in partem superiorem. Unde, quod non potest immediate daemon facere, facit mediate, dum intellectus seu ratio consentit phantasmatibus illis, quae sensus repraesentat, non debite abstrahendo aut discurrendo. Item potest tentari ratio per vehementem passionem, qua pervertitur iudicium ; sicque voluntas potest tentari mediate, cum ratio per iudicium erroneum illam movet, vel cum caro tentata eam allicit et ad se inflectit. Iacobus cap. 1° : (1) *Unus quisque tentatur a concupiscentia sua illectus.*

Ex dictis cognoscitur, quod ii qui ex capite laborant et indispositi sunt, vel ex aliis, etiam naturalibus, inclinari possint fortiter ad aliqua vitia, et facilius possint illudi propter indispositionem organorum ; propterea opus est prudenti magistro et directore, quem subditi, praesertim ita affecti, debent saepe consulere, et eius sequi consilia, ne mala consuetudo fiat quasi altera natura.

Prudenter igitur, fratres carissimi, gerere nos oportet : non fidere nostris viribus, non prudentiae et iudicio nostro, sed sequi consilium et directionem superioris vel patris nostri spiritualis ; attendendumque nobis semper est ne circumveniamur a satana, qui perpetuo *circuit quaerens quem devoret* (2). Sic faciendo evademus laqueos, quos tendit nobis. Quod nobis concedat Dominus. Amen.

(1) Iacob. 1, 14. (2) 1 Pet. 5. 8.

21ª Exhortatio

SUPER REGULA 15ª : QUAE CAUSAE AD ABSOLUTAM REGULARUM OBSERVATIONEM NOS PERMOVERE POSSINT ; QUO SPIRITU A NOBIS SINT OBSERVANDAE ; QUAE MALA INCURRAT QUI VOLENS ET PRUDENS EAS TRANSGREDITUR ; DENIQUE QUIS SIT FINIS[a] CONSTITUTIONUM ET REGULARUM, ET QUID SIT GRATIA SIVE DONUM VOCATIONIS

1. Nihil prorsus est in quo magis eluceat spiritus Societatis, et quo[b] verum religiosum[c] se probet, quam in constitutionum et regularum perfecta observatione ; quae causa est quam ob rem B. P. N. in hac constitutione tantopere nobis commendat earum perfectam observationem. « Perfectam » dicit, 1° quia non sufficit aliquas etiam praecipuas servare, ceterasque neglegere : nihil enim parvi momenti in iis quicquam aestimari debet, quod nobis a Deo datum est, et quod tot lacrimis, orationibus, sacrificiis, paenitentiis B. P. N. constitit. Non sunt quidem audita tonitrua in monte, sed pro tonitruis et fulgurationibus nobis est supremae Sedis auctoritas et bonorum omnium religiosorum Societatis ubique gentium commendatio. Qui contemnit minimam regulam grammatices, numquam perfectus evadet grammaticus : sic, numquam perfectus in Societate religiosus, qui vel paucas regulas disciplinae contempserit, v. g. si levis in sermone, si in gestibus et motu corporis, si morosus et ad iuvandum proximum tardus et remissus, si in cibo et potu intemperans, non vitam ducet ex spiritu Societatis, nec Ecclesiam Dei aedificabit. Sunt ergo regulae servandae vel propter hanc causam.

2° Quia « regula » dicitur vel quod regat, vel quod recte vivendi[d] normam tradat, vel quia distorta pravaque corrigat.

3° Quia servare regulas maxime pertinet ad officium religiosi, qui debet vivere ex regula, et ideo dicitur regularis, hacque de causa adiecit animum ad religiosam vitam. D. Paulus de regula et vivendi modo quem tradebat discipulis dicit : (1) *Verumtamen ad quod pervenimus ut idem sapiamus, et in eadem permaneamus regula, imitatores mei estote,*

(a) *quis fin. sit.* B. (b) supra lin. A ; om. B. (c) *verus religiosus.* B. Prius scripserat A *verus religiosus* ; postea *verum religiosum.* Videtur scribendum fuisse *vere religiosum,* seu potius *quo quis verum* (aut *vere*) *religiosum.* (d) *v. q. regat recto vivendi.* B.

(1) Philip. 3, 16. 17.

fratres, et observate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nos, vel ut alii legunt, *nostram*[a].

4° Observare regulas est voluntatem Dei facere, quam superior manifestat, iuxta D. Paulum (1) : *Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulae, qua mensus est nobis Deus, mensuram pertingendi usque ad vos.* Ut ergo regula est norma et mensura facta secundum artem et voluntatem artificis, qua quid fieri velit et debeat prohibeaturve declarat, ac totum opus dirigitur ac regulatur : ita religionis regula est mensura scripta a fundatore religionis secundum artem et voluntatem Dei, qua declarat quid velit fieri vel non fieri, in ordine ad finem religionis. Sunt enim constitutiones et regulae bonae, et a Dei Vicario approbatae, ut non semel diximus.

5° Quia observatio regularum medium est per quod Deus largitur religiosis magna beneficia et dona spiritualia : *a)* Quietem et consolationem Spiritus sancti, quae est laetitia quaedam spiritualis (2) : *Lux orta est iusto et rectis corde laetitia* ; et (3) : *Quam magna multitudo dulcedinis tuae, Domine, quam abscondisti timentibus te.* Qui servant constitutiones et regulas, iusti sunt et timent Deum, cuius voluntas in regulis declaratur. *b)* Gaudium bonae conscientiae. Sicut enim qui facit quod non debet, sentit afflictionem spiritus, ita magnam sentit animi voluptatem qui facit quod debet (4). Augustinus (5) : « Iussisti, Domine, et ita est ut omnis appetitus inordinatus sibi ipsi sit poena ; nihil enim quod est inordinatum, quietum est » : umores inordinati in corpore causant infirmitatem. Qui facit quod debet, sentit pacem conscientiae. (6) : *Gaudium iusto est facere iudicium.*

6° Necessitas observationis regularum ex eo ostenditur, quod sit praecipuum medium ad perseverandum in religione ; quoniam etsi perseverantia donum sit Dei, iuvatur tamen homo ad perseverandum per bona opera, et ad faciendam certam vocationem suam (7) : *Satagite ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* Bona opera religiosi sunt servare vota et regulas.

7° Regulae sunt nobis pro face, quae in tenebricosa huius mundi valle nobis lucem praebet, ut non impingamus contra praecepta divina, sed

(a) Non scripsit B *nos*, neque *nostram*. In A, vox *nostram* superscripta est alteri, quam legere non possumus.

(1) 2 Cor. 10, 13. (2) Psalm. 96, 11. (3) Psalm. 30, 20. (4) Cfr. S August. PL. t. 36 Enarr. in Ps. 53, n. 8 p. in. (Quomodo). col. 625. (5) S. August. PL. t. 32 Confess. lib. 1. cap. 12, n. 19 extr. col. 670 ; ubi legitur : « *Iussisti, Domine, et sic est, ut poena sua sibi sit omnis inordinatus animus* ». (6) Prov. 21, 15. (7) 2. Petr. 1, 10.

recta ad Deum tendamus per viam immaculatam. Deus in veteri testamento dedit populo suo, in deserto inter hostes ambulanti, columnam ignis praecedentem : ita Deus in deserto huius mundi dedit nobis per famulum suum B. P. N. lucem constitutionum et regularum.

[8°] Postremo, firmamus et stabilimus Societatem, relinquendo posteris bonam disciplinam et spiritum bonum. Non desunt quidem difficultates, praesertim initio, sicut et iis qui aliquot retro annis in disciplina servanda fuerunt neglegentiores ; sed ardens caritas et Spiritus sancti unctio explanat viam et omnem tollit bonae voluntati asperitatem, facilitatque omnia, ac denique, quod naturae nostrae infirmitati arduum est, gratia reddit suave ; et porro medicina, etiam praeservativa, vix absque difficultate sumitur, sumpta vero prodest et recreat.

2. Notandum vero est quod in hac regula dicit B. P., esse perfecte et absolute observandas et adimplendas. Ut igitur dicamus quo modo servari debeant, initium faciemus ab eo quod dicit D. Basilius in prooemio Regularum fus. disputatarum (1) : « *Non omnis*, ait Dominus (2), *qui dicit mihi : Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum, sed qui facit voluntatem patris mei, qui in caelis est* : quando sane is qui divinam voluntatem facit, ait Basilius, non item eo modo quo Deus vult, et caritate, quam adversus Deum habere debet, inductus hoc facit, studium ei illud nihil prodest ; idque ex sententia ipsius Domini nostri Iesu Christi, cuius verba sunt haec (3) : *Faciunt* enim *ut honorificentur ab hominibus. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* ».

Quo igitur spiritu factae sunt, servari debent. Quo vero factae sunt spiritu ? Peculiari spiritu et modo, quem Deus dedit Societati. In veteri lege peculiaris adhibebatur ignis sacrificiis ; filii Aaron temerario ausu usi altero, flammis exstincti sunt (4). Ieiunat gentilis, ieiunat iudaeus, ieiunat christianus, sed vario omnes spiritu. Sic contionatur doctor saecularis, contionatur P. Franciscanus, contionatur religiosus Augustinianus, contionatur religiosus Societatis, sed hic modum habet peculiarem, quem Deus illi indidit cum dono et gratia vocationis. Servandae igitur sunt constitutiones et regulae omnes, non solum bona voluntate et affectu, atque interna reverentia et aestimatione, sed secundum modum et spiritum Societatis debet esse conversatio nostra, debent sacra mysteria a nobis administrari, officia omnia nostra a nobis perfici. In veteri lege iubebantur filii Israel offerre Deo optima quaeque : sic nos in regulis servandis debemus offerre Deo id

(1) S. Basil. PG. t. 31 Prooem. Reg. f. tr. col. 895 a. (2) Matth. 7. 21. (3) Matth. 6, 2. (4) Levit, 10, 1. 2.

quod est in nobis optimum, id est, affectum accensum, non solum opus et exsecutionem.

Plura aliquando in hanc sententiam attulimus, cum de regulis ageremus ; quare haec dicta modo[a] sufficient.

Advertendum est etiam B. P. N. non temere adiecisse regulae illud : « ut constanti animo » etc. ; nam opus est magno conatu et fortitudine, ut superentur difficultates quas caro et sanguis nobis iniciunt, et repugnantia quam sensualitas nostra profert : fortis etenim et generosus animus omnes difficultates facile superat. Adicit praeterea « nihil perfectionis », quasi diceret, nos non debere aestimare, quod regula quaeque praescribit, esse parvum, vel non obligare eam ad peccatum. Noverat siquidem id B. P. N. ; sed et noverat doctores dicere religiosum contemnentem perfectionem, quam secuturum se professus est, peccare mortaliter. Addit praeterea « nostri instituti peculiari ratione adimplenda. » Non enim, ut ante dictum est, debemus quaerere aliam doctrinam, subtilitates, imaginationes et cavillationes, quas in scholis fortasse aliquando audivimus, vel in aliquibus libris legimus.

Nemo ergo induat spiritum vel solitudinis, laxitatis, aut adulterinae interpretationis regulae contra verum et genuinum eius sensum et finem. Status enim religionis, ut talis, imperat omnibus religiosis ut quaerant in omni re maiorem Dei gloriam et perfectionem, ut ait D. Thomas (1), quia religiosus omnia reliquit, et se totum tradidit voluntati et oboedientiae eius qui eum vocavit dicens : *Si vis perfectus esse* (2), etc. Refert enim in omnibus actionibus quaerere perfectionem et maiorem Dei gloriam : *In omnibus*, inquit Ecclesiasticus (3), *operibus tuis praecellens esto*, hoc est, in omnibus operibus tuis procura quod melius est. D. Basilius in Reg. fus. disp. dicit (4) « nos debere in omnibus operibus nostris anniti Dominum nostrum Iesum Christum imitari, qui dicit in omnibus operibus suis se quaerere et facere semper quae placita sunt Patri ».

3. Qui volens et prudens regulas non servat, deficit in multis : 1° Facere videtur donum Dei valde parvi ; donum, inquam, et gratiam vocationis, ac consequenter doni largitorem. 2° Videtur ludere cum Deo et cum instituto ; immo utrumque ridere, et ad instar nasi cerei torquere ac inflectere quo velit institutum. 3° Multum perdit apud Deum, qui eas servantibus gratiam facit singulis momentis bene merendi.

(a) *haec de modo.* B ; prius scripserat A : *quae haec de modo.*

(1) D. Thom. 2. 2ae. q. 188. a. 2. c. (2) Matth. 19, 21. (3) Eccli. 33, 23.
(4) S. Basil. PG. t. 31 Reg. fus. tr. 5, n. 3. col. 923 b (ad mentem).

Hei mihi, fratres mei, quanta animi paenitudine aliquando[a], pro dolor ! afficiemur, quando extremum spiritum exhalaturi sumus, et tunc repraesentabitur nobis ab hoste maligno ignavia nostra in servandis regulis, et quod tam parvi fecerimus superiores et fratres nostros, eosque tristitia affecerimus ob neglegentiam et remissionem nostram ! 4° Scandalizat alios malo suo exemplo, et sensim seducit parvulos, et simpliciores inducit in ruinam, traducitque eos ad suas imperfectiones. 5° Cogetur, si secum bene actum volet, repetere gressus, quos perdidit ; et paulatim obducit callum, et conscientia ipsius cauterizatur, et contemnit dona Dei, et ea quae magni deberet facere. Postremo, virtutibus necessariis se privat, quas per regularum observationem obtineret ; quod detrimentum aestimari vix potest.

S. Ephraem dicit (1), quod qui in religione egit diu, « nec promissi sui effectum ostendit, nec rationes religiosae vitae suscipit, instrumenta circumferat, quorum artificium nondum didicit. Consenuisti in habitu, ait, tamquam experientiam praedictae vitae habens, forma esto iuvenibus et inexpertis. Si vero adhuc es novicius, senioribus morem gerito. Terreni regis milites ducibus atque principibus suis subiciuntur parentque : nonne multo magis nos decet oboedire et servare leges et mandata superiorum, non solum ob timorem, sed etiam *propter conscientiam* (2) ? »

4. Finis constitutionum et regularum, quod superest ut consideremus, — quiescere etenim nequimus donec videamus nos ad ipsum dispositos, et progredi : hoc ipsum dicit B. P. N. in declaratione prooemii constitutionum — est, inquit, creare, conservare et augere corpus Societatis, et omnia eius membra, in servitium universae sanctae ecclesiae Dei. Hinc est, quod in constitutionibus et regulis de nulla alia re tractatur, quam ut milites creentur exuti amore proprio et repleti amore Dei Domini nostri et boni universalis, quique instruantur armis opportunis in hoc armamentario et officina Societatis ad amplificandum regnum Dei, destruendum autem regnum diaboli. Ad hunc finem faciunt et valent valde usus frequens in Societate servatus sacramentorum, continuae mortificationes, quas proponunt regulae, exercitiorum spiritualium usus, humilitatis exercitatio, passionum moderatio per virtutes solidas, unio magna cum Deo, amor maximus et reverentia erga ipsum, observantia perpetua erga superiores.

(a) *olim.* B.

(1) S. Ephraem, t. 2, n. 74 Paraen. 38, p. 403 a. (2) Rom. 13, 5.

Ex his fluit spiritus et anima regularum. Nam regulae, licet optimae sint quas scriptas habemus, sunt tamen mortuae, et ut tales nequeunt cor movere ad exsecutionem eius quod imperant et praescribunt. Superest ergo videre quae sit haec anima, regulaque viva quae movet, incitat et confortat ad operationem et exsecutionem eius regulae quae scripta est. Haec est igitur gratia vocationis, et donum quod Deus infundit in animam nostram, quibus efficit ut desiderium in nobis excitetur et praeveniat legem, v. g. paupertatem, quam lex praescribit, ut cor meum ante desideret quam exerceat. Ita de iustis dixit Paulus (1) : *Ipsi sibi sunt lex.*

Proinde, fratres mei carissimi, licet habeamus regulam de oratione facienda, si simus nobis semper praesentes, attenti ad ea quae facere debemus[a], non est illa regula quae incitat ad conferendum nos ad orationem, quae id praestet ut debite eam faciamus, sed haec gratia cuius iam mentionem fecimus ; quia lex iubet, gratia iuvat, ait Augustinus (2). Quod si vero velimus penitius cognoscere vim huius, revocemus in memoriam id quod operata est in nobis initio conversionis nostrae, iuxta illud (3) : *Rememoramini pristinos dies, in quibus* pro Christo *magnum certamen sustinuistis.* Quis oro effecit, ut qui ante vocationem non tractabam nisi de commodis et vanitatibus meis, iam recreer in mei contemptu, paenitentiis, asperitatibus ; mundum neglegam, et omnia quae eius sunt ?

Quod si, fratres, aliquis ex vobis non sentiat modo illam vim et efficacitatem, impulsumque spiritus quem initio vitae susceptae, attendat ille an fortassis gratia illa, quae tam mirabiliter operabatur in eo, languore aut torpore animi iam semimortua non[b] iaceat, quia nimirum animo se converterit ad ea quae reliquerat, ad cogitationes, inquam, propinquorum et mundi, ad colloquia vana, ad otium et commodorum desideria. Nam absit ut sentiam aut cogitem ullum esse de hac familia qui conversus sit in statuam salis sterilem, qui faciat non fructum spiritus, sed affectu quaerat honores, propriam existimationem, in cibo et potu nimis exquisita, quae in principio contemnebat. Nam si ita mutatus sit quispiam, si ego non mihi constem, culpa mea est, non gratiae Dei, quam divina illa bonitas mihi conservasset, nisi me ad huius mundi stercora convertissem. Magna sane est miseria nostra, ut cum Cassiano loquar (4), quod religiosus

(a) *debeamus.* B ; ut prius scripserat A. (b) alia manu supra lin. ; deest in B.

(1) Rom. 2, 14. (2) S. August. PL. t. 38 Serm. 251, n. 6 extr. col. 1171. (3) Hebr. 10, 32. (4) Cassianus. PL. t. 49 Coll. 4, cap. 19. col. 607 a. b. (nam qui semel) ? Cfr. S. Bern. t. 182 Epist. 254, n. 4. col. 460.

magnifacere videatur si in eo statu maneat, in quo Deus initio illum collocavit, qui tamen non tam eius erat quam Domini, sed datus ut ad usuram collocaretur et faceret fructum, cresceretque continenter opera et auxilio sacramentorum, et in medio tot exemplorum mediorumque quae religio subministrat.

5. Petet fortassis aliquis : quid autem intellegis per gratiam vocationis ? Ego in vocatione mea firmus sum ; si haec est gratia vocationis, quid mihi deest ? Hoc te, mi frater, libero dubio. Gratia vocationis non solum est stare et perseverare in Societate, sed aestimatio eius magna, appretiatio eius insignis, amor et affectus incensus erga institutum eius, cum gratiarum actione de huius gratiae, quam initio sensi, gratuita largitione. Ex hoc enim affectu nascitur desiderium ardens serviendi tanti boni largitori Deo, et tradendi me penitus sanctae eius voluntati, observando studiose omnes regulas et constitutiones mihi propositas. Hanc gratiam concessit Deus per Spiritum sanctum suum B. P. N., et Societati, ac singulis nobis.

Haec docet nos omnem veritatem, illuminat intellectum ; veritas autem ab intellectu procedens et notitia voluntatem et affectum movet et afficit, et generatur in ea magna aestimatio instituti. Intellectus ergo proponit regulas et veritatem voluntati ; amor et affectus voluntatis eas amplexantur, excitando magnum amorem et propensionem in regulam et Societatem. Haec est ergo gratia vocationis.

Proinde, frater mi, quando improbus hostis suggeret cogitationes libertatis et laxitatis et neglectum regulae, quando ad pulsum orationis pedes tibi ingravescunt, videnturque massam plumbi habere appensam, campanaque videtur caput obtundere, in oratione sentis te ut lignum aridum : signum est, quod licet sis in Societate, non vivat tamen in te spiritus Societatis et gratia vocationis, quam olim a Deo accepisti. Quid remedii, fratres mei ? Ut excitemus nos et manus attollamus ad Deum, rogemusque ut renovet in nobis spiritum rectum suum, ne dormiamus in nostris imperfectionibus, sed sursum semper habeamus cor nostrum ad Dominum, qui tam clementer vocavit nos. Quod ut facias, bone Iesu, obsecro te per sanguinem illum pretiosissimum, quem pro nobis fudisti.

22ª Exhortatio

SUPER REGULA 16ª : QUID VIRTUS ; QUOTUPLEX EA SIT ; QUID VIRTUS IN NOBIS OPERETUR ; QUOMODO DIFFERANT SOLIDAE ET VERAE AB APPARENTIBUS ; QUID REQUIRATUR A NOBIS UT VIRTUTES ACQUIRAMUS ; UNDE FIAT QUO MINUS IN VIRTUTE PROGREDIAMUR ; DENIQUE, QUOD STUDIUM VIRTUTUM MAXIME COMMENDETUR SOCtis Nrae HOMINIBUS

1. Hortatur nos B. P. N. in regula 16ª ut magno studio incumbamus comparandis virtutibus solidis et perfectis. Est autem virtus multiplex. Nam sunt aliquae naturales seu a natura inditae et innatae ; unde Iob ait (1) ; *Ab infantia crevit mecum miseratio.* Sunt et virtutes acquisitae et philosophicae, ut fuit patientia Diogenis, prudentia Solonis, castitas Lucretiae, fortitudo Mucii[a] Scaevolae, paupertas et contemptus omnium Byae ob amorem studiorum et vanae gloriae cupiditatem. Sunt et christianae virtutes, quae a Deo infunduntur, non a natura innatae, non diligentia et studio acquisitae, sed quarum vita est caritas, cuius vi sunt illae verae et solidae.

Est autem virtus quaedem qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nemo male utitur, qua Deus, ut ait D. Augustinus (2), operatur in nobis sine nobis, hoc est, non cooperamur infusioni, sed praeparatione[b] ad infusionem nos disponimus.

Quae vero operatur virtus in nobis ? 1° Habitum operandi, sicuti digiti per longum usum ad pulsandam citharam habituantur. 2° Expellit vitium contrarium ; unde Paulus ait (3) : *Abiciamus ergo opera tenebrarum et induamur arma lucis.* Item (4) : « Deponite veterem hominem, et induite novum ». Hae siquidem sunt nobis vestes induendae, « ut non appareat nuditas nostra », ut dicitur in Apocalypsi (5). Adam statim ut peccavit « nudum se esse animadvertit (6) » ; nam prius innocentia et iustitia ipsum contegebant. 3° Expellit tristitiam, quam ex natura nostra corrupta in spiritualibus sentimus ; nam teste Aristotele : habitus facit ut cum delectatione operemur. Unde homines improbi qui inveteraverunt in peccatis, cum delectatione et suavitate peccant ;

(a) *Lucii.* in utroque codice. (b) *praeparationi.* B ; quod correxit A.

(1) Iob. 31, 18. (2) Haec ut iacent non reperimus ; videntur enim contracta ex pluribus S. Aug. locis, quos facile quivis inveniat. (3) Rom. 13, 12. (4) Cfr. Ephes. 4, 22. 24. (5) Cfr. Apoc. 3, 18. (6) Cfr. Genes. 3, 7.

spirituales contra viri, ut omne peccatum abhorrent, ita, quia in omni genere virtutis exercitati sunt, cum delectatione spiritualia tractant. Tristitiam itaque omnem inordinatam et malam a nobis expellit amor Dei, qui cum in anima est, facit ut propter Dei offensam solum tristemur ; nec illa tristitia nos perturbat, quia permissio Dei est. Hinc si aegrotamus, non tristamur, nisi forte propter morbum impediatur opus bonum et fructus : ut si quis contionator sit, et peccatores videat liberius agere, quia non reprehenduntur vitia ; sed et quidem tunc moderate tristatur, cogitans quod si nolint hi acquiescere legi Dei vocantis eos misericorditer ad paenitentiam, experturi sint iustitiae illius debitam vindictam.

4° Homo virtutibus munitur et roboratur ; propterea vocantur arma ab Apostolo (1). Armant autem praecipue, post theologales, virtutes cardinales : iustitia contra iniustitiam ; fortitudo contra inconstantiam ; prudentia contra stultitiam, quia facit ut aedificemus supra petram Christum ; temperantia contra concupiscentiam, quia vitia per peccatum originale contraximus, et cum originali iustitia virtutes perdidimus.

5° Sunt nobis lux ; unde vocantur ab Apostolo arma lucis (2). Neque tantum interius nos illuminant, sed lucent etiam exterius (3), ut eas videant homines *et glorificent patrem vestrum, qui in caelis est.* Gratia vero est surculus caelestis, qui huic arbori silvestri insertus facit eam ferre fructus optimos ac Deo gratissimos.

2. Virtutes solidae vere lux sunt, qua discernimus aurum ab aurichalco ; quibus comparari neutiquam[a] possunt virtutes illae acquisitae et philosophicae, de quibus initio dictum est. Episcopus ille Apocalypsis (4) putabat se divitem esse, quia habebat virtutes has acquisitas, et se egregie redimitum esse et cultum ; audivit tamen ab angelo sibi praedicari per S. Ioannem, quod pauper et nudus et miser et miserabilis esset. Hasce ergo virtutes apparentes et exterius tantum splendentes non debemus consectari. Lapillus unus pretiosus ob pulchritudinem insitam, pluris fit quam mille magni lapides : sic homo aliquis solidis virtutibus instructus praestat in conspectu Dei pluribus peccatoribus, licet plus habeant sapientiae et virtutis politicae (5) : *Melior est unus timens Deum, quam mille filii impii.*

Homo sine gratia et caritate mortuus est, licet virtutes multas

(a) *merito.* B ; quod correxit A.

(1) Rom. 1. c. (2) Rom. 1. c. (3) Matth. 5, 16. (4) Apoc. 3, 14-17. (5) Eccli. 16, 3.

habeat acquisitas ; accedente vero virtute infusa vivificatur : *Melior est canis vivus leone mortuo* (1), id est, nobili improbo melior est pauper iustus.

Virtutes naturales et philosophicae sunt ficus illa frondosa, quae maledicta a Domino aruit (2). Gratia est vita animae ; virtutes sunt eius facultates, ut anima est vita corporis et forma hominis, qua homo dicitur. Nihil autem per animam operamur, nisi per facultates eius ; idcirco anima tantum est principium agendi remotum, non proximum ; facultates autem sunt agendi principia proxima, non autem essendi : sic gratia dicitur animae vita, eamque vivificans atque per virtutes meritorie operans.

Virtus thesaurus est absconditus in agro mentis (3), qui ideo non quaeritur a mundanis quia ignoratur ; immo est plerisque mundanis ad instar luti, eumque despiciunt et conculcant, dum eius studiosos contemnunt et subsannant. Bernardus ait (4) : moralitatem in duobus praeceptis consistere, in evitandis vitiis, et appetendis virtutibus, iuxta illud (5) ; *Declina a malo et fac bonum.* Virtus respectu illius a quo est, id est largitatis divinae, gratia est, et dicitur, respectuque huius comparationis dicit D. Paulus (6) : *Optimum est gratia stabilire cor* ; respectu vero eius quod ab eo est, id est operis eius, dicitur virtus, et sic eam philosophi nominant, faciem videlicet habentes ad donum Dei, et dorsum ad largitorem.

3. Virtutes porro perfectae ac solidae, de quibus agit regula, etiam in tria genera distinguuntur, ut ante insinuatum est de distinctione virtutum in genere, videlicet in theologales, quibus mens humana Deo coniungitur : sunt autem fides, spes, caritas ; in virtutes cardinales, quae sic appellantur, quia sicut ostium cardini innititur et in eo volvitur, sic tota conversatio bona his quattuor virtutibus innititur et perficitur : haec autem conversatio consistit in faciendo bonum et patiendo malum ; denique, in morales, quibus vires appetitus perficiuntur ad oboediendum rationi.

Seneca dicit virtutes opus habere doctore et magistro, non ita vitia, quia haec omnibus patent ; quia peccatores peccant absque Dei timore et ullo hominis pudore, neque timent a Deo castigari, quia ab hominibus non castigantur. Virtutes vero sunt quasi attonitae et deterritae, nec audent prodire in publicum ; propterea egent aliquo qui eas provehat et doceat. Vitia absque magistro discuntur, quia nota sunt.

(1) Eccle. 9, 4. (2) Matth. 21, 19. (3) Matth. 13, 44. (4) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 71 in. de div. col. 691. (5) Psalm. 36, 27. (6) Cfr. Hebr. 13, 9.

Opus ex se bonum, ad opus melius comparatum, malum est, hoc est, minus bonum. In hunc sensum dicit Iethro Moysi quod stulte et male faciebat, quia potuit melius facere (1).

4. In Societate requiritur a nobis ut impense incumbamus huic studio, ut virtutes omnes, et eas solidas et perfectas comparare studeamus : « solidas » dicit B. P. N., quia naturales illae et philosophicae cardinales, hoc est, quae non vivificantur gratia et caritate, inanes sunt et absque merito ; sed infusas a Deo sollicite petere debemus (2) : *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris.* Illae tamen naturales et philosophicae non sunt despiciendae, sed amandae et quaerendae, non ut in eis consistemus, sed quia per eas disponi possumus ad solidarum infusionem accedente oratione ; alioqui illae sunt inanes, vacuae, leves, et quamvis appareant aliquid esse, revera tamen nihil sunt in re, nisi aurichalcum in comparatione ad aurum, et imagines atque picturae virtutum. Honestae sunt quidem apud vulgus et ampullosae erant philosophis, sed nihilo minus virtutum solidarum sunt tantum simulacra, suntque similes ligno putrido, quod in tenebris degentibus licet lucidum appareat, lucidum tamen non est.

5. Ut acquirantur virtutes, in universum tria requiruntur.

Primum est, affectum sive appetitum flectere, voluntatemque dirigere sicuti baculum curvum flectimus ; estque facere contrarium appetitui, et inferre sibi violentiam, quod quidem est initio difficile ; verum neque initio suaviter addiscuntur artes et scientiae, et ut vulgo dicitur : difficilia quae pulchra. Ut vero voluntas dirigatur, opus est duobus, posito quod sit parata : unum est, applicare ei regulam divinae voluntatis ; deinde fortitudo debet accedere, conatus et studium : frustra enim faber murarius regulam muro applicaret, nisi pariter malleum et laborem adhiberet. Haec autem alacritas acquiritur incremento gratiae Dei ; gratia vero, nostra dispositione ; dispositio denique nostra, oratione et cooperatione. Atqui aegre nobis vim inferimus, quae tamen ad virtutem maximam energiam habet ; causa huius languoris est, quia amamus nimium nosmet ipsos. In plerisque potentior est caro seu sensualitas, et haec vim infert spiritui, et conscientiae ut non remordeat. In bonis, ut in sanctis, superat et dominatur spiritus, et hi statim carnem reprimunt. In aliis nec dominatur caro, nec spiritus ; et hi quam diu se ipsos non vincunt, passionibus vere-

(1) Exod. 18, 17 sqq. (2) Ierem. 15, 19.

cundiae vel timoris vel amoris proprii vel ignaviae impedientibus, semper tepidi, miseri et ignavi manent.

6. Secundum est, omnem occasionem contrariam removere, sive eam fugere, videlicet inoboedientiae, familiaritatis nimiae, levitatis, discursus intempestivi, otii, etc.

Unus autem plus proficit altero, ut notat S. Antoninus, 1° ob naturae bonam complexionem. Nam quidam habent naturam magis inclinantem ad virtutem quam alii ; vel ad alia magis, ad alia minus ; sed gratia facile corrigit et iuvat naturam : hanc oportet petere, iuxta illud (1) : *Petite et dabitur vobis.* 2° Unus plures exercet actus virtutum quam alius ; sicut videmus aliquem, pauciora ac minora talenta habentem, alium exercitatione vincere et eruditione superare. 3° Quando quis habet maiorem discretionem et constantiam quam alius : eiusdem enim generis triticum, pro diversitate terrae et culturae, diversum fert fructum (2), *aliud tricesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum.* An vero studium et conatum adhibeamus sufficientem, cognoscere est in examine ; sicuti an media omnia quaeramus opportuna, consulendo sapientes, legendo pios libros, orando, operando, etc. ; nam facienti quod in se est, infunditur gratia.

7. Tertium est, quaerere semper et in omnibus medium. Virtus enim in medio consistit. Augustinus definit virtutem esse habitum mentis bene institutae (3). Mens autem dicitur bene instituta, similitudine ducta a regno bene instituto, quando videlicet in eo consilium bonum viget, recte imperatur et fideliter oboeditur ; sic, inquam, mens bene instituta est, quando ratio recte consulit, voluntas recte imperat, vires subiectae voluntati recte oboediunt. Hanc bonam regni interioris institutionem virtus facit ; ipsa enim rationem illuminat et voluntatem de servitute vitiorum ad imperium sublevat, et vires inferiores in ordinem redigit. Sine virtute enim mens pueriliter et praepostere regitur, ut factum videmus in regno Roboam (4), ubi iuvenes consuluerunt ac seniorum consilium reiectum est. Virtus ergo facit ut in regno animae pars nobilior dominetur, inferior pareat, et tunc beata est anima, ut habet Ecclesiastae 9^{m} (5) : *Beata terra, cuius rex nobilis est.* Virtus solium iudicii rationi restituit, ex quo sequitur dissipatio omnis mali.

8. Quare, amabo, non proficimus in virtutibus, fratres mei, ut par

(1) Matth. 7, 7. (2) Matt. 13, 8. (3) S. August. PL. t. 40 de Spir. et Anima. cap. 4. col. 782 p. in. (4) Cfr. 3 Reg. 12, 13. (5) Immo Eccle. 10, 17.

esset, qui in schola virtutis continenter versamur ? Causam unam esse arbitror : quia senescimus et refrigescit ardor caritatis in nobis. Senectutem naturalem causat in nobis caloris naturalis defectus et umorum abundantia, quos calor naturalis concoquere deberet, et non potest : ita in homine interiore, deficiente fervore caritatis, umores imperfectionum succrescunt et abundant ; et in improbis et in deficientibus quidem, spiritus tendit ad interitum et mortem, sicuti corpus ad terram, quia terra est et ad terram redire debet ; iustorum vero et sanctorum senectus robustior fit, quia continenter ipsi proficiunt et de virtute in virtutem progrediuntur.

Sunt qui, cum deberemus omnes procedente tempore in religione fieri alacriores, senescunt tamen et debilitantur in duabus animae partibus principalibus. In intellectu quidem, quia fit ob imperfectiones plures illis obscurior, minusque cognoscunt et diiudicant de iis quae ad perfectionem spectant, quam initio faciebant ; cum vero agnoscant se diu fuisse religiosos, superbia agitantur, et quasi magistri facti propter tempus, alios despiciunt praeferuntque se melioribus. In voluntate autem, quia perdiderunt affectum disciplinae, non ita curant silentium sicut prius, mortificationes non sectantur quasi iam perfecti evaserint, simplicitatem illam columbinam, quam olim habuerant, exuerunt, candorem et sinceritatem cum superioribus neglegunt, denique timor offendendi Deum valde in ipsis extenuatus est. Deberemus tamen, fratres mei, semper crescere, semper proficere et extendere nos ad perfectiora. Abiciamus ergo opera tenebrarum (1) eo studio, affectu devoto induamus virtutem omnem, et exuto vetere homine, novum induamus, ne appareat imperfectio et nuditas nostra.

9. Felicem virtus facit in anima commutationem : stabulum enim sordibus et aranearum telis obsitum, facit templum Spiritus sancti ; desertum, caelum. Item expellit tristitiam, quae ob naturam nostram corruptam sentimus in spiritualibus. Item virtus hominem munit et armat contra hostes, pugnat iustitia contra iniustitiam, fortitudo contra inconstantiam, prudentia contra stultitiam et levitatem, temperantia contra concupiscentiam, et omnis denique virtus contra vitium oppositum sibi decertat.

Pertinet autem studium virtutum maxime ad homines Societatis ; ideo saepius in constitutionibus commendatur, et quidem in coadiutoribus temporalibus ; nominatim vero studium amoris Dei et perfectionis, ut propria nota vocationis. In scholasticis vero et studiosis

(1) Rom. 13, 12. ; Ephes. 4, 22-24 ; Apoc. 3, 18 (supra, p. 526, not. 3, 4, 5).

Societatis in p. 4 et plerisque aliis locis commendatur tamquam fundamentum praecipuum scientiarum. Propterea tertium annum probationis adiecit B. P. N. post exacta studia P. 5 constit. c. 2, § 1. Tanti videlicet fecit sanctus vir hoc studium, ut talenta et dona gratis data, donave naturae veluti corpus esse existimarit, virtutes autem solidas ut spiritum et animam, p. 10, § 2. Et sane videmus quod quamquam aliquis gratuitis et egregiis talentis sit in Societate praeditus, ac per illa multa praestet quae plausibilia et speciosa in speciem sunt, cum virtutibus tamen solidis non satis sit instructus, parum fructus facit; hincque ab illis ministeriis, si se non emendant, iubentur abstinere et aliis vacare. Tantum autem vult esse B. P. N. hoc studium in nobis singulis, fratres mei, ut moneat contendamus superare virtute et religiosa perfectione maiores patres nostros, in Exam. c. 4. § 26; et p. 6. constit. c. 3, § 1 et 3.

10. Necessitas autem huius curae et diligentiae consectandi semper perfectiora ad Dei maiorem gloriam et bonum animarum nostrarum in Societate summa est, quia non habemus tot exteriora adiumenta nobis ex instituto praescripta, sicut aliae habent religiones; neque etiam interna tam multa, ut obligationes ad peccatum in observando regulas, sicut aliae saepe habent; neque poenas externas, veluti compedes, carceres, etc. ; quare amor et zelus, studiumque perfectionis nobis pro calcaribus esse debent ad perfectionem omnis generis virtutis conciliandam. Animemus ergo nos, fratres, et igneas lacrimarum guttas cordisque tacitos mugitus effundamus, quoadusque venientem videamus Iesum, qui lapidem nostrae caecitatis a corde removeat et Lazarum, hoc est animum nostrum, imperfectionum vinculis et fasciis astrictum, iubeat angelis ministrantibus solvi et liberum ab imperfectionibus esse. Quod nobis concedat Dominus. Amen.

23ª Exhortatio

SUPER REGULA 17ª : DE RECTA INTENTIONE HABENDA NON TANTUM CIRCA VITAE STATUM, SED ETIAM CIRCA OMNES RES PARTICULARES ; QUAM GRATA DEO SIT RECTA INTENTIO, ET QUAE AD RECTAM INTENTIONEM REQUIRANTUR

1. Haec regula procul dubio dignitate prima est, licet ordine sit 17ª ; finis enim primus est in omnibus actionibus nostris. Est autem intentio, finis, seu id quod nos perducit ad finem propositum. Est nimirum instar acus nauticae, qua vel minimum mutata nautae longius aberrant a suo scopo : ita se habet et intentio nostra. Nam si recta est, ut esse debet, ad caelestem gloriam et Dei honorem actiones nostras dirigit ; sin mutetur et alio spectet, actio nostra perversa est. Ex hac ergo regula, quae sumitur ex 3 p. cap. 1, § 26 constitutionum, quattuor notare debemus : 1ᵘᵐ Quod recta intentio habenda sit non solum in statu vitae, sed etiam in particularibus rebus et actionibus omnibus. 2ᵘᵐ Quod servire debeamus Deo simpliciter et pure propter ipsum. 3ᵘᵐ Quod vitam nostram in religione et omnes actiones nostras instituere debemus ob Dei amorem et beneficia, quibus ipse[a] nos continenter praevenit. 4ᵘᵐ Quod magis in hac intentione amoris Dei debeamus nos exercere, quam in timore poenarum vel spe praemii, quamvis his etiam adiumentis nos in omnibus iuvare debeamus.

2. Primum igitur nobis praescribitur, quia recta intentio vita est operis nostri, ut anima vita est hominis. Ideo dicitur (1) : *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit ;* et iterum (2) : *Lucerna corporis tui est oculus tuus ;* quod multum inculcat Dominus, ut doceat multum referre ut rectam intentionem habeamus. Et ut id melius assequeremur, docuit quomodo facienda esset eleemosyna, quomodo orandum, quomodo ieiunandum, etc. *Cum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te ; cum ieiunas, unge caput tuum ; cum oraveris, intra in cubiculum tuum* (3). Quibus exemplis docet nos rectam semper habere debere in omnibus actionibus intentionem. Et primo quidem,

(a) om. B.

(1) Matth. 6, 22. (2) Ibid. 23. (3) Matth. 6, 2. 6. 17.

ut regula ab ipso nobis per B. P. N. data docet, in statu vitae. Est autem status noster religionis et servitii divini. Si quis igitur alio tenderet, ut si quis Deo serviret, vel ingressus esset religionem, ut studeret vel frueretur commodis maioribus aut honoribus, non haberet hic rectam intentionem ; et si attulisset secum obliquam, eam mutare et dirigere deberet, ne assimilatus Ananiae et Saphirae (1) Dei gratia excideret. Intentio enim ipsorum recta non fuit, quando sectatoribus discipulorum se adiungere voluerunt.

Intentio ergo nostra et finis esse debet servitium Dei, propria salus et auxilium animarum, ut dicitur c. 1° Examinis. De hac intentione dicebat D. Ephraem (2) : Aliquid aggressurus dirige intentionem tuam, et initio operis « crucis signo te ipsum muni, signans eo membra tua omnia, et cor tuum. Neque vero sola manu tua te signes, sed etiam animo, et studia tua, et ingressum et exitum tuum in omni tempore, sessionem quoque tuam, et resurrectionem tuam, et lectulum tuum, et quaecumque pertransis, signa primum in nomine Patris et Filii, et Spiritus sancti. Validissima quippe eiusmodi armatura est, nullusque nocere tibi umquam poterit, si ea munitus fueris. Nam si quis terreni regis signaculum defert, eum laedere nullus audet ; quanto magis nos, qui tale caelestis imperatoris signum ferimus, neminem metuere possumus. Hisce ergo, ait, armis, mi frater, utere crebro ; sunt enim vehementer contraria telis inimici, immo et ipsius gladio, amarissimae scilicet gravissimaeque iracundiae. Huiusmodi quippe armatura velut anceps gladius uno momento perimit eum quem percutit, iuxta illud (3) : Momentum enim furoris, ruina illius. »

Ideo, fratres mei, numquam neglegamus rectam facere intentionem nostram. Ipsa enim destruemus laqueos quos tendit diabolus, de quo dicitur psalmo 139 (4) : *In via hac qua ambulabam, absconderunt laqueum mihi.* Saepe igitur renovare debemus intentionem et collimare ad finem praestitutum, qui est Dei honor et gloria. Architectus antequam fabricam incipiat, dirigit intentionem suam ad domum huius vel illius generis faciendam : sic ad nostrum propositum, facturi orationem vel aliquam mortificationem, quod debet mentem nostram movere et voluntatem, sit Dei honor, ut videlicet carnem mortificemus propter amorem Dei, ut oremus propter honorem eius ; nam si moveremur

(1) Act. 5, 1 sqq. (2) S. EPHRAEM. tom. 2, n. 90, Panoplia, p. 480. d. e. (3) In marg. vocatur ad Eccli. 1 ; sic etiam notatur in marg. op. S. Ephr. Re quidem vera, legitur in ed. LXX : « impetus enim irae eius, subversio est ipsi ». In Vulgata vero, Eccli. 1,28 : *Iracundia enim animositatis illius, subversio est ipsi.* Porro ed. graeca S. Ephraem habet ῥοπή i. e. *momentum, propensio.* (4) Immo Psalm. 141, 4.

alia intentione ad placendum hominibus, intentio esset improba et perversa.

3. Potest autem unum et idem opus diversas admittere intentiones, sed subordinatas, ut quando una refertur ad aliam : qui videlicet cogitat et intendit proelium, emit equum, lanceam parat, gladium accingit ; varias in his habet intentiones, quae sibi tamen mutuo subordinatae sunt ad unum finem, qui est proelium seu victoria. Sic potest quis carnem castigare ut paenitentiam agat, castitatem conservet, ut conformis sit Christo passo, ut se denique in holocaustum offerat Deo. Diversarum autem intentionum praecipua est, quae primario et principaliter movet ad operandum, et sine qua opus non fieret. Neque propterea oculus noster desiit esse simplex, quia tendit in unum, id est, ad Christum Dominum. *Pone me ut signaculum super cor tuum* (1), dicitur in canticis : ita anima nostra ad Christum super cor positum omnes actiones suas dirigere debet. Augustinus super Ioannem dicit (2) quod « bonum quod agimus, ut malum, non tam consistit in opere ipso quod facimus, quam in fine propter quem illud facimus, vel auctoritate qua facimus ».

Exempla sunt in Ioab (3), qui occidit Amasam et Abner, et peccavit graviter. Nam cur occidit ? in ultionem fratris. In S. Petro (4), qui verbo exstinxit Ananiam et Saphiram, nullum fuit peccatum, sed meritum magnum. Cur hoc ? Quia ultus est bono Dei zelo sacrilegium detestandum et mendacium in Spiritum sanctum. Item Iudas Christum negavit, Petrus etiam eundem negavit, et uterque peccatum cognovit; sed Iudas desperando, et consequenter impaenitens mortuus est. B. Petrus paenitentia peccatum eluit, quae sociam spem habuit. Item Abel sacrificavit Deo, Cain eius frater similiter; respexit autem Deus ad sacrificium Abel, non ad sacrificium Cain, quia diversa fuit utriusque intentio, illius bona, huius mala. Abraham ridens meritus est atque commendatus ab Angelo (5) ; Sara uxor ridens reprehensa est ab eodem, et ex eadem uterque occasione, non tamen eadem fuit in utroque intentio.

Quam grata autem Deo sit bona intentio patet exemplo Abrahae, cuius tam gratam habuit intentionem ad immolandum filium ac si realiter immolasset, quamvis gladium solum eduxerit e vagina, ob praeclaram videlicet intentionem et fidem. Intentio est condimen-

(1) Cantic. 8, 6. (2) S. August. PL. t. 40 contra Mend. c. 7. n. 18, col. 528. Loco indicato non reperimus. (3) 2 Reg. 20, 10 et 3, 27. (4) Act. 5, 1 sqq. (5) Gen 17, 17 et 18, 13.

tum, quo gratum fit Deo omne sacrificium nostrum ; alioqui si intentio non sit recta, ingratum est.

4. Ut vero regula habet, recta debet esse ; quam ad rem requiruntur quattuor :

1° Ut separata sit ab omni dolo et artificio, sitque simplex, cum prudentia tamen coniuncta. Nam si quis furaretur ut benefaceret alteri, non valeret ; et si ad conciliandam benevolentiam alteri loqueretur artificiose et cum mendacio, licet videatur bona, bona tamen non est. Item si mentior superiori, ne meo fratri offendatur, non esset similiter recta, licet in speciem sit bona. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona.

2° Requiritur ut persona nullo peccato sit maculata mortali (1) : *Si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas,... caritatem autem non habuero, nihil sum.*

3° Respicere debet ad ultimum finem, id est in Deum ipsum. Ne sit intentio mea in terrenis posita, sed in spe caelestis retributionis, iuxta illud (2) : *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas in aeternum propter retributionem.* Amandus enim est Deus propter se ipsum, et cetera omnia propter ipsum.

4° Debet praeterea intentio bona haberi in omnibus actionibus et officiis nostris, et singulis adhiberi pure et simpliciter, ut Deo sit grata. Ut vero itur Romam variis viis, ita variae sunt homini intentiones et media ad eundem finem tendentia. Debemus proinde semper esse memores, ut omnia instituamus secundum modum proprium Societatis. Seneca dicit studiosum virtutis ita se semper habere debere atque si continenter esset in conspectu viri alicuius praestantis. Proinde debemus semper attendere ut oculi nostri semper sint ad Deum, *Sicut oculi servorum in manibus dominorum suorum* (3).

Non enim debet esse intentio nostra, ut laudemur ab hominibus vel illis placeamus. Sic enim facientes opera sua bona pharisaei reprehensi sunt a Domino (4) : *Cum ieiunatis*, etc. ; et Paulus (5) : *Si hominibus placerem, Christi servus non essem ;* item psalmista (6) : *Dissipasti ossa eorum, qui hominibus placent ; confusi sunt, quoniam Dominus sprevit eos.* Per ossa in scriptura sacra virtutes intelleguntur, quarum actus cum fiunt propter homines, dissipantur et pereunt ; nam bonum opus factum ob malum finem depravatur, ut si quis daret eleemosynam ad seducendum aliquem.

(1) 1 Cor. 13, 3. (2) Psalm. 118, 112. (3) Psalm. 122, 2. (4) Matth. 6, 16. (5) Gal. 1, 10. (6) Psal. 52, 6.

Quod si quis bene operetur propter aliorum exemplum[a], haec intentio est bona ; quia a D. Paulo monemur (1), *Ut provideamus bona, non solum coram Deo, sed etiam coram omnibus hominibus ;* et Matthaei 9° dicitur (2) : *Nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui in domo sunt ;* et Dominus de se ipso dixit (3) : *Exemplum dedi vobis, ut quem ad modum ego feci vobis, ita et vos faciatis ;* et Paulus (4) : *Exemplum*, inquit, *esto fidelium ;* et ad Titum (5) *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum.*

Item intentio bona est, quando aliquid facimus ad vitandam poenam externam, sive ob timorem gehennae, modo tamen sit secundaria, et non principalis. Praeterea intentio bona est, quando bonum opus facimus ad consequendum praemium externum, ut paulo ante (6) meminimus dicentes cum psalmista : Inclinavi cor meum, etc. Et omnium optima est intentio, quando bonum fit ad maiorem Dei gloriam et ex amore in ipsius honorem ; haec enim intentio respicit solum Dei honorem, et non propriam utilitatem. Hanc B. P. N. valde passim commendat, et in hac maxime regula.

5. Ut varias esse posse ostendimus intentiones, quarum tamen una est perfectior altera, sic ea quae Domino offerebantur erant diversi generis (7). Quaedam enim non habebant in se pinguedinem, ut panis, simila, quae liniri debebant, ut pinguedinem haberent, oleo ; alia pinguedinem ex se habebant, ut animalia, quae oleo non aspergebantur. Sunt enim duplicia opera nostra quae Deo offeruntur. Unum operum genus est, quod habet pinguedinem ex se, quia nulla modo fieri potest malum ; habet nimirum pinguedinem gratiae, ut sunt opera fidei, spei et caritatis, et diligere Deum propter se. Alia sunt bona in genere, quae possunt fieri bene et male, ut opera indifferentia, ut dare eleemosynam, contionari, etc. Iussit Deus (8) ut de oblatione primitiarum totum combureretur, id est, tota intentio nostrae orationis et operationis ferretur in Deum ; et (9) in hostia pacificorum praecipitur offerri Deo adeps et cauda (10). Ubi Gregorius ait : cauda est finis animalis : sic Deus vult finem operis, et ut tota intentio ad ipsum dirigatur. Psalmista (11) : *Confitebor tibi, Domine, in toto corde meo ;*

(a) Prius : *Debemus praeterea operari pr. al. ex., et haec...* A ; quibus mutatis, oblitus est fortassis delere *et.*

(1) Rom. 12, 17 ; 2 Cor. 8, 21. (2) Immo Matth. 5, 15. (3) Ioann. 13, 15. (4) 1 Tim. 4, 12. (5) Tit. 2, 7. (6) n° 4, 3°. (7) Levit. 2. (8) Levit. 2, 14. (9) Levit. 3, 9. (10) S. Greg. PL. t. 75. Moral. l. 1, c. 37, n. 55 b. col. 554 ; et t. 76. Hom. in Ev. l. 2, hom. 25, n. 1 ex. col. 1189. (11) Psalm. 110, 1.

et Cantica. (1) : *Vulnerasti me in uno oculorum tuorum et in uno crine colli tui.* Quod doctores intellegunt de una simplici intentione, qua cor Dei amore vulneratur. Ibidem (2) : *Oculi tui* [oculi] *columbarum :* nam intentio simplex et recta oculis columbarum assimilatur. Matthaeus (3) : *Estote prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae :* sicut enim columba residens prope aquas et videns umbram accipitris, fugit et abscondit se, sic anima residens iuxta bonorum operum aquas, et ea faciendo cernens umbram, id est tentationem, fugiat non consentiendo. Columba oculis puris ac simplicibus intuetur et diligit parem suum, eumque retinet ut sponsam, nulli alteri adhaerens ; sic anima diligat solum Christum, eique placere studeat. Ita nidum facit in foraminibus petrae, quia opus suum in Christi vulneribus reponit per intentionem, ut cum Christo, in Christo et propter Christum operetur.

Item dicitur (4) : *Pulchrae sunt genae tuae sicut turturis.* D. Bernardus super hunc locum dicit hanc pulchritudinem genarum rectam esse intentionem mentis (5). Sicut enim ex facie pulchritudo corporis aestimatur, ita ex intentione mentis rectitudo operis. Dixit autem non faciem, sed genas pluraliter, quia in intentione requiruntur res, seu opus quod fit, et causa propter quam fit, id est, quod intendis facere et propter quid facias ; nam ex hix duobus vel anima difformitas vel pulchritudo iudicatur. Peccator habet genas turpes, quia in eius intentione et res et causa reproba invenitur. Hypocrita genam operis habet pulchram, genam intentionis habet foedissimam ; nam intendere quasi in Deum, sed non propter Deum hypocrisis est, cuius una gena faciei decora videtur, quia ad Deum respicit aliquo modo, bonum opus faciendo, altera tamen gena per simulationem defoedatur. Gregorius (6) : Omni cura servandum dicit oculum cordis a pulvere malitiae, ne hoc quod in actione rectum hominibus ostendit, apud semet ipsum per vitium elationis intorqueat.

6. Intentio igitur pura et simplex sit, nullo amoris proprii vitio contaminata, quod requirit a nobis regula. Nam secundum eam non debemus Deo servire propter praemium vitae aeternae, nec ad evitandum inferni poenas, sed pure et simpliciter sincereque ad placendum divinae bonitati ob ipsius amorem, ac denique ob eximia beneficia quibus nos affecit. Nam etsi possimus uti talibus intentionibus ad revocandum nos a peccatis, vel ad incitandum nos magis in

(1) Cant. 4, 9. (2) ibid. v. 1. (3) Matth. 10, 16. (4) Cant. 1, 9. (5) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 40 in cant. n. 2. col. 982. — (6) S. Gregor. PL. t. 76 Moral., l. 28, c. 11, n. 30. col. 465.

Dei servitio, prima tamen et praecipua intentio nostra vult B. P. N. ut pura sit, et ut solum Dei intueatur beneplacitum et obsequium, quo actiones nostrae sint perfectiores. Vinum tamen aqua temperatum malum non est, sed melius et praestantius purum. Sauli non fuit satis, ut ait B. Gregorius Nazianzenus (1), habere bonam voluntatem ; quia enim non fuit pura et perfecta, sensim eo devectus est, ut non meruerit esse idoneum et concinnum Spiritus sancti instrumentum ; propterea sensim defecit et periit. Oza bonam habuit intentionem (2), sed temere arcam praesumpsit erigere ac sustentare, ideoque exstinctus continuo cecidit. Oportet ergo nos in puritate et simplicitate cordis oculos mentis in Dei beneplacitum conicere. Haec intentio sal est, quo dulcescunt aquae amarae Ierichuntis (3) ; sed hic sal esse debuit in vase novo et puro, ut efficax esset ad aquarum sanitatem ; nam si sal vetus esset per peccatum, vel amore proprio infectum, potens non esset sanandis aquis, et ad opus faciendum perfectum. Haec farina denique est, quae colocynthidos manducabiles reddit amicis Dei (4).

Advertendum nihilo minus non sufficere habere intentionem rectam et puram, et ad Deum directam, sed oportet etiam adhibere conatum et studium affectus. Aliquando enim videmur valde nobis securi ob tranquillitatem mentis ; sed si tentatio vel sensualitas insurgat paulo vehementius, tum sentimus et intellegimus quales et quam imperfecti simus, iuxta illud (5) : *Dixi in abundantia mea : non movebor in aeternum ; avertisti faciem tuam et factus sum conturbatus.* Tunc enim angimur, et sicut fluctus maris eunt et redeunt, sic passionum nostrarum aestus modo remittunt se, modo assurgunt. Sed adhibendus est conatus ne consentiamus, et progrediendum ulterius ad perfectiora. Quod nobis concedat Dominus. Amen.

(1) S. Gregor. Naz. PG. t. 35 Orat. 9. c. 2. col. 822 a. b. (2) 2. Reg. 6, 6. 7. (3) Cfr. 4 Reg. 2, 1-22. (4) Cfr. 4 Reg. 4, 39 sqq. (5) Psalm. 29, 7. 8.

24ª Exhortatio

SUPER REGULA 18ª : QUAE SIT NECESSITAS TRACTANDI DE SUI ABNEGATIONE, ET QUOTUPLEX EA SIT ; QUID SIT PERFECTIO VITAE SPIRITUALIS ET IN QUO ABSOLUTE CONSISTAT ; CARITATEM ET MUTUAM UNIONEM PRAECIPUE NOBIS COMMENDARI ; QUA DENIQUE RATIONE AC DISPOSITIONE EAM NOBIS COMPARARE POSSIMUS

1. Haec constitutio desumitur ex P. 3 const^um^ c. 1, § 21, ubi agitur de exercitatione in contionibus. Causa huius documenti est haec inter alias, ut nostri fratres, qui non sunt adhuc adhibiti ad contiones publicas, privatim domi ad eas exerceantur et parentur ; et ut se mutuo, promendo suos spirituales conceptus, iuvent in spiritu ; nam cum studium religiosi poni debeat praecipue in vitiorum exstirpatione et profectu in virtutibus, debuit huic studio respondere sermo et domestica tractatio pro contione et conversatione, ut in mercatoribus fieri cernimus in negotiorum suorum exercitatione. Nam, ut eorum animus totus occupatur in cogitatione de lucro et divitiarum accremento, quod per mercaturam aucupantur[a] , ita eorum sermo de iis frequens est rebus, quae ad eum finem spectant. Unde illud (1) : « Navita de ventis, de bobus narrat arator » ; et proverbium Christi Domini (2) : *Ex abundantia cordis os loquitur*. Vas reddere debet vinum quod habet : sic de nobis religiosis exspectandus est sermo spiritualis, et ille frequens ; et nostra negotiatio et sollicitudo debet iugiter versari in modo et ratione proficiendi in spiritu, virtutibus et mutua caritate.

Sed quae necessitas tractandi de abnegatione et virtutibus, etc. ? Magna est, quia sine ea non possumus vere sequi Christum Dominum. Dixit enim (3) : *Qui vult post me venire, abneget semet ipsum, et tollat crucem suam, et sequatur me.*

Triplex autem est abnegatio, ut alibi diximus (4) : 1ª est, quam hic Christus Dominus insinuat, et ex praecepto est : abnegare videlicet voluntatem, ut sequatur Christum et ut praecepta eius servet ; et hanc

(a) *occupantur* B.

(1) Propert. 2, 1, 43. (2) Matth. 12, 34. (3) Matth. 16, 42. (4) L. 2. Exh. 18, n. 3. p. 499.

quidem tam saeculares quam religiosi habere debent. 2ª est tantum consilii : relinquere nimirum voluntatem propter Deum in iis quae indifferentia sunt et licita ; et haec quidem est altera perfectior. 3ª est perfectissima, ut quae est traditio et spoliatio sui propter Deum, translatioque sui iuris in eum quem sibi deligit superiorem propter ipsum.

2. Ut assequeremur hanc perfectionem, propositum cuique nostrum datum fuit a Deo, ut positis reliquis huius vitae curis, uni studio salutis ac perfectionis evangelicae, tum propriae tum proximorum omnino se totum impenderet, quod, iuvante ipsius gratia, ab uno quoque nostrum est receptum ; usque adeo, ut non solum reciperet se illud facturum, sed etiam in potestatem Dei sese traderet dirigendum iuxta leges instituti, idque arbitrio illius quem Dominus ipse praefectum nobis dederit, nulla libertate huius vitae nobis servata ; sicque quisque nostrum dedicatus est Deo ad quaerendam salutem et perfectionem, cum propriarum animarum tum proximorum nostrorum.

Abnegatio autem sive translatio sui ipsius, id est proprii iudicii, propriae voluntatis, atque adeo totius vitae in potestatem Dei et Societatis tanta est, ut unam solam curam sibi quisque nostrum servaverit, nimirum servandi disciplinam, et praestandi omnia officia quae imponentur, ex caritate et perfecte. Atque quidem holocaustum tale exigit a nobis instituti nostri ratio. Quod reliquum est, divinae providentiae committendum est, cuius bonitatis est nos dirigere iuxta sanctissimam suam voluntatem.

3. Quod attinet ad perfectionem nostram, de qua haec regula docet frequenter esse tractandum, illa est consummatio et integritas alicuius rei, ut perfectum corpus dicimus, cui nihil deest ; sic Paulus perfectos dicit qui sine crimine sunt (1), immo sine querela et omnino irreprehensibiles, excelluntque caritate non ficta. Hic finis est perfectissimus, quem Societas sibi proposuit ad imitationem Christi Domini, qui licet comprehensor esset et proficere nequiret, ut qui ab instanti incarnationis perfectissimus, crescebat tamen sapientia et gratia apud Deum et homines : apud Deum quidem, quia perfectiora ipsi opera a Christo ipso homine offerebantur ; apud homines, quia continenter magis magisque suam illis perfectionem operibus perfectioribus declarabat. Adde quod eam vitae rationem suscepit et duxit, quae nos

(1) 1 Tim. 3, 10 ; Tit. 1, 7.

doceret perfectum modum et rationem conciliandi nobis Deum, et in virtutibus proficiendi.

4. Perfectio autem quam in Societate profitemur, requirit ut non tantum incumbamus in salutem et perfectionem nostram, sed ut etiam proximorum salutem et perfectionem promoveamus. Nam si tantum nobis attendere vellemus, ut semper orare, meditari, studere, etc., non sectaremur finem Societatis, nec vere religiosi eius essemus, sed solum nomine tenus, similesque essemus avibus, quae super aquas volitant solum intendentes in pisces ut comedant, neque in terra[a] ambulant, licet pedes habeant : ita nos si tantum rationem haberemus nutrimenti nostri spiritualis per orationem, neque ad proximos nostros iuvandos descenderemus, ad instar illarum volaremus ac viveremus. Contra vero si solis proximis iuvandis incumberemus, similes essemus struthionibus, qui etsi alas et pennas habeant, semper tamen in terra degunt, neque umquam in altum se extollunt. Utrumque porro hoc genus avium Deus immundum esse voluit populo suo (1) ; nec sibi immolari, nec a populo Israelitico comedi.

Opus est ergo nobis oratione, quae nos sursum ferat, ne, ut ait Apostolus (2), cum aliis praedicaverimus, reprobi efficiamur. Opus est nobis et zelo et caritate, ne vocationis donum infructuosum retinentes, cum servo ignavo et iniquo damnemur (3). Exemplum enim Angelorum nos docet utrumque nobis esse amplexandum. Nam illi sic propriae perfectioni perpetuo intendunt, ut nos tamen non neglegant, sed nos custodiunt et servant, revelant etiam hominibus quae illis prosunt ad salutem. Item exemplum apostolorum, qui licet perfectionis suae essent studiosissimi, numquam tamen studium salutis nostrae intermiserunt. Unde quidam ipsorum de altera parte loquens dicebat (4) : *Conversatio nostra in caelis est ;* de altera vero finis nostri parte dicebat (5) : Cotidie morior propter vos, id est, expono me periculis propter vestram salutem. Quare et nos impense, ut loquitur B. P. N., incumbere debemus saluti proximorum, sed primo tamen loco nostrae.

5. Sed desiderat forte aliquis ex vobis, fratres carissimi, intellegere qua in re perfectio vitae spiritualis, de qua saepe mentio est, absolute consistat. Dico igitur cum S. Thoma (6), quod sicut perfectio cygni in eo non consistit quod perfecte sit albus, quia secundum per-

(a) *in terris*. B.

(1) Levit. 11, 13 sqq. (2) Cfr. 1 Cor. 9, 27. (3) Matth. 25, 30. (4) Philip. 3, 20. (5) Cfr. 1 Cor. 15, 31. (6) S. Thom. 2. 2ae. q. 184. a. 1 ad 2m.

fectam albedinem non dicitur perfecte cygnus, sed perfecte albus cygnus, quod est perfectum esse secundum quid, hoc est, secundum albedinem in eo exsistentem : ita perfectio vitae spiritualis absolute non consistit in aliquo extrinseco ei adveniente, sed in eo quod est de ratione essentiali ipsius spiritualis vitae. Atqui de ratione est vitae spiritualis essentiali, sola caritas, iuxta illud Ioannis (1) : *Qui non diligit manet in morte.* Ergo in caritate simpliciter vitae spiritualis perfectio est ponenda ; quod significavit Paulus, dum, postquam multas enumeravit virtutes, scilicet misericordiam, benignitatem, etc., concludit dicens (2) : *Super omnia autem haec, caritatem habete, quod est vinculum perfectionis ;* quasi dicat : per perfectam misericordiam poterit quis perfecte misericors dici, sicut perfectam benignitatem perfecte benignus : atqui hoc erit esse perfectum secundum quid ; perfectus vero simpliciter et absolute per solam perfectam caritatem quis dici poterit, quia haec est vinculum perfectionis.

Adde quod, ut ait philosophus, perfectio naturalis cuiusque a propria forma sumitur, id est a principio intrinseco formali eius ; sed principium intrinsecum formale spiritualis esse, est caritas ; sicut principium intrinsecum naturalis esse animantis, est ipsius animantis forma ; ergo, sicut perfectio animalis simpliciter sumitur a perfectione formae eius, ita perfectio vitae spiritualis simpliciter sumitur a perfectione caritatis, quae forma est vitae spiritualis. Unde sicut illud animal dicitur simpliciter perfectius, quod perfectiore constat forma, sic ille homo in vita spirituali dicitur perfectior, qui perfectiorem habet caritatem. Ex quibus conficitur perfectionem vitae spiritualis in sola caritate consistere.

6. Hanc caritatem nobis in primis commendat haec constitutio quae monet ut exhortemur nos mutuo ad nostri abnegationem, ad profectum nostrum in virtutibus et ad omnimodam perfectionem, praecipue vero ad unionem et caritatem fraternam. « Praecipue » dicit, et quidem merito ; nam nisi hanc navim Societatis eodem spiritu, eadem animarum consensione navigantem impellamus, ipsa ad portum pervenire nequibit. Quando vero haec unio et caritas inter nos viget, felix et facilis est progressus, magnum in servanda disciplina studium, magna inter nos consolatio, facilis de hostibus victoria, magnus ex ministeriis nostris spiritualis proventus. Filii et heredes licet pauperes sint, et relictam habeant a parente defuncto exiguam hereditatem, dum simul vivunt et conspirant, res ipsorum domestica bene habet ;

(1) Ioann. 3, 14. (2) Coloss. 3, 14.

cum dividitur vinculum hoc, et dividitur hereditas, singuli pessum eunt et abiecte vivunt. Ut recte fecerit sapiens ille pater, qui accepto fasciculo sagittarum, ex eo accepit aliquot et singulas dedit filiis frangendas, quod absque labore fecerunt ; dedit postea fasciculum integrum uni, ut frangeret : non potuit ; ita fecit singulis, et integer fasciculus remansit. Tum accepta occasione admonuit eos ad concordiam et amorem mutuum retinendum : sic, ait, filii, durabitis, et dignitas vestra integra manebit, si unanimes et concordes perseveraveritis.

Ut cithara constat variis et diversis chordis[a], quae nisi consonent, stridorem ingratum reddunt ; contra vero si chordae bene inter se conveniant et una quaeque suum retineat sonum, sciteque pulsentur, optimum faciunt concentum : sic in Societate varia sunt officia, varii gradus, varia ingenia, quae si omnia conspirent et ad unum eundemque finem Societatis respiciant, optimum et suavissimum facient concentum ; sin secus, omnia pessum ibunt, et populus, qui debuit per nos iuvari, diffluet in vitia magno nostro vitio et Dei offensione. Dictum est enim (1) quod *Omne regnum in se divisum desolabitur.*

Apud Marcum dicitur (2) : *Habete in vobis sal.* Sal autem in sacris litteris et profanis symbolum semper fuit et signum amicitiae et concordiae (3). In 1° Esdrae iubetur dari salis quantum velint ; et pro primo ferculo invitatis antiqui salem offerebant, ut pacem et caritatem invitatis declararent. Proinde Christus apostolos dicit esse salem terrae ; quasi diceret : discipuli mei, mundus plenus est sectis et discordiis, vos estis qui debetis pacem et concordiam conciliare ; his etiam mandavit ut intrantes domum aliquam dicerent (4) : *Pax huic domui.*

Pythagoras, ut multa acceperat ex libris divinis, docebat omnes in omnibus cibis salem imponere, ut indicaret omnia facienda esse ex amore et animos omnium debere esse inter se coniunctos in republica, ut constans et firma esset.

Quare vero ultimo loco regulae ponitur unionis et caritatis studium ? Optimo iure et ratione. Sal enim fit ex aqua dulci, et communiter ex marina, sed dulci inicitur petra salis, vel gleba terrae, quae vim salis habet, ut aqua eam dissolvat et imbibat eius acritudinem, deinde igne vel ardore solis concrescat, et sal purum tandem fiat ; sic pax inter nos vera, et caritas esse nequit, nisi nos abnegemus, ac mundo renuntiemus, id est, egrediamur ex nobis ipsis et mundi vanitatibus toto

(a) *cordis*. uterque cod.

(1) Matth. 12, 52. (2) Marc. 9, 49. (3) 1 Esdr. 4, 14 ; 7, 22. (4) Luc. 10, 5.

affectu ; et accensi igne caritatis et gratia Dei imbuti, inveniamur, adiuvante sole iustitiae, inter nos coniunctissimi.

7. Sed video vos desiderare cognoscere, fratres mei carissimi, quomodo possitis vobis comparare hanc caritatem tam necessariam ? Nolim vero tam ignarus videri, ut existimem ullis meis verbis vobis persuasum iri quod illam possitis comparare ullo humano studio vel consilio. Donum Dei est (1) et gratia superans omnem aliam gratiam ; hanc autem dat Deus gratis et libenter, si eam devote et instanter petamus. Lacrimis enim et precibus, dispositive tamen, acquiritur, non nostris viribus ; non discitur arte, sed caelitus infunditur (2). Quaeri debet ut obtineatur ; neque tamen tam datur quia quaeritur, quam benignitate Dei miserentis conceditur (3). Nemo ingreditur in cellam vinariam Dei, nisi qui ab ipso introducitur (4) : *Introduxit me rex in cellam vinariam et ordinavit in me caritatem.* Nemo temerarius, nemo praesumptuosus accedat, sed humilis et supplex pulset ad ianuam Dei miserentis, et humiliter pulsanti aperietur (5).

Multa sunt tamen quae disponere nos possunt ad acquirendam hanc caritatem.

Primum est puritas cordis : haec primo loco facit nos gratiae capaces et idoneos. Certum enim est quod tam pretiosus liquor non infunderetur in vas immundum et sordidum ; quapropter cum propheta debemus scopare spiritum nostrum ab omni pulvere terreno (6), ut hunc tam pretiosum liquorem excipiamus. Sic monet Paulus ut purgemus nos (7) : *Expurgate*, ait, *vetus fermentum ut sitis nova conspersio.* Quando SS. Apostoli receperunt hoc donum caritatis (8), simul erant coniuncti et uniti in oratione et ieiunio : non accendit hic ignis ligna separata et divisa, sed debent coniungi. Debemus ergo similiter esse coniuncti per dilectionem et unionem, ut cum Deo coniungamur.

Debet deinde purgata anima concipere desideria virtutum et ornari floribus divinarum affectionum, ut docemur Canticorum 1° (9) : Quam *pulcher es, dilecte mi, et decorus.* Tunc libenter veniet ad nos ; sufficit enim ipsi ut lectulum conscientiae floridum ei ostendamus. Veniet, veniet dilectus in odore florum nostrorum, et magis attrahet eum odor virtutis et sanctae affectionis quam verba, puritas quam sacrificia, humilitas supplicantis quam importuna verbositas indevoti et tepidi. Dicit propheta David (10) : *Secundum puritatem manuum mearum retri-*

(1) 1 Cor. capp. 12 et 13. (2) Rom, 5, 2. (3) Rom. 9, 16. (4) Cant. 2, 4. (5) Matth. 7, 8 sqq. ; Luc. 11, 9 sqq. (6) Psalm. 76, 7. (7) 1 Cor 5, 7. (8) Act. 2, 1. (9) Cfr. Cant. 1, 15. (10) Psalm. 17, 21.

buet mihi Dominus ; ideo D. Iacobus ait (1) : *Emundate manus, peccatores, et purificate corda, duplices animo.* Rursus psalmista ait (2) : *Os meum aperui, et attraxi spiritum, quia mandata tua desiderabam :* Os cordis est desiderium, aperitur autem quando magno affectu postulatur quod optatur.

8. Ex his quae dicta sunt, fratres carissimi, constat quam felices simus, quos divina illa bonitas in hanc benedictam Societatem asseruit. Sed quid iuvaret, obsecro, in statu vitae perfectissimo esse, nisi imperfectiones veteres excutiamus ? Imperfectiones autem ex saeculo quis non attulit ? quotus quisque vero ille est, qui illas penitus abiecit ? Atque utinam non permisissemus ullas in terra sancta altiores radices agere et excrescere ! Ex saeculo attulimus in verbis affectationem elegantiae, in vestibus saeculi vanitatem, in gestibus levitatem, in ore garrulitatem et mordacitatem atque scommata, etc. Exuendus est iste homo vetus, fratres mei, omnino, et ille qui secundum Deum creatus est, induendus (3). Nec debemus esse contenti unam aut alteram virtutem acquisivisse, sed omnes omnino amplexari debemus, quia perfectio ex integro, seu ex integra causa est. Domui non sufficiunt fundamentum, tectum et reliquae partes integrantes, sed et fenestrae, et ostia, et camini, etc. requiruntur. Christus benedictus vult nos esse perfectos, sicut pater noster caelestis perfectus est (4). In hac vita mortali numquam quidem perfecte Deo assimilari possumus, sed in patria (5) *Similes ei erimus, et videbimus eum sicuti est.* Neque quicquam deinceps nobis adicietur ad perfectionem, quia tunc pervenerimus ad perfectam mensuram, et ad perfectum nostrum. Hic sumus viatores, ibi erimus comprehensores ; hic viatoribus nobis pedes subinde sunt pulverulenti, quia non incedunt per viam mundam et immaculatam, ideo sunt abluendi per paenitentiam ; sumus autem in religione, quae dicente D. Thoma status est paenitentiae (6). Incumbamus ergo, fratres carissimi, per paenitentiam emundare animas nostras.

(1) Iac. 4, 8. (2) Psalm. 118, 131. (3) Ephes. 4, 22 ; Coloss. 3, 9. 10. (4) Cfr. Matth. 5, 48. (5) 1 Ioann. 3, 2. (6) S. Thom. 2. 2ae. q. 186, a. 1. ad 4m.

25ª Exhortatio

SUPER REGULA 19ª : DE DEVOTE OBEUNDIS MUNERIBUS, IN QUIBUS MAGIS EXERCETUR HUMILITAS ET CARITAS ; QUOTUPLEX SIT HUMILITAS ; DUO IN REGULA NOTARI ; QUIBUS SIGNIS COGNOSCERE POSSIMUS AN HUMILITATEM HABEAMUS ; CONIUNGENDAM ESSE HUMILITATI CARITATEM ; QUI FRUCTUS PERCIPI POSSINT EX HUMILITATIS ET CARITATIS OFFICIIS ; QUAE DENIQUE CONDICIONES IN EORUM EXERCITATIONE REQUIRANTUR, ET QUAE AD EADEM AMPLECTENDA NOS INCITARE POSSINT

1. Hodierna exhortatio, fratres carissimi, tractabit praecipue de duabus virtutibus quae in textu regulae 19ªᵉ comprehenduntur, ut nimirum illae concurrunt in exercitatione officiorum humilium. Nisi enim illa cum caritate fiant, non sunt vere religiosa ; et nisi humilitas sociam se praebeat caritati, a qua vim et vitam accipit, non possunt illa perfecte exerceri.

Est autem humilitas virtus, qua homo vera sui cognitione sibi ipse vilescit, suique cognitione acquisita, sibi infimum locum designat et Deo summum.

2. Est vero humilitas triplex : sufficiens, abundans et superabundans.

Prima est omnibus necessaria, ut ego nimirum subdam me maiori, et non me praeferam aequali (1) : *Humiliamini sub potenti manu Dei, ut vos exaltet in tempore visitationis ;* et D. Paulus (2) : *Honore invicem praevenientes.* Arbor ut crescat, alte debet figere radices ; nam si statim alta petat et sursum ramos suos effundat, facile perit vel ventorum vi, vel gelu, vel intemperie. Augustinus (3) : Vis construere, inquit, magnam aedificii molem, prius de fundamento cogita humilitatis. Quanto enim celsius futurum est aedificium[a], tanto altius foditur fundamentum ; et qui altam quaerit facere domum sine fundamento, eiusdem citam quaerit ruinam.

Abundans est, qua ego me subicio aequali, nec me praefero minori (4) : *Quanto maior es, humilia te in omnibus et coram Deo invenies gratiam.* Si doctus es et eruditus, si celebris contionator, si vales gratia apud pri-

(a) *aedificius.* sic B.

(1) 1 Petr. 5, 6. (2) Rom. 12, 10. (3) S. AUGUST. PL. t. 38 Serm. de Ev. 69, n. 2. col. 441. (4) Eccli. 3, 20.

marios viros, si viribus vales et in conversando habeas gratiam, si denique profers multos fructus spirituales, noli propterea gloriam captare ab hominibus, sed agnosce omnia a Deo te accepisse. Imitare arborem : haec quo fructus copiosiores producit, eo magis inclinatur ; et avis, quo altius volare intendit, magis se inclinat et deprimit frequentius. *Qui se humiliat, exaltabitur ; qui* vero *se exaltat, humiliabitur* (1).

Superabundans est, qua me subdo minori, exemplo Christi, qui a Ioanne baptizari voluit dicens (2) : *Sic decet nos implere omnem iustitiam.* Est enim humilitas gradus ad omnes virtutes. Quo vas aliquod magis est vacuum, hoc plus capit aquae vel alterius liquoris. Ideo B. Virgo Maria, quia plus aliis vacua fuit apud se, repleta est abundantiore gratia, *quia* Deus, inquit illa (3), *respexit humilitatem ancillae suae.*

3. Nota vero aliquam humilitatem esse fictam, ut est hypocritarum ; sicuti etiam interdum faciunt aliqui religiosi, ut obtineant a superiore quod intendunt, ut videlicet promoveantur ad altiorem gradum, vel ut mutent locum, vel ut consequantur honorem aliquem, concilientur sibi maiorem superioris gratiam ; ut habet fabula de vulpe, quae finxit se mortuam, ut proiceretur inter gallinas, vel in curru referto caseo, quae ubi satura esset, vivam se esse fugiendo declaravit : *Est qui nequiter se humiliat, et interiora eius plena sunt dolo* (4).

Alia est vera, quam omnes debemus appetere, et a Deo precibus postulare. Ad hanc Christus nos hortatur dicens (5) : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde.* De hac dicitur 3 p., c. 1, 4°, ubi monemur ut procuremus et optemus potiores partes in omnibus aliis deferre. Exempli causa : in mensa ut cedas alteri locum digniorem ; alibi non exspectes ut superior manum pileo admoveat antequam tu illi caput aperias ; et sic de aequali, quando occurrit, libenter etiam caput ei aperias, et eo honore libenter eum praevenias ; non imitando eos, qui occurrenti sacerdoti, illi[a] non aperiunt caput, nisi ipse eos praeveniat. Quo etiam vitio laborant illi qui, si ab externo nobili, vel altero viro honoratior sedes vel locus eis offeratur, haud difficulter admittunt ; quo fit, ut qui proximos aedificare debuerunt per humilitatem, eos male aedificent, sibi vero inurant elationis vel imprudentiae notam. Bernardus (6) : Humiliatio via est ad humilitatem, sicuti patientia ad pacem, sicuti lectio ad scientiam : si ergo virtutem appetis humilitatis, viam non refugias humiliationis. Sed

(a) sic in utroque cod., etsi quovis modo redundat.

(1) Cfr. Luc. 14, 11. (2) Matth. 3, 15. (3) Luc. 1, 48. (4) Eccli. 19, 23. (5) Matth. 11, 29. (6) S. BERN. PL. t. 182 Epist. 87, n. 11. col. 217 a.

nos imitamur interdum pueros scholas frequentantes, sed gravate, ut qui scientiam quidem obtinere vellent, sed scholam non frequentare.

4. Notanda sunt duo in regula. Prius est quod suggerit B. Pater utile consilium et remedium contra naturae ad superbiam pronitatem[a], ut videlicet nos exerceamus in officiis humilitatis et caritatis. Secundum est, modus id exercendi, id est, diligentia et devotio. Devote, inquit, quoad fieri poterit, ea munera obire, in quibus magis exercetur humilitas et caritas. Aliquando enim in aliquo officio una solum ex his virtutibus invenitur, aliquando ambae simul ; nam sunt qui interdum officia haec humilitatis obeunt ex consuetudine, non ex spiritu et devotione ; interdum etiam languide, non diligenter. Quod etsi gratum sit Deo, quia virtute saltem, seu ut loquuntur « virtualiter » ad ipsius honorem referatur, non est tamen opus Deo tam gratum et meritorium, quam si adesset ipsa actualis diligentia et devotio.

Officium humilitatis est, quod alioqui appellaremus vile et abiectum, si ad Deum non referretur, ut est servire in culina, verrere domum, ministrare mensis, etc.

Officium caritatis est in quo amor relucet adversus alium, etsi sit humile et abiectum. Saepe enim in statu religionis haec officia coniunguntur, ut quando servitur in infirmaria[b], in hospitali, quae officia aliquando neglegentius tractamus, quia interdum aliqui existimant praecipue vacandum esse meditationi, lectioni, etc. S. Bonaventura, suos novicios docens, dicit : Credo quod qui ferventer et diligenter, ut in regula dicitur, ministraret et serviret infirmo propter Christum pure, plus mereretur quam si serviret ipsi corpori Christi. Ratio est, quia nemo est tam impius qui, si agnosceret Christum Dominum praesentem et decumbentem, negaret illi servire ; sed Christo in proximo servitur a perfectis, et id plus quam perfectis convenit. Quod cum ita sit, pientissime Iesu, qua fronte de cetero vitabo leprosum ? declinabo ego infirmum ? neglegam desolatum ? Cur cotidie anima mea angeris, quaerendo servire Christo ? Indicabo tibi quem diligit anima tua : ecce in valetudinario iacet, ibi angustiatur, ibi torquetur, etc. Sic D. Bonaventura c. 5 : Stimuli divini amoris.

5. Et idem libro de Reformatione mentis c. 7, de remediis contra superbiam agens, dicit tria conferre : 1um est consideratio propriae vilitatis, tam animae quam corporis ; 2um est — quod dicit regula

(a) *proclivitatem.* B. (b) sic uterque cod. Vid. tamen Du Cange.

nostra — se exercere in humilibus, vilibus ac despectis officiis ; 3um est consideratio meliorum se, maxime vero Christi Domini, qui tam profunde propter nos se humiliavit. Nam tunc reputabit se ut vilissimum vermem, ut locustam ad gigantem, lapillum ad montem, guttam ad pluviam.

Addit regula quod quanto quis se Deo artius astrinxerit, et liberaliorem erga Deum se praestiterit, tanto etiam liberaliorem ipsum erga se experietur, et in dies magis idoneus erit ad dona uberiora accipienda. Haec enim praestando humilitatis officia, humilitate Deum ad nos trahimus : super quem, inquit (1), requiescet spiritus meus, nisi super humilem ? etc. ; et caritas in nostros amplexus eum ponit, eumque nobis astringit, et facit ut in ipso quiescamus : *Qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo* (2). In quo vero experiemur Deum liberaliorem ? Dabit nobis gratiam devotionis, dabit nobis gaudium in Spiritu sancto, dabit consolationes et gustus spirituales.

6. Quomodo, inquies, cognoscam me habere hanc virtutem humilitatis et quae eius signa sunt ? 1um erit, si sentias mortificatas habere te proprias passiones, et ea quae sensualitatis sunt. 2um, si libere et reverenter tuo superiori non solum in genere tuas actiones referes et aperies, sed minutim, sicuti cognoscis ipsum optare intellegere, atque adeo ipsas cogitationes. 3um signum erit nobis, si libenter eius monita audivimus et sequimur ; si denique nos eius iudicio et directioni haud difficulter committimus. 4um, si faciles sumus ad oboedientiam, et mandata etiam duriora patienter moderateque admittimus. 5um, si non solum nulli iniuriam inferimus, verum et illatam absque tristitia et maerore toleramus. 6um, si nihil agimus aut praesumimus, quod non concedat regula. 7um, si semper contentos nos comperimus vestibus vilibus, officiis, cibis, et indignos nos melioribus iudicamus. 8um, si ex intimo cordis affectu credimus et sentimus, ac coram aliis pronuntiamus nos esse universis imperfectiores. 9um, si linguam nostram refrenamus. 10um, si non sumus proni ad risum.

Haec regula exigit a nobis ut caritatem coniungamus cum humilitate. Nam nisi illa adsit, ut humilitas vera non erit, ita nec erit durabile officium quod aegris praestabimus, nec solidum quod in officiis humilibus faciemus.

Est autem caritas, dilectio, sive amor, quo amamus Deum propter ipsum, et merito personae suae, sine ullo interesse nostro ; nam ut est summum bonum, meretur summe amari et coli merito suo. Et

(1) Cfr. Isa. 66, 2. (2) 1 Ioann. 4, 16.

quia talis est, dat in iis officiis quae propter ipsum obimus erga proximum aegrotum et decumbentem in valetudinario, vel erga sanum quando servimus communitati in officiis humilibus, alacritatem et devotionem etiam sensibilem non raro, quando invenit nos bene dispositos ac promptos in submittendo nos directioni superiorum propter ipsius amorem. Debemus itaque excitare nos frequenter ad alacritatem, et excitare in nobis motus crebros amoris erga fratres nostros propter Deum, quod sint illi cari et ab ipso electi peculiari amore ad Societatem, cuius nos facti sumus participes.

7. Ex his officiis humilitatis et caritatis multi fructus percipi possunt.

Primus est, quod per eorum exercitationem, in humilitate et caritate factam, artius nos Deo astringamus, et liberaliorem illum nobis reddamus, ut largiatur nobis gratias et dona spiritualia uberiora.

Secundus est, quod ex iis signum habeamus quod nos spreverimus mundum et pompas eius ad sequendum Christum Dominum, qui se humiliavit propter nos usque ad lotionem pedum nostrorum, et usque ad tangendum ulcera nostra, et ad sanandum nos.

Tertius est, quod omnia quae in homine sunt, humiliantur : intellectus quidem, qui saepe discurrit se aliquid esse, cum hic clare videat quod nihil sit. Item voluntas, quae refugit adeo res viles et abiectas, iam autem amplectitur libenter ; quod non faceret nisi spiritu divino et caritate duceretur. Memoria, recogitando quas vidit et videt in homine miserias, quos audit et apprehendit aegrorum dolores. Visus humiliatur, ut reliqui sensus, videndo et tangendo ulcera, sordes quas tractat, et quibus nos obnoxios cognoscimus ; ita auditus, excipiendo gemitus et eiulatus infirmorum ; odoratus, percipiendo foetores ; anima tota, considerans sui abiectionem ad res huiusmodi, quae tamen creata est ad gloriam Dei. Habet itaque unde se humiliet propter Deum. Corpus denique humiliatur et debilitatur propter assiduos labores.

Fructum autem quartum qui in his ministrat colligit, quod intellegat se obsequium Deo gratum praestare ; dicit enim (1) : quod uni ex minimis meis fecistis, hoc mihi fecistis.

8. Quintus est, quod colligit qui ministrat, meritum magnum, tum ex sanis tum ex infirmis, quod caritatem in nobis debet accendere et diligentiam, ut docet Cassianus dicens (2), quod in vicem sibi ministrare et inservire fuerit in consuetudine valde firma sanctis patribus et mona-

(1) Cfr. Matth. 25, 40. (2) Cassianus. PL. t. 49. Instit. l. 4, c. 19. col. 178 sqq.

chis sui temporis per totam Mesopotamiam, Palaestinam, Cappadociam, et totum orientem, qui assignabant[a] cuique suam hebdomadam ad ea officia praestanda ; aitque, quod quisque tanta devotione et humilitate in hoc se exercebat, ut nullus servus, nullus famulus aut mancipium alacrius faceret ditissimo[b] domino. In fine servitii pro mercede lavabant pedes fratrum suorum, et utensilia omnia reddebant valde studiose et sollicite, ne quid vel minimi periret minuereturve, credentes se Deo rationes reddituros eius quod periisset. Hic quaeso, fratres, paulisper immoremur, considerantes qua nos humilitate, qua caritate, qua diligentia fratribus nostris serviamus, tum sanis tum aegris. Consideremus quantus in nobis sit amor paupertatis in conservandis vasis et instrumentis quibus utimur ; consideremus quam exigua sit interdum patientia nostra in sufferendis fratrum defectibus, quam languida compassio de aegrotorum doloribus.

Notat D. Benedictus in sua regula (1) tres praecipue condiciones, quae conveniant iis qui aliis ministrant : Prima est timor filialis proveniens ex caritate, ne serviendo erret, ne displiceat : Qui timet Dominum patientiam habet (2) ; et cum Propheta dicit (3) : *Paratus sum et non sum turbatus*. Secunda est diligentia (4) : *Vidisti hominem velocem in opere suo ? Coram regibus stabit*. Tertia est sollicitudo ac providentia, ut nimirum sit sollicitus providere omnia in tempore suo. *Volo vos scire, qualem sollicitudinem habeam pro vobis* (5). Si enim homines mundani has condiciones requirunt et amant in suis famulis, et ipsi iudicantur ab eis sua mercede digni, quanto magis Dominus diligit fratres meos, qui propter ipsius amorem explicant viscera caritatis in ministerio vel communitatis, vel aegrotorum ; et quantum praemium manet vos, fratres mei, in caelis ! Quam elegantem et pretiosam coronam Deus vestrae humilitati reponit in caelis !

9. Ad libenter serviendum aliis incitare nos debent : 1° Exemplum Domini, qui ad hoc venit in mundum ut ministraret (6), et ad hoc formam servi accepit (7). Quid dico formam ? immo et condicionem, et servitium ipsius servi promptissima voluntate in se recepit : Sedete, inquit, et recumbite, ego vobis ministrabo (8). Sede, inquit, et tu Iuda peccator, tibi pedes lavabo. 2° Exemplum B. Virginis, quae properanter festinavit ad cognatam suam (9), ut ei ministraret. 3° Exemplum angelorum, qui *sunt administratorii spiritus* (10).

(a) *assignabat*. B. (b) In edit. Mign. et Francofurtensi 1722 legitur *dirissimo*.

(1) D. Bened. PL. t. 66. Reg. cap. 31. col. 533-535. (2) Cfr. Eccli. 2, 21. (3) Psal 118, 60. (4) Prov. 22, 29. (5) Coloss. 2, 1. (6) Matth. 20, 28. (7) Philip. 2, 7. (8) Cfr. Luc. 22, 27. (9) Luc. 1, 39. (10) Hebr. 1, 14.

Adde, quod servitium hoc sit Deo gratissimum, proximo iucundissimum, omnibus bono exemplo, ministranti denique utilissimum. Quod cum ita sit, fratres carissimi, continuate, obsecro per Christum Dominum, hoc studium vestrum. Serviamus invicem libenter ut Deo placeamus et benedictionem accipiamus, quam nobis dare dignetur Pater et Filius et Spiritus sanctus.

26ª Exhortatio

SUPER REGULA 20ª ET 36ª : DE RESIGNATIONE ET INDIFFERENTIA ; QUID ILLA SIT ; QUOMODO CONVENIAT SOCti ; QUI SINT EIUS GRADUS ; CUR DEO TAM GRATA SIT ; QUAE EIUS UTILITAS ; DENIQUE QUAE EIUS NECESSITAS

1. Praecipua fere pars hominis religiosi est resignatio ; de qua in praesentia dicemus : 1° quidem quid sit resignatio ; 2° qui sint eius gradus ; 3° quomodo conveniat Societati.

Resignatio igitur est desiderii naturalis spoliatio, seu depositio voluntaria atque perpetua, sub beneplacito ac voluntate Dei et alterius directione, propter ipsum. Dicimus « desiderii naturalis », quia differt a mortificatione, quae est desiderii carnalis seu sensualis repressio ; haec autem est desiderii naturalis, ut v. g. naturaliter desideramus vitam, sanitatem, et aliud naturae bonum : resignatio facit ut illud desiderium neglegamus propter Deum. Alii latius extendunt, ut resignatio sit et consistat in abnegatione rerum omnium mundanarum, ob amorem Dei, ut resignatio sit spoliatio propriae voluntatis.

2. Perfecta autem esse debet, ut nimirum, [1°] etiamsi quis resciretª se in caelo habiturum locum vel praemium, vel, quod amplius est, si sciret se cariturum vita aeterna, vellet tamen et paratus esset propter Deum quaevis pati, ut se conformaret eius divinae voluntati, si ita ipsi beneplacitum esset.

Secundo, ut nec propter quamlibet magnam gratiam, et talentum vel maximum in hac vita obtinendum, etiamsi D. Pauli talenta offer-

(a) pro *rescisceret.*

rentur, vellet peccatum ullum, etiam levissimum, committere, ne Deo displiceret vel contra eius voluntatem faceret.

Tertio, ut nec propter maximam sui confusionem vellet quicquam omittere, quod sciret Deum a se fieri velle.

Quarto, ut quantumvis durissima pateretur, non quaereret tamen liberari aut consolationem a creaturis admittere, nisi quando et quomodo Deum velle cognosceret.

Haec item resignatio debet esse humilis, ut nimirum cogitemus nos non esse dignos qui a Deo dirigamur per superiorem, sed inutiles esse servos ; quia tamen est eius voluntas, eam libenter exsequimur et nosmet ipsi committimus.

Debet denique esse affectuosa, non ex consuetudine nata et confota.

Quae sane resignatio seu indifferentia magna virtus est et Deo gratissima, et versatur circa adversa, sicut paupertas circa prospera.

3. Est autem notandum, quod haec resignatio sive sui ipsius translatio in potestatem divinae voluntatis, sit tam proprii iudicii nostri, quam propriae nostrae voluntatis. Hanc autem sola caritas facere potest, cuius propria indoles est, ut se ipsam cum eo quod amat uniat, et in illud ita se transfundat, ut quantum licet res una efficiatur. Sic Christus Dominus rogabat patrem dicens (1) : *Pater, volo ut unum sint hi, sicut ego et tu unum sumus.* Divina plane res est caritas, quae mentem humanam ita cum suo conditore coniungit, ut omnium bonorum divinorum particeps efficiatur, sitque inter eos maxima communicatio et unio. Quo fit ut longe ditior ille existimandus sit, qui amore Dei praeditus est, quam si quidvis aliud ab illo haberet ; quem ad modum plus habere ille censendus esset, qui a rege perfecte amaretur, quam is qui ab eodem rege accepisset insignem aliquam dignitatem, esset tamen ab eo separatus, seseque ad bonorum acceptorum administrationem recepisset ; nam tantum valet, tantumque potest amor regis, quantum rex ipse valet potestque. Quam ob rem praestat a rege amari et apud eum esse, quam alioqui ab eo separatum esse, et bona licet amplissima possidere. Qui enim amatur a rege, non hoc aut illud, sed regem ipsum possidet, qui est praestantior ceteris omnibus quae habet.

4. Haec itaque traditio seu resignatio sui in potestate divinae voluntatis, quam praescribunt hae duae constitutiones 20ª et 36ª, sive institutum, fieri non debet alia, quam nostrae propriae voluntatis ac iudicii,

(1) Cfr. Ioann. 17, 21. 22.

ipsius Dei causa, et ad ipsius gloriam. Adeo ut, qui in ipsa instituti prosecutione aliud sibi vellet quam quod vult ipsa voluntatis eius dispositio, non tam voluntatem Dei quam suam amaret, nec instituto satisfaceret. Eam proinde animi dispositionem erga vocantis Dei voluntatem praescribit institutum, et merito, quia Christus dixit (1) : *Si quis diligit me, sermonem meum servabit.* Eandem vero animi dispositionem institutum requirit, tam erga media quam erga finem ; utrumque enim ab eadem divina voluntate proponitur, ac proinde animo parato quisque esse debet ad assumenda et tractanda illa media, quae proposita sunt ad finem Societatis, idque qua licet sollicitudine, diligentia ac perfectione. Nam quo perfectius applicatur animus ad praestandum id quod tamquam medium ad finem proponitur, hoc magis unitur animus divinae voluntati, quae voluit ut istud a tali fieret. Dum autem ita res agitur, hoc est, ita servitur absolute divinae voluntati, non spectando aliud quam ut ipsi pareatur, nec sit alia causa cur quis velit vel faciat hoc vel illud, quam quod voluntas divina ita disposuit, facili negotio licet assequi ingentem animi libertatem, ut magna videlicet promptitudine in quidvis, quod praescriptum sit, animus effundat se totum, voluntatem, affectum, iudicium et denique omnes vires. Qua in re consistit magna pars felicitatis illorum servorum, qui in hac mortali condicione peregrinantur de societate. Dum enim hoc agunt, liberantur communi errandi periculo, possuntque confidere se viam veritatis tenere, atque animum spe futurorum bonorum fulcire.

Breviter, nihil aeque mentem peregrinam bene constitutam recreare potest, ac si quod molitur et facit, illud Domino iubente faciat, qui est finis et perfectio resignationis et indifferentiae quam habere debemus. Ad hanc consolationem accedit magnanimitas quaedam in iis praestandis quae committuntur, ut qui in suis functionibus divina voluntate ac dispositione nititur, non frangatur deterreaturve, aut propriis infirmitatibus, aut rei difficultate, aut denique impedimentorum importunitate et violentia. Omnibus enim est fortior, qui vult et iubet. Si vellet aliter fieri, necessarias tibi vires largiretur. Cogita ergo qualem ille locum teneat, qui praeest et mandat, et cuius vices ipse gerat.

5. Haec porro resignatio seu indifferentia, ut paulo ante insinuatum est, maxime propria est nostri instituti, estque aliarum fundamentum virtutum. Quam ob rem illa debet esse perfectissima. Hanc autem requirit Societas in omnibus personis, et quoad omnia. Et primum quidem ut in

(1) Ioann. 14, 23.

omni congressu et loco sit quilibet paratus ad omnia[a], et resignatus ad omne officium et ministerium, etiam vilissimum ac minimum, in omni occasione, idque per totam vitam, et cum aestimatione altissima divini obsequii. Hanc docet fundamentum exercitiorum et praeludium electionis, et damnatur obliqua electio. Et in prima classe hominum in libro exercitiorum expressa, defectus resignationis notatur ; in secunda autem classe, laudatur quidem resignatio, sed maxime omnium in tertia. Vide Examen c. 1, § 7 et 11. Item c. 4, § 7 et c. 5, § ultimo.

Post ingressum non debemus procurare, aut petere, aut agere quicquam sine resignatione. In Exam. c. 8, l. A., p. 3, c. 2. Resignati item esse debemus et indifferentes in studiis, tam quoad tempus quam quoad modum ; item indifferentes quoad gradum et statum in Societate. Non enim debemus procurare aliud, ut dicit regula 20[a], quam perfici et bene stabiliri in eo gradu et officio quod nobis assignatur ; et demum resignati esse debemus in rebus spiritualibus, ut supra dictum, tam quoad virtutes quam quoad visitationes et spirituales consolationes.

6. Gradus resignationis sunt :

1[us] habere affectum desiderii, ut fit, exempli causa, quando intellectus praestantiam alicuius virtutis cognoscit, et excitat voluntatem ut saltem desideret amare illam et appetere.

2[us] est ipsum iam desiderium per Dei gratiam habere, et a Deo petere, et per orationem obtinere aliquos eius effectus.

3[us] est, etiam extra orationis tempus praxim aliquam exercere, licet voluntas — ut infirma et corrupta est ob peccatum primum — repugnet, saepeque praxim intermittat.

4[us] est eorum qui continuant hanc praxim, sed spe praemii.

5[us] eorum est qui aliquando Dei bonitate moventur propter Deum, aliquando propter proprium commodum et praemium.

6[us] eorum est qui semper bonitatem et gloriam Dei pro fine habent resignationis, ac se totos semperque resignant ; sicuti D. Paulus faciebat *optans anathema esse pro fratribus* (1) ; sic[b] et Moyses dicendo (2) : *Dele me de libro vitae, aut parce populo.*

7. Pergrata autem est resignatio Domino Deo : 1° Ut anima ab omni amore proprio purgetur. Est videlicet quispiam natura comparatus ad modestiam, vel ad studia propensus : sic ordinare debet hoc ad bonum suum, ut ipse operetur, non quia delectatur, vel natura-

(a) *ad omnia par.* B. (b) *si.* B, lapsu calami.

(1) Rom. 9, 3. (2) Cfr. Exod. 32, 32.

liter sibi placet, sed ut Deo placeat, seu propter oboedientiam, quae ad ipsum Deum dirigitur.

2° Amat Deus nostram resignationem, ut discamus videlicet non esse huius temporis quaerere nostram consolationem, sed oportere interdum ea carere, sicuti contingit eis qui in vita activa versantur. Non enim corporis imbecillitas ferret animam perpetua consolatione spirituali frui, et vires eiusdem corporis deficerent.

3° Vult Deus et amat resignationem in nobis, ut intellegamus quaedam levia peccata, quae etiam in cura corporis per indulgentiam committuntur, ut est excessus aliquis in cibo et potu, quae studiose propter Deum sunt fugienda.

4° Quia non vult Deus hominem fovere inordinatum quendam appetitum, et gulam, ut ita loquar, spiritualis et sensibilis consolationis seu devotionis. Debet siquidem nobis esse persuasum, fore nobis multo utilius[a] sinere nos regi a Deo per homines eius ministros, rectores et directores nostros, quos ipse dedit nobis suos vicarios. Non enim nos regit divina illa bonitas nisi per media, quae, quia ipsius sunt, debemus amare et amplecti toto affectu propter ipsum.

5° Quia resignatio promovet humilitatem, quando videlicet existimamus huiusmodi consolationes — quibus aliquando Deo nos probante privamur — nullis nostris meritis nobis dari, vel in nostra non esse potestate eas conservare.

6° Per resignationem, sive nobis sit orandum, sive quicquam aliud ad Dei gloriam sit faciendum, disponimur ut vere propter Deum illud faciamus, neque admisceamus aliquid amoris proprii in quaerenda consolatione, quae plerumque opus bonum tale consequi solet. Pure enim quaerere Deum est Deo gratissimum ; non enim in illa sensibili consolatione devotioneve consistit perfectio, quia naturalibus ex causis aliquando potest provenire. Vidi, v. g. aliquando virum valde ebrium, prae se ferentem maximam devotionem, et profundentem ex devotione illa magnam copiam lacrimarum, qui alioqui non solebat multum esse devotus. Sed et mulieres naturaliter propensae sunt ad lacrimas, hincque magis quam viri communiter vel tristitia vel gaudio afficiuntur, magisque attentae sunt ad ea quae sunt pietatis ; non tamen ideo sunt magis Deo acceptae, aut perfectiores quam viri.

8. Vult porro Deus, ut subtracto devotionis sensibilis lacte, per resignationem et exspoliationem amoris proprii ad perfectiora altioraque conscendamus. Neque vero solum privat nos Deus interdum consola-

(a) *nob. m. fore ut.* B.

tionibus, sed patitur nos aridos et desolatos esse, ut nos exerceat et paret ad solidiorem cibum, elevetque etiam interdum mentem super omnem creaturam et externam consolationem. Immo enimvero permittit aliquando nos diversis tribulationibus angi et affligi, sicut Iob, Tobiam, David, Susannam et alios, ut stabiliantur magis in terra animae nostrae virtutes ; sicuti arbores, dum ventis vehementer agitantur, altius mittunt radices. Ideo mundani interdum existimant homines pietatis cultores fatuos esse et peccatores, talibusque malis dignos, sicuti amici Iob. Atqui Dei intentio est, ut perfectius illi se resignent ac mortificent, utque digni fiant maiore gratia ac tandem corona.

Utilitas ergo resignationis magna est, quia dispositio est valde efficax ad perfectam oboedientiam, ad humilitatis accrementum, ad dependendum perfectius ex divina providentia, et ut certiores fiamus quod a Deo dirigimur. Item via est ad divinos influxus et ad unionem cum Deo perfectiorem ; ut denique stabiliamur magis in nostra vocatione, et soli Deo innitamur immortali et immutabili ; postremo, dispositio est ad maius lumen a Deo accipiendum. Debemus ergo sinere nos regi a superiore et nos permittere eius directioni, ut habet Basilius (1).

9. Necessitas virtutis huius, resignationis videlicet seu indifferentiae, in Societate est permagna, tum propter disciplinam et bonum ordinem, tum propter officiorum diversitatem et illimitationem. Non enim habet Societas certa tempora officiis et exercitiis suis assignata — ut habent alii Ordines — ut ea semper rigide serventur, et quae vel tempore, vel talentis, vel gradibus mensuret applicationem suorum. Neque enim quia quis per annum in Societate mansit, professus efficitur ; neque, quia professus aut magister in artibus, ideo non applicatur ad officia inferiora. Praeterea aliae religiones tantam indifferentiam non exigunt, quia leges suas habent certas, firmas ac immutabiles, circa quas superior quicquam immutare aut alterare nequit : in Societate autem omnia fere permittuntur iudicio superioris, et ad ipsius arbitrium omnes debent se componere.

10. Ad conciliandam nobis hanc resignationem seu indifferentiam, et ad eam exercendam, exuendus est amor proprius et propriorum commodorum. Item cum sentimus nos in alteram partem minus rectam propendere, opus est ut impellamus nos ipsos sanctis et ardentibus desideriis, orationibus inflammatis, aliisque piis exercitiis in oppositum ; exemplo B. P. N., qui consuluit P. Laynes Indias optanti et postu-

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 1ª. col. 1082. a. b.

lanti, ut desiderium hoc suum deponeret, et in oppositum animum inclinaret, ut se redderet omnino indifferentem ad divinum beneplacitum. Debemus siquidem contendere ut animus noster sit perpurgatus, et omni propensione terrena vacuus, quo maiorem cum Deo communicationem habeat.

In veteri testamento, cum mulier aliqua capta erat in bello, non poterat accipere virum, nisi resecaret ungues et comam, exueretque vestimenta sua. Ita nos, si velimus Deum in sponsum animae nostrae accipere, et uniri cum eo qui nos cepit in conflictu cum daemone, redemitque suo pretioso sanguine, debemus superflua resecare, relinquereque nostra vestimenta, id est propensiones et amorem proprium, imitantes anguem, qui pellem veterem volens exuere, foramen intrat angustum, et licet initio sentiat dolorem, pergit tamen, quia instinctu naturae apprehendit novam se pellem acquisiturum. Sic nos, si optemus, quod oportet, uniri cum Deo, debemus veterem pellem exuere, et opus est ut faciamus eam intrare foramen angustum, ut videlicet nos valde humiliemus, et cum Propheta ad nihilum nos redigamus (1).

Natura ostendit nobis necessitatem huius abnegationis, quoniam *Granum frumenti cadens in terram, nisi mortuum fuerit, ipsum solum manet* (1), id est non affert fructum. Lapis rudis et asper ac veluti mortuus, tunsionibus et caelaturis efformatur in elegantem statuam, quae fere vivere videtur. Nos sumus lapides rudes et asperi ; abicienda nobis est omnis asperitas et quidquid est sordium, omnis denique amor proprius, ut *formetur Christus in nobis* (3), et nos in eum transformemur. Non est autem ille imperfectior qui naturam habet duriorem, magisque rebellem et impolitam, sed qui non studet eam reformare in melius.

Debet hic, fratres mei carissimi, conatus noster serio adhiberi ; debet Deus frequentibus orationibus urgeri, ut sancta importunitate nostra extorqueamus quod nobis tam utile, immo necessarium est. Qui legitime magis certaverit, praestantiore corona donabitur (4). Moveat nos ad hunc conatum et studium, quod ille quem precibus urgemus, sit infinita bonitas, cuius miserationes[a] sunt super montes. Has saepissime in nobis experti sumus, et continenter[b] ipsae elucent, dum tam clementer parcit peccatis nostris, dum tam benigne nos sustinet, et, quod caput est, quia ab aeterno infinito amore nos amavit. Movere et nos debet acerba illa passio, quam pro nobis suscepit et sustinuit. Qui propter peccata nostra ita se humiliavit et exinanivit, et qui

(a) *eius*. add. B. (b) *continentes*. B.

(1) Cfr. Psalm. 77, 59 ; Iob. 30, 15. (2) Ioann. 12, 24. (3) Galat. 4, 19. (4) Cfr. 2 Tim. 2, 5.

nihil magis desiderat quam nostram salutem, quomodo non dabit nobis ea media quae ad illa sunt necessaria ? Et quare ego non quaeram me accommodare omnino eius voluntati ? quare non abnegem me, et prorsus resignem ad faciendam omnem ipsius voluntatem ? Ad hanc ergo resignationem, fratres mei, omne nostrum studium convertamus, sicque faciendo Deo quam gratissimi erimus. Quod nobis concedat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

27ª Exhortatio

SUPER REGULA 21ª : OMNES SUUM TEMPUS REBUS SPIRITUALIBUS IMPENDANT, ET DEVOTIONI QUAERENDAE PRO MENSURA GRATIAE DEI IPSIS COMMUNICATAE INSISTANT[a]

1. Haec regula admonet nos ut excutiamus tepiditatem, excitemus vero nos ad devotionem et ad studium rerum spiritualium, tempusque suum his studiis spiritualibus tribuamus. Quod, quaeso, est illud tempus ? Omne illud quod conceditur a superioribus et a patre spirituali, ut sunt in primis constituta nobis tempora praeparationis ad orandum, meditationis, orationis, examinis conscientiae, confessionis, communionis, et post illam gratiarum actionis, quibus annumerari potest tempus impendendum lectioni rerum spiritualium. Haec, inquam, tempora diligenter tribuenda nobis sunt rebus spiritualibus, ut pareamus praecepto apostolico (1) : *Sicut exhibuistis membra vestra servire immunditiae..., ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae.*

Transmittimus multum temporis in curando corpore, et adhibendis ei necessariis ; multum temporis ei tribuimus ut quiescat, ut cibum sumat, ut se recreet ; non exigit regula, neque Apostolus, ut tantum temporis tribuamus exercitiis spiritualibus, sed ut, sicut curamus corpus, ita saltem non minore affectu et studio curemus spiritum. Hoc autem faciemus, si ea quae diximus tempora demus pietatis officiis ; et si, quae impendimus curandis corporibus, per puram intentionem et mentis elevationem in Dei honorem et servitium referamus.

(a) Spatium reliquit A ad inscribendam regulam, sicuti in cod. B reapse inscribitur.

(1) Rom. 6, 19.

2. Est autem devotio, prompta voluntas exsequendi ea quae pertinent ad Dei cultum. Importat autem duo : actum videlicet intellectus et actum voluntatis. Ex devotione autem procedit prompta electio eorum quae ad officium pietatis et cultus Dei pertinent, et prompta pariter exsecutio, ut sunt omnia opera pietatis, videlicet orationis, meditationis, auditionis missae, piae lectionis, spiritualis collocutionis, etc. Est enim devotio actus religionis, quia Deum velle colere ad religionem spectat. Non est autem constituenda devotio in lacrimis : non enim sunt de essentia devotionis ; sunt enim plerique qui lacrimantur, et devotionem non habent, immo sunt in peccato mortali. Non sunt tamen lacrimae neglegendae, sed optandae, modo profluant ex pietatis affectu. Devotio quae procedit ex meditatione divinae bonitatis, causa est laetitiae : *Memor fui Dei, et delectatus sum* (1). Lacrimae quae hinc promanant, sunt valde bonae, sicut illae quae profluunt ex meditatione et dolore de peccatis. De his dicebat (2) : *Fuerunt mihi lacrimae meae panes die ac nocte ;* nam religiosus devotus etiam illacrimans laetus est, quia ad Deum motu voluntatis accedit ; est et tristis, quia non plene Deum obtinet.

Non est devotio similiter teneritudo illa cordis quae interdum sentitur in oratione, neque gustus et consolatio quae percipitur ex rebus spiritualibus, quia haec interdum peccatores etiam habent ; iusti autem saepe iis carent ; sed est promptitudo ardens voluntatis ad faciendam Dei voluntatem, et ad exsequendum omnia quae ad eius cultum pertinent, et quae ipsi grata fore existimamus. Est, inquam, devotio, affectus ille qui orationem comitari solet, hoc est desiderium placendi et serviendi Deo, quod saepe caret illa consolatione spirituali sensibili. Hanc animi alacritatem et promptitudinem optabat Propheta cum dicebat (3) : *Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo,* Domine. Ad utrumque quidem invitamur, hoc est ad promptitudinem illam voluntatis ad ea quae pertinent ad Dei servitium ; item invitamur ad affectum illum et gustum quem vere devoti sentiunt ; sed non datur omnibus ad secundum pervenire, et tepiditas quidem saepe est nobis impedimentum.

3. Quid[a] vero est tepiditas ? Est quod neque frigidum neque calidum est, sed ex utroque participat, vel quia ex calido frigescit, vel quia ex frigido aliquid caloris percipit ; manet tamen tepidus in

(a) *Quis.* B.

(1) Psalm. 76, 4. (2) Psalm. 41, 4. (3) Psalm. 140, 2.

medio, et neque calidus neque frigidus est. Ex quacumque autem causa tepidi simus, malum est et noxium.

4. Unde vero causatur devotio ? D. Ambrosius, super Lucam (1), Deum assignat causam devotionis extrinsecam et principalem : « Deus, inquit, quos dignatur vocat, et quem vult religiosum facit, et si voluisset, Samaritanos ex indevotis devotos fecisset. » Causa intrinseca ex parte nostra est meditatio ; unde Propheta (2) : *Et in meditatione mea exardescet ignis.* Spiritualis enim ignis causa est devotionis, et voluntas amat bonum prius intellectum. Meditatio autem potest esse de divina bonitate et beneficiis Dei ; nam ex consideratione horum nascitur amor Dei. Unde psalmista (3) : *Mihi adhaerere Deo bonum est ; ponere in Domino Deo spem meam.* Ex hac sequitur bona voluntas, id est devotio omnia faciendi in honorem Dei.

Deinde addi potest meditatio divinitatis ; nam Deus super omnia est diligendus. Item, humanitatis Christi, iuxta illud : « Ut dum visibiliter Deum cognoscimus per hunc in invisibilium amorem rapiamur (4). » Accedit meditatio passionis Christi ; cui adiungenda est quoque meditatio propriorum peccatorum nostrorum, propter quae Christum Dominum tam dira pati oportuit. *Recordare,* aiebat Ieremias in persona Christi (5), *paupertatis et transgressionis meae, absynthii, et fellis.* Quis enim non afficiatur erga illam immensam Dei bonitatem, quae tam benigne et effuse se tradidit propter nos ? *Levavi,* ait psalmista (6), *oculos meos in montes, unde veniet auxilium mihi.*

5. Impedimenta quibus revocamur a vera devotione sunt :

1^m^ Nimia occupatio circa res inferiores. Nam ut pulvis intrans oculos impedit visum, sic attentio ad res terrenas, quae propter Deum non suscipitur, impedit devotionis affectum.

2um impedimentum est pigritia et socordia. Nam ut instrumenta artis hebetantur et contrahunt rubiginem, nisi in frequenti sint usu, ita nostrae potentiae hebetantur ignavia. Libro Tobiae dicitur, quod Tobias dormitans excaecatus est stercore hirundinum (7).

3um impedimentum est consolatio carnalis (8) : *Impinguatus, incrassasatus, dilatatus, recessit a Deo salutari suo.* Nam, ut zizania suffocant sementem, sic terrena consolatio mentis elevationem et devotionem.

(1) S. Ambros. PL. t. 15 in Luc. lib. 7, n. 27 m. col. 1706. (2) Psalm. 38, 4. (3) Psalm 72, 28. (4) Praefatio de Nativitate. (5) Thren. 3, 19. (6) Psalm. 120, 1. (7) Tob. 2, 11. (8) Deut. 32,15.

Saul exaltatus ad regnum, quia defluxit vanis consolationibus propter honorem et amplitudinem, pessimus factus est (6).

4um impedimentum est assuefactio et assuetudo in peccatis, etiam venialibus. Nam sensim proficiunt in peius, et tepidi tandem fiunt ; unde Deus eos evomit (2).

5um est, curae superfluae et nimiae occupationes, etiam in studiis et speculationibus theologicis.

6um, vitium curiositatis, ut quando quis velit cognoscere quid alii faciant. Denique mala corporis dispositio et imbecillitas.

6. Diximus hactenus de devotione. Dicenda etiam modo sunt pauca de unione animae nostrae cum Deo, quia in hac consistit pracipue religiosi viri perfectio, quae in eo consistit, ut cum Deo maximam habeat coniunctionem et unionem, et quanta haberi potest in hac vita. Hanc autem consequimur per excellentem gratiam, qua videlicet anima coniungitur cum suo principio, qui Deus est ; hoc est quando ipsa in sua essentia, et in omnibus facultatibus et potentiis, imbuta et repleta est gratia ; nam per gratiam hanc copiosam et uberrimam anima deificatur, et consors fit divinae naturae (3), per quandam participationem supernaturalem divinae naturae, fitque unus spiritus cum Deo, iuxta illud (4) : *Qui adhaeret Deo, unus spiritus est* ; non quod anima exuat suum esse naturale, aut ipsa in divinam naturam transeat et mutetur, quod est impossibile, sed quia fit particeps proprietatum divinarum per intimam unionem et transformationam atque affectuosam assimilationem ; sicuti ferrum in fornace recipit et participat naturam ignis, retenta sua ferri natura et substantia. Participat enim vim ardendi et comburendi atque illuminandi : ita anima ; per fidem ardentem, intellectum elevat in Deum ; voluntas autem per caritatem et fervorem unitur et copulatur Deo. Deus autem mansionem in ea facit, iuxta illud (5) : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus.* Et ut dicit Paulus (6) : Christum habemus habitantem in cordibus nostris ; et D. Ioannes (7) : *Deus caritas est, et qui manet in caritate, in Deo manet et Deus in eo.* Neque porro Deus solum vult manere in nobis, sed vult ut et nos maneamus in ipso : *Manete*, inquit (8), *in me et ego in vobis.*

7. Adverte vero, frater carissime, quod Christus, vita et sponsus animae tuae, non dicat : accedite ad me, state apud me, state coram me, adhaerete

(1) 1 Reg. 28. (2) Apoc. 3, 16. (3) 2 Pet. 1, 4. (4) 1 Cor. 6, 17. (5) Ioann. 14, 23. (6) Cfr. Eph. 3, 17. (7) 1 Ioann. 4, 16. (8) Ioann. 15, 4.

mihi, sed dicit : manete in me, quasi dicat : non sum contentus, nisi vos habeam in intimis divinitatis meae, in visceribus bonitatis et misericordiae meae, in interioribus deliciis amoris mei infiniti, et in ipso vivo et integro fonte omnis boni, quod in me est. Hinc psalmista (1) : *Ponite corda vestra in virtute eius*, id est, in spiritu infiniti et ardentissimi amoris eius. *Ubi est* nempe *thesaurus tuus, ibi est et cor tuum* (2). Nam quod quis amat ex toto corde, illud est procul dubio thesaurus eius ; quare Deus thesaurus tuus est, si ipsum ardenter et unice amas. Est, inquam, omnis thesaurus tuus : in Deo vero manetur solo amore, et amor solus est qui in thesauro stabilit cor nostrum, quia amor quiescit in re amata. *Quis dabit mihi pennas,* ait psalmista (3), *sicut columbae, et volabo, et requiescam.* Appetit quidem volare in Deum, sed maxime optat in eo quiescere. Amor ergo solus dat experientiam huius verbi : Manete in me, et sentiri ac praegustari facit ineffabile gaudium paradisi, quod consistit in hac mansione felicissima, in hac quidem vita per gratiam et unionem summam, in futura vero vita per gloriam : *Regnum Dei intra vos est* (4).

In hoc ergo regno, fratres mei carissimi, in hoc thesauro, in hac felicissima unione, amor, obsecro, vester fixus sit et stabilis, ut stabilem in Deo faciat mansionem. *In pace in id ipsum dormiam et requiescam,* ait Propheta (5) ; in id ipsum, id est, in eo qui semper est idem. Quiescit enim cor in re amata, et qui adhaeret Deo, ut paulo ante dictum est, unus spiritus est cum eo, id est, fit per amorem cor unum, et unus spiritus cum ipso.

Ponite, ponite ergo, fratres mei, corda vestra in virtute eius, id est concludite corda vestra per intimum amoris affectum in virtute eius, id est in corde illo incomprehensibilium deliciarum divinarum. Fortassis D. Paulus illud sentiebat, cum dicebat (6) : *Conversatio nostra in caelis est ;* et quando raptus usque ad tertium caelum *Audivit arcana verba, quae non licet homini loqui* (7). O bonitas Dei immensa, quae adeo delectaris nostro bono, ut velis nos semper in te manere ! Quam difficile, immo quam difficillimum est, bone Deus, hoc capere ! Dicebat olim quidam famulus tuus (8) : *Existimabam ut cognoscerem hoc, labor est ante me,* id est, mihi valde laboriosum est ac difficillimum, ob incomprehensibilitatem eius et pusillitatem meam atque obscuritatem intellectus mei.

8. Quia vero intellectus noster comprehendere nequit sensum Domini, affectus per viam ardoris anhelando et ex parte gustando, probat et experitur quae intellectus non potest capere ; experitur, inquam, occultissimum saporem divinum mannae illius absconditi, cuius saporem

(1) Psalm. 47, 17. (2) Matth. 6, 21. (3) Psalm. 54, 7. (4) Luc. 17, 21 (5) Psalm. 4, 9. (6) Philip. 3, 20. (7) 2 Cor. 12, 4. (8) Psalm. 72,16.

nemo scit[a], nisi qui accipit (1). Hic affectus tam magnus et ineffabilis numquid videtur vobis, fratres mei, esse ille de quo dicit sponsus animae boni et devoti religiosi (2) : *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa, vulnerasti cor meum in uno oculorum tuorum?* Hic oculus, sive affectus purgatissimus, quando vulneravit cor altissimi, et ingressus est intus, faciendo mansionem in eo, cognoscit occultissima et maxima secreta, quia Christus, verbum patris, dilecto manifestat se ipsum, ut loquitur D. Ioannes (3). Tunc cognoscit ex parte quae videt patrem facere, et quae similiter filius facit, et quomodo filius oblectatur infinite imitando patrem ; et praeterea quomodo, pro infinito suo amore erga nos, summopere delectatur in eo quod manifestet nobis quae videt et facit, licet miserrimi simus. Hinc dicit (4) : *Vos amici mei estis, quia omnia quae audivi a patre meo, nota feci vobis.* Ut autem nota facit quae audit, ita et nota facit amicis suis quae videt. Licet vero sint occultissima et incomprehensibilia, iuxta illud (5) : *O altitudo divitiarum sapientiae et scientiae Dei! quam incomprehensibilia sunt iudicia eius et investigabiles viae eius!* dicit nihilo minus idem Apostolus alibi (6) : *Spiritus* enim *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Profunda autem Dei sunt cognitio maiestatis ipsius Dei, quae tam profunda est, ut Christus in terra agens dixerit (7) : *Nemo novit patrem nisi filius et cui voluerit filius revelare.* Neque tantum profunda est cognitio, sed etiam supra modum delectabilis ; hinc Christus ait (8) : *Haec est vita aeterna, ut cognoscant te.*

Cum autem homo cognoscat Deum cum delectatione tanta, quid de ipso Deo sentiendum est, qui semper se ipsum cognoscit perfectissime, videt, amat, fruitur se ipso ? Profundissima igitur sunt haec, et incomprehensibile est quod facit Deus immensus. Miratur se ipsum, et considerat cum summo gaudio perfectionem suam, quae superat omnem intellectum creatum, et ex hac cognitione et amore nascitur gaudium infinitum ipsi soli notum. Nos autem Deus infinito amore diligit, et filius consequenter, quia utriusque idem est amor, eadem dilectio, et quidem ab aeterno ; ita nos etiam infinite amat, ut se ipsum totaliter nobis donet, ut pater totum unigenitum suum nobis dedit, *Propter nimiam caritatem suam, qua dilexit nos* (9). Possumus ergo dicere cum psalmista (10) : *Mirabilia opera tua, et anima mea cognoscit nimis*, id est, anima mea continenter inde procedet in ampliorem et excessivam cognitionem. Conservatur autem haec unio devo-

(a) *sit.* B.

(1) Cfr. Apoc. 2, 17. (2) Cant. 4, 9. (3) Ioann. 14, 21. (4) Ioan. 15, 15. (5) Rom. 11, 33. (6) 1 Cor. 2, 10. (7) Matth. 11, 27. (8) Ioann. 17, 3. (9) Ephes. 2, 4. (10) Psalm. 138, 14.

tione continua, id est prompta illa et ferventi voluntate oboediendi et placendi Deo in omnibus actionibus nostris. Quod nobis, fratres carissimi, Deus libenter largietur, si nosmet ipsi nobis non deerimus. Caveamus igitur ne tantus thesaurus gratiae Dei nobis pereat.

28ª Exhortatio

Super regula 22ª : de cavendis illusionibus et tentationibus in oratione et in exercitiis spiritualibus

In hac regula seu constitutione de quattuor monemur : 1° ut in devotione caveamus ab illusionibus daemonis, 2° quod debeamus scire nos defendere ab omnibus tentationibus, et scire eas vincendi rationes ; 3° ut insistamus consequendis solidis virtutibus, sive adsint consolationes plures, sive pauciores ; 4° ut procuremus progredi in via Dei et divino servitio.

De his posterioribus membris tractavimus in praecedentibus aliquot exhortationibus. De tentationibus vero superandis agemus postea, in aliqua peculiari exhortatione.

1. Nunc ergo in praesentia tractabimus quomodo cavere nos debeamus ab illusionibus daemonis, cui nullum studium intensius est quam ut iis illudat sub specie boni, quos manifeste illicere non potest in peccatum. Est enim versipellis et callidus, expertusque est persaepe se religiosos, instituti sui et disciplinae amantes, difficulter posse pertrahere in peccatum mortale ; idcirco satagit ut sub specie perfectionis maioris eis illudat. Quam ob rem B. P. nos praemonet P. 3, c. 1, § 1 constitutionum, ut ab eius insidiis et fraudibus diligenter nobis caveamus. Atque ut perspiceremus melius eius insidias, in libello exercitiorum quae nobis tradidit, documenta dedit de discretione cognoscenda spirituum, ad quae eos remitto qui cognitionem penitiorem habere desiderant. In praesenti igitur exhortatione commemorabo tantum aliquot rationes, quibus solet interdum incautos decipere : variat etenim callidus hostis molimina et studia sua pro ingeniorum varietate.

2. Persuadet igitur aliquibus satis esse concipere bona desideria bonumque propositum, quae cum saepe sentiant se habere, securitatem quoque de conscientiae suae statu concipiunt, sibi persuadentes esse bonum. Atqui non satis est haec sentire, sed opus est et desideria et propositum exsecutioni mandare, alioquin similes sunt, qui de suo statu ita statuunt, struthionibus, qui licet habeant alas, non volant tamen, sed degunt perpetuo super terram. Quales sunt etiam aliquae columbae, quae alis ad volandum uti nequeunt, quia pennas et earum fibras non habent sibi mutuo bene conexas et conglutinatas, ut habent aliae. Similes etiam sunt arboribus, quae cum multas frondes gerant, numquam tamen fructus proferunt : sic hi desideria habent multa, sed dispersa, et glutino caritatis non coniuncta, ideo sterilia sunt. Caritas enim semper operatur, si est.

Alii existimant se securos esse, quia faciunt multa opera bona, v. g. docent in scholis, contionantur ad populum, confessiones excipiunt, visitant aegros, multum laborant intus et foris. Existimant videlicet haec opera procedere ex copia gratiae Dei ; quare de reliquo sunt parum solliciti, nec magni faciunt neglegere regulas, quasi Deus dispenset cum ipsis. Et hi recordari debent Christum Dominum dixisse (1) : *Qui vos audit me audit* (2) ; et iterum : *Omnia, quaecumque dixerint vobis, servate et facite.* Et S. Paulus plenus bonorum operum castigabat corpus suum, ne cum aliis praedicaret, ipse reprobus efficeretur (3) ; et alibi dixit (4) : *Etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, caritatem autem non habeam, nihil mihi prodest.* Debent itaque sibi attendere, ne illusi a daemone in statuam salis convertantur, invenianturque in die Domini steriles inter eos, quos bona opera consequuntur. Exteriores siquidem actus vitam ab interioribus recipiunt ; neque nomen virtutis opera bona promerentur, nisi ab interiore spiritu et caritate proveniant ; alioquin qui operibus externis solis [a] securi sunt, similes sunt personis comicis, in quibus qui repraesentat regem, obscurae et vilis saepe homo est condicionis, qui absoluta actione spoliatur et ridetur.

3. Alii etiam decipiuntur, qui cum maxime attendere deberent domandis passionibus, quae in ipsis maxime vigent, illusi a daemone se multum praestare existimant, si interdum privatas faciant disciplinas, ministrent coquo, suas culpas publice manifestent et huiusmodi alia praestent, quae solent religiosi plerumque ad spiritus profectum exer-

(a) supra lin. A ; om. B.

(1) Luc. 10, 16. (2) Matth. 23, 3. (3) 1 Cor. 9, 27. (4) 1 Cor. 13, 3.

cere. Quae licet bona sint et utilia, non sunt tamen praecipua media ad perfectionem ; non enim aliter faciunt, quam si chirurgus applicaret sua unguenta talo, ad tollendum vel minuendum capitis, renum aut intestinorum dolorem vel intemperiem.

Qui igitur pronus est ad vitium vanae gloriae et ad honoris appetitum, non debet praecipue incumbere ut gulam frenet, sed exercere se praecipue in iis quae animi demissionem interius conciliare possunt : saepe nimirum de sua vilitate cogitare, imperfectiones suas modo coram Deo, modo coram patre spirituali superioreve accusare et deflere ; nec non et exterius frequentibus humiliationibus insistere, studioseque incumbere in mortificatione inordinati illius appetitus. Si enim haec faciat, et orationem adiungat, viam tenet ad victoriam et ad superandum superbiae spiritum.

Sic qui pusillanimitatis vitio laborat, debet saepe in iis actionibus quae repugnant suae pusillanimitati se exercere, et quae fortitudinis sunt praecipue consectari.

Qui ad gulam pronus, temperantiae studere, et abstinere ex parte ab iis quae gulam magis solent irritare, portionis in mensa oblatae partes delicatiores relinquere, edere vero viliora, et cum licentia denique superioris, partes panis ab aliis relictas colligere et iis in mensa vesci.

4. Alii falluntur, qui impetu quodam et immoderato fervore conantur omnes simul imperfectiones exuere ; quod quidem desiderare debent et intendere, sed praecipue tamen instituere debent certamen contra vitium quo magis lacessuntur acriusque impugnantur, et numquam pugnam intermittere, aut pacem hosti dare, donec vitium sit excussum ; illo vero superato, pari debent studio et conatu certamen convertere contra aliud et aliud, et sic consequenter decertare contra omnia singulatim. Et haec quidem praxis est Societatis universae, hancque ad rem B. P. N. tradidit nobis examen particulare. Simili ratione non debemus generatim et coniunctim omnium sanctorum exempla nobis proponere imitanda, sed unum praecipue atque alterum per aliquot menses ; deinde aliud et aliud, quam diu oporteat ad hostem expugnandum.

Alii sunt similiter in errore, qui tantum solliciti sunt de maioribus imperfectionibus, de minoribus nihil aut parum. Hi porro attendere debent, quod si de peccatis negotium est, omnia directe sunt contra Deum essentialiter loquendo, sufficitque una parva radix, vel fibra, quae germinet multa. Quis porro libenter et sponte recipiat in se vulnus licet parvum, quod possit declinare ? Signum est exilis

amoris in Deum, non curare ipsum offendere in parvis. Sane non filii boni, sed mancipii est, servire vel ad oculum vel imperfecte : filii serviunt ex vera caritate, quaeruntque in omnibus parenti suo caelesti placere, nihilque omnino facere quod ipsi non sit gratissimum.

5. Aliorum error est maximus, qui falsis daemonis persuasionibus animum abiciunt et desperant, quod, quia diu fuerunt in religione, parvos tamen processus in rebus spiritualibus fecerint. Atqui hi potius in divinam bonitatem et misericordiam oculos conicere deberent, quae tam benigne tamque misericorditer eos hucusque exspectavit, ut se emendarent. Verum quidem est, quod Deus in regnum suum nec tepidum nec neglegentem admittat ; qualem si te, mi frater, cognoscis, excita te, animum exsere tuum, ac magno proposito studioque allabora ut in futurum ignaviam praeteritam compenses. Neque diffidas de Dei auxilio. An ignoras Deum nec tempori, nec aetati, nec naturali complexioni esse alligatum ? quin in momento peccatorem maximum convertere potest, et ipsum ad magnam vitae sanctimoniam perducere ? Exemplum habes in Magdalena, in latrone et in aliis. Immo tam magna potest esse paenitudo, ut non tantum culpam eluat, sed et poenam culpae debitam exsolvat.

Est tamen illud verum, quod qui diu peccatis immersus longum usum et consuetudinem induit, difficulter inveteratum habitum excutiat, ut virtutem perfectam induat.

Quod considerantes pii aliqui et sancti doctores scriptum reliquerunt, opus esse, ut minimum, spatio sex mensium ad eam mutationem vere et perseveranter faciendam ; sed ut gratia non est alligata tempori, ut dictum est, multo citius potest aliquis converti et immutari, prout gratiam maiorem vel minorem a Deo est consecutus, vel ad eam[a] tum recipiendam tum conservandam se disposuerit ; ut, v. g., qui neglegens ante fuit, diligens sit postea, et maxime sollicitus.

Homo igitur non debet despondere animo ob impedimenta et onera peccatorum et malarum inclinationum, quibus se sentit praegravatum ; sed concipere debet magnos spiritus et animum ad omnia superanda mediante gratia divina, proponendo Deo servire et quidquid ei displicet abicere. Nam si Deus nollet eum adiuvare ipsique in necessitatibus succurrere, non permisisset passiones tantam vim et inordinationem in ipso habere ; nam passiones apud Deum tanto magis nos reddunt excusabiles, quanto sunt maiores, suntque propterea peccata nostra apud Deum minoris ponderis. Angelus peccator non fuit morte Domini, sicut homo, redemptus ; nam qui nullas infirmitates et inclinationes

(a) *aliam.* B,

habuit, minorem habuit causam et occasionem peccandi. Nos ex passionibus et pravis inclinationibus occasionem capimus nos humiliandi, quod ille non fecit. Sed et tanto sollicitiores esse debemus ad fugiendum peccatum et ad virtutis studium, quanto debiliores nos esse sentimus et experimur ; quin et ad Deum et ad eius misericordiam maiore confidentia confugimus, si forte cadimus. Propheta David, ut maiorem apud Deum gratiam iniret peccatorumque remissionem facilius obtineret, Deo repraesentabat quod in peccatis fuisset conceptus (1) : *Ecce*, inquit, *in iniquitatibus conceptus sum*. Oportet tamen semper facere quod in nobis est, et peccatis resistere insistereque orationi.

6. Alii postremo errant turpiter, qui immoderate et inconstanter agunt ; quales sunt ii, qui velut impetu quodam ad res interiores et ad virtutes se conferunt, et paulo post pari impetu feruntur ad externa, et ad ea se immoderatius effundunt ; et ita agunt per totam fere vitam, nihil colligentes, quem ad modum ii qui, ut habet proverbium, cribro aquam hauriunt.

Qui igitur vocati sunt ad tractanda externa, difficilius ac fortassis rarius possunt se conferre ad interiora, praesertim qui modo unam, modo aliam aggrediuntur ; non quia Deus eos deserat quos per superiores ad ea officia vocavit, quin haud dubie frequentes illis immittit motus caritatis et devotionis, praesertim iis qui directoris voluntati magna cum simplicitate se subiciunt, caventque sibi a nimia distractione, referuntque saepe suas actiones in Deum.

7. Alius error est eorum qui facere satagunt quidquid vident alios facere, quod sane minime expedit. Non enim eadem est omnium condicio et natura ; quare neque possunt esse eadem omnium officia et exercitia ; et quod uni vita est, alteri mortis certa futura sit occasio. Quare, ut est cuiusque condicio naturalis, vel cuiusque aptitudo, accommodata esse debet cuiusque indoli pietatis exercitatio, et ad perfectionem quam intendit progressus. Quanto vero quisque studiosius sibi mori studuerit, tanto facilius ad perfectionem perveniet. Quocirca non tam aliorum exercitia et modos rationes[a] consectari, quam essentiales eorum virtutes debet imitari.

Alius error est eorum, et qui magnam affert homini perniciem, est, inquam, eorum qui se aliquid esse reputant, propter quandam pacem interiorem, quam sentiunt. Sed diabolicum potest esse opus,

(a) Sic uterque codex. Forsan *rationesque* legendum est.

(1) Psalm. 50, 7.

tranquillitas illa. Nam diabolus, ut ante diximus, aliquibus dulces lacrimas ciet, etiam bene saturis et ebriis ; hoc autem facit diabolus, ut eos per hanc securitatem traducat in tepiditatem, quam valde odit Deus, adeo ut saepe aridus quispiam et siccus magis placeat Deo quam talis devotus.

B. Vincentius de hac ipsorum opinione exclamat : O maxima et mortifera pestis, immo mors gravissima et occulta ! Haec Deum fugat praesumptionem nequissimam abhorrentem. Numquid tu, homo, qui talis es, in altum contemplationis ascendisti, ut te ipsum statuens alium iudicem, debeas ceteris maius praecipitium incurrere ? Quem diabolus non potest decipere peccatis magnis, quaerit per hanc securitatem eum praecipitare periculosius.

8. Pro ultimo errore et illusione adiciam magnam diaboli fraudem, nimirum quod inducat saepe ad occultandum actiones virtutis sub colore humilitatis ; unde nascitur ut frater noster careat bono exemplo ; quod quidem infirmis, et qui facile vana gloria capiuntur, non omnino malum est, praesertim de iis actionibus quae non pertinent ad disciplinam, sed ad recessus interiores. Alioqui memor esse debet quisque eius quod mandat Christus (1) : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona.* Sed non debent occultari etiam bonae actiones nostrae patri nostro spirituali, ne diabolus nos circumveniat. Videatur Cassianus in collatione Moisis (2), ut adhaereat consilio magistri ; nemo enim sibi ipsi sufficiens est.

Usurpanda igitur est nobis ea proficiendi et exercendi nos ratio et modus, quem nostra exigit vocatio, et pater spiritualis probat. Ieiunia, vigiliae, carnis macerationes non parum quidem conferunt ad profectum spiritualem ; sed nisi superioris ac patris spiritualis directio accedat et probet, indiscretio parabit sibi facile gradum ad ruinam. Ut viam ergo rectam, fratres mei, teneamus, nihil consultius est, quam ut communem Societatis viam teneamus, et superiori confidenter nos manifestemus, totum mentis nostrae scrinium ipsi aperiamus, eiusque iudicio quidquid intus est committamus. Spondeo quod ita facientem Deus errare non permittet.

9. Sed et alium errorem tacere nequeo, qui mihi periculosissimus videtur, eorum videlicet qui nimium confidentes virtutibus aliorum, non student propriis fulciri, sed in alienis gloriantur et quiescunt. Quasi vero sufficiant ad perfectionem et salutem parietes religionis, quibus

(1) Matth. 5, 16. (2) Cassianus, PL. t. 49 Coll. 2. cap. 10. col. 537.

includimur. Ex hoc errore perit vera humilitas et necessaria sui sollicitudo, vana autem succedit securitas. Sed meminerint — si qui fortassis tali morbo laborarent — Christum Dominum reprehendisse eos qui erant otiosi, induxitque ut laborarent in vineam suam (1). Qui ergo in Societate vultis, fratres carissimi, esse securi, et frui iucundo fructu solidae virtutis, studeatis, obsecro, omnino et non ex parte vos vincere, quia impossibile est partim esse bonum, partim malum. Cavete diligenter ab illusionibus daemonis ; excutite sordes tepiditatis, neque securior ullus sit, quod ab aliis bonus iudicetur ; quia revera nemo bonus est, nisi qui Deo probatur. Serviamus Deo toto pectore et animo, ut in die Domini repromissiones inveniamus. Quod nobis concedat Dominus. Amen.

29ª Exhortatio

[De tentationibus[a]]

Dicturi hodie de tentatione, explicabimus 1° loco, quid sit tentatio. 2° Quot sint qui tentent. 3° Quomodo tentent. 4° Quis fructus sit tentationis. Denique de remediis.

1. Necessitas huius tractationis nota est ei qui rem penitius examinat. Nam in continua versamur lucta et tentatione, et hostis noster *circuit* semper *quaerens quem devoret* (2). Praecipue vero eos exagitat qui militiae Christi ascripti sunt in religione, quae maxime obnoxia est tentationibus, iuxta illud (3) : *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.* D. Bernardus super psalm. 90 : « Duo, dicit (4), esse latera Ecclesiae, dextrum et sinistrum. Spirituales viri per dextrum notantur, quia acrius impugnantur, et ob id cadunt plerique ; carnales, per sinistrum significantur. Conatur porro adversarius magis dextrum quam sinistrum[b] vulnerare, quia magis laborat auferre

(a) A inscriptionem habet nullam ; spatium tamen reliquit quo aliquam inscriberet. B vero praescribit summarium quod mox sequitur. (b) *sinistram*. B.

(1) Matth., 20, 6. (2) 1 Petr. 5, 8. (3) Eccli. 2, 1. (4) S. Bernard. PL. t. 183 Serm. 7 in Psalm. Qui habitat. nn. 10, 11. col. 205-206.

cordis substantiam quam corporis. Spiritualia bona attribuuntur dextrae, carnalia vero et temporalia sinistrae ».

Sumitur autem tentationis vocabulum varie in scripturis sacris, ut quae et in bonum, et in malum tendere possit. Estque tentare proprie, facere alicuius rei periculum, seu capere aliqua de re experimentum. Et hoc tribus de causis : 1° Ut sciamus an quis sit potens, sapiens, mansuetus, etc. 2° Ut promoveamus vel auxilium feramus. Sic Deus tentat nos, *a)* an faciemus constanter quod rectum est ; vel ut nos et alios doceat quid simus, vel possimus, iuxta illud (1) : *Tentat vos Dominus, ut palam fiat utrum diligatis eum an non.* 3° Ut quis obsit, et ad malum inducat, quo modo maxime proprie hominem diabolus tentat. Deus vero neminem sic tentat : *Deus intentator malorum est* (2). Tentavit quidem Deus Abraham, tentavit et Iob, ut docet eius liber ; tentavit et populum suum, sed ut posteris faceret manifestam virtutem eorum. Tentat Deus *b)* ut nos probet purgetque a peccatis et peccatorum reliquiis ; sic probatur aurum in fornace. *c)* Ut promoveat nos ad maiorem gratiam et virtutes ampliores faciatque nos fortiores.

Tentat et nos diabolus, sed ut noceat. Tentat autem ad superbiam, iram, invidiam, immunditiam, et hoc vel per se, vel per mundum, vel per carnem, aut retrahendo nos a bono : *Corpus quod corrumpitur aggravat animam* (3), aut inducendo ad malum, ut postea dicemus.

2. Religiosus semper debet esse paratus ad tentationem, quia diabolus magis illi invidet quam aliis, ut qui miles sit Christi, ut dictum est. Ut vero Christus nos animaret ad hanc militiam et ad pericula conflictusque, nobis ipse dedit exemplum vitae religiosae, discedens a matre et petens Iordanem et desertum ut tentaretur a diabolo ; neque quidem semel, sed aliquotiens, non de re levi, sed gravissima. Ita religiosus, relictis parentibus et propinquis, concessit ad religionem ut tentaretur ; non quod finis sit tentari, sed ut persuasum sit nobis hac via et per multas tribulationes transeundum esse ad perfectionem. Ut enim veram pacem, quam quaerimus, obtineamus, bellum gerendum est, sicuti Christus pugnavit, et a tentatione diabolus quievit, eumque in pace reliquit. Habemus autem in conflictu Deum adiuvantem, et post tentationem, assistentiam ipsius ; quod nobis indicavit, quia angeli post tentationem ministraverunt ei. Sed etsi pacem non habeamus in nobis, non est curandum ; satis enim est ut pacem habeamus cum Deo. Neque peccatum est tentari, sed

(1) Deut. 13, 3. (2) Iac. 1, 13. (3) Sap. 9, 15.

bene merendi occasio. D. Augustinus in sententiis B. Prosperi dicit, quod magno levamine donamur a Deo, quando in tribulationibus revocamus in memoriam gratias et dona, quae a sua divina bonitate accepimus praeterito tempore, et futura quae exspectamus.

Sed tentatio ne laedat, condienda est condimento triplici :

Primum est consideratio suppliciorum aeternorum. Hoc enim condimentum, ut mordax est, generat timorem (1) : *Dedit Dominus metuentibus se significationem, ut fugiant a facie arcus,* videlicet divini iudicii. Secundum est, consideratio aeterni praemii. Gregorius (2) : consideratio praemii minuit vim flagelli. Tertium est consideratio passionis Christi, quia magna provenit consolatio ad membra ex capite : Si compatimur, inquit Apostolus (3), et conregnabimus. Bernardus : Numquid Christus socium tribulationis a communione sua patietur arceri ?

3. 1° Cum Deus vel nos tentat vel permittit nos tentari, non debemus animis frangi ; nam, ut dicitur (4) : *Qui non est tentatus, quid scit ?* Quasi dicat : qui non est tentatus, parum exercitatus est, ut sciat quo modo se gerere debeat in difficultatibus et tentationibus incidentibus, quia non habet experientiam earum, quae est optima magistra. Nec permittit nos tentari in malum nostrum, quia non potest esse causa peccati directe vel indirecte, quia omne peccatum fit per recessum ab ordine et regula, quae dirigit actiones humanas ad ipsum, sicut in finem. Deus enim omnia dirigit, inflectit et convertit ad se tamquam in ultimum finem ; unde impossibile est ut peccet, vel aliis sit causa peccandi et recedendi ab ea regula, quae tendit in ipsum ut in summum bonum.

4. 2° Tentat homo Deum interdum, etiam proximum suum. Tentat Deum, quando omittit facere quod in se est ad evadenda pericula vel mortis, vel alterius damni : solummodo oculos coniciens et cogitationem in Deum, ut auxilium ab eo accipiat, qui posset alioquin, faciendo quod in se esset et quaerendo subsidia et praesidia humana, evadere periculum cui temere se committit. De talibus dicitur (5) : *Tentaverunt Deum in cordibus suis.* Qui sic enim facit, facit quasi periculum an Deus sufficiat ad liberandum eum, quod Deus prohibuit (6) : *Non tentabis Dominum Deum tuum.*

Tentat etiam homo proximum malis consiliis et suasionibus, quando nititur illum allicere ad malum, seu peccatum ; item quando conatur

(1) Psalm. 59, 6. (2) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. lib. 10, cap. 16, n. 32. col. 399. (3) Cfr. Rom. 8, 17 ; 2 Tim. 2, 12. (4) Eccli. 34, 9. (5) Psalm. 77, 18. (6) Deut. 6,16 ; Matth. 4, 7.

vim illi inferre absque ratione ; item quando provocat illum ad pugnam et certamen, etc.

5. 3° Tentat caro hominem, id est, concupiscentia carnis, iuxta illud : *Caro concupiscit adversus spiritum ;* et Iacobus (1) : *Unus quisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (2). Abstrahitur, inquam, a Deo et regula rationis per passiones, et illicitur illecebris sensualitatis. Tentat autem caro instrumentaliter tantum, scilicet iudicium rationis obscurando, aut impediendo passionum vi et motibus. Hoc autem permittitur a Deo, ut inde homo exerceatur ad virtutem, et cognoscat quam fortis vel debilis sit ad resistendum concupiscentiis carnis ; sed non peccat, immo meretur, si resistit, ut resistere potest iuvante Deo. Est autem haec tentatio interdum difficilis et ad vincendum et ad evitandum, quia diabolus adiungit se socium carni et concupiscentiae. Habet autem mille artes nocendi, ut est astutissimus ; item, ob debilitatem et infirmitatem hominis, praesertim quando longo usu indulsit carni et sanguini ; nam tanto difficilius resistit malo, quanto per consuetudinem ad malum factus est pronior. Addo quod propter propinquitatem seu coniunctionem, hostis sit infestior ; nam caro seu concupiscentia nata est nobiscum, nobiscum crevit, nobiscum comedit et fovetur, nobiscum dormit, et semper denique nos comitatur, etiam dormientes ; et praecessit illa usum rationis aliquot annis, unde fortius et vehementius rationem premit impetitque, ut senior ; sicuti Ismael Isaac iuniorem petulanter impetebat et ad malum inducere conabatur (3). Ideo nulla pestis ad nocendum spiritui est perniciosior, sicuti nullus inimicus perniciosior quam qui familiaris est et domesticus.

6. 4° Mundus etiam tentat, sed improprie et materialiter, seu instrumentaliter tantum : ut cognoscat nimirum homo, praecipue vero religiosus, quam vehementer contemnat quae mundi sunt. *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem* (4), scilicet solum, *sed adversus* mundi *principes et potestates, et adversus mundi rectores.* Potest etiam censeri hominis tentatio esse mundi, quatenus vel ex malitia propria, vel impulsus a daemone inducit proximum suum in peccatum ; sed et mundi amatores et peccatores, mundus dicuntur.

Tripliciter tentat alter alterum : *a*) Persuadendo et inducendo ad peccatum proximum suum : *Lingua eorum* sicut *gladius acutus* (5), scilicet ad inducendum et persuadendum. *b*) Persequendo : *Is qui secundum carnem*

(1) Galat. 5, 17. (2) Iacob. 1, 14. (3) Gen. 21, 9 ; Galat. 4, 29. (4) Ephes. 6, 12. (5) Psalm. 56, 5.

natus fuerat, persequebatur eum qui secundum spiritum (1). *c*) Male et improbe vivendo, suoque exemplo ad malum inducendo (2) : *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea.*

7. 5° Diabolus proprie dicitur tentare (3) : *Ne forte tentaverit vos is qui tentat,* scilicet diabolus. Movetur autem diabolus ad tentandum nos tribus de causis : *a*) Malitia sua, quia odio Deum habet, et ideo quaerit avertere a servitio Dei hominem ; et sicut videt Deum habere multos fideles ministros, sacerdotes, religiosos, pios christianos, templa, imagines, etc., ita studet et ministros multos habere et conventicula sua, ut veneficarum, et speciem templorum ut synagogas satanae, et ecclesias malignantium et idola pro imaginibus ; denique, ut S. Cyprianus ait (4), diabolus est simia Dei, et per odium facere conatur quod Deus facit, ut avertat homines a cultu eius. *b*) Superbia sua movetur ad tentandum ; quia non tantum vult imitari Deum, nec tantum nos avertere a cultu Dei, sed vult esse similis altissimo, et thronum suum exaltare supra Christi thronum, si posset, et Christi regnum, quod est sanctorum animae, penitus evertere : *Ipse enim est rex,* ut Iob ait (5), *super universos filios superbiae. c*) Movetur invidia (6) : *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.*

8. De quibus vero, et quomodo tentat ?

1° Ex tentatione, quam in primis parentibus exercuit, docemur quibus nos artibus aggreditur. Accessit nimirum ad mulierem, non ad virum ; quia semper nos aggreditur per ea vitia ad quae scit nos esse proniores et natura infirmiores, Infirmior enim erat mulier viro. Tentavit vero illos gula, sive per esum pomi ; ita ex necessitatibus corporis sumit tentandi occasiones, et paulatim nos traducere conatur ad ea quae prohibentur, ut ad cibos vetitos, ad violandum ieiunium, etc.

2° Tentat de erubescentia in bonis operibus et mortificationibus, cui suggestioni religiosus assentiens paulatim frigescat : qui enim omittit bona facere propter respectum hominum, facile inducitur ut faciat mala ; et qui erubuit servus esse Christi atque improperium eius portare (7), fit tandem servus diaboli.

Debet ergo religiosus diligenter advigilare, ut ad resistendum tentatori semper sit paratus. S. Ephraem (8) : « Qui in mari, ait, naufragium

(1) Galat. 4, 29. (2) Eccli. 13, 1. (3) 1 Thess. 3, 5. (4) S. Cyprian. PL. t. 4 Lib. de Idol. vanitate. cap. 7. col. 575 lin. 5 ; verba tamen « Simia Dei » nusquam nis. aequivalenter invenimus. Ibid. de Unit. Eccl. cap. 3. col. 498 a ; et cap. 14. col. § 11 lin. 12.. (5) Iob. 41, 25. (6) Sap. 2, 24. (7) Cfr. Hebr. 13. 13. (8) S. Ephraem, tom. 2, n. 78, Paraen. 42, p. 418 extr.

fecit, forsitan et vigilavit et decertavit, verum, magna fluctuum[a] insultatio ipsum obruit. Qui autem in portu naufragatur, similis est illi, qui mera sua neglegentia navem Domini sui in profundum deducit ac perdit. » Nos fratres mei, Deo iuvante, pervecti sumus ad portum religionis ; omnem navemus operam ut naufragium non faciamus[b] . Et Paraenesi 33 (1) : « Vicit, inquit, iustus adversarium solo amore ac desiderio quo vere in Deum ferebatur. Datus porro et Apostolo est stimulus angelus satanae (2) ; sed illum devicit per eum qui dilexit ipsum, Dominum nostrum Iesum Christum, quem mente continebat, in caritate perfecta. Neque enim aegrotare secundum carnem[c] est delictum, neque in damna et tribulationes incidere est lapsus atque ruina, sed in tentationibus non probatum inveniri. » Immo, ut Ambrosius super psalmum Beati immaculati (3) : « Quo maior est hic tribulatio, seu tentatio, tanta copiosior in Christo est consolatio. » Exemplum est in Tobia, qui post tribulationem medicum habuit angelum, et bonorum temporalium accrementum.

Propterea solet Deus bonos amicos suos permittere affligi, ut clariores fiant et sint aliis exemplo ad virtutem. Sic rex sapiens non ponit in prima acie, nec in capitaneos evehit nisi magis generosos et fortissimos, ut vincant hostem et gloriam reportent maiorem. Sic dicebat Deus S^to^ Antonio post tentationem : quia viriliter dimicasti, faciam te in toto orbe nominari. Animae quae spem suam in Deo collocant, non confundentur, et aeternam veramque vitam consequentur, probatae in tentationibus repertae, iuxta illud Apostoli (4). *Quis me separabit a caritate Christi ?* Et rursus (5) : *Tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationem, probatio autem spem ; spes autem non confundit.* Et Dominus ait (6) : *In patientia vestra possidebitis animas vestras ;* et (7) : *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.*

Quaecumque igitur vexationes a spiritu maligno inferuntur, si generose strenueque sustinentur, magis nos confirmant et illustrant. Conemur igitur *a)* multum uniri Deo per ferventem orationem et amorem. *b)* Vin-

(a) Apud S. Ephraem legitur *inundationum.* (b) *non fac.* om. B. (c) *carem.* B.

(1) S. Ephraem, t. 2, n. 66, Paraen. 30 (non autem 33), p. 387 a. Sic locum tradit codex uterque : « ... ferebatur : sicuti et Apostolus angelum satanae, quo vexabatur, quia nimirum dilexit ipsum dominum, et eum continebat in caritate perfecta. Ut enim aegrotare secundum carnem non est delictum, ita nec in damna et tribulationes incidere est lapsus et ruina, sed in tentationibus tribulationibusve non probatum inveniri. » (2) 2 Cor. 12, 7. (3) S. Ambros. PL. t. 15 in Psalm. 118, v. 76, n. 3 9. col. 1344. (4) Rom. 8, 35. (5) Rom. 5, 3-5. (6) Luc. 21, 19. (7) Matth. 10, 22.

cere etiam minimam superbiam ; nam ex superbia nascitur erubescentia illa in bonis operibus. *c)* Exerceamus nos diligenter ac libenter in humilibus officiis, ut consuetudine et usu erubescentiam illam excutiamus.

3° Tentare solet religiosos de memoria parentum et de affectu in eos. Habemus vero Christum ipsis respondentem : Nisi quis reliquerit patrem et matrem, quin et se ipsum, etc., non meretur nomen discipuli. Haec tentatio oriri et promoveri potest :

a) Ex teneritudine et affectu quodam sensuali, quod argumentum est parum eos gustare de divinis et caelestibus. Recogitet igitur religiosus tepidus Christum dixisse (1) : *Qui amat patrem, aut matrem plus quam me, non est me dignus ;* ac similem esse Iudaeis, qui movebantur propter ea quae reliquerant in Aegypto. Si cogitationes molestae sint, et gemant affectiones tuae, ut vaccae illae quae revehebant arcam Domini ad populum Israel (2), ob vitulorum suorum apprehensionem et memoriam, urge eas contrariis cogitationibus, et mugitum ex sensu vitulorum et carnalium desideriorum compesce, pergasque constanter, sicuti illae, quae nullibi consistebant. Pergas et tu in nomine Domini, non obstante memoria relictorum, parentum videlicet et aliorum.

b) Potest nasci ex affectu quodam benefaciendi iis, eosque ad meliora convertendi. Atqui valde stultum esset exponere se periculo, ut alii iuvarentur. Dicebat sancta quaedam martyr : « Ursicine medice, qui alios curare soles, cave ne te ipsum perdas ». Est igitur affectus ille carnalis, specie boni vestitus, amore Dei temperandus. Rogatus D. Basilius (3) quomodo deberent tractare sui religiosi cum parentibus, et cum iis qui aliquando ipsis fuerunt coniuncti, respondit : « Sicut Dominus, cui cum nuntiaretur de matre et fratribus, quod starent foris, respondit (4) : *Quae est mater mea, et qui sunt fratres mei ?* »

Ex conversatione cum parentibus et propinquis varie excitantur nostri affectus, scilicet ad timorem, amorem, sollicitudinem, tristitiam, gaudium, etc., quae velut venti turbulenti animam exagitant, quietemque interiorem tollunt. Hinc etiam nascitur taedium et acedia circa spiritualia, etc.

4° Aggreditur religiosos daemon improbus alia tentatione, nimirum tristitia, inquietudine atque siccitate mentis, quibus est occurrendum sedulo. Nam tristitia valde impedit religiosum in divino servitio, et languorem inducit animi atque indevotionem in rebus spiritualibus ; quam deflens in se Propheta dicebat (5) : *Anima mea sicut terra sine aqua tibi.* Damus autem occasionem tristitiae et ariditati mentis, dum

(1) Matth. 10, 37. (2) 1 Reg. 6, 12. (3) S. Basil. PG. t, 31 Reg. br. tr. 188.col. 1207; Cfr. Reg fus. tr. col. 995 a. (4) Matth. 12, 48 ; Marc. 3, 33. (5) Psalm. 142, 6.

respicimus retro ad ea quae propter Deum reliquimus, sicut fecit uxor Loth, quae respiciens retro exaruit et *versa est*[a] *in statuam salis* (1) aridi et sterilis. Cavendum igitur est ne cogitationes rerum semel amore Dei relictarum, sedem inveniant ullam in mente nostra, in qua resideant. Proveniunt tamen interdum voluntate Dei permittentis ad profectum nostrum vel ad humiliandum nos.

5° Tentare solet religiosos a securitate ob status dignitatem. Sic promittebat securitatem et perfectionem primis parentibus (2) : *Eritis sicut dii.* Quin et Christum ipsum post baptismum in deserto accessit (3), hortatusque est ut lapides verteret in panem (4), quasi diceret : si feceris, comedes et securus eris, qui inedia conficeris et langues. Solet versipellis nimirum nos tentare post bonum opus ; quia post illud sequitur gaudium, quo nisi bene utamur, ut gaudeamus in Domino, perdimus meritum et viam sternimus ad superbiam, quae si mentem nostram occupaverit, cum primis parentibus concidemus. Resistendum est igitur viriliter per humilitatem et sanctam meditationem.

9. Ut mala proveniunt multa, quando religiosus non resistit tentationibus, ita perutile est tentationes sustinere.

Una utilitas est, quod tentationes ab amore mundi separant, sicuti legimus D. Paulum separatum affectu fuisse quando dicebat (5) : *Quis me liberabit de corpore mortis huius ?* Et propheta David (6) : *Quare tristis es anima mea, et quare conturbas me ?* et alibi (7) : *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.*

Secunda : sanat animam aegrotantem. Nam qui in his inferioribus bonis prosperitatem habent (8), « similes sunt aegro desperabundo, cui nimirum medici concedunt quidlibet ». Unde Gregorius : « Mactandus vitulus liber ad pascua dimittitur, servandus iugo premitur. » Iacobus (9) : *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis ;* item et illud ; *Beatus vir, qui suffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae* (10).

Tertia : acquiritur corona ; nemo enim coronabitur *nisi legitime certaverit* (11). Est autem corona triplex : 1ª est illustratio mentis maxima et indeficiens per lumen gloriae ; 2ª est gaudium et voluptas

(a) *mutata est.* Uterque cod.

(1) Gen. 19, 26. (2) Gen 3, 4. (3) *Accedere* cum acc. scriptores latini plures usurparunt. (4) Matth. 4, 3. (5) Rom. 7, 24. (6) Psalm. 42, 5. (7) Psalm. 119, 5. (8) Totum habet S. Gregor. PL. t. 76. Moral. l. 21 c. 4, n. 8, col. 193 b. c. Pars vero prior legitur etiam ibid. tom. 75, l. 16, c. 22, n. 27, col. 1134. (9) Iac. 1, 2. (10) id. 1, 12. (11) 2 Tim. 2, 5.

maxima, quae acquiritur quando anima comprehendit summum bonum ; 3a est quattuor dotum corporis, et fruitio quaedam Dei, quae ex anima per exuberantiam redundat in corpus.

Quarta : in hac vita erudit nos (1) : *Qui non est tentatus, quid scit ?* Et paulo post idem ait. Item (2) : *Hae sunt gentes, quas Dominus dereliquit, ut erudiret in eis Israelem.*

Quinta : humiliat. Dum enim vitia nos tentant, proficientes in nobis virtutes humiliant nos, ut habet D. Gregorius in Moralibus (3).

Sexta : neglegentiam repellit. Psalmista (4) : *Proba me, Domine, et tenta me.* Glossa : ideo dicit « tenta », quia nisi tentaret, neglegentes essemus.

Septima : quia servat. Gregorius : « Nisi David per tribulationes seu tentationes se melius servari nosset, non diceret (5) : *Proba me, Domine, et tenta me.* »

10. Remedia contra tentationes. 1° Iuvat ad omnes tentationes superandas, ut quotiens eas persenseris, semper affectuose ad Deum mentem sustollas ; nam et venialia peccata et tentationes, facile admodum et efficaciter, affectuosa et ardenti ad Deum mentis conversione delentur et sedantur. 2° Tutissimum est cum tentationibus non confligere, praesertim quando sunt blasphemiae contra Deum aut sanctos, aut de rebus foedis ; sed eas tamquam indignas quibus aures cordis praebeas contemnere et conspuere, etiam gestibus externis, quando solus es. 3° Accedit ad hanc altera ratio, quod cum tentationibus non deceat tantum familiaritatis concedere, ut nobiscum loquantur aut disputent, vel etiam a nobis audiantur. Faciendum est ergo ut fieri solet cum catellis et anseribus quando obstrepunt : exsibilandae sunt nimirum. David minitanti atque blasphemanti Semei non responsavit (6), sed ut mulierem loquacem sprevit pertransiens.

Contra tentationem de fide noli disputare, quasi ratione naturali possis asserere veritatem et vincere, sed contemne, et si loquaris, confirma etiam ore, quando solus es, articulum quem diabolus impugnat ; si cum aliis sis, animo, tacitusque signes cor tuum, et revoca te ad officia tua, nihil curans.

Si tentaris de ira contra fratrem, elice ex animo tuo affectum caritatis, et in corde repetas et ingemina : Ah ! frater mi dilecte, nos cives vocati sumus eiusdem patriae caelestis ; nos Christi filii,

(1) Eccli. 34, 9. (2) Iudic. 3, 1. (3) S. Gregor. PL. t. 76. Moral. l. 22, c. 25, n. 51, col. 283 ext. (4) Psalm. 25, 2. (5) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 8, c. 10, n. 20 d. col. 813 ; vel ibid. l. 7, c. 18, n. 21, col. 777 a. b. (6) 2 Reg. 16, 10.

Dei coheredes, nos domestici Dei. Dic tentatori : tu miser damnate et improbe, non honorabo ergo fratrem meum, servum et amicum Dei ? Neque tamen diu in his haereas, sed pertransi celeriter, hostem contemnens.

In rebus dubiis et ambiguis, ubi nescis utrum convenientius sit eligere, noli repente definire, sed dic Deo : Domine Deus, hoc solum volo quod tibi magis placet. Si possis adire patrem spiritualem, adi et eius consilium sequere ; si locus aut tempus non permittit, et cogeris eligere, vide quid magis consentaneum sit disciplinae et fini Societatis, et fac in nomine Domini.

Si tentaris de vana gloria, et absterrearis propterea a bonis operibus, ea non dimittas, sed dicas cogitationibus illis molestis : Itote, nec propter vos incipiam, nec propter vos omittam ; et ad Christum converte affectum tuum.

In tentationibus violentis, ut motibus carnis, passionibus irae, et impatientiae motibus, clama ad Deum : Domine, adiuva me ; Domine, vim patior ; Domine, non acquiesco ; et non haereas, sed converte mentem alio.

Si suggerit hostis difficile esse tam multa in religione perseveranter ferre, responde quod *regnum caelorum vim patitur* (1) ; maiores esse vires Dei quam hostis, et dicas (2) : *In Domino confido.* Discipuli timentes ventum validum, audierunt (3) : *Quid timidi estis, modicae fidei ?*

11. Item remedia alia sunt. Humiliatio sui : psalm. 148 (4) : *Custodiens parvulos Dominus, humiliatus sum, et liberavit me.* David vicit fortissimum hostem, multis armis militaribus instructum, in funda et lapide, id est in humilitate Christi, seu humilitate a Deo accepta. Et S. Antonius cernens totum mundum plenum laqueis sese innectentibus, hoc est tentationibus, exclamavit : O Domine Iesu ! istos quis evadet ? audivit autem vocem dicentem : sola humilitas.

Aliud est devota oratio (5) : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem.* Moyse tenente manus elevatas in caelum et orante, vincebat populus Israeliticus Amalecitas, id est daemones (6). Orante B. P. N. Ignatio, cessarunt Laureti, me ibi agente, spectra et vexationes daemonum.

Tertium, sacra lectio, vel pius liber lectus vel auditus, ut mens divinis occupata non sentiat sibilum serpentis.

Quartum, meditatio passionis Christi. Serpens aeneus appensus in deserto curabat a morsu serpentium ignitorum.

(1) Matth. 11, 12. (2) Psalm. 10, 1. (3) Matth. 8, 26. (4) Immo Psalm. 114, 6. (5) Matth. 26, 41. (6) Exod. 17, 11.

Quintum, consideratio praemii caelestis, et poenarum aeternarum. Demum, nemo tutior est a daemonis laqueis, quam vere humilis, perfecte oboediens, paupertatis amans, vanitatum mundi contemptor.

Nullus vero, fratres carissimi, fuit umquam tam sanctus, qui non fuerit tentatus et in tentationibus exercitatus. Solet enim tentatio consolationis futurae esse principium ; ergo ut eam assequamur, tentationes magno animo sustineamus et eisdem resistamus ad Dei gloriam, etc.

30ª Exhortatio

De gratia vocationis : quid illa efficiat in nobis, et quid a nobis Deus requirat

1. Festum conversionis S. Pauli, fratres carissimi, monet ut de gratia quam a Deo in nostra conversione a saeculo ad religionem accepimus, aliquid dicamus. Dicemus ergo 1° quid illa operetur in nobis ; 2° quid a nobis Deus requirat, ne gratiam Dei in vacuum acceperimus.

Magnum sane Dei beneficium est, quod nostrum quilibet tunc accepit, quando a mundi huius illecebris Dominus Deus ad se illum convertit ; quare qua possumus animi gratitudine, decet ut quisque nostrum annitatur donum acceptum recognoscere et conservare, eodemque uti pro voluntate eius qui dedit. Alioqui si erga benefactorem veluti beneficii immemores nos exhibeamus, non videtur cui usui illud donum sit futurum ; praesertim cum absque illius nutu et consilio qui dedit, nec augeri nec conservari possit. Huc ergo afferenda erit consideratio illius dispositionis condicionisve, qua quisque fuit, quando vocantem primum audire coepitª , quoniam inde multa pendent quae ad hanc rem illustrandam faciunt. Hoc utique D. Paulum movit, ut non raro fateretur (1) se indignum gratia apostolatus, quod blasphemus tum fuisset Ecclesiamque persequeretur, cum vocatus fuit, et se quod esset a Dei gratia et misericordia accepisse.

2. Ex hac consideratione suae vocationis, non est dubitandum

(a) Inter *coepit* et *quoniam* ascripsit B : *quoniam ille multa pendent*, eaque non delevit.

(1) 1 Cor. 15, 9 ; 1 Tim. 1, 13.

Apostolum plurimum profecisse. Quem enim ad grati animi seriam meditationem non permovisset ista consideratio, qua perpendebat se summi amoris beneficio summaque dignitate tum fuisse affectum, cum in suum benefactorem esset blasphemus et in ipsius cultores contumeliosus ? Ex hac porro et aliorum sanctorum vocationibus, velut oculis ipsis cernere licet vocationis donum esse a Deo, quamvis vocentur multo[a] obscurius quam ipse Apostolus et ceteri Apostoli. Quidquid enim boni hominibus inest, illud Deo[b] acceptum *re*ferre debent. Vocat itaque Deus homines, et quidem dum illi nihil minus cogitant, immo vero dum suos affectus resque longe a vocationis gratia remotas sectantur, ut est videre in ipso S. Paulo. Iuverit ergo unum quemque qui ea gratia donatus est, expendere quidnam meditaretur ac moliretur, cum vocationis gratiam primum accepit. Nam inde facile eliciet quanto beneficio a Deo donatus fuerit ; illudque certum esse, eos qui vocati a Deo in suo statu non proficiunt, sed languore quodam tabescunt, ingratitudine peccare, vocationisque donum aut neglegere aut tamquam nauseabundos illud fastidire. Quod ne contingeret in Societate, praeter alia multa praesidia et exercitia, quae tam ad augendum spiritum quam renovandum sumuntur, votorum etiam renovatio bis fit quotannis. In hac itaque vocatione tam celeri D. Pauli, licet videre quid in primis in eis qui ad perfectionem vitae vocantur, operatur hoc donum seu gratia ; demum proponitur exemplum animi grati erga vocationis auctorem, ac vere perfectionis studiosi.

3. Primo ergo gratia disponit voluntatem, ut possit et velit amplecti vocationem[c], hoc est Domini facere voluntatem. Statim enim Paulus tremens ac stupens dixit (1) : *Domine, quid me vis facere ?* Nota vero illud « Quid » : ad omnia enim indifferenter fuisse paratum subita deliberatione, ex vehementi lumine quod acceperat facta, se ostendit. Ostendit, inquam, se, iam omnibus abdicatis, etiam propriam voluntatem et eius potestatem omnino in voluntatem Dei transtulisse, seque tantum illud cogitare unum, ut Domini, non suam voluntatem faciat. Sensit, scilicet, vim et potestatem eius qui se deiecerat in terram, fuisse supernaturalem, et mutata est eius voluntas ab eo qui solus eam mutare poterat.

(a) *multo.* sic uterque codex. Exspectes *multi* post verbum *vocentur*. Fortassis erraverit librarius. (b) Uterque cod. habet : *illud Deo acceptum ferre debent.* Ne intellegas *Deo acceptum*, quod sonat *Deo gratum* et sensum corrumpit. Sed *acceptum* sumitur substantive (= donum) ; *Deo*, in 3° casu, refertur ad verbum *re*ferre. Sensus enim est gallice : ils doivent rapporter à Dieu ce (don) qu'ils ont reçu. (c) om. B.

(1) Act. 9, 6.

Quis, inquit, *es, Domine.* Attende quod eum, quem non noverat nisi ex virtute, Dominum vocet et appellet ; at ubi nomen eius audivit, quem in suis erroribus exsistens persecuturus venerat, tremens ac stupescens respondit : Domine, quid me vis facere ? Ex verbis colligitur ipsum, deliberatione subito facta, reliquisse suos veteris legis praeceptores, et ea omnia quae sive a mundo, sive a patria, sive a parentibus amicisve habere poterat ; ipsum insuper, relicto proprio iudicio propriaque voluntate, paratum ad quidvis, et quocumque tempore ac loco quocumque Domino sese obtulisse.

Magna sane operata est illa gratia, et quidem brevissimo tempore, ut animus, nimirum ille spirans minarum et caedis in discipulos Christi Domini nostri, et qui in servandis paternis traditionibus super coaetaneos suos profecerat, necnon et pollutus ac veluti inescatus S. Protomartyris Stephani sanguine, in alios quaesita non oblata auctoritate saeviret, etiam tum cum est vocatus, omnibus ita reiectis, sese ad quaevis paratus offerret ; nam de se ipso dicit (1) : *Cum*[a] *placuit ei, qui me segregavit ab utero matris meae, et vocavit per gratiam suam.* Magna, inquam, in ipsius animo operata est, effecitque illa gratia, ut uno momento, quae tam longo tempore tantoque studio menti tenebat impressa, abiceret, atque se paratum ad omnia hisce verbis assereret : Domine, quid me vis facere ? Perinde ac si dixisset : te Dominum, et quidem omnium Dominum agnosco et confiteor ; tu ubique es, ubique dominaris. En, suscipe me, hoc est : meam voluntatem, intellectum, iudicium, libertatem omnem et industriam, ac vires omnes, et omnia denique quaecumque habeo, sum et possum, in tua potestate colloco ; utere me, iube quod vis, paratus sum ; quid me vis facere ? Non peto ut mea opera utaris in hac aut illa re, tuum esto iudicium ; non offero meam operam in hac aut illa provincia, aut ad tantum tempus, ad tot annos, vel ut hoc illudve mihi interim concedas : nihil horum, sed me, me, inquam, offero ad quidvis faciendum, ad quidvis sufferendum aut subeundum.

4. Non petiit, fratres carissimi, D. Paulus, ut constitueretur Apostolus aut doctor gentium, nec ut tamquam vas electionis nomen eius sacrosanctum ferret coram gentibus et regibus, et filiis Israel ; nec petiit ut amplius studeret, aut in familia haberetur egregius, sed satis et abunde ipsi fuit, ut eo iubente serviret famulis eius in quocumque

(a) *Quando.* Uterque cod.

(1) Gal. 1, 15.

ministerio illi videretur. Se tunc totum tradidit, et in futurum totum, nec aliud quicquam sibi servavit quam ut diceret : Domine, quid me vis facere ? Quasi diceret : ne sim otiosus, vel iners, vel aliquid faciam quod non ex te sit, et te non iubente. Haec, inquam, et his similia operata est illa gratia in pectore Pauli, ne de aliis sanctis dicam, qui a Deo vocati sunt, quique multis egregiis operibus gratiam vocationis suae testatam fecerunt.

5. Videamus iam quod secundo loco proposuimus : quid Dominus ab ipso, deinde quid a nobis similiter requirat ?

Hanc igitur eius oblationem admittere se Dominus ostendit, cum ad eius verba ita respondit : Surge, et ingredere civitatem, etc. En huic novicio hoc primum, veluti oboedientia prima praescribitur. At praestititne forte, quod iussus fuerat ? Plane, licet initio statim vocationis oculorum usu destitueretur, ita ut manu comitum trahendus et ducendus fuerit in urbem, ut iussioni pareret. Durum videri poterat tale initium, ut oculorum lumine privaretur iubereturque in urbem ingredi, ut audiret quid esset facturus. Nec tamen dicebatur quis ille esset, a quo audiret quid facto opus esset, aut ubi maneret, aut ad quae esset iturus, sed solum iubetur ingredi, et ibi, inquit, dicetur tibi quid te oporteat facere. Non detrectat, sed paret. Ad lucis privationem adiungitur ieiunium triduanum, quo tempore nihil edit bibitve. Et haec prima fuit Pauli probatio. Non queritur, non murmurat quod secum ita agatur, nec enim[a] legitur tentasse aliud quam id quod praescriptum fuerat. Iussus erat civitatem intrare, ingressus est. Dictum illi erat quod diceretur ei quid facere eum oporteret ; non tamen illi dictum erat aut quando, aut ubi, aut a quo. Exspectat igitur moderate ; sat etenim illi fuit illud : ibi dicetur tibi, etc. Exspectat ; non tamen otiosus erat, sed ieiunabat et orabat praeter oboedientiam. Neque frustra haec Paulus ; sed paulo post accepit fructum suae oboedientiae et resignationis. Neque oblitus est illius Dominus, sed ostendit illi in viso virum introeuntem ad se, et imponentem ipsi manus, ut visum reciperet, quem re ipsa misit ei Dominus postea.

6. Notandum autem est hic Dominum non dixisse Ananiae : coronabitur statim, vel in honore erit, sed ostendam, dicitur, quanta oporteat eum pati pro nomine meo. Coepit itaque Paulus discere et capere fructus oboedientiae suae.

Putant non nulli illo triduo illum *raptum fuisse usque ad tertium caelum*

(a) *eum*. B.

et audivisse arcana verba, quae non licet homini loqui (1). Utut vero sit, constat illum divina gratia ita immutatum fuisse, ut quae antea magni fecerat, penitus contemneret, arbitrareturque *ut stercora et detrimenta, propter eminentem scientiam Domini nostri Iesu Christi* (2) ; *Ego autem non iudicavi me scire aliquid inter vos, nisi Iesum Christum, et hunc crucifixum* (3) ; ut illud idem fecisse in eius anima videatur gratia illa vocationis, quod splendor ille externus in oculis eius corporeis, facultatem videndi adimendo : ita videlicet spiritualis et internus splendor gratiae facultatem videndi illa fluxa et externa sustulit.

Illud porro observatu iucundissimum videtur, quo pacto videlicet dispositio divina utrique prospexit, suis, inquam, fidelibus, qui intellegentes eo animo venire Paulum Damascum ut omnes Christi cultores perduceret Ierusalem, ac proinde parabant se ad poenas et tormenta pro Domino nostro subeunda ; sed tantum abest ut sit assecutus id quod sibi proposuerat, quin potius de facto eorum, quos adeo contemnebat, factus sit infimus, atque ab eis curationem accipere debuerit : adeo suorum curam gerit Dominus, ut tum maxime illis prospiciat, cum ab hominibus omni praesidio destituti existimantur. Nihil enim ipsius providentiam subterfugere potest. In hac itaque Pauli vocatione mirifice nobis ostenditur quanta sit gratia vocationis, et quanta operatur in anima bene se disponente.

7. Apparuit autem Dominus paulo post Ananiae, docens quorsum Paulum vocavit, et qua in re ipsius opera uti vellet, et qualis etiam futurus esset, his verbis (4) : *Vas electionis est mihi iste, ut portet nomen meum coram gentibus.* Volebat itaque Deus eum sibi Apostolum. Paulus consentit in omnibus, neque voluit quicquam sibi servare, sed ex corde integro se Domino obtulit : Quid me vis facere ? Et quidem praeter hanc rationem non potuisset Paulus consilium praestantius meliusque invenire, etiamsi quidvis sibi a Domino impetrare voluisset, quam ut plena resignatione integram caritatem et observantiam erga Deum ostenderet. Cum enim commodiore nulla ratione posset impetrare gratiam divinam, hunc modum invenit impetrandi quidquid merito velle posset ; nam qui animum regis sibi demereri potest, quid ab eo non impetret ? Reges enim nesciunt nisi magna et se digna dare. Sic fecerunt omnes sancti, si eorum actiones et abnegationis magnitudinem diversitatemque expendamus.

Colligere similiter licet divinam illam gratiam subministrare lumen intellectus, quo cognoscat creatura suum creatorem et ipsius volun-

(1) 2 Cor. 12, 2. 4. (2) Philip. 3, 8. (3) 1 Cor. 2, 2. (4) Act. 9, 15.

tatem de sui dispositione. Sed et voluntatem quoque ita disponit, ut velit et possit assentiri vocationi divinae, illamque reiectis omnibus impedimentis amplecti, atque animum expeditum et ad omnia praestanda paratum offerre. Et ut ex his omnibus cognoscitur donum vocationis, et quid conferat animo, sic ubique cernere licet insignis gratitudinis et oboedientiae exemplum ; quod patet tum ex ante dictis, tum ex his quae sequuntur.

8. Tertium punctum, quod initio insinuavimus, exemplum continet egregium animi grati. *Certus sum,* ait Apostolus (1), *quod neque mors, neque vita,... neque creatura alia... poterit nos separare a caritate Dei,* etc. ; quod allatis historiis et rebus gestis testatum facit dicens (2) : *Ter virgis caesus sum, semel lapidatus sum,* etc. Ex quo colligitur quod, etsi quis vocatur ad gradum altiorem voluntate vocantis seu superioris, debeat tamen se offerre Deo paratum ad quidvis agendum ; alioqui nec illud unum praestabit ex amore, nisi voluntatem impellat, qua se totum effundat in potestatem illius quem amat ; sed illud potius praestabit ex pacto quodam, ut veluti aliquid dando repetat aliud. Illud autem videretur Deo esse indignum, ut quis ab ipso aliud malit aut exspectet quam ipsum Deum, aut aliquid propter ipsum et ad ipsum. Nam ut caritas amantes unit, sic uterque amantium est alterius, ut sit integra animorum et cordium communicatio, id quod esse non potest, ubi alter amantium aliquid sibi servat quod amici non sit. Proinde nec verae illae sunt, nec integrae amicitiae. Quam ob rem Paulus, qui se integre Domino offerebat, noluit quicquam servare quod Dei non esset ; sed ut absolute se Deo obtulerat, ita absolute dixit : *Domine, quid me vis facere ?*

Hoc quoque observatur in hac vocationis gratia, quod animos quibus donata est, nisi qui impedimentum obiciant, lux divina illustrat ac confortat, divinam voluntatem indicando, ac viam veritatis, virtutis ac perfectionis commonstrando ; et quae praesentia sunt et caelo inferiora, fluxa et lubrica esse, tandemque ea tibi, mi frater, relinquenda, si in requiem illam beatam, sublata tribulationum cruce in umeros ut Christum Dominum sequaris, per artam viam et angustam portam ingredi volueris. Hanc porro Pauli repentinam perfectionem effecit effusa in illum gratia, et miraculosa ipsius operatio. At quia non contingunt tales conversiones lege communi, oportet ut quae brevissimi temporis spatio consecutus es[a], similia conando et perseverando

(a) *est* B.

(1) Rom. 8, 38. (2) 2 Cor. 11, 25.

obtinere contendamus. Non enim, fratres mei carissimi, negabit nobis illa infinita bonitas gratiam, si eam ardentissimis votis petemus, et praestabimus quod in nobis est. Quod nobis concedat qui omnipotens est Deus Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

31ª Exhortatio

De recollectione et eius necessitate

1. Cum indesinenter attendere debeamus, fratres carissimi, in nostrum profectum spiritualem, hoc certe tempore illi maxime incumbere debemus, quando admodum R. P. N. Generalis suo nos exemplo invitat. Quid enim iustius est quam oves sequi pastorem suum ? Dei ille spiritu incitatus ut se per exercitia spiritualia colligeret, positis negotiis secessit ad tempus, ut per exercitia spiritualia animum suum reficeret ac corroboraret, et ad novos labores in utilitatem nostram bonus pastor se pararet, et ad idem faciendum pientissimis litteris nos cohortaretur[a]. Hinc videor videre quod divina providentia, vel nos promovere hoc exemplo et imitatione velit ad maiorem proventum spiritualem proferendum in utilitatem ecclesiae, vel quod milites suos armare velit Deus virtute ex alto et digitos nostros docere ad bellum (1), ob immanem aliquam tribulationem imminentem ac prae foribus exsistentem, ut transacta tempestate seu conflictu finito, laetantes redeamus ad officia nostra, *Sicut qui laetantur in messe, sicut exsultant victores capta praeda, quando dividunt spolia* (2). Daemon enim, fratres mei, atque eius sectatores procul dubio contra Societatem valde accensi sunt, habentque iram magnam, iuxta illud psalmi (3) : *Me exspectaverunt peccatores ut perderent me.*

2. Quare sollicitos et ad bellum instructos esse nos oportet. Plus habent odii et amarulentiae hostes illi infernales cum suis auxiliaribus copiis contra Societatem, quam contra principes et reges magnos ; nam Societas a Deo directe instituta est contra ipsos, ut dicere possit (4) : *Spectaculum facti sumus mundo, et angelis, et hominibus,* bonis,

(a) *cohortatur.* B.

(1) Psalm. 143, 1. (2) Isa. 9, 3. (3) Psalm. 118, 95. (4) 1 Cor. 4, 9.

inquam, angelis et malis. Nam boni angeli gaudent de nostro profectu, et laetantur in caelis ; mali ringuntur et strident in nos, et studia nostra animo amaro cernunt, quod maxime illis sint invisa. Necessaria proinde est praeparatio ad tam graves eorum insultus et impetus sustinendos. Quod si fortassis Deus O. M. aliud non quaerat a nobis, quam ut a continuis occupationibus quas ubique Societas habet plurimas, et quae interdum animum valde occupant, recipiamus nos magis serio ad orationem et humilitatis officia, ut cum Deo magis simus uniti et coniuncti, id pari studio nobis amplexandum est, ut insignem gratiam nobis factam a Deo. D. Basilius (1) : « Qui vere, inquit, philosophus est, is cum corpus suum curarum suarum domicilium et animae sedem firmissimam habeat, licet casus in forum illum attulerit, licet in maxima conventus alicuius celebritate versetur, licet in monte aliquo, licet in agro, licet in media multitudinis frequentia sit, stabilis tamen in naturali suo monasterio manet, quippe qui mentem suam introrsum ad se recollectam habeat et de rebus ad officium suum pertinentibus philosophetur. Siquidem facile fieri potest, ut et qui se intra privatos parietes contineat, is si neglegenter se gerat, mentis agitatione circumvagetur foras ; et vicissim qui in foro medio versetur, is si animo excubet, perinde sit ac si in magna esset solitudine constitutus, qui videlicet cogitationem suam ad se ipsum tantummodo ac Deum conversam habeat, sensibusque suis perturbationes omnino nullas admittat, quae a rebus ortae sensibilibus in animos solent nobis incidere. »

3. Exercitia autem spiritualia dicuntur, et sic appellantur a similitudine exercitii corporalis. Nam ut exercitatio corporalis excitat calorem, consumit pravos umores, vel per sudorem eicit, corpus fortificat, et valetudinem corroborat, sanguinemque purificat : ita exercitia spiritualia in anima calorem amoris divini et caritatis dispositive excitant et conciliant, spiritum corroborant, affectum purgant, devotionem accendunt, animam ad bene operandum habilitant, quae omnia imperfectiones et passiones infirmitatis humanae impediunt. D. Ephraem (2) : « Spiritus sancti gratia, inquit, requiem in nobis inveniens, intellegendique vim praebens, illuminabit corda nostra sicut lychnus instructus oleo et stuppa impletus, in quo quidem ignis subiectam materiam apprehendens, lampadem accendet abunde exhilarantem, ac eos qui adsunt illuminantem. Si vero passionibus adhuc angimur, in iisque volutantes, dignitates

(1) S. Basil. PG. t. 31. Constit. Mon. cap. 5. col. 1359 b. c. (2) S. Ephraem. tom. 2, n. 20, de Virtute, cap. 10, p. 304 b.

petimus, non vulgariter periclitamur, lychno assimilati oleo et combustibili materia destituto, qui ne ad breve quidem tempus ignis calorem ferre poterit et efficacitatem. »

4. Haec igitur in exercitiis quaerenda sunt : 1° Cognitio peccatorum, quoad eius fieri potest. 2° Perfecta detestatio eorundem, ita ut in toto mundo nihil magis detestemur quam peccatum. 3° Perfecta peccatorum contritio, paenitentia, lacrimae ex ea profluentes et ex filiali quodam timore et amore, ex consideratione videlicet multitudinis, gravitatis et foeditatis peccatorum ; item ex consideratione gravissimae offensae Dei, vel ex consideratione amarissimae passionis Christi propter peccatum, cuius passionis, hei mihi, rationem non habui quam oportuit. 4° Animare me, erigereque ad magnam spem et fiduciam de Dei misericordia, ex consideratione infinitae bonitatis eius, qua me indignum prae aliis tot affecit beneficiis, et inter alia, quod me asciverit[a] in hanc sanctam Societatem. 5° Excitandum est propositum firmum vitae melioris, et omnium peccatorum et imperfectionum mearum emendationis ; quaerendaque est virtus, devota contentione et studio. Postremo, ita comparatus et instructus, debeo urgere me ad postulandum a Deo gemitibus multis, ut misereatur populi sui, pacem det principibus nostris et omnibus principibus christianis, hostes fidei debilitet et prosternat, Societatem familiam suam dilectam conservet ac caelestibus donis augeat.

5. Haec enimvero P. N. Generalis a nobis singulis requirit, et sane providentissime ; nam, etsi vas aliquod plenum sit liquore optimo, si tamen vincula eius laxentur, licet parum liquoris effundat, sensim tamen evacuaretur, nisi vinculis denuo astringeretur. Difficile est, fratres mei carissimi, ut quisquam agat et conversetur cum saecularibus omnis condicionis, et de negotiis omnis generis absque distractione tractet. Corvus residens continenter super cadaveribus, quomodo non inficiatur et foetorem contrahat ? Ita difficillimum sane est saecularium consuetudine ac conversatione non coinquinari, nisi talis sit quispiam qualem paulo ante D. Basilius descripsit.

Negotiatorem, qui ex longa navigatione domum redit cum multis opibus, domestici omnes gaudentes et exsultantes excipiunt : ita peccatores Deus post distractiones et casus, etiam multorum mensium, ad ipsum cum paenitentia et sanctis desideriis revertentes laetus excipit, et angeli omnes cum ipso. Sitit ipse salutem et profectum nos-

(*a*) om. B.

trum, ac gratulatur iis qui disciplinae observandae serio se tradunt. In nos igitur, Domine, immensa pietatis tuae viscera ostende, et remitte mihi et fratribus meis peccata et imperfectiones praeteritas[a]. Sicuti discipuli tui in mari turbato ad te confugerunt teque excitarunt, et per benedictam vocem oris tui procella venti cessavit : ita quoque exaudi voces nostras ad te clamantium ; auge gratiam ut de cetero te non offendamus, sed proficiamus de virtute in virtutem.

Quod periculum esse potest maius, quam conversari cum utriusque sexus peccatoribus frequenter ? Quis tam strenuus ac generosus est, ut conflictum adiens cadere non timeat ? quis non timeat habitare in domo ruinosa (1) ? quis non deserit libenter persecutorem suum ? Ob has causas regius propheta, sentiens se praegravari regiorum negotiorum onere, exclamabat (2) : *Quis dabit mihi pennas sicut columbae*, etc ? Item et illud (3) : *Ecce elongavi fugiens et mansi in solitudine.* Secedebat nimirum rex interdum a negotiis, ut Deum inveniret. Iacob non inveniens pacem et quietem domi, matris consilio secessit, et in monte visionem habuit scalae caelestis, quae caelum attingebat, et Deum vidit illi innitentem (4).

6. Dion historiographus in vita Hadriani imperatoris narrat quod eo saeculo quidam capitaneus valde strenuus et rebus gestis clarus, vocatus Similius, magnus amicus eiusdem imperatoris, vir magnae prudentiae et auctoritatis, qui diu administrarat urbem romanam, tandem se recepit ad quoddam parvum praedium suum, ut in quiete vitae viveret reliquum, et mandavit poni super suam sepulturam hoc epitaphium (5) : « Hic iacet Similius, cuius aetas fuit valde longa ; non vixit tamen amplius quam septem annis ». Non numerabat[b] videlicet vir sapiens in annorum suorum calculo alia tempora, quam ea quae in solitudine et secessu exegerat, reliquos annos pro nihilo ducens, quamvis rebus honestis et in negotiis rei publicae eos annos impendisset.

Considerate, fratres mei carissimi, — ut sermonem ad vos convertam — eum qui non est sibi praesens et recollectus. Illum videre est nec scienter conversari, nec cum aedificatione loqui, nec debita denique obire munia diligenter et cum humilitate. Ezechiel in sua visione vidit animalia quattuor (6), quae gradiebantur, et ibant quo ferebat

(a) *praeteritas, sicuti.* B. (b) *memorabat.* B.

(1) Cfr. Ezech. 36, 10. (2) Psalm. 54, 7. (3) Ibid. 8. (4) Genes. 28, 12. 13. (5) Dio Cassius. Hist. Rom. lib. 69. Hadrianus, n° 19 extr. Edit. ster. IV. p. 153. Tauchnitz. Lipsiae. « Σίμιλις ἐνταῦθα κεῖται, βιοὺς μὲν ἔτη τόσα, ζήσας δὲ ἔτη ἑπτά ». (6) Ezech. 1, 5 sqq.

spiritus, neque quiescebant, neque retrogrediebantur. Nos autem quiescimus saepe otiosi, saepe retrogredimur, et instabiles sumus. Resuscitemus, obsecro, gratiam quae data est nobis (1), ut verbis utar D. Pauli.

Statua salis in quam uxor Loth respiciens retro fuit conversa (2), docet ne spectemus quae retro sunt, et ne consectemur quae appetitus carnis et miserae sensualitatis nostrae suggerit. Nunc a P. N. serio invitamur ut recolligamus nos et resumamus exercitiorum spiritualium ministerio novum ardorem et novum spiritum, ut *in meditatione nostra exardescat ignis* (3); ignis, inquam, qui sursum nos trahat, et spiritum nostrum transferat amantem in rem amatam, id est, Deum sponsum animarum nostrarum. Nostri qui bene collecti sunt, aedificant ecclesiam Dei, et proximos mirifice adiuvant et recreant; seduli sunt in opere Dei, nec otiosi esse possunt, ut qui semper quaerunt bene operandi occasiones, semper conversantur cum modestia interiore et exteriore.

7. Exercitia porro illuminant intellectum. Hinc tam multi sancti ex meditatione summam consecuti sunt sapientiam. Exercitia faciunt ut cognoscamus nosmet ipsos, et Spiritus sancti lumine peccati foeditatem ac malignitatem. Exercitia aptant et disponunt nos ad mittendum semina nostra in terram Ecclesiae, ut postea cum exsultatione deferamus in horreum Domini manipulos nostros, id est, multarum animarum reductionem ad Deum. D. Ioannes Baptista ex deserto, sive ex secessu et meditatione, ad palatium contionaturus prodibat, doctrinam salutarem traditurus. Moyses in solitudine rubum vidit inflammatum sine sui consumptione (4); Moyses divinas legis tabulas in secessu et monte contemplationis accepit (5); Moyses Deum vidit denique facie ad faciem (6), et cum Deo familiariter locutus est per exercitia quadraginta dierum. Quin et Christus Dominus, qui semper erat collectus et beatus, nonne saepe secedebat, ut nos doceret hunc secessum ad Dei honorem susceptum, esse nobis valde salutarem? Secessisti, bone Iesu, non necessitate ulla tua, sed nostra, et quia egebamus fructu orationis et exempli tui. D. Ioannes in solitudine et in insula Pathmo admiranda illa mysteria vidit, quae in suum librum Apocalypsis rettulit.

Homo prudens et virtutis amans in secessu a negotiis quiescit, meditando caelestia; spiritu inardescit, et Deum sibi mire conciliat. Irrigatus vero aquis gratiae, novoque gustu rerum spiritualium affectus, aptus

(1) 2 Tim. 1, 6. (2) Genes. 19,26. (3) Psalm. 38, 4. (4) Exod. 3, 2. (5) Exod. 34, 3 sqq. (6) Exod. 33. 13 sqq.

et dispositus est ut ecclesiae Dei utilis valde sit operarius. Ideo psalmista comparavit iustum arbori plantatae *secus decursus aquarum*, dicens quod *fructum dabit in tempore suo* (1). Item (2) : *Iustus ut palma florebit.* Sic vos, fratres carissimi, alacres accedatis ad fluenta sacrae meditationis per exercitia spiritualia et meditationem vitae Christi Domini ac rerum divinarum, ut arbores sitis in medio ecclesiae proferentes copiosum fructum ; sed accedite ad eam[a] magno ac libenti animo, hoc proposito, ut affectus vester inflammetur amore Dei et igne caritatis. Absque igne non potest holocaustum offerri Deo : ita nec nos possumus offerre actiones Deo gratas, nisi ignis ardeat in altari cordis nostri, et iuge sit sacrificium nostrum, iuxta illud Ezechielis (3) : *Faciet holocaustum cotidie Domino.*

8. Si haec faciamus, fratres mei, erit hoc collegium tamquam paradisus terrestris : erit inter omnes magna benignitas, quae unum quemque nostrum disponet ad bene volendum ac bene faciendum singulis fratribus nostris, dulcem faciet conversationem inter nos et suavem, omnibus libenter viscera caritatis aperiemus, mansuetudine animos fratrum nobis devinciemus, omnis sermo noster erit sedatus et tranquillus et omnis expers amaritudinis, prompti erimus ad sustinendam aequo animo omnem molestiam, omnem aliorum despicientiam ; patientia omnes aedificabimus, nulli[b] offensioni erimus, sed omnibus bono exemplo, infirmiorum[c] imbecillitates moderate tolerabimus, admonebimus nos invicem, ubi usus veniet, in sancta caritate, et admonitorem fraterno affectu amplexabimur ; sicut mel et favus erit omnis sermo in ore nostro, erit denique iucundissima conversatio inter nos.

Et hoc quidem bonum nobis confers, suavissime Iesu, per famulum tuum P. N. Generalem, ostendisque quanti nos facis non obstantibus imperfectionibus nostris. Hic est unus ex fructibus laborum et studiorum, quos pro nobis propter nimiam tuam caritatem suscepisti, ut nos iuvares, et exemplo verboque ad te attraheres. Quod ergo coepisti in nobis, hoc obsecro te per sanguinem tuum ut perficias usque in finem, qui vivis et regnas Deus cum Patre et Spiritu sancto in saecula saeculorum. Amen.

(a) Scil. ad meditationem... (b) *nullis.* B. (c) *infirmorum.* B.

(1) Psalm. 1, 13. (2) Psalm. 91, 13. (3) Ezech. 46, 13.

32ª Exhortatio

De Examine

Proprium est Societatis conscientiam cotidie, et quidem non semel examinare. De hoc examine iam dicemus [1°] quid et quam utilis cuique sit sui ipsius cognitio. 2° Aliquas eius condiciones declarabimus. 3° Adhibendum esse remedium morbis animae nostrae, quos in examine deprehenderimus. Denique, [4°] ad quid tentationes et infirmitates nobis conferant.

1. Examen est discursus, quo excutimus omnes conscientiae nostrae recessus, omnes cogitationes actionesque nostras, item omissiones earum rerum quas nos fecisse ad Dei gloriam et ex instituti nostri ratione oportuit.

Est autem perutilis cuique nostrum haec sui ipsius cognitio. Patet hoc exemplo sacrae Scripturae ; nam de serpente aeneo dicitur (1), quod veniebant singuli qui morsi fuerant a serpentibus, cum cognitione sui et suorum peccatorum, et quod intuentes in eum sani fiebant. D. Bernardus (2) super Cantica et libro de Consideratione ad Eugenium dicit quod « nemo salvari possit absque sui ipsius cognitione » ; propterea dat operam ut pontificem Eugenium permoveat ad sui ipsius cognitionem. « Licet, inquit, beatissime pater, scias et cognoscas omnia mysteria et secreta aliorum, amplitudinem rerum mundi huius, altitudinem ac praestantiam rerum caelestium, nisi te ipsum noveris, similis eris ei qui aedificat sine fundamento, et qui non attendit stabiliendo aedificio suo, quod paulo post ruit repente, et ruina irreparabili ». Et Hugo de S. Victore libro 1° de anima (3) : « Melius est, homo, ut cognoscas te ipsum, quam si te neglecto cognosceres cursus siderum, virtutes et qualitates herbarum, complexiones hominum, proprietates omnium animalium, et scientiam haberes rerum omnium caelestium et terrenarum. Sicuti vero optimum est cognoscere se ipsum, ita a contrario non habere sui notitiam causa est multorum malorum et peccatorum ».

Necessarium est ergo, frater mi, ut cognoscas te ipsum, et tuam naturam et infirmitatem, et hoc est quod examinare debemus tem-

(1) Num. 21, 7. 9. (2) S. Bernard. PL. t. 182 de Consid. l. 2, cap. 3. col. 745 c. d. ; et t. 183 Serm. 36 in Cant. n. 5. col. 969-970. (3) Hugo de S. Vict. PL. t. 184 (sic) de Hum. cond. cap. 5, n. 14. col. 494.

pore examinis, sed descendendo ad particulares cogitationes et actiones nostras. Homo fere versatur extra se, ac longe[a] et a se ipso, nec haeret in domo propria, id est in se ipso, ut deberet ; hinc fit ut se non cognoscat. Tantum autem a se distat et peregrinatur, quanto minus se cognoscit ; et quia non cognoscit se, saepe per ignorantiam se ipsum tradit et vendit vilissimo pretio, hoc est pro brevi et vili delectatione, hosti suo. Oportet ergo adhibeamus magnum studium cognoscendis nobis ipsis, intremusque in secretiores recessus nostros interiores, seu cordis nostri, qui per domos alienas et extra nos saepe vagamur. Hinc Gregorius in psalmum paenitentialem septimum, *collocavit me in obscuris* (1) : « Quando, inquit (2), incipit homo cognoscere se ipsum, et quam procul et semotus sit a Deo, turbatur cor peccatoris, considerans quod admisit peccatum ; neque solum dicit psalmista *turbatum est cor meum*, sed addit, *in me*. » Vide reliqua.

Monemur apud Isaiam a Spiritu sancto ut redeamus ad cor (3) ; et per Christum dicentem de persona filii prodigi (4), quod postquam esset peregrinatus longe a se, sentiens necessitatem alimenti caelestis, reversus sit in se ipsum. Neque temere Athenienses litteris aureis inscripserunt scholis suis : « Agnosce te ipsum », et dixerunt verbum fuisse de caelo delapsum, censentes fundamentum omnium virtutum esse sui cognitionem.

Et David remissionem et gratiam obtinuit quia ingressus in se ipsum dixit (5) : *Peccavi*, et iterum (6) : *Miserere mei, Domine, quia infirmus sum*. Item (7) : *Miserere mei, quoniam iniquitatem meam ego cognosco*. Non allegat videlicet aliam rationem et causam, ut veniam obtineat, quam cognitionem infirmitatis suae et culparum admissarum. Et quid quaeso aliud principem apostolorum adduxit ad tam uberes lacrimas, quam sui cognitio ? Non ploraret tam amare, ait S. Gregorius ubi supra (8), nisi Deus eum aspexisset et infudisset in ipsum cognitionem sui peccati. Et Magdalena non accepisset, ait Gregorius super Lucam (9), gratiam, nisi agnovisset peccati maculam. Et Augustinus dicit (10) filium Dei factum esse hominem, ut daret homini sui ipsius cognitionem.

2. Ut homo bene se cognoscat intuetur speculum ; ita nos ut bene et intime cognoscamus hominem nostrum interiorem, conicere

(a) *a longe*. B, errore calami.

(1) Psalm. 142, 3. (2) S. Gregor. PL. t. 79, in Psalm. Paen. col. 646 a. (3) Isa. 46, 8. (4) Luc. 15, 17. (5) 2 Reg. 12, 13. (6) Psalm. 6, 3. (7) Psalm. 50, 3. 5. (8) S. Gregor. PL. t. 79 Psalm. Paen. 7. n. 9 b. col. 649. (9) S. Gregor. PL. t. 76 Hom. 33, n, 1, col. 1239. (10) S. August. PL. t. 38 Serm. 77, n. 11, col. 488.

debemus mentis oculos in speculum conscientiae, considerare vitam nostram, nostras actiones ; sed saepe magis intenti sumus inspiciendis aliorum actionibus quam nostris.

Finis examinis est emendatio errorum ac defectuum nostrorum ; neque vero debemus tantum spectare materiam operis, sed etiam modum et terminum in opere patrando. Nam in modo error potest contingere, vel levis vel gravis, ut ab intentione regulae primae, quae est voluntas Dei vel superioris, declinet[a].

Debet autem examen habere condiciones duas : 1ª est, ut se examinans[b] proponat sibi regulam seu principium, secundum quod operari debuit. 2ª Ut concipiat quantam potest displicentiam et aversionem de peccatis et defectibus ; nam haec etiam utilitatem affert. Possumus enim ex displicentia fortiores, et ex paenitentia, quam ante eramus cautiores evadere ; quin et in gloria ipsa memoria peccatorum de quibus triumphaverimus, afferet nobis gaudium. Sicuti vulnerum vibices in acri proelio acceptorum cum victoria et triumpho dantur magno honori et laudi viro forti, ita memoria peccatorum a quibus pugnando evaserimus victores, cedit in magnam laetitiam et gloriam. Hinc fit ut electis omnia cedant in bonum, ut cessit paupertas et calamitas Lazaro illi evangelico apud Lucam (1), iuxta illud psalmistae (2) : *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tuae laetificaverunt animam meam ;* et ad Romanos 8° (3) : Iustis et *diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum.*

Debemus tamen in officio esse constantes. Solet enim diabolus eos tentare qui serio ad Dei servitium animum accommodant, suadere quae mundi sunt ; quae cum in religione haberi nequeant, iunioribus egressum suadet, quasi remedium opportunum. Peccatorum enim omnium natura est, ut unum alterum trahat, et ingenium diaboli est, ut inducat hominem in transgressionem minimae alicuius regulae, vel in peccatum aliquod veniale, non ut in eo solo haereat et perseveret — novit enim quod non sufficiat ad perdendam Dei gratiam, et gloriam — sed conatur per unum veniale parvum, alterum et alterum maius superinducere, ut anima disponatur ad mortale, et ut illud impetu facto tandem in arcem animae immittat. Nam peccatum unum, uti ianitor animae, aliud et aliud introducit. Ex magno et alto aedificio vix umquam lapis unus evellitur, sed multi simul, quando facit vitium et ruinam : ita ex arce animae numquam vir-

(a) *declinat.* B. (b) *examinas*, B omissa nota supra alterum *a*.

(1) Luc. 16, 20 sqq. (2) Psalm. 93, 19. (3) Rom. 8, 28.

tus una sola nobis eripitur, quin vitium unum et alterum et plura ingrediantur.

Est itaque constanter agendum, et adhibenda sunt remedia morbis animae nostrae, quos in examine deprehendimus. Neque frangi debemus quod infirmi simus, sed certandum est fortiter, ut monet S. Ephraem (1) : « Ne frater, ait, ne quaeso adversariis des terga, verum resiste atque oppugna eos, et a te profugient.... Superior autem, et qui praeest gaudio afficitur si te perfectum Christo Domino sistat. Ingredere igitur, ait, in te ipsum carissime, et revertere in requiem tuam ; induere thoracem fidei, et tibi galeam salutis impone ; assume gladium Spiritus sancti, quod est verbum Dei ; esto forma et exemplum omnis virtutis fratribus. Admirentur etiam superiores patientiam tuam ; gaudeat et Spiritus sanctus in te inhabitans de fortitudine tua. » Sic hortabatur discipulum suum beatus Ephraem. Capite, fratres mei, ex eadem exhortatione fructum. Neque tantum exiguas tentationes et morbos moderate feramus, sed magnas etiam pro Christo libenter sustineamus ; « Nam (2), si puerum vincere nequeas, virum perfectum in lucta quomodo superabis ? Et si verbum non toleres, verbera Christi amore quomodo perferes ? Et si crucem portare nequiveris, quo pacto gloriae consors in caelis eris, cum iis qui dicunt (3) : *Haec omnia venerunt super nos, nec obliti sumus te, et inique non egimus in testamento tuo* ; et rursus (4) : *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis.* » Imitemur, fratres mei, eos qui medio nostrum sunt velut luminaria quaedam, et quando passionibus variis impugnantur ab hoste, per orationem ad Deum confugiunt, adhaerentes ei praesidio paenitentiae ac bonorum desideriorum. Sic nos, oro, faciamus.

3. Ut autem ad examen nostri revertamur, in memoriam revocare debemus, quod ut in homine duae sunt partes principales, anima et corpus, ita sunt morbi animae et corporis. Animae morbi sunt illa de quibus David loquens Deo petebat exsurgere : *Sana, Domine, animam meam,* ait (5), *quia peccavi tibi.* Ex quo intellegitur morbos esse spirituales animae, qui in ea causantur per peccata et vitia quae in ea sunt ; quae debemus per examen et paenitentiam depellere. Nam sicut morbi corporis ipsum debilitant in viribus eius, ita anima suos habet, quibus infirmatur. Graves morbi animae sunt, praeter peccata, mali habitus et inordinatae passiones, contra quae examen debet ordinari et singula ponderari.

(1) S. Ephraem, tom. 2, n. 74, Paraen. 38. p. 403 b. (2) Id. ibid. litt. c. (3) Psalm. 43, 18. (4) Rom. 8, 36. (5) Psalm. 40, 5.

Morbi corporales sunt utiles ; nam ut a Deo accipiuntur cum patientia, minuunt vel delent peccatorum poenam. Facit Deus ut bona et sollicita mater cum filio quem tenere amat, qui si sibi manum exussit, eandem, ut sanetur, rursus admovet igni, ut calor ignis exterioris vehementior, extrahat ignem manui inhaerentem. Ita Deus, ut ignem et ardorem peccati tollat, adhibet hominem igni aegritudinis, ut hac ratione curetur a morbo spirituali peccati. Sic Ezechiae (1) data est infirmitas corporalis, ut sanaretur morbus superbiae, quo tactus fuerat ex victoria, quam illi Deus divinitus dederat de inimicis capitalibus. Augustinus fratres hortatur dicens (2) : Rogo vos, fratres carissimi in Christo, ut non deficiatis in tribulationibus, quae sunt ad gloriam vestram, persuasi quod pro certo per infirmitatem carnis exstinguamus morbum animae... Nolite turbari, sed cogitate quod vel ob peccata vestra, vel ut probet vos, vulneravit vos Dominus.

Considerate quod Maria, quia murmuravit contra fratrem suum Moysen, tacta fuit lepra (3) ; Azarias rex, quia praesumpsit, leprosus factus est (4) ; Giezi, quia commisit simoniam, leprosus item factus est (5) ; nam infirmitates corporales accidunt ut pellantur infirmitates spirituales. S. Petrus cum sanaret plurimos, noluit sanare filiam suam Petronillam. Semel cum apostoli aliquot et discipuli cum ipso essent, iussit eam de lectulo surgere ; absoluto servitio reverti ad lectum et ad morbum, quod sic expedire filiae diceret sanctus pater ad animae salutem. Sic S. Paulus carissimum suum filium et discipulum Timotheum stomachi laborantem debilitate, noluit sanare cum ceteros sanaret, sed mandavit ut vino modico uteretur. Haec nimirum faciebant sancti apostoli, quia cognoscebant morbos corporales prodesse spiritui ; quin S. Paulus de se ipso dicit (6) : *Cum infirmor, tunc potens sum, quia virtus in infirmitate perficitur.*

4. Secunda causa quam ob rem Deus permittat interdum et tentationes et infirmitates, tum animae tum corporis, est, quod qui in via Domini ambulant, vel tepide vel neglegenter virtutis viam teneant. Nam his tentationibus et infirmitatibus excitantur, et vires recipiunt novas ad Deum recurrendo, et spiritum maiorem per novos affectus et desideria, quae concipiunt, magis serio attendendi disciplinae et Dei servitio : sicuti equo pigro adduntur calcaria quae pungant, ut alacrioribus conatibus equus se eripiat ex luto, quod non faceret si non pungeretur. Sic Deus nobiscum agit, ut per diligens examen conscientiae

(1) Isa. 38. (2) S. Augustin. PL. t. 40. Serm. 32. col. 1293. in. et 1294 (lin. 22). (3) Num. 12, 10. (4) 4 Reg. 15, 5. (5) 4 Reg. 5, 27. (6) 2 Cor. 12, 9. 10.

novum dolorem de peccatis concipiamus, et propositum alacrius ambulandi in via virtutis. Christus Dominus aperte docet infirmitates corporis ad curandam animam a peccatis esse utiles : Vade, inquit, et amplius noli peccare (1).

Notandum vero quod diversis modis Deus in hac vita suos purgat : aliquos videlicet per vexationes improborum ; alios per poenas quas sibi assumunt, ieiuniorum, disciplinarum, peregrinationum ; alios per paupertatem victus et vestitus ; alios per dolores et morbos. Gregorius dicit (2), morbum et invaletudinem custodiam esse virtutum ; ex quo sequitur quod non debemus multum delectari corporis sanitate, neque abhorrere morbum, sed ut a Deo immissum patienter excipere et gratias agere. Ita de tentationibus et infirmitatibus animi : Suppone illi umeros tuos (3) ; et : *Gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi* (4). D. Basilius (5) : « Animi vitia non omnia manifesta omnibus sunt, neque quidem illi ipsi in quo insunt ; ut et in corpore accidit. Ut igitur in corporibus, qui harum rerum periti sunt, signa habent quaedam occultorum, et illius ipsius, in quibus illi insunt, sensum fallentium morborum, sic in animo etiam : esto qui peccat, is morbum suum non agnoscat, credere tamen Domino debet, qui et ipsi et ceteris similibus affirmavit (6) : malum hominem de malo thesauro suo, corde videlicet, proferre mala. Etenim qui malus est, is bonum aliquod dictum factumve saepenumero, etiam si conetur simulare, proferre non potest ; bonus autem ut aliquod malum simulet, hoc prorsus fieri[a] non potest : *Providentes* enim *bona*, inquit, *non solum coram Deo, sed etiam coram hominibus* » (7).

5. Debet igitur diligens adhiberi studium in examine, ut latentes morbi bene cognoscantur, et diligenter curentur. Debet enim qui ad perfectionem tendit, ut quilibet religiosus, praecipue de Societate, fugere et punire omne peccatum. Haec, fratres carissimi, debet esse exercitatio nostra, hoc studium, ut fructus faciamus dignos paenitentiae, induendo videlicet similem animum illi qui dixit (8) : *Iniquitatem odio habui et abominatus sum*. Quod si fecerimus, requiem consequemur conscientiae et animarum nostrarum. B. Ephraem postquam multos defectus notavit, in quos hostis nos praecipitat, tandem subicit haec, quae pro conclusione huius exhortationis et examinis affero : « Erubesce, in-

(a) Sic uterque codex, quamvis exspectes *facere*.

(1) Cfr. Ioann. 5, 14. (2) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. l. 19, cap. 6 nn. 11 c, 12. col. 102. (3) Cfr. Eccli. 6, 26. (4) 2 Cor. 12, 9. (5) S. Basil PG. t. 31 Reg. br. tr. 28. col. 1102 b. (6) Matth. 12, 35. (7) Rom. 12, 17. (8) Psalm. 118, 163.

quit (1), anima mea, et in viam salutis revertere. Vulnerata autem, ne te ipsam desperes ; nam saepe licet pugil ceciderit, tandem[a] adhuc coronam refert. Cecidisti ? resurge. Viriliter age, et dic : nunc incepi ; et ne perseveres in lapsu tuo, ne forte ut cadaver in avium et bestiarum cibum tradaris. Cum Propheta clamet[b] : Ne tradideris animam confitentem tibi ; animas pauperum tuorum ne obliviscaris in finem. Procide et tu regi gloriae confitens peccata tua, nam multitudinem miserationum continet. » Haec B. Ephraem, quae utinam in fine examinis sentiamus, et dicamus. Quod nobis concedat Pater, et Filius, et Spiritus sanctus. Amen.

33ª Exhortatio

De usu et abusu quinque sensuum

1. Ut sensus nostri exteriores multum conferunt ad salutem animae et corporis, si rationis magisterio regantur, ita si ratione et directione destituantur, non minus momenti ad vitium habituri sunt. Equus acris ac generosus perutilis est tum in pugna et acie, tum in ludicro cursu et certamine, si tamen freno instructus atque accuratiore disciplina et exercitatione inflexus et temperatus exstiterit : ita sensibus nostris directione ac temperamento opus est, ut purgentur a multis saeculi exorbitationibus, quas cum ipsis nobiscum in Societatem attulimus, vel quod multo peius esset, post ingressum hausimus et imbibimus. Et quidem de oculis, de quibus primo loco agemus, tribus praecipue de causis debemus esse solliciti.

Prima ex natura oculorum petitur, nam ipsorum assiduus est usus. Si itaque cavendum est ne per portas in arcem animae nostrae mors, sive peccatum, hostis noster acerrimus ingrediatur, cavendum est in primis, ne per eas intret quae perpetuo ei patent. Atqui oculi soli per diem continuam exercent suam functionem. Mane primo omnium oculi aperiuntur, claudunturque nocte ultimi ; nam si cui tota die sit loquendum, lingua id fert molestissime ; et aures non ferunt tam

(a) *laudem adhuc et coronam refert.* Uterque codex. (b) *clamet.* Sic in Ephraem ; at videtur mendum esse loco *clames.*

(1) S. Ephraem, tom. 2. n. 78, Paraen. 42, p. 420 e.

diuturnum sui usum, ut si per tres horas contio vel lectio sit audienda ; oculi vero a prima luce ad vesperam, nulla intermissione facta, rebus intuendis perpetuo vacant.

Secunda causa ex natura ipsorum sensuum similiter educitur. Nam quem ad modum oculi obiecta remotissima percipiunt, et longissime iaciuntur, ita per eos anima longissime recedit a se, et ab interna solitudine.

2. Tertia causa et ratio est, quod illi tenerrimi sunt, et re quavis quamlibet exigua gravissime offenduntur ; sic animus longe gravius per oculos quam per aures vulneratur. Ideo David adulterium commisit, quia oculis frenum non adhibuit (1) ; et Dina virginitatem amisit ob curiositatem videndi (2) ; nam egressa est ex castris ut videret mulieres regionis illius, et infeliciter incidit in filium principis Sichem, a quo fuit oppressa, et inde civitas tota gladio et igne deleta, ut illud verissime dicere possimus : « Segnius irritant animos demissa per aures », quod ille dixit de sua poetica (3). Rogandus est ergo Dominus cum Davide (4) ; *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Nam *qui claudit oculos suos ne videat malum, iste in excelsis habitat* (5). Adhibendum est etiam frenum regularum modestiae, quas a B. P. N. Ignatio accepimus, ut oculos fere demissos habeamus, maxime per civitatem ambulando, et quando extra civitatem occurrunt nobis homines, praesertim mulieres. Sicut videtur fecisse Christus Dominus, ut nos exemplo suo doceret ; nam dicitur de eo (6) : *Cum sublevasset oculos*, vidit, etc., quod argumento est ipsum oculos rarius extulisse : attollere siquidem oculos, et figere in vultum alterius, signum est superbiae seu arrogantiae, quod fuit B. P. N. iudicium. Nam cum fixius eum intuitus essem in ultimo congressu, profecturus ex Urbe Lauretum ad iacienda fundamenta collegii, imposuit mihi paenitentiam per P. Ioannem Polancum secretarium, in ipso limine portae cum egrederer, ut cotidie mandato suae paternitatis me examinarem, num quempiam, praecipue virum gravem et cui deferre deberem, fixis oculis essem intuitus, et ut recitarem cotidie post examen orationes dominicam et angelicam, et quotiescumque scriberem ad eum — scribere autem debebam ratione officii singulis hebdomadibus — significare an explevissem paenitentiam iniunctam, an secus ; quod per quindecim menses duravit.

(1) 2 Reg. 11, 2. (2) Gen. 35, 1 ; S. Gregor. PL. t. 77 Reg. Pastor. p. 3, c. 29. col. 108 c. (3) Hor. Ars poet. 180. (4) Psalm. 118, 37. (5) Is. 33, 15. 16. (6) Ioann. 6, 5.

Deus *inter sex, quae odit,* numerat *oculos sublimes* (1), et psalmista[a] dicit (2) : *Oculos superborum humiliabis.* Advertendum tamen est, ne sint adeo demissi ne[b] offendamus ad lapidem pedem nostrum, et ut iudicemur ab hominibus habere nos aliquid peregrini et insulsi. Non sunt praeterea oculi circumvolvendi et in varias partes intorquendi : esset etenim illud argumentum furoris, vel certe levitatis, contra religiosorum gravitatem. Et haec quidem de oculorum moderatione et freno.

Debemus porro praecipuo quodam studio attendere ad illud Iob (3) : *Pepigi foedus cum oculis meis, ut ne cogitarem quidem de virgine :* qui non cogitabat, multo minus aspiciebat. Dici solet, quod impudicus oculus impudici cordis sit nuntius. Hieronymus : Non licet intueri, quod non licet concupiscere. Gregorius 31 Moralium (4) explicat locum illum : *Mors ascendit per fenestras* (5), et *oculus meus depraedatus est animam meam* (6). « Oculos in terram defixos habe, ait B. Ephraem (7), animam in caelum. »

3. De auditu. Nobis advertendum est, fratres carissimi, sensum hunc[c] permagno esse periculo obnoxium ; neque sine admirabili Dei et naturae iudicio factum esse, ut quicumque mutus natus est, idem sit et surdus ; et utique frequens est illud, ut qui libenter audit, is etiam libenter loquatur. Addo et illud, eum qui vel detrahentem, vel murmurantem, aut denique quomodo non oportet loquentem audit, nec resistit, consentire in ea quae dicuntur. Dixit siquidem praeclare D. Hieronymus (8) : « Instar sagittae cuiusdam verba esse in colloquiis ; nam si in lapidem sagitta iaciatur, resilit et in iacentem prae duritia lapidis retorquetur ; sin autem in aliam mollem materiam iaciatur, penetrat et haeret. » Sic hominem levem et mollem verba detrahentis ingrediuntur et penetrant. Est ergo frenandus auditus freno timoris Dei, et occludendae aures murmuratoribus. Nescio, ait Bernardus (9), an maius peccatum sit detrahere de aliquo, an detrahentem audire. Neque solum aversari debemus detractorem, maxime qui religiosi sumus, et quidem de Societate, sed nec otiosa, inutilia ac

(a) *Psalta.* B ; notam non recte interpretatus est. (b) loco *ut :* fortasse voluit servare totum vers. Psalmi. (c) *sens. h.* om. B.

(1) Prov. 6, 16. 17. (2) Psalm. 17, 28. (3) Iob. 31, 1. (4) S. Gregor. PL. t. 76 Moral. l. 21 (non autem 31), c. 2, n. 4 c. col. 189. (5) Ier. 9, 21. (6) Thre. 3, 51. (7) Ephraem, tom. 2, n. 40 Paraen. 4. p. 344 e. Cfr. Paraen. 37. pag. 400. (8) S. Hieron. PL. t. 22 Ep. 125 ad Rust. n. 19. col. 1083. Item ib. Ep. 52, n. 14. col. 538. (9) Bernard PL. t. 182 de Consid. l. 2, cap. 13 extr. col. 756.

vana proferentem audire debemus, praesertim quando vergunt ad iocos et sales saeculares, aut quae spectant ad scommata et irrisionem aliorum. Nam haec animum dissolvunt, caritatemque minuunt.

4. De lingua iam dicemus. Nemo enim nescit linguam longius ire quam oculos. Quamvis enim isti uno actu longius iaciantur et quasi suo cursu praeveniant[a], lingua tamen quasi saltu quodam agit in ea quae remotiora sunt. Fit enim interdum, ut graviter laedatur nostris sermonibus Bruxellis habitis fama eius qui in Hispania, et in India, vel in Brasilia egregiam operam lucro animarum impendit. Non desunt tamen, qui cum omnia propter Deum dimiserint, linguam tamen videantur retinuisse tamquam propriam, iuxta illud psalmistae (1) : *Labia nostra a nobis sunt, quis noster dominus*[b] *est* ? — Videmus non numquam aliquos libenter expetere conventicula et clandestina colloquia ; alios de rebus saeculi et bellicis sermones habere ; alios pronos esse ad iurgia et rixas ; quae caveri studiose debent, quia pacem evertunt et tranquillitatem religionis, quae in unitate coniunctioneque posita est. Natura enim religionis est, ut animas colliget per consensionem mutuam animorum.

5. Cavendum vero maxime est, ne vitia proximi detegamus et manifestemus aliis, ut monemur in Proverbiis (2). Sed heu ! hodie quam multi sunt, etiam fortassis inter nos aliqui, qui pro nihilo habent bonam famam fratris elevare, et magno quidem ipsorum detrimento ! In Ecclesiastico cap. 19° comparantur hi canibus vulneratis, qui non cessant latrare et ululare, donec dolorem excusserint (3) ; sic hi, quod gravate ferunt, per iram vel invidiam contra fratrem non cessant effundere ; unde Glossa super eundem locum Eccli. 19 ostendit differentiam esse inter susurronem et detractorem, quod susurro sit, cuius intentio est separare fratrem a fratre et serere inter fratres discordias ; detractorem vero esse, qui intentionem habet obscurandi bonum nomen proximi sui secretis sermonibus. Augustinus hom. 12 (4) dicit detractorem plenum esse veneni mortiferi, vafrum et dolosum.

6. Glossa Lirae sup. cap. 7 Danielis recensit decem modos detractionis, ut primus sit, quando indebito modo peccatum occultum proximi quis evulgat. 2us Quando peccatum publicum adauget et gravat

(a) non autem *perveniant* : signatur enim *p* non infra sed supra litteram. (b) *Deus*. B.

(1) Psalm. 11, 5. (2) Prov. 25, 8 sqq. (3) Hanc comparationem frustra inquisivimus. (4) Sunt duae series homiliarum : in neutra haec reperimus. At vide S. Hieron. PL. t. 23 Comm. Eccle. 10, 11. col. 1096 a. m.

inique verbis indecentibus. 3us Quando imponitur proximo vitium falso et contra veritatem. 4us Quando quis tacet bonum seu virtutem proximi, quando expedit deberetque illud manifestare. 5us Quando quis deminuit bonum quod audit de fratre suo, per aliquam cordis amaritudinem. 6us Quando bonam actionem fratris tribuit pravae intentioni ut causae moventi. 7us Quando dicit conscientia se moveri ad dicendum quae dicit contra proximum, alioqui non dicturum, vel ob amorem quo eum prosequitur, etc. cum minime moveatur ob hanc causam, vel aliam honestam et aequam, sed ex perversa voluntate qua impellitur, ut obscuret fratris existimationem. 8us et 9us concurrunt fere cum hoc. 10us Quando quis non quidem verbis, sed signis et gestibus notat proximum alicuius culpae, quam non novit in eo.

Fugiendos esse detractores prolixe monemur Proverbiorum 24°, et nullo modo debere nos ipsis miscere, id est cum murmuratoribus et detractoribus communicare, libenter praebendo eis aures ; quia et murmuratores, et ei qui ipsis libenter attendunt, cito peribunt. Augustinus ad fratres sermone 15° (1) : « Quid mihi prodest si cum ieiunio luxuriae dem operam ? Quid utilitatis referam, si ieiunans iram foveam, et murmurem atque detractor sim ? Peiora sunt vulnera linguae quam gladii acuti, quia gladius corpus vulnerat vel occidit, non animam. Diabolus non cecidit e caelo propter homicidium, vel adulterium, etc. sed quia murmuravit et lingua peccavit ». Isaias (2) : Ascendam in caelum, *similis ero altissimo*. Vide Eccli. 10, 8 sqq. D. Basilius dicit (3), « etiam eum, qui peccantem defendit, peccare graviter, et expedire illi ut iuxta illud Lucae (4), *Suspendatur mola asinaria circa collum eius, et proiciatur in mare, quam ut scandalizet unum de pusillis istis*. Siquidem non iam obiurgationem[a] ad correctionem, sed defensionem ad confirmationem peccati accipit ille qui peccavit, et alios ad similia flagitia excitat ».

7. Verum quid dicemus, fratres carissimi, de murmuratoribus ? Est sane abominabilis murmurator. Nam si quis exercet se in officiis humilitatis, subito censetur esse hypocrita ; si patiens est, benignus ac mansuetus, esse timidus dicitur et iners ; si dat operam operibus iustitiae et caritatis aut zeli, dicit murmurator esse vehementem, iracundum, impatientem ; si ambulat in simplicitate, sine artificio et dolo, dicitur esse stultus et ignavus ; si sectatur prudentiam et discretionem in suis actionibus, iudicatur esse artificiosus et simulator ; si sua agit cum modestia et gravitate, dicitur esse phlegmaticus ; si

(a) *obiurgatione*. B.

(1) S. Augustin. PL. t. 40 Serm. 45 ad Fratr. col. 1323 p. m. (Bonum est). (1) Isa. 14, 14. (2) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 7. col. 1086 c. (3) Matth. 18,6 ; Luc. 17, 2.

se recreat ac laetior est, dicitur esse dissolutus ; si abstinet ob virtutem, dicitur esse vulgaris ; si conversatur cum saecularibus, dicitur esse saecularis ; si silentium colit et modestiam, dicitur melancholicus ; si studiosus disciplinae, dicitur esse pacis et quietis aliorum perturbator, et praesumptuosus. Qui libenter cum huiusmodi murmuratoribus agit, potest censeri, ut Iob ait (1), *frater draconum, et socius struthionum.*

Dicet fortassis aliquis immoderatior : ipse me provocavit et sinistre de me est locutus. Huic dicet S. Ephraem pro me (2) : « Si improbi hostis suggestione affectus fueris a fratre contumeliis, contumeliam minime rependas ; nam, si feceris, duplici te ipsum contumelia afficis : primum quidem, quod contumeliose tractatus, non patienter ac longanimiter tuleris ; deinde vero, quod impudenter vicissim maledixisti et conviciatus es. Quando ergo contigerit te conviciis ab aliquo onerari, ne excandescas ira in proximum ; sed mox labiis placide graviterque subridens in te ipso, iracundiam in pacem converte. Ceterum est etiam risus qui excitat animum ad iram contra proximum : si ad alterum irritandum rideas pessime facis[a] ; nam stultus, inquit Sapiens (3), in risu operatur mala. » D. Basilius (4) : « Si frater fratrem contristavit eo modo quo Apostolus dicit (5) : *Contristati enim estis secundum Deum, ut in nullo detrimentum patiamini ex nobis*, non correctione indiget qui contristavit ; sed qui contristatus est, is proprietates eius quae ex Deo est tristitiae debet prae se ferre ; si vero in his contristavit quae sunt indifferentia, meminerit is qui contristavit, dixisse Apostolum (6) : *Si propter cibum frater tuus contristatur, iam non secundum caritatem ambulas*, et agnito huiusmodi peccato, impleat quod dictum est a Domino (7) : *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque,* etc. »

8. Cavendum igitur est a liberiore sermone de absentibus, de lectionibus, de officiis nostrorum, etc. Potest enim contingere ut aliquis insignis contionator, per huiusmodi leviores et liberiores sermones concipiens suspicionem quod displiceat auditoribus, animo pusillo fiat. Abstinendum etiam est a vanitate in colloquiis, non solum secundum rem et essentiam, ut de bellis, de principibus, etc. sed etiam secundum modum, ne videlicet orbitas egrediamur religiosae

(a) *Pessime facis* non legitur ap. S. Ephr.

(1) Iob. 30, 29. (2) S. Ephraem. tom. 2, n. 68 Paraen. 32, p. 391 a. (3) Cfr. Prov. 10, 23. (4) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 40. col. 1107 c. d. (5) 2 Cor. 7, 9. 6) Rom. 14, 15. (7) Matth. 5, 23,

disciplinae exquisito artificio, vel elegantia et lepore, verborum lenocinio, sarcasmis atque salibus, quibus sermonibus auditores nihilo magis fiunt meliores, sed in risum et oblectamentum omnia convertuntur et abeunt *in vanitates et insanias falsas* (1).

9. Quomodo ergo, et cuius rei gratia est loquendum ? Ad maiorem, respondeo, Dei gloriam, ad utilitatem nostram et proximorum, iuxta illud apostoli (2) : *Sermo noster det gratiam audientibus.* Errant vero etiam graviter, praecipue religiosi, qui bona dicunt, sed ut boni appareant, et est vana gloria ; alii ut videantur prudentes et acuti, et est vanitas. Contra hos dicitur (3) : *Qui a semet ipso loquitur, gloriam propriam quaerit.* Antequam ergo loquamur, consideremus quid dicere conveniat, et in quem finem. Loquendum autem est parce, iuxta illud quod respondit Pythagoras, cum interrogaretur quomodo possit placere aliquis sapientibus : « Si gesseris, ait, optima, et locutus fueris pauca ». Nam silentium signum est sapientiae, loquacitas stultitiae ; propterea dicitur (4) : *Terribilis est in civitate sua vir linguosus, et temerarius in verbo suo odibilis erit.* Item : *In multiloquio non deerit peccatum* (5) *; qui moderatur labia sua, prudentissimus est ;* et in Proverbiis de ea re vide c. 14um et 19um.

Modus loquendi iuxta Hugonem de S. Victore (6) in tribus consistit : « In gestu, in sono, in significatione. Disciplina iubet ut loquentis gestus sit modestus et humilis, sonus demissus et suavis, significatio verax et dulcis. Gestus loquentis debet habere modestiam ; nec inordinate, nec impudice, nec turbulenter inter loquendum membra moveat, aut transmutet vultum, prolationem sui sermonis non imminuat; sitque humilis, ut gratiam sermo eius inveniat. Sonus debet esse demissus, ne strepitu aut immoderata vocis elatione auditores offendat. De Christo praedicitur (7) : *Non clamabit, neque accipiet personam, nec audietur vox eius foris.* Significatio, id est sententia sermonis, debet esse vera, quia in omnibus rebus duplicitas et mendacium fugiendum est. De malis dicit psalmista (8) : *In corde et corde locuti sunt.* Debet esse dulcis, quia saepe veritas auditori amara est, ut si sine ratione vel cum asperitate contra ipsum dicatur. »

De vocis intentione dicit D. Basilius (9) necessitatem audientium esse spectandam ; nam si vox sit submissior, ad susurrum cum indecoro accedet. Submissa sit vox, sed ea ratione, ut audire sermonem facile

(1) Psalm. 39, 5. (2) Ephes. 4, 29. (3) Ioann. 7, 18. (4) Eccli. 9, 25. (5) Prov. 10, 19. (6) Hugo de S. Victore. PL. t. 176 de Instit. Novic. cap. 17 in. col. 948. Cfr. S. Basil. PG. t. 32 Epist 2 ad Gregor. N. n. 5. col. 230. (7) Isa. 42,2. (8) Psalm. 11, 3. (9) S. Basil PG. t. 31 Reg. br. tr. 151. col. 1182 b.

queat ille cui loquimur ; nam si altior sit sermo quam necessitas aut lentitudo audientis requirat, clamor est, qui damnatur ab Apostolo (1). Vitandae sunt omnes omnino in sermone facetiae et scurrilis dicacitas, sicut ait Basilius in Const. Monast. (2), quippe cum ex animo illud fiat, ut animus ad ridicula diffundatur, et in tacita secum cogitatione gravitatis severitatisque nervos omnes elidat, interdum etiam ex his incidit in verborum turpitudinem, et in absurdam obscenitatem tandem dilabitur. Ex quo sane colligitur, animi recollectionem cum tali facetiarum effusione cohaerere non posse. Si quando hilaritas aliis exhibenda est, spiritali lepore saleque sermo condiatur. Haec D. Basilius.

Verbum dulce multiplicat amicos, et mitigat inimicos. Summa, non sermo durus et asper sit, non mollis et effeminatus, nec velox, nec ira perfusus, nec curiosus et exquisitus, sed gravis, humilis, quietus, etc. Neque sit religiosus Societatis in loquendo et defendendo pertinax, ut velit vincere, quia sic amittitur pax conscientiae, caritas, et oboedientia.

10. Remedia petenda sunt ex utilitate silentii. 1° Quia cordis nostri ianua est os et lingua, ideo custodienda est (3) : *Ori tuo facito ostia et seras ;* et psalmista (4) : *Dixi : custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea.*

2° Mens elevetur per orationem ad Deum, quando loquendum est, et petatur Spiritus sancti gratia ad linguae temperamentum. Pythagoras (5) prius docebat patientiam silentii quam scientiam philosophiae, ut refert Sidonius ; et ut refert Hieronymus (6) : « Hippocrates adiurabat discipulos antequam eos doceret, et in verba sua iurare compulit ut servarent silentium, praecipue adulescentuli, quibus est pernecessarium, et pudor eos reprimere debet.

3° Saepius proponere servare silentium. Vide plura in exhortatione de silentio.

11. De gustu multa potes videre apud S. Basilium, de vera Virginitate (7), ubi dicit, paulo post principium, quod gustus sit fons omnis voluptatis, et ideo amantem puritatis et continentiae ante omnia et tota intentione pugnare debere adversus gustum. In ser-

(1) Ephes. 4, 31. (2) S. Basil. PL. t. 31 Const. Mon. cap. 12. col. 1375. (3) Eccl. 28, 28. (4) Psal. 37, 1. (5) S. Hieron. PL. t. 23 Comm. Eccle. 3. 7. Col. 1037 a. m. ; et S. Ambros. PL. t. 15 in Psalm. 118 Serm. 2, n. 5, col. 1210. (6) idem ib. t. 22 Epist. 52 ad Nepot. n. 15. col, 539 in. (7) S. Basil. PG. t. 30 de Virgin. col. 683 b. c.

mone de abdicatione rerum multa similiter habet (1), circa medium, de gulae vitiis et incommodis. Potest videri locus, quia magna elegantia et ubertate plenus. — S. Ephraem (2), tom. 1° de virtutibus et vitiis, paragrapho de intemperantia et incontinentia, dicit in haec verba : « Qui intemperans est et incontinens a quocumque alio vitio facile superatur : homo enim intemperans etiam voluptatibus addictus est. Intemperans multiloquio gaudet, sermonibusque inanibus atque otiosis et scurrilibus delectatur, suavitate epularum capitur, ad edendum et bibendum fortis est ; vana ac stulta voluptate incenditur ». Cetera omitto, quae multa et varia sunt.

12. Sobrietas igitur nobis, fratres carissimi, pernecessaria est. Est enim gulae vitium valde periculosum, quod in cibo vel potu sumendo saepe non dignoscatur an circa escas vitio vel utilitatis studio homo agatur. Quocirca cupiens evadere periculum rogat psalmista Deum dicens (3) : *De necessitatibus meis erue me,* sciens quod plerumque necessitatis occasione, voluptatis culpa erumpat. Proinde D, Augustinus dicit (4) sumenda esse alimenta tamquam medicamenta ; sed dum ad quietem satietatis indigentia insidiatur, hoc vitio laborantes in servitute valde gravi detinemur. Sumus enim tunc servi eius qui naturali necessitate debet nobis servire ; nam gula totum laborem hominis requirit. et nisi ille prudens et cautus sit, facile labitur. Libro Sapientiae commendatur nobis sobrietas et prudentia (5) ; et ad Titum dicitur (6) : *Iuvenes hortare, ut sobrii sint.* Addit Glossa « in omnibus » ; sobrietas enim extenditur ad multa, sed proprie versatur circa cibum et potum. Commendat hanc virtutem natura ipsa, quae homini dedit os parvum et angustum, proportione habita ad corporis magnitudinem, quae ceteris animantibus dedit multo maius. Sacra vero Scriptura saepe admonet nos ad temperantiam gustus, ut : *Qui Dei sumus, sobrii simus* (7) ; Item 2 Timot. 4, 5 ; 1 Petr. 4, 3. 4. Item sanctorum exemplum, ut Danielis, trium puerorum, Ioannis Baptistae, sanctorum anachoretarum superiorum temporum.

13. Officia sobrietatis possunt distingui in duo, videlicet ut caveatur excessus in cibo et potu. Seneca : Ede, ait, citra saturitatem, et

(1) Idem ib. t. 31. Serm. asc. de Renunt. nn. 6. 7. col. 639 sq. (2) S. Ephraem. tom. 1, n. 27 de Intemperantia in. p. 38. (3) Psalm. 24, 17.)4) S. Augustin. PL. t. 41 de Civit. D. l. 20, cap. 21. col. 690 m ; et tom. 1 Confess. l. 10, cap. 31 n. 44. col. 797. (5) Sap. 8, 7. (6) Tit. 2, 6. (7) 1. Thess. 5, 8, ubi legitur *diei*, non *Dei*.

bibe citra ebrietatem. Possunt tamen quinque officia assignari : ut 1um sit cavere ne statutum prandendi tempus praeveniatur (1) : *Beata terra... cuius principes vescuntur in tempore suo.* 2um est, cavere ne cibos lautiores quaeramus. Seneca : virtus sit tibi ex facili re, nec ad voluptatem, sed ad cibum accede. 3um, devitare studium parandi cibos ; nam studiose parare cibos est hostis nostri contra nos gladium acuere. 4um, refrenare appetitum cibi et potus. 5um, mensuram refectionis sibi imponere, et eam non excedere (2) : *Cibus tuus, quo vesceris, erit in pondere.*

Commendant effectus boni sobrietatem. Valet enim ad sanitatem (3) : *Sanitas est animae et corpori sobrius potus.* « Aegritudinem fugat moderata refectio, confert ad longitudinem vitae ». Item confert ad gratiam hominum conciliandam, ad offensam Dei cavendam, ad vigilantiam servandam : vigilia enim et sobrietas bene sociantur. Denique valet ad servandam rationis libertatem.

Cavenda sunt argumenta foedae aviditatis in sumendo cibo et potu, ut est tenere bolum manu una et altera scyphum. Item, effusio vultus exterior super cibaria ; inordinatio in scindendo pane, in sumendo et masticando cibo. Notandum etiam gulae vitium, ut notat etiam D. Basilius, tract. de vera Virginitate (4), « non in escarum copia tantum esse positum, sed in voluptate atque gustatu ».

Concludemus ergo, fratres mei, hanc exhortationem cum eodem D. Basilio dicente ibidem (5) : « Gulam in officio si continuerimus, paradisum habitabimus ; sin minus, pabulum mortis futuri sumus. » Amplexemur quod bonum est ; quod vero tam detestandum vitium est, studiose devitemus.

(1) Eccle. 10, 17. (2) Ezech. 4, 10. (3) Eccli. 31, 37 ; cfr. ibid. 37, 32-34. (4) S. Basil. PG. non hoc loco, sed t. 31 Serm. de Renuntiatione, n. 6. col. 639 a. b. — Cfr. t. 32. col. 1315 sqq. (5) Id. ibid. n. 7 extr. col. 642.

34ª Exhortatio

SUPER REGULIS MODESTIAE

De modestia in praesentia nobis erit sermo. Dicemus autem Deo et vobis, fratres mei carissimi, faventibus quattuor: 1° Quid sit. 2° Quotuplex sit. 3° Quam necessaria. 4° In quibus consistat, seu quibus mediis eam comparare possimus.

1. Est igitur modestia, pars quaedam temperantiae, virtus, inquam, moderationem in externis actibus et in cultu servans, ex animi interna rectitudine et spirituali animi compositione procedens ; vel, si mavis, modestia est virtus moderativa, seu moderatrix motuum exterioris hominis secundum convenientiam personae. Est, inquam, virtus moralis, quae in hoc consistit, ut homo exterior quoad motus, gestus et membrorum compositionem bene ordinetur, et in omnibus exterioribus modum teneat, ut non offendat cuiuspiam aspectum. Unde Augustinus in regula dicit (1) : in incessu, statu, habitu et in omnibus motibus vestris nihil fiat quod cuiusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem. Per hanc pudor honestatis puram et stabilem comparat auctoritatem.

Nota vero quod ordinatio, seu compositio interior, — quae est, cum ratio praeest et appetitus obtemperat — est causa exterioris ordinationis ; inordinatio vero interior — quae est, cum appetitus non subest rationi — causa est exterioris inordinationis. Hinc patet ordinationem vel inordinationem exteriorem signum esse interioris (2) : *Amictus corporis, et risus dentium, et gressus hominis enuntiant de illo.* Qui ergo statum mentis perdidit, foris in inconstantia motionis fluit, atque exteriore mobilitate indicat quod nulla interius radice subsistat. Modestia igitur cavet indecentiam in verbo, in risu, in motu corporis, in membrorum situ. Vide Isaiam 3, 16 ; Prov. 6, 12 sqq. ; Ezech. 2, 22 sq. ; Iob. 15, 26. 27.

2. Modestia triplex est. Una ponit modum et mensuram in motibus hominis, incessu et gestibus ; altera moderatur actiones hominis, et alia eius facta ; tertia versatur circa cultum corporis, cubiculi, habitationis.

Modestia in scripturis sacris commendatur, ut de Onia dicitur (3) :

(1) S. AUGUST. PL. t. 32 Regula. n. 6. col. 1380. (2) Eccli. 19, 27. (3) 2 Mach. 15, 12.

Erat enim verecundus in *visu et modestus* in *moribus, et eloquio decorus ;* et in Proverbiis (1) : *Qui moderatur labia sua, prudentissimus est.* Ibidem (2) : *Qui moderatur sermones suos, doctus et prudens est.* Rursus ibidem (3) : *Finis modestiae timor Domini, divitiae et gloria et vita,* spiritus intellegentiae. Ad Philippenses (4) : *Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Docet Paulus (5) episcopum seu sacerdotem debere esse modestum ; subditos vero monet (6), *ut non sint litigiosi, sed modesti.*

3. Quam sit utilis, immo necessaria modestia religiosis praesertim personis, et quidem Societatis, patet ex sequentibus :

1° Modesti neminem offendunt. Offenduntur autem saeculares, si religiosum immodestum vel incompositum videant (7) : *Nemini dantes ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium nostrum.* Sic ergo in omnibus tractare debemus, ut omnes aedificemus, et bonum odorem effundamus, iuxta illud (8) : *Christi bonus odor sumus Deo in iis qui salvi fiunt, et in iis qui pereunt.* Sicuti enim species aromaticae, quanto magis tractantur, tanto maiorem spirant et communicant odorem, sic religiosa conversatio et tractatio alios bono odore perfundere debet, ut familia religiosa, maxime Societas nostra, sit illa domus evangelica, quae *repleta est odore* ex fracto alabastro *unguenti* (9). Multos ego vidi ingressos in Societatem, qui fuerant permoti modestia nostrorum ; neque dubito multos a vitiis ad virtutes traduci modesta nostrorum conversatione.

Dolendum est certe modestiam non satis a nobis omnibus coli et magni fieri, hac falsa persuasione, quod satis sit Deum intueri cor suum, homines tantum spectare quae foris sunt. Sed non satis est, fratres mei dilectissimi, non, inquam, satis est conscientiam nos habere bonam, sed illa debet etiam manifestari exterius in aedificationem proximorum, quando usus venit. Ideo dicit Petrus (10) : « *Cum modestia et timore conscientiam habentes bonam, Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos, ut in eo quod detrahant vobis, conversationem videntes confundantur* ».

2° Quia datur bonum exemplum, quod, ut lux, illuminat sedentes in peccatorum tenebris ; et dicitur (11) : *Sic luceat lux vestra,* etc. ; Item : *Nemo accendit lucernam, et ponit eam sub modio,* etc. ubi datur intel-

(1) Prov. 10, 19. (2) Prov. 17, 27. (3) Prov. 22, 4 ; verba *spir. int.* ibi non leguntur. (4) Philip. 4, 5. (5) 1 Tim. 3, 3. (6) Tit. 3, 2. (7) 2 Cor. 6, 3. (8) 2 Cor. 2, 15. (9) Marc. 14, 3 ; Ioann. 12, 3. (10) Cfr. 1 Petr. 3, 16. 15. Invertitur locus. (11) Matth, 5, 16. 15.

legi, quod licet opera nostra bona non sint a nobis temere publicanda ob vitium vanae gloriae, cum tamen intentio occulta et recta est in Deum, dandum est proximis bonum exemplum, praesertim quando Dei vel Ecclesiae praecepto tenemur. Male autem aedificare numquam licet. D. Ambrosius : Debet, inquit (1), quisque pulchritudinem vivendi tenere convenientem sexui et personae ; item in habitu honesto cum verecundia. Debet enim modestia esse pudici et honesti habitus, cum laudabili verecundia. Et ibidem rursus : Gressus probabilis est, inquit, in quo sit species auctoritatis, gravitatisque pondus, tranquillitatis vestigium, ita tamen, ut studium desit atque affectatio. Motus, inquit, sit purus ac simplex. Quod si aliquid in eo vitiosum sit, arte corrigendum est ; et quamvis homo naturaliter habeat aptitudinem ad motum, vel velocem vel tardum, tamen quod deest naturae potest suppleri ex industria rationis. Iterum Ambrosius (2) : « Motum natura informet[a] ; si quid in natura vitii est, industria emendet, sed tamen sine affectatione ». Iam vero, quaeso, fratres carissimi, considerate, consideremus, inquam, qui sumus religiosi Societatis, si quae iam dicta sunt ex D. Ambrosio, ab eo proponebantur servanda seminariis ipsius, ad quos libri officiorum ab eo scribebantur, quid nobis incumbet, obsecro, servare, qui toti Deo consecrati sumus, qui providere debemus bona coram ipso — D. Pauli verbis utor — et coram omnibus hominibus ?

4. In mensa et refectione corporis modestiam ac simplicitatem retinendam docet D. Basilius in Constutitionibus Monasticis (3) : « Iam, inquit, ciborum diversitatem nullo modo religiosus consectari debet ; neque praetextu continentiae a solitis in communi usurpari escis discedere, siquidem hoc communis disciplinae perversio et scandalorum occasio est. Et vae illi, qui in pietatis cultorum conventum huiusmodi perturbationis causas attulerit. Sed licet usitatum hoc salsamentum, quod iure incoctum veteribus sanctis patribus pulmentis, loco alterius cuiusdam condimenti, addi placuit, commixtum[b] sit cum reliquo ferculo aquae olerumve, neutiquam per simulationem ab se inventae suae, vanaeque cuiusdam religionis reicere debet illud, quasi qui carnes repudiet, et fercula alia meliora et pretii maioris inquirere ; sed in minimi salitae carnis frusti decocto buccellam, reiecta omni observatione, intingere et cum gratiarum actione assumere ; siqui-

(a) *informat.* Uterque codex. (b) *cum mixtum sit. B.*

(1) S. Ambros. PL. t. 16 de Off. l. 1, cap. 18 totum. col. 43 sqq. Cfr. n. 84. col. 49.
(2) Id. ibid. n. 75. (3) S. Basil. PG. t. 31 Const. Mon. cap. 25 col. 1414.

dem minutissimum frustulum illud, in tam magnam aquae copiam aut leguminum coniectum, nequaquam indicium cupediae est, sed severissima et vere durissima pietatis cultorum continentia. Non enim abstinemus quod iudaeorum ritibus faveamus, sed ut deliciarum saturitatem fugiamus ». Ex his D. Basilii verbis, fratres mei, quis non admiretur priscorum illorum patrum in cibo et potu severitatem et modestiam ? Quis igitur audeat queri aliquando de cibis male paratis ? Idem D. Basilius, in reg. brev. (1) modestiam sermonis ponit in vocis moderatione, et in dicendi modo quodam humili, in maturitate verborumque proprietate, quae tamen conveniat pietatis cultori ; quod non potest bene consequi et percipere, qui, quae ex superioris vitae consuetudine impressa habeat, non dedidicerit, et ad ea quae recta sunt se accommadaverit.

Item D. Basilius in regulis gravissimis verbis ostendit (2), religiosum non debere reicere in mensa quicquam eorum quae communitati apponuntur, sed cum gratiarum actione percipiendum, quod sanctificetur per verbum Dei et orationem ; ne similes efficiamur inimicorum Dei, qui cauteriatam habent conscientiam suam, ac propterea abstinent a cibis, quos Deus creavit ; et saltem esse degustandum, quatenus iis qui nos serviunt ostendamus omnia esse munda mundis.

5. Modestia in recreatione et lusu est religioso diligenter servanda, quae graece dicitur εὐτραπελεία, id est recreatio et iucunditas. Modestia enim moderari debet recreationes, quae consistunt in verbis et factis iucundis et iocosis, honestis tamen. Haec autem temperari debent ex praescripto rationis ; et ut est recreatio necessaria ad valetudinem, sicuti deambulatio vel alia corporis relaxatio, ita cavendum nobis est diligenter, ne quia recreatio est, spiritui officiat. Non enim est, ut aliqui putant, in Societate instituta, tum post refectionem, tum infra hebdomadam post aliquot dierum studia, non, inquam, instituta est ad leves sermones, ad risus et cachinnos, ad scommata et ludicra, et quod horreo dicere, ad scurrilia, quae aliquando neglegentius exciderunt alicui, sed ad quietem mentis, et ad refocillandum animum, studiorum et orationis laboribus fatigatum.

6. Cum enim paucis post natam Societatem annis B. P. N. multos in Societate paulo post ingressum tabescere et emori cerneret, sollicitus de remedio — ut insigni erat caritate — convocatis aliquot praecipuis

(1) Cfr. not. 9 pag. 606. (2) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 18. col. 966 b.

Urbis medicis et patribus senioribus, illis exposuit quod animum premebat, et rogavit, ad tuendam valetudinem filiorum, rationes opportunas sibi praescribi. Inter eos erat doctor Alexander Petroneus, facile princeps medicorum Urbis. Sciscitati sunt autem illi, tum de orationis, tum de studiorum spatio et tempore, de ratione victus, de somno, laboribus et paenitentiis. Qui cum audissent singillatim omnia, mirari se dixerunt, quod plures non essent exstincti ; nam somnus ordinarie erat valde brevis, ut multi ducerent se multum dormivisse, si tres horas quieti dedissent ; oratio mentalis continuabatur a plerisque ad tres, quattuor et sex horas, a non nullis etiam ad plures, vixque erat qui per tres horas continuas non meditaretur, et statim fere a cibo. In aliquo collegio Hispaniarum, nominatim Gandiensi, scio non fuisse tum communiter alium cibum quam modicum offae, sine sale et ullo condimento, sed in sola aqua decoctae ; quod si fortassis sal imponebatur, erat valde modicum, sicut et oleum.

His igitur auditis, doctores definiverunt ut quies nocturna esset horarum septem omnibus communis ; si tanto tempore non egerent, conferrent cum superiore. Oratio mentalis non superaret horam, exceptis examinibus conscientiae, statis temporibus faciendis. Post refectionem requiesceretur ad horam, ad reparandas capitis vires longo studio et oratione fatigatas ; studium non continuaretur ultra duas horas, sed iis lapsis posset iterum atque iterum ad orationem rediri. Pro refectione, cibarius panis daretur absque mensura ; carnes essent quinque unciarum circiter in singulas personas ; piscis minore quantitate ; potus esset trium ciathorum mediocrium ; item singulis hebdomadibus haberent tempus ad ambulandum et honeste se recreandum.

7. His ergo de causis data est recreatio. Non enim data est recreatio ut nimirum religiosi Societatis laxarent se ad dissolutionem, ad sarcasmos, ad saecularia scommata, ad saltationes et ludos saeculares, sed ut religiose omnes quiescerent a mentis laboribus, et corporis valetudo honesta deambulatione seu alia exercitatione foveretur. In Hispania et Portugallia haec recreatio, et quae post refectionem datur, non aliam obtinuit nomenclaturam quam quietis ; intellexerunt enim boni patres illi, datam esse remissionem a studiis, ut vires capitis aliqua quiete refocillarentur.

Divus Augustinus contra Faustum dicit, ludum honestum convenire etiam sapienti. Volo, inquit, tandem tibi parcas ; nam sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam ; et Aristoteles l. 2 de musica, et 4 Ethic. dicit in huius vitae conservationem requiem

cum ludo dari ; et Cato : interpone, ait, tuis interdum gaudia curis ; et D. Ioannes Evangelista, cum se coram discipulis aliquando recrearet mulcendo aviculam, recreationis suae reddens rationem dixit : arcum semper intensum debilitari nimium, si ab intensione non laxaretur. Addo quod haec recreatio instituta sit ad maiorem unionem et coniunctionem animorum ; propterea fratres nostri coadiutores, licet non studeant, intersunt tamen, qui necessario occupati in officiis non sunt, aliorum recreationi. Magnam enim vim habet ad unionem et virtutis studium, communis ille congressus, quando bene temperatur et religiose instituitur.

Accedit quod exemplum singulorum multum alliciat ad virtutem et profectum spiritualem, quem maxime perspicimus in fratribus nostris in congressibus. Addo quod ubi est similitudo, ibi est incitamentum ad amorem ; quia omne animal amat sibi simile : *Quam bonum enim et quam iucundum habitare fratres in unum !* (1) Recreationem porro non promovent ex instituto, nec ex ea percipiunt optatum fructum, qui angulos petunt, solitarii sedent, vel ambulant ; sicuti neque illi qui tetrici sunt, qui acerbi et mordaces ; similiter nec qui in recreatione serit dissolutionem et discordias aut murmurationes ; nam recreatio Societatis est actus virtutis, cum quo non potest symbolum habere vitium, quo daemon gaudet, estque eius, ut plurimum, auctor.

8. Risus moderatus non excluditur a modestia, et in religioso habet gratiam, et in omnibus vultus serenitas, et quod vocamus subridere, quando usus venit ; alioqui risus immoderatus est reprehensibilis ; et Seneca, licet gentilis, scriptum reliquit : miscebis seriis interdum iocos, sed temperatos, et sine detrimento dignationis tuae et verecundiae. Risus est reprehensibilis si est immoderatus, si pueriliter effusus, si muliebriter fractus, item cum cachinno ; nam si haec non serventur quae homo gentilis praescripsit, facile intellegere est, quam dedeceat risus personam religiosam : perpetuo, ait Hieronymus, flere deberemus : non est transitus a deliciis ad delicias (2) : « longus risus compensandus est perpetuo fletu ». Cum quidam senex in vitis Patrum vidisset aliquem ridentem dixit (3) : Coram caeli et terrae Domino rationem reddituri sumus, et rides !

Dicet aliquis forsitan rem esse exiguam et levem ; sed respondetur, quod etsi tibi levis videatur, non est tamen ; nam iuxta Hieronymum ad eundem Heliodorum, privat hominem debita gravitate ;

(1) Psalm. 132, 1. (2) S. Hieron. PL. t. 22. Ep. 108 ad Eust. n. 15. Col. 891 a. m.
(3) Vitae PP. PL. t. 73 Verba seniorum, libell. 3. n. 23 col. 864.

« Ridere et rideri, inquit (1), relinque saecularibus ; gravitas personam tuam decet ». Item ostendit hominis stultitiam, et exiguam eius disciplinam ; nam, ut vulgo dicitur, per multum risum poteris recognoscere stultum. Os stultorum ebullit stultitiam (2). Ibidem (3) : Tristitia gaudium est stulto. Item ex D. Basilio in Hexameron : vacuat animam omnibus bonis ; dicit enim quod iocus sive risus remissam efficiat animam. Bernardus (4) : « Nemo dicat in corde suo, levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in venialibus maneo, minimisque peccatis ; haec est enim, dilectissimi, impaenitentia, haec est blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis. » Nos igitur, qui profitemur perfectionem, quasi stulti ridebimus et transigemus tempus nugis et iocis, quasi de his non essemus rationem reddituri ? Psalmista dicit (5) : *In populo gravi laudabo te ;* hilaritas est bona, sed moderata, sed opportuna.

S. Ephraem Paraen. 27 tom. 2 (6) : « Labiis placide graviterque subridere, religiosae est modestiae, et in conversatione suave. Ceterum, est etiam risus qui excitat animam ad iram contra proximum, si ad alterum irritandum rideas ; nam stultus, inquit Sapiens, in risu operatur mala (7). » Risus et impunitas instar veneni religioso obest : glorificamus Deum in observatione legis et mandatorum. — Risum reprehendit Basilius in reg. brev. dicens (8) : « Cum Dominus eos damnet qui in hac vita rident, admodum perspicuum est, nullum omnino locum dari fideli in quo ridere debeat, et maxime in tam magno numero eorum qui per transgressionem legis Deum inhonorant, et in peccatis morti se dant ; quorum vicem maerere ac gemere convenit. »

9. In regulis vero fus. disp. in haec verba dicit (9) : « Atque illud etiam quod a plerisque neglegitur, non mediocriter caveri ab his debet qui colendae pietati student, ne in risum videlicet praeter modum effusi sint, quando quidem non abesse a se intemperantiam significat is qui profuso nimis petulantique risu teneatur, seque animi sui motus nequaquam sedatos, eiusque mollitiem ac veluti laxitatem nequaquam ratione severa habere compressam declarat. Verum enim modice rictum diducere, eoque animi sui diffusionem leniter

(1) S. Hieron. P. L. t. 22 Ep. 130 ad Demetr. (non vero in alterutra ad Heliod.) n. 13. col. 1117 extr. Praeterea scripsit cod. « Ridere ac ludere » quae lectio nullibi exstat. (2) Cfr. Prov. 15, 14. (3) Immo Eccle. 7, 5. (4) S. Bernard. PL. t. 183 Serm. 1 in Conv. S. Pauli. n. 5 extr. col. 363. (5) Psalm. 34, 18. (6) S Ephraem, tom. 2, non quidem Paraen. 27, sed 32, pag. 391 a. (7) Cfr. Prov. 10, 23. (8) S. Basil. PG. t. 31 Reg. br. tr. 31. col. 1103. (9) S. Basil. ibid. Reg. fus. tr. 17, n. 1 in. col. 962.

significare, non est contra decorum, quatenus illud tantum indicetur quod scriptum est (1) : *Cor gaudens exhilarat faciem.* Illud autem, in immanes cachinnos prorumpere, et corpore contra animi voluntatem sussultare, nequaquam est eius qui animo composito sit, aut plane probo et compote sui ipsius. Porro hoc ita esse vir sapientissimus Salomon confirmat his verbis (2) : *Fatuus in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacite ridebit.* Cuiusmodi genus risus etiam Ecclesiastes damnans tamquam rem animi constantiae et gravitati maxime contrariam, sic dicit (3) : *Risum reputavi errorem ;* et iterum (4) : *Sicut sonitus spinarum ardentium sub olla, sic risus stulti.* Atque hoc ipsum ita esse Dominus etiam ostendit, qui susceptis ceteris, quae necessario corpus sequuntur, affectionibus, iisque omnibus quaecumque virtutis testificationem habent, veluti lassitudinem et misericordiam adversus calamitosos, risu tamen numquam usus est. » Haec D. Basilius, ostendens nihilo minus, paulo post pluribus verbis, risum accipi interdum in sacra scriptura pro laetitia moderata, uti in Genesi (5) : *Risum fecit mihi Deus ; quicumque audierit, corridebit mihi.*

S. Ephraem (6) sic contra : « Initium eversionis atque interitus animae monachi, — id est religiosi — est risus et impunitas atque licentia... Risus atque licentia perdit fructus monachi. Risus et licentia monachum in turpes animi passiones conicit, neque solum iuvenes, sed etiam senes. Risus et procacitas monachum — id est religiosum — deprimit... Risus beatitudinem luctus exterminat (7). Risus non aedificat. Risus non custodit, immo deperdit, aedificiaque devastat. Risus Spiritum sanctum contristat ; animae obest et corpus corrumpit. Risus virtutes expellit, non meminit mortis, neque supplicia cogitat. Aufer a me risum, Domine, luctumque ac gemitum mihi concede, quem a me ipse requiris, Deus. » Haec S. Ephraem.

Ex his quae dicta sunt contra risum, fratres carissimi, colligendum nobis est quod risus praesentis vitae debeat esse rarus et modicus, exemplo Christi, qui numquam ridere, interdum flevisse visus est (8), quod Iosephus testatur de Christo loquens. D. Franciscus volebat suos religiosos esse laetos, sicut et D. Bernardus ; numquam tamen passus est fuisse dissolutos. Si quos videbat maestos, dicebat S. Franciscus : Si peccasti, confitearis peccatum tuum ; si non, esto laetus.

10. Modestia circa habitum est similiter nobis servanda. Amandam

(1) Prov. 15, 13. (2) Eccli. 21, 23. (3) Eccle. 2, 2. (4) Eccle. 7, 7. (5) Gen. 21, 6. (6) S. Ephraem tom. 1, n. 44 Non esse ridendum, in. p. 104. (7) Matth. 5, 5. Luc. 6, 21 ; Iac. 4, 9. (8) Luc. 19, 41 ; Ioann. 11, 35 ; Hebr. 5, 7.

voluit B. P. N. munditiem in vestibus, sed non quaerendum nec ferendum ullo pacto ornatum ullum. D. Ambrosius (1) : « Decor, id est, vestitus corporis non sit affectatus, sed naturalis, simplex, neglectus magis quam exquisitus, non pretiosus, sed communis, ut honestati vel necessitati nihil desit ». Omnes paene Sancti Patres antiqui voluerunt religiosorum habitum esse modestum et humilem : Dionysius (2), Athanasius (3), Basilius assignat huius rei plures rationes (4) ; Chrysostomus (5), Cassianus, toto l. 1. de habitu monachorum (6). B. P. N. voluit Societatis alumnos habere vestitum vilem et neglectum, sed mundum, qualem ipse semper gestavit. Nam paupertas semper ei placuit, sordes numquam, sicuti de S. Nicolao et de S. Bernardo legimus.

Nota vero habitum posse esse immoderatum dupliciter, vel per excessum, vel per defectum, hisce modis : 1° Ex neglegentia, quando religiosus non adhibet studium ut cultu decenti, et ut oportet, utatur ; sed ad mollitiem gestat, ut quando quis vestimentum trahit per terram, ut non laboret attollendo. 2° Cum defectum exterioris cultus ad gloriam suam ordinat. Augustinus (7) : Non enim[a] in solo rerum nitore atque pompa, sed etiam in ipsis sordibus potest esse iactantia, et eo periculosior, quo sub nomine servitutis decipit. Similiter faceret qui uteretur vestibus laceris vel vilioribus, ad vanam gloriam et laudem captandam. Augustinus (8) : « Si quis strictius, inquit, rebus utitur, quam habeant mores eorum cum quibus vivit, aut temperans aut superstitiosus est ». Quod si tamen vilioribus vestibus quis utatur in vobis, fratres mei, propter macerationem carnis, aut humilitatis spiritum et exemplum, non erit id peccatum, sed virtutis studium ; sed accedente superioris facultate. Nam de sanctis dicitur veteribus : *Circuierunt in melotis* (9). Elias et Ioannes Baptista pellibus camelorum vestiebantur. 3° Defectus etiam esse potest in munditia. Ideo in regulis praescribitur mundities, quod conferat ad valetudinem et aedificationem.

Excessus esse potest, 1° quando religiosus immoderato utitur vestium ornatu, supra communem usum suae religionis, quia turpe est

(a) om. B.

(1) S. Ambros. PL. t. 16 de Off. l. 1, cap. 19, n. 83. col. 48. (2) S. Dionys. PG. t. 3. Eccles.Hier. cap. 6, 2 (myst.) extr. col. 534. (3) S. Athan. PG. t. 28 de Virgin. n. 11. col. 263. (4) S. Basil. PG. t. 32. Epist. 2 ad Gregor. Naz. n. 6. col. 231. Et t. 31 Reg. fus. tr. 22. col. 978. (5) S. Chrysost. PG. t. 57 Hom. 69 in Matth. n. 2. col. 651 a. m. (Audite...). (6) Cassianus. PL. t. 49. col. 59 sqq. — Hos et alios locos invenies apud S. Ephraem, tom. 2, n. 19 de virt. cap. 9. pag. 303 in Scholiis, unde hi deprompti videntur. (7) S. August. PL. t. 34 Serm. Dni in monte. Lib. 2, cap. 12. n. 41. col. 1287. (8) S. August. PL. t. 34 de Doctr. Chr. lib. 3, cap. 12, n. 18. col. 72. 73. (9) Hebr. 11. 37.

partem universo corpori non congruere ; aut in varietate et multidine, nam dicitur (1) : *Nolite possidere duas tunicas ;* et (2) ; *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus ;* aut in pretiositate, quia, ut Gregorius in quadam homilia (3) : Pro inani gloria vestitus pretiosus quaeritur, ut ceteris honorabilior[a] esse videatur ; nemo enim vult ibi pretiosis vestibus indui, ubi ab aliis non possit videri.

2° Excessus esse potest in mollitie et subtilitate vestium contra communem usum religionis ; nam (4) *Qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt ;* et per mollia indumenta animi mollities indicatur ; non enim curaretur corporis cultus, nisi prius neglecta fuisset mens inculta virtutibus. Glossa sup. Matth. 3 cap. : Servus Dei non debet habere vestimentum ad decorem, sed tantum ad tegendum nuditatem.

3° In nimia vestis longitudine (5) : *Attendite a scribis, qui volunt ambulare in stolis.* Stola est longa et talaris et candida. Vestis vilis convenit nobis ; nam B. P. N. tali utebatur, et regula dicit, quod victus et vestitus ratio debeat esse ut pauperibus accommodata. Quo circa, fratres mei, rogemus Dominum ut intellectus nobis concedat ad recte utendum sensibus nostris, et commodis quae nobis a sua infinita bonitate in Societate ministrantur. Quod nobis concedat Dominus omnipotens Pater, et Filius et Spiritus sanctus.

35ª Exhortatio

De mortificatione : quid sit ; quotuplex sit, et quae eius necessitas

1. Religiosus status alius non est quam continua mortificatio. Sumus, carissimi fratres, in collegio tamquam in sepulchro positi ; nam et philosophi quidam dicebant, philosophiam esse exercitationem seu meditationem continuam mortis, id est, quod sapiens ita se gerere debeat, ita in meditatione mortis versari, ut ea imminente nihil formidet. Quod cum ita senserint[b] gentiles, quid nos religiosi, qui Christi

(a) *horabilior*. B. (b) *senserit*. B.

(1) Matth. 10, 10. (2) 1 Tim. 6, 8. (3) Gregor. PL. t. 76 in Evang. lib. 2, Hom. 40, n. 3. col. 1305 b. (4) Matth. 11, 8. (5) Luc. 20, 46.

philosophiam amplexati sumus, aliud facere debemus quam meditationi huic exercitationique insistere ?

Quattuor autem notarunt aliqui, et sapienter, genera mortis : 1^m^ Mortis naturalis, id est, quando anima separatur a corpore ; 2^m^ Quando anima ita separatur a corpore et mundo, ut eis moriens vivat Deo ; nam vivens homo secundum spiritum, secundum opera carnis moritur. 3^m^ genus est, quando anima perdit gratiam Dei, et moritur ob peccatum mortale, in quod consentit pro nimio affectu et inordinato amore erga corpus, cui unita est. 4^m^ genus est aeternae separationis a Deo, quando anima propter peccata per paenitentiam non eluta, in inferni poenis includitur.

Nos porro de secundo tantum genere sermonem instituemus. Cum enim mors sit separatio animae a corpore, quando homo vivit, non secundum corpus seu carnem et sensualitatem, sed secundum spiritum, quamvis anima sit secundum substantiam in corpore, ab eo tamen separatur affectu, cogitatione, meditatione, fuga, non aliter quam si totaliter a carne separaretur. Quod antiqui patres nostri non tam intellexerunt, quam ipsa exercitatione declararunt; praecipue B. P. N. Ignatius, qui per hebdomadam integram absque cibo et potu, studio mortificandi carnem, egit, initio suae conversionis.

Quin et paganus Pythagoras scriptum reliquit, quod imago Dei non deberet gestari inclusa in anulo, id est, quod homo non deberet animam suam, Dei imaginem, affectum inordinatum atque eius cupiditates sectando, immersam habere corpori ; sed quod separari debebat et volare in sublime, et divinarum rerum contemplatione, sensualitate subacta, gaudere. Sic interpretatur Cyrillus Pythagorae dictum, scribens ad Iulianum. Philosophus Soroastes tradebat animam habere alas, quibus evolabat extra corpus, cum ipso tamen movens atque attollens se super omnem altitudinem ; et quod si per incogitantiam seu inconsiderantiam alae ipsi rumperentur, tunc praecipitem ruere in corpus, in quo remaneret fracta, debilitata, submersa atque sepulta.

2. Est autem mortificatio virtus per quam homo mutatur ex uno statu in alium, ita ut qui carnalis, saecularis, mundanus et terrenus erat, per Dei gratiam et disciplinam seu exercitationem fit spiritualis, religiosus, et per similitudinem morumque mutationem angelicus. Religiosus quidem ut dedicatus est perpetuo Dei servitio sub certis legibus et votis essentialibus, censetur sibi et mundo mortuus, licet vitam habeat et operetur. Sic videmus res etiam inanimatas, Deo per votum dicatas, in sacra scriptura, ut in Levitico (1), censeri mortuas,

(1) Levit. 27, 28.

et mandari a Domino ut non redimantur, sed morte moriantur ; quod quo modo fieri possit, postea explicatur. Ager potest dicari Domino, qui capax non est mortis et mori nequit ; sed cadebat in manum morticam, quod hodie dicimus amortizari, et transibat in servitium templi, et in ius iurisdictionemque principis sacerdotum, sicut hodie dici potest de bonis et fundis ecclesiasticis. Sic homo consecratus Deo per vota non moritur quidem morte naturali, sed deputatus est et attributus perpetuo servitio Dei et Ecclesiae. Sic plerique doctores sentiunt filiam Iephte non interemptam fuisse a patre morte violenta, sed morte tantum civili, et fuisse deputatam servitio Dei cum perpetua virginitate. Ita religiosus quilibet mortuus censetur, quia nihil de se potest statuere aut disponere. Et haec quidem mortis species est, qua religiosus aestimari mortuus debet. Verum, est alia mortis species hac nobilior ac praestantior, de qua praecipue nobis est sermo, qua nimirum homo sibi moritur, ut soli Deo vivat.

Quod, ut melius intellegamus :

3. Notanda est duplex mortificatio. Una est exterior, altera interior ; id est, una quae pertinet ad hominem exteriorem, altera ad interiorem, iuxta illud (1) : *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem.* Sunt itaque in uno quoque nostrum duo homines, exterior et interior. In homine exteriore mortificanda est caro, sive sensualitas ; item quinque sensus externi, motus et gestus hominis. In homine interiore mortificandae sunt illae facultates animae, de quibus paulo ante dictum est. Nam Levitico (2) Deus mandat sibi offerri pro leproso mundato duos passeres, sive duas aviculas : alter passerum occidebatur et immolabatur, alter sanguine illius qui immolatus fuerat aspergebatur, et avolare permittebatur. Hac oblatione Deus significari voluit utrumque hunc hominem offerri Deo ; sed exteriorem, qui vere atterendus est et subigendus in obsequium Dei, immolari debet Deo per abstinentiam et alias paenitentias et humilitatis officia, quae ipsum in officio contineant. Per aviculam quae avolare permittebatur sanguine tincta, indicari voluit hominem interiorem, mortificatione carnis tinctum, et excitatum evolare debere ad rerum caelestium contemplationem : non enim potest mens divina contemplari carnis illecebris distenta.

4. Verum enimvero, ut ait D. Basilius (3), « attendendum est ut

(1) Cor. 4, 16. (2) Levit. 14, 4. (3) S. Basil. PG. t. 31 Const. mon. cap. 4 in. col. 1346. [Cap. 4m in ed. Claudii, 5m vero in Laurentii Sonnii.]

venter quidem in officio contineatur ; ventris enim moderatio animi perturbationum compressio est ; perturbationum autem compressio animi pax atque tranquillitas ; animi vero tranquillitas, ait idem S. Doctor (1), nihil aliud est quam virtutum fecundissimus fons. Atqui ventris moderatio ea praestantissima iudicanda est, quam vires cuiusque definiunt ; et ita amplectenda est a nobis corporis castigatio, ut eam cum viribus corporis commetiamur. Quae enim solo animo cernuntur virtutes, eae omnes omnibus promiscue aequaliter servandae proponuntur, ut mansuetudo, morum facilitas, humilitas, amor in fratres, innocentia, studium veritatis, misericordia, lenitas, humanitas. Corpus enim ad has virtutes parandas colendasve[a] animo nihil plus affert, quam quod ipsi quaedam veluti ad deliberandum repraesentantur ; modum porro vires corporis finient, si neque leviores videlicet quis labores suscipiet, quam quantis ferendis par esse possit, neque si ea item persequi voluerit quae sustinere se posse intellegat. Sic enim mortificationis ratio servanda est, ut corpus non enervetur, et inertes deinceps et ad res gerendas inutiles exsistamus ».

Non enim illi probandi sunt qui plus iusto corpus debilitant, ut nequeat postea servire, sed sit oneri. Corpus quidem saginatum instrumentum promptum est ad lasciviam, et ideo ad instar ferae cuiusdam[b] cohibendum ; sed eius cura non est tamen neglegenda, verum prudenti iudicio a malis propensionibus compescendum, iuxta illud D. Pauli (2) : *Mortui estis*, scilicet mundo et carni, *et vita vestra abscondita est cum Christo in Deo*[c] *;* et (3) ; *Mihi mundus crucifixus est et ego mundo.* Non fuit contentus dicere se seiunctum fuisse a mundo, sicut Dei gratia sumus, sed mortuum, crucifixum, quod mortis genus erat prorsus ignominiosum. O mors beata, fratres carissimi, quae liberat religiosum ab animae periculis, et eum penitus a mundo separat !

5. Sed mors beata non est, nisi vivamus Christo, mortui mundo et sensualitati nostrae. Audiamus, quaeso, B. Apostolum gloriosa hac morte sibi mortuum, Christo viventem : *Vivo*, inquit (4), *iam non ego, vivit vero in me Christus.* Quasi dicat : mortuus sum mundo, nullam sollicitudinem eius gero, neque eorum quae ad ipsum pertinent, sed ad ea quae crucifixi sunt me confero et promptum exhibeo. — Pudeat nos, fratres, si adhuc in carne vivamus et desideria carnis faciamus[d]. Nam quid est amare carnis commoda, gloriam et nominis

(a) *colend. parandasve.* B. (b) om. B. (c) Uterque cod. habet : *in Deo per Christum.* (d) *facimus.* B ; quod emendavit A.

(1) Ibid. seq. (2) Coloss. 3, 3. (3) Galat. 6, 14. (4) Galat. 2, 20.

existimationem aucupari, amicitias intrinsecas et sensualitates quaerere, admonitiones superiorum horrere, fugere correctionem, mortificationes declinare, artificiose cum superioribus, politice cum omnibus agere, quam mundo vivere et carni adhaerescere ? Atqui vult Deus, fratres carissimi, ut exemplo B. P. N. et maiorum nostrorum nos mortificemus.

De mortificatione carnis haec notabimus : 1° Quod ipsa est propria servorum Christi (1) : *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis suis.* 2° Mortificanda est, ne caro adversus spiritum superbiat ; ea tamen mensura, ut corpus spiritui sit adiumento, non impedimento. Caro data est nobis, ait D. Basilius, ubi supra (2), ut animi instrumentum. D. Augustinus vero (3), « quasi animae bellum ; quae si mortificetur, ducit ad vitam ; si nutriatur, paratur ad bellum. Felix ille qui carnis potest habere potestatem ». 3° Mortificanda est ut conservetur castitas, quae non possidetur nisi caro refrenetur subactis concupiscentiis ; « est enim, ut ait D. Augustinus (4), praeceps ad libidinem, improba ad petulantiam, frequens ad luxuriam ;... et sicut tinea lanam devorat, et sicut ignis ligna consumit, ita caro rebellis animam concremat ». 4° Mortificanda est, ut vireat spiritus et vegetus sit, in rebusque spiritualibus delectetur. Gregorius (5) : « Spiritus deficit, ubi caro requiescit. Ut enim caro mollibus, sic anima duris nutritur ; et sicut carnem dura sauciant, sic mollia spiritum[a] necant ; sicut illam laboriosa interimunt, sic istum carni delectabilia exstinguunt ». 5° Mortificanda est, quia castigato corpore spiritus liberius ad superiora conscendit.

Mortificanda igitur est caro et sensualitas nostra, sed cum discretione, ut sufficiat obeundis Societatis muneribus. Hinc Levitico (6) in omni sacrificio iubetur apponi sal, scilicet discretionis ; alioqui, nisi discretione utamur et mortificatione, carnis vitia non tantum exstinguemus, quod est nobis propositum, sed etiam cum vitiis carnem, imprudenter agimus (7). Debemus enim in illa hostem persequi, non civem, quem diligimus, opprimere : *Nemo enim umquam odio carnem suam habuit* (8). Ne igitur in vanum curramus, ad superiorem omnem exercitationem nostram referre debemus, praecipue de externa corporis castigatione ; nam de interiore mortificatione secus est : quan-

(a) *sic spir. mollia.* B.

(1) Galat. 5, 24. (2) l. c. col. 1347 c. (3) S. Augustin. PL. t. 40 Salut. doc.. cap. 64. col. 1075 lin. 25. (4) Id. ibid. cap. 65 p. p. in. col. 1076 (lin 4). (5) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 10, c. 24, n. 42. col. 944 c. (6) Levit. 2, 13. (7) Vid. pag. 17, not. 2. (8) Ephes. 5, 29.

tum potes hic, tantum aude ; sed et nihilo minus iudicio hic utere patris spiritualis : non enim debet quis vires capitis etiam debilitare.

6. Sciendum est ergo varias posse circa mortificationem irrepere diaboli fraudes sub specie boni. Sunt enim aliqui, qui fructum ponunt tantum in asperitatibus, non attendentes quod exteriores actus vitam ab interioribus accipiant ; neque dici possint actus virtutis, quando ab interioribus non proveniunt. Nam cum passiones sint motiones animae, ac proinde spirituales, per exteriores actus non mortificantur sed per interiores ; quare actus exteriores et interiores sunt necessario coniungendi, ut perfectam mortificationem acquiramus. Sed et illud observandum est sedulo, ne in vacuum laboremus, ut nimirum eas passiones quae magis in nobis vivunt, per exteriores et interiores mortificationes exstirpemus. Reliquae fraudes consilio et iudicio superioris et patris spiritualis facile detegentur.

Ex dictis patet, quod mortificatio nihil aliud est quam evacuatio crassorum umorum, quibus impedimur ne crescamus in virtutibus, et lumen maius accipiamus. Imitari ergo debemus medicum, qui aegri primo curat eicere et evacuare pravos umores ; secundo reliqua omnia ordinare ad sanitatem : ita nos, qui contraximus pravos umores et malos habitus, eos exuere et eicere debemus : *Propter te mortificamur tota die* (1) ; Et Iob : *Antequam comedam suspiro* (2).

Tempus est ut veniamus ad mortificationem interiorem.

7. Mortificandae autem in primis sunt passiones. Est vero passio, actus sensitivae partis, et quidem appetitivae, quo illa fertur in obiectum delectabile — ut quo equus fertur in avenam, — per concupiscibilem, et reicit impedimenta quae illi afferuntur, per irascibilem. Sunt autem passiones principales duodecim, sed reducuntur ad quattuor, utpote a quibus reliquae pendent, videlicet : amor, odium, gaudium, tristitia. Atqui non omnes passiones aeque cognoscuntur ; nam ira et timor sensibiliter nascuntur et sentiuntur ; aliae sunt magis spirituales et difficilius noscuntur, ut amor sui, appetitus honoris, a quibus tamen maxime cavendum est.

Passio ergo, est actus utriusque potentiae, seu virtutis appetitivae in suum obiectum, ut concupiscibilis potentia versatur circa bonum verum vel apparens. Hinc amor, desiderium, voluptas. Contrariae vero his passiones sunt, odium mali, veri vel apparentis, tristitia de malo praesenti. Potentia seu virtus irascibilis versatur quidem

(1) Rom. 8, 36. (2) Iob 3, 24.

circa bonum, sed arduum ; et hinc quidem emanat spes obtinendi boni obiecti, licet ardui, et audacia, id est motus ad consectandum bonum, licet arduum. Contrariae vero his passiones sunt, desperatio de bono obtinendo ; timor, qui impossibile putat et malum cernit velut imminens ; ira de malo praesenti assurgit et se exserit.

Quia vero in his actibus patitur corpus, dicuntur « passiones », et quia animus afficitur et turbatur, dicuntur affectiones seu affectus et perturbationes animi ; nam in actu amandi et in ira accenduntur spiritus et sanguis, in tristitia condensantur, in timore fugiunt ad cor, in gaudio separantur ac sparguntur.

8. De mortificatione passionum notanda sunt : 1° quod passionibus neque meremur laudem, neque vituperium iuste consequimur, ut ait Aristoteles 2° Ethicorum, sed secundum quod applicantur, bonae vel malae sunt (1) : si ad bonum, bonae sunt, si a ratione regulantur ; si ad malum et a ratione recedunt, vituperabiles sunt, v. g. tristitia de bono, mala est ; tristitia de peccato, bona. Sic de immoderata et contra rationem usurpata laetitia. Vide D. Thomam (2).

2° Passiones mortificari debent, hoc est, a ratione dirigi et componi, non penitus evelli, ut volebant stoici, quia destrueretur natura hominis. Equi regi et domari debent, non occidi.

3° Quaedam passiones magnam vim habent repugnandi rationi, ut quando sunt vehementes, v. g. magni timores, audacia, ira, concupiscentia magnarum delectationum. Contra illas, fortitudo, contra has, temperantia adhibenda est. Potest tamen iis resisti durante usu rationis.

4° Quia homo est dominus suarum actionum per arbitrium rationis, ideo motus praevenientes iudicium rationis non sunt in potestate hominis in generali, ut scilicet nullus eorum insurgat; potest tamen ratio quemlibet impedire, si praevideat.

9. Religiosus debet esse mortuus, et ut mortuus haberi. Quod ut melius intellegamus, mortui hominis proprietates considerabimus. Homo igitur mortuus 1° caret anima ; 2° vita corporali ; 3° caret sensu et motu ; 4° potest huc atque illuc verti et transportari pro alterius voluntate ; 5° sepultus, ab omnibus conculcatur. Sic ergo religiosus, qui spiritualiter est mortuus :

(1) S. Thom. 1. 2ae, q. 24. a. 1. c et ad 3m. Cfr. q. 19. a, 3. (2) S. Thom. 1. 2ae q. 39. a. 2. c. et ad 2m.

1° Caret anima, quia mortificat praecipuas animae potentias et facultates : memoriam, ne rerum reminiscatur saecularium, et quae sensum afficiunt, cum Paulo *quae retro sunt obliviscens* (1). Intellectum[a] mortificat, subigendo eum ne altiora se investiget et quaerat, praesertim in rebus subtilibus fidei, iuxta illud (2) : *Altiora te ne quaesieris ;* item illud (3) : *Scrutator maiestatis opprimetur a gloria ;* et alibi (4) : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem ;* ubi D. Bernardus ait (5) : « Sobria sapientia est et mortificatus intellectus in paenitudine peccatorum praeteritorum, in desiderio bonorum superiorum ; et sapere ut sunt singula, illa ut amara et fugienda, ista ut perfecta et toto desiderio appetenda. » Item, mortificando intellectum, ne iudicet alios temere, non disputet contentiose, non recuset facere quae iubentur, non inquirat quae oboedientia mandat, sed prompte instar caeci oboediat. Voluntatem denique mortificat, ut non amet terrena, et ut uniat illam cum voluntate Dei et superioris.

2° Debet religiosus carere vita politica et conversatione saeculari, vivendo vita vere spirituali. Et ut vita in homine principium est omnium humanarum actionum, ita Christus in anima eius principium sit spiritualium operationum, ut dicat cum D. Paulo (6) : *Vivo ego ; iam non ego, vivit vero in me Christus ;* et illud (7) : « Exuite veterem hominem cum actibus suis, et induite novum ».

3° Carere debet sensu et motu, ut admonitiones aegre non ferat et paenitentias ac mortificationes, sive eas mereatur sive non ; item, ad similitudinem mortui, ut non videat quae ipsum allicere possint ad malum : *mors enim ascendit per fenestras* (8) ; et quidam dixit (9) : *Oculus meus depraedatus est animam meam.* Item debet fugere colloquia vana et irreligiosa, atque auditum cohibere ne ea audiat, iuxta illud (10) : *Saepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire et ori tuo facito ostia et seras.*[b]

4° Pro voluntate et arbitrio superioris moveri debet, et similis esse, ut dicebat B. P. N., parvo globo cereo, seu crucifixo, seu baculo senis, ut moveri possit, sicut illa, in omnem partem.

5° Debet sepultus esse, occultando proprias virtutes ad inanem gloriam fugiendam, sui item existimationem et ambitionem omnem.

Denique debet ita esse comparatus, ut omnibus sit subiectus, ab

(a) Ante hoc verbum, ponit uterque codex, 2°, sed mendose ; non enim antecedit : « 1° memoriam ». (b) Scripsit uterque codex : *Ori tuo facias ostia, et seras auribus tuis.*

(1) Philip. 3, 13. (2) Eccli. 3, 22. (3) Prov. 25, 27. (4) Rom. 12, 3. (5) S. Bern. PL t. 183 Serm. 15 de div. n. 4. col. 578. (6) Galat. 2, 20. (7) Cfr. Eph. 4, 22-24. (8) Ier. 9, 21. (9) Thren. 3, 51. (10) Eccli. 28, 28.

omnibus contemnatur et conculcetur, sicut lutum platearum, iuxta illud (1) : *Conculcavit me homo tota die ;* nam sicut cadaver dum calcatur nihil sentit, ita homo mortificatus dum contemnitur minime perturbatur.

10. B. P. N. cum esset vir multae et ferventis orationis, pluris tamen faciebat spiritum mortificationis quam multae orationis, ita tamen ut et mortificationem et orationem semper coniunxerit. Volebat igitur ut et in nobis non distinguerentur ; et cum semel laudaretur apud eum quidam de Societate ab oratione : Vellem, respondit, esse virum magnae mortificationis potius quam multae orationis. Neque ipse tanti faciebat corporis afflictionem quam interiorem mortificationem, iudicii maxime et voluntatis ; et in personis maioris auctoritatis, sicuti et in iis qui in saeculo magni fuerant et in honore praestantes, maxime requirebat omnis fastus et honoris sive propriae opinionis abiectionem.

11. Media ad mortificationem censeri possunt haec :

Regere[a] seu mortificare passiones secundum ordinem rationis ; nam, si a ratione ordinentur, materia sunt virtutum ; sin recedant ab eo quod ratio imperat, sunt causa malorum. Augustinus (2) : « Passiones mentis ita sunt moderandae ac frenandae, ut in usum iustitiae convertantur. In disciplina porro nostra non tam quaeritur utrum pius animus irascatur, quam quare irascatur, nec an sit tristis, sed quare sit tristis ; non utrum timeat, sed quid timeat : irasci enim peccanti ut corrigatur, contristari afflicto ut liberetur, timere periculum ne quis pereat, nescio, ait Augustinus, utrum quisquam sana possit consideratione reprehendere ». Item quia omnes nascuntur ex amore inordinato sui ipsius, hic mortificandus est odio sancto, ita ut homo non amet affectus terrenos animae suae, nec in eis sibi complaceat, sed odio potius habeat et aversetur, iuxta illud Ioannis (3) : *Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam aeternam custodit eam.*

Item, primos motus et impetus statim frangere et reprimere.

Item, adhibere examen particulare conscientiae, considerando quid ames, quid odio habeas, quae passiones in te regnent, et petendo auxilium a Domino, ut fiat animi et conscientiae serenitas et comprimantur passionum motus.

(a) Antecedit, 1°, quod omittimus, cum alter numerus huic non succedat.

(1) Psalm. 55, 2. (2) S. August. PL.t. 41 de Civit.D. l. 9, c. 5. col. 260. (3) Ioann. 12, 25.

Item denique contraria contrariis curanda sunt, et passionibus passiones contrariae adhibendae, v. g. gaudio dissoluto et risui effusiori, tristitia et dolor.

Ut hanc exhortationem tandem finiam, rogo vos, fratres mei, per Christum Dominum, ut promptis animis amplexemini hanc vestri mortificationem, ut in spiritu proficiatis magis, et acquiratis eas virtutes quae reddant vos dignos tanta vocatione, qua vos auxit Dominus ut essetis ei cariores ; denique, ut reddatis vos omnibus amabiles et verae religionis sanctae propagines, fratrum nostrorum laetitia, decus familiae huius, vera Spiritus sancti organa et concinna Ecclesiae instrumenta. Quod vobis concedat Dominus per infinitam misericordiam suam.

36ª Exhortatio

De silentio : quotuplex sit[a] ; quae sit eius utilitas ; quomodo sit servandum

1. Silentium virtus quaedam est, quae temperat linguae usum. *Qui* enim *in verbo non offendit, hic perfectus est,* ut ait D. Iacobus (1).

Est autem silentium duplex ; unum omnibus commune et necessarium. Omnibus enim christianis dicit Apostolus (2) : *Omnis sermo malus ex ore vestro non procedat, sed, si quis bonus* est *ad aedificationem fidei, ut det gratiam audientibus ;* et 1 Petri dicitur (3) : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei ;* et David, qui rex erat multis implexus bellis, negotiis, honoribus, Deum orabat ut sibi daret gratiam bene custodiendi linguam suam : *Pone,* ait (4), *Domine custodiam ori meo* ; et alibi (5) : *Dixi,* id est, firmiter proposui, *custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* ; et alibi (6) : *Elongavi fugiens et mansi in solitudine,* docens videlicet fugiendas esse occasiones loquendi. Omnes igitur christiani tenentur hoc servare silentium, ut numquam loquantur de

(a) In utroque cod. legitur *est.*

(1) Iac. 3, 2. (2) Eph. 4, 29. (3) 1 Petr. 4, 11. (4) Psalm. 140, 3. (5) Psalm. 38, 2. (6) Psalm. 54, 8.

rebus otiosis vel inutilibus, de quibus Deo erit aliquando reddenda ratio (1).

2. Notantur a quodam gravi doctore Holcot, lect. 200 in libr. Sapientiae, quattuor utilitates boni et recti silentii : 1ª est custodia conscientiae ; 2ª frenum multiloquii et garrulitatis ; 3ª decus et pulchritudo innocentiae ; 4ª argumentum magnae prudentiae.

Quod sit custodia prudentiae, docet Salomon in Proverbiis (2) : *In multiloquio non deerit peccatum* ; et commune proverbium habet : « Al molto parlar, molto errore ». Qui pronus est ad loquendum, probabile est habere laxam conscientiam. Ut thesaurus qui reponitur in arca non bene clausa aut non cooperta, sic virtutes in tuto non sunt in eo qui loquax est. Tempore belli solent hostes libentius commorari in oppido bene concluso, quam ruri ; homo qui parce loquitur arx est munita Dei nostri. Isaias (3) : *In silentio et spe erit fortitudo vestra.* Augustinus ad fratres (4) : Sermo vanus signum est conscientiae vanae, quia qualis est homo interius, talem eum pingit os eius. Plato in 1° de vita Philosophorum c. 52 : Hominis vilitas, inquit, in multiloquio eius noscitur.

S. Thomas dicit nos debere tacere quattuor (5) : 1° Bonas actiones nostras, ne in vanam gloriam incidamus, aut iactantiam de eis ; 2° peccata nostra, ne offendamus vel inficiamus proximos nostros ; 3° peccata aliena, ut habetur in Proverbiis (6). 4° Quae secreto nobis credita sunt (7) ; contrarium enim agere proditionem sapit.

3. Alterum silentium est regularium, et hoc quidem bifariam sumitur. Nam unum est, quod omnes religionum monasticarum institutores praescripserunt cotidie servandum statis temporum spatiis, quod rigide semper servatum est, ubi disciplina monastica viguit. Alterum est regularium sacerdotum, speciatim Societatis, non ita rigidum, ut omnino non loquamur sicut monachi, vel signis, digitis et vultu expressis, sensa animi nostri indicemus ; sed est silentium instituto nostro et ministeriis eius accommodatum, quod variae nostrae regulae praescribunt. Quamvis vero non habeat Societas rigidum illud silentium, ut omnino non loquamur certis quibusdam horis, vel signis tantum loquamur, habet tamen suum silentium, quod B. P. N.

(1) Matth. 12, 36. (2) Prov. 10, 19. (3) Isa. 30, 15. (4) S. August. PL. t. 40 Serm. ad Fr. in er. 3 lin. 7. col. 1239. (5) Remittit codex ad 2. 2ae. q. 132 ; sed haec quattuor sub una quaestione frustra quaesieris. (6) Prov. 25, 8. (7) ibid. 25, 9.

nobis tradidit. Intellexit enim beatus vir, absque linguae continentia religiosorum neminem fieri posse perfectum. Ut enim lingua facilius delinquitur, ita saepius homo incautus vulneratur, magisque periclitatur. Nam *mors et vita in manu sunt linguae* (1); et, *In ipsa benedicimus Deum et patrem, et maledicimus homines, qui ad* imaginem et *similitudinem Dei facti sunt* (2) ; in ipsa aedificamus et destruimus. Lingua membrum est homini utilissimum, si bene utatur ; sin male, ipsi perniciosum est. Legimus in Sacra Scriptura (3) linguam aliquam esse *dolosam*, aliquam *magniloquam*, aliam *furentem*, aliam *mendacem* ; item alibi invenitur lingua superba, lingua duplex, lingua falsa, lingua serpentina, lingua quae est gladius acutus, lingua quae est ut venenum aspidum.

Non abs re notarunt aliqui doctores Christum Dominum agentem de epulone, cum totus esset circumdatus tormentis, de lingua tamen solum loqui verbis epulonis (4). Rationem possumus afferre cum aliquibus doctoribus : in more esse sacrae Scripturae interdum unum dicere, ut significet praeterea aliud quod consequitur. Non dicit Christus Dominus quod hic epulo occupasset se in detractionibus, scurrilitatibus, etc. sed quod cotidie epulabatur splendide, et quod vestiebatur purpura et bysso, hoc est, quod excesserat per elationem et avaritiam ; sed, quia ordinarie in conviviis excessus fit in sermonibus, hic qui excessisse dicitur in conviviis, nôtatur cônsequenter excessisse in sermone etiam superfluo. Ideo cruciatur maxime in lingua, quod significatur cum dicitur petiisse aquae guttam pro refrigerio linguae, quae fuerat in conviviis petulantior. Digna igitur et iusta fuit retributio, et cautio nobis insinuatur ut linguas nostras frenemus.

Augustinus (5) : « Fratres mei, ait, silentium ac moderata locutio summe nobis necessaria est ; quidquid non aedificat, convertitur contra eum qui profert sermonem, et in periculum animae eius. Nostra lingua sequatur rationem et sensum, non voluntatem. Non solum debemus tenere oculos occlusos, sed et linguas nostras servare bene sanas ». Et alibi dicit Augustinus (6), quod verba et sermones signa sunt conscientiae vanae, si vana sint et non satis compositae[a]. Qualis homo est, tales habet sermones, et talem se probat anima ipsius ; et qualis es, mi frater, in actione et opere, talis es in sermone. Demum, plus est domare linguam suam, quam expugnare civitatem ;

(a) Sic uterque codex : *vana* et n. s. *compositae*.

(1) Prov. 18, 21. (2) Iac. 3, 9. (3) Psalm. 11, 4 ; 51, 6 ; Prov. 6, 17 ; Ose. 7, 16. etc.
(4) Luc. 16, 24. (5) S. August. PL. t. 40 Serm. ad Fr. in er. 3 in. col. 1239.
(6) S. August. ibidem ; vide pag. 639, not. 4.

nam qui expugnat civitatem, cum iniuria civium tollit id quod externum est ; sed qui frenat linguam, componit etiam quod internum est in animo, et hic homo expugnat se ipsum, et contra se ipse pugnat : circumcidenda est ergo cultro discretionis.

4. Legimus de quodam eremita, Agathon nomine, quod per multos annos tenuit lapillum in ore, ut accuratius servaret silentium ; et discipuli S. Antonii strictissime silentium colebant. S. Catharina Senensis per tres annos silentium servavit, et cum per sex menses ab omni sermone abstinuisset, revelationem a Deo accepit, quod non haberet post hanc vitam aliud purgatorium. Quae commemoro, fratres mei, non ideo quod probem in communitate singularitatem eius qui numquam fere loqui vellet, sed ut intellegamus quam sit gratum Deo silentium, et quam perniciosa loquacitas. Utilissime siquidem et cum aedificatione agimus, si iuxta Societatis usum et rationem, superiorumque directionem, loquacitatis occasionem fugiamus et abrumpamus.

5. Servandum est autem silentium non solum exterius, sed etiam interius, ut ait Ambrosius, lib. 1 de Officiis (1). Est homo, inquit, qui silentium affectat, sed cor eius se condemnat : iste talis multum loquitur ; et est alius qui a mane ad vesperam loquitur, sed cum caritate et discretione, et hic porro silentium magnum custodit. Duplex enim est silentium : unum oris, alterum cordis : illo lubricitas oris frenatur, ne ad perniciosa otiosave defluat ; hoc vero dispersio cordis colligitur, ne inania cogitet. Atque ut hoc diligenter studioseque colamus, propterea in Societate tanta cura silentii ex praescripto habetur. Hoc autem silentium cordis altero multo praestantius est, suaviusque ac felicius externo, videlicet oris ; nam hoc illi famulatur, sicut — D. Basilio teste, lib. de vera Virginitate (2) — virginitas externa corporis famulatur puritati et virginitati mentis. Est autem hoc silentium internum abstractio, et quaedam quasi oblivio rerum omnium sensibilium, ut parentum, patriae, honorum, eduliorum ac commodorum, etc. et intima cum Deo coniunctio et sermocinatio, iuxta illud (3) : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius.*

(1) Lib. de Off. incipit quidem a Silentio ; sed de « affectato » nihil reperimus ; nisi in bonam partem sit accipiendum : tunc enim vid. S. Ambros. PL. t. 16 de Off. l. 1, c. 3, n. 9. col. 26. Cetera quae afferuntur, non invenimus. Videsis S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 7, c. 17 per totum. col. 799. Vel t. 76, l. 22, c. 16, n. 38-40. col. 235. Vel ibid. in Ezech. l. 1. Hom. 9, nn. 19, 20. col. 878. (2) S. Basil. PG. t. 30 de Virg. n. 2 b. c. col. 671. (3) Osee. 2, 14.

6. Ad hoc silentium si quis optat pervenire, necesse est ut mens ipsius a creaturarum omnium amore abstracta, ab omnibus curis et occupationibus animam distrahentibus libera sit. Nam ex earum externarum memoria generantur sollicitudines, timores, suspiciones, anxietates, dictorum et factorum rememorationes ; inde phantasiae, speciesque creaturarum, ac rerum sensibilium imagines, quae fortiter et generose sunt propulsandae ; et nudo intellectu, eoque ab omni alieno amore libero, casto puroque affectu in tranquillitate, puritate ac silentio quodam, soli Deo vacandum et in eo quiescendum. Desideria namque sensualitatis ac passiones quaecumque in nobis immortificatae, imaginationumque quoque et formarum ac specierum sensibilium revolutiones sunt clamores, turbines, inquietudines spiritui obstrepentes ; unde fit ut ille neque exserere se possit in Deum, neque cor se cum ipso unire. Quod tamen optat Deus ; dicit enim (1) : *Manete in me, et ego in vobis.* Quando vero hae turbae cogitationum exclusae sunt a mente nostra, tunc succedit cordis silentium et intima cum Deo coniunctio, et in eo silentio iucundissimo amplectitur anima salutare Dei sui.

7. Ut revertamur tandem ad silentium oris, artis permagnae est scire discernere tempora et causas loquendi et tacendi, quod pertinet ad discretionem ; quoniam, licet homo dicat veritatem, si tamen eam non congruo tempore et loco proferat, sermo non erit fructuosus, immo aliquando erit valde noxius. Mentis conceptus debet vestiri variis vestibus, iuxta rationem personarum, materiae, temporis, loci. Est itaque valde difficile scire custodire vias suas in usu linguae, ut sciat quisque quando, quam diu, quibus verbis loqui oporteat. Dicit quidem Propheta (2) : *Lingua mea calamus scribae velociter scribentis ;* sed et D. Iacobus dicit : Linguam esse membrum indomitum (3). Et sane, qui obtinuit ut eam temperet, vir perfectus est. Aliqui, volentes linguam frenare, eam, ut ante insinuatum est, ligaverunt silentio, vel perpetuo vel valde longo ; et aliqui locuti non sunt quando debuerunt, quorum personam induens psalmista[a] dicit (4) : *Obmutui et silui a bonis, et renovatus est dolor meus ;* quasi dicat, ut exponunt aliqui doctores : studens fugere divinam offensionem ob intemperatum usum linguae, impegi in indiscretum silentium, et inde renovatus est dolor meus.

(a) *psalta.* B : male legit A sic notantem : *Psal*^{ta}.

(1) Ioann. 15, 4. (2) Psalm. 44, 2. (3) Cfr. Iac. 3, 8. (4) Psalm. 38, 3.

8. Ut ergo non impingamus, loquendum est nobis, fratres carissimi :

1° De iis quae praescripta sunt et apposita omnibus in tabella appensa ad bene instituendam recreationem, seu quietem, ut eam vocant aliqui ; quem ad modum proponitur charta geometrica navigantibus, cuius adminiculo ad optatum portum recta tendere possint.

2° Sermo esse debet de rebus bonis incidentibus, ut sunt quae hauriri possunt ex lectione ad mensam et ex libris acceptis, modo probentur superiori.

3° Loquendum est de iis quae ad profectum spiritualem promovendum, ex libris spiritualibus et devotis, memoriae commendata sunt. Qui huiusmodi non sunt sermones, sed de rebus iocosis et frivolis, ac de levitatibus, officiunt multum ; unde ait Gregorius super Ezechielem (1) : Sicut malus aer assiduo flatu inficit corpus, ita perversa locutio saepius audita inficit animas.

9. Quo tempore loquendum sit nobis, regula et usus Societatis praescribunt, et circumstantia temporis pernecessaria est. Nam ut ait Sapiens (2) : *Sermo opportunus est optimus ;* et rursus alibi (3) : *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo ;* nam homo sapiens tacebit usque ad tempus, lascivus autem et imprudens non servabunt tempus. Et Ecclesiastes (4) : *Est tempus tacendi et tempus loquendi,* quia omnia tempus habent. Gregorius (5) : « Tempus tacendi et loquendi : discreta vicissitudine pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba se inutiliter solvat, aut cum loqui utiliter[a] potest, semet ipsam pigre restringat » : sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium eos, qui erudiri poterant, in errore derelinquit.

Tempora in quibus non est nobis de Societate loquendum, sunt : 1° Quando non est tempus recreationis, nisi necessaria inciderent, et tunc quidem paucis. 2° Quando habetur contio vel lectio, quando auditur sacrum vel divinum officium, quando est studendum, dum refectio sumitur, quando aliquis incepit sermonem facere : non enim decet eum interrumpere, ne vel ipsum vel audientes offendas. Iob (6) : *Qui me audiebant, exspectabant sententiam meam, et intenti tacebant*

(a) *inutiliter.* B. perverse scilicet.

(1) S. Gregor. PL. t. 76, lib. 1, Hom. 9. n. 23 col. 881 b. (2) Prov. 15,23. (3) Prov. 25, 11. (4) Eccle. 3, 7. (5) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 7, c. 17, n. 61. col. 802. Cfr. ibid. n. 60. (6) Iob. 29, 21.

ad consilium meum. Postremo, quando nocte omnes se receperunt ad quietem.

Ubi tacendum sit docent regulae : in disputationibus scholasticis, sive in scholis, in templo, sacristia, in refectorio, in culina. Causa horum, praecipue ultimorum, est ne aliquo praetextu congregent se aliqui in talibus locis, et strepitum indecore excitent.

Quomodo autem loquendum sit, et qui modus servari debeat in sermone, ne quis verbo offendat, attendendae sunt circumstantiae. Et primo quidem spectanda est aetas. Nam si senex, debet graviter et prudenter loqui, praesertim quando est in aliquo congressu inter sapientes. Iuvenis et adulescens taceat, nisi interrogetur, et det seniori locum : *In medio sermonum*[a] *ne adicias loqui* (1) ; et : *In medio magnatorum*[b] *loqui non praesumas ; ubi sunt senes non multum loquaris* (2). *Adulescens, loquere in tua causa vix* (3). Sed per « senem » intellego non tantum aetate sed etiam prudentia, doctrina, moribus gravem, non solum annis. Et senem quidem decet de rebus gravibus et sanctis, non de puerilibus et inutilibus loqui. Iuvenis interroget senes, loquatur de beneficio vocationis, de ratione proficiendi.

Debet attendi etiam status personae ; nam iuvenis aetate, in statu viri gravis et senis positus, audiendus est ; et ille moderate et scienter loqui debet, quia *In labiis sapientis invenitur sapientia ; cor sapientis erudiet os eius, et labiis eius addet gratiam* (4). Religiosus, praecipue simplex, non evectus ad dignitatem aliquam, loqui debet de rebus humilibus ; sed communiter religiosus aut taceat, aut de caelestibus et spiritualibus loquatur, sicut miles de rebus bellicis, a quibus religiosus abstinere debet. Turpe enim et insulsum religioso ingerere sermonem de bello, de negotiatione, de domandis et disciplinandis equis, sicuti aliqui interdum faciunt ; id enim redolet suam vanitatem, et saeculi ingenium.

10. Hominibus Societatis minime convenit loquacitas et sermo effusior. Equi nobiles et generosi solent frenari et freno dirigi : sic viri religiosi frenum Christi ferunt, ut sit in ore sicut in moribus disciplina. Albertus de virtutibus dicit : esse demirandum, quod canis habeat linguam medicam, homo vero letiferam. *Qui custodit os suum, custodit animam suam ; qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala* (5).

(a) Huius loco scripsit uterque codex *seniorum*. An errore librarii ? vocat enim ad indicatum locum Scripturae. (b) *magnatum*. uterque codex.

(1) Eccli. 11, 8. (2) Eccli. 32, 13. (3) ibid. 10. (4) Prov. 10, 13 ; 16, 23. (5) Prov. 13, 3.

Item sermo in omnibus nobis, praesertim vero iunioribus, sit modestus et ad aedificationem ; sermo enim prudens est pulchritudo innocentiae, religioso maxime conveniens, ut habetur Isaiae 32° (1) : Honor et decus iustitiae est tacere. Zeno philosophus dicitur cuidam, qui multum loquebatur, cum ab eo interrogaretur quare non loqueretur, respondisse : Si et tu audires meis auribus, etiam taceres. O quam multis, etiam in Societate agentibus, posset hoc ipsum dici ! Pythagoras dicitur reliquisse in suis sententiis figurativis hanc sententiam : Attende, ne in domum tuam admittas hirundines, id est, ne habitent in domo tua loquaces et vaniloqui.

Sermo moderatus in homine Societatis signum praebet magnae prudentiae et vitae innocentiae : *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur* (2). Et ibidem : Vir sapiens tacebit ; nam cum tempus sit tacendi et loquendi, prudens attendit quando loquendum sit ; quod non facit insipiens : hinc evenit, ut si taceat, etiam prudens reputetur. Aqua, quo altior et profundior est, hoc est quietior : ita, quo quis prudentior est, hoc moderatius consideratiusque loquitur. Hinc Prov. (3) : « Aqua profunda verba sunt viri prudentis ». *Homo linguosus terribilis est in civitate sua ; et temerarius in verbo suo, odibilis erit* (4).

Sermo prolixior est saepe molestus audientibus, et impedit conversationem. Addo quod *In multiloquio non deerit peccatum ;* et, *qui moderatur labia sua, prudentissimus est* (5) et, ubi multum est paleae, ibi parum est grani (6). *Qui multis utitur verbis, laedet animam suam* (7). Item multiloquium signum est stultitiae : *Stultus verba multiplicat* (8) ; *Stultus, si tacuerit, sapiens reputabitur, et si compresserit labia sua, intellegens* (9). Loquendum est igitur, fratres carissimi, nobis paucis, nisi necessitas prolixiorem sermonem postulet. Non enim ille excedere censendus est, qui multa ordinate ad aedificationem dicit, maxime quando rogatur, et quando congressus id requirit.

Tota vita Christi in terris nobis disciplina morum fuit : ipsum ergo sequi debemus in verbis et moribus. Semper veritatem dixit ; semper seria et utilia, nec umquam verbum inutile protulit. Semper moderationem servavit ; ita cavendum est nobis, exemplo eius, a verbis levibus et otiosis. Nam garruli et leves in sermone parum proficiunt in spiritu, sicuti parum proficiunt qui aliorum facta curiose investigant, omnia explorant, facile aliorum etiam interdum superiorum facta damnant. Communiter tales sunt inquieti, facile suspicantur, amaritudine

(1) Haec ibi non reperimus ; vide tamen v. 17. (2) Prov. 17, 28. (3) Prov. 18, 4. (4) Eccli. 9, 25. (5) Prov. 10, 19. (6) Vocat uterque codex ad Eccle. 2 et 10 ; ibi tamen nil eiusmodi. (7) Eccli. 20, 8. (8) Eccli. 10, 14. (9) Prov. 17, 28.

anima eorum repletur ; et quia intus pacem et serenitatem non habent, exterius solacia quaerunt et consolationes, et ad colloquia inania alios provocant, et suae imperfectionis socios sibi conciliant. Beati vero, qui hos non audiunt, et qui « stant iugiter super custodiam suam » (1).

11. Utilitates silentii hae possunt assignari ; 1ª Gignit dispositive in anima gratiam ; multum enim facit ad puritatem conscientiae, excutitque sordes quae solent ex variis colloquiis animae adhaerere. 2ª Iuvat ad orationem, quam impediunt otiosi sermones ; nam quae audivimus in talibus colloquiis, orationis tempore non raro ad mentem recurrunt eamque inturbidant. 3ª Silentium iuvat ad perfectionem. Ambrosius ait (2) : Silendi patientia, opportunitas loquendi et contemptus divitiarum sunt maxima fundamenta virtutum. Quam ob rem Arsenio dictum est : Arseni, fuge, tace et quiesce : hae enim sunt radices non peccandi. Plato, de vita Philosophorum c. 3° interrogatus ab uno multiloquo qua ratione discere posset sapientiam, respondit dando illi duo praecepta : unum, ut sileret et non loqueretur ; alterum, ut loqui disceret, id est, prudenter et moderate. 4ª Iuvat ad pietatem et ad religionem (3) : *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam* etc. ; nam religio sine silentio est sicut civitas sine moenibus in medio inimicorum, quae continenter est in magno periculo (4). Item est sicut navis sine gubernaculo, quae vi ventorum in omnem partem impellitur ; item sicut domus sine ostio, in quam canibus et porcis semper patet ingressus. 5ª Silentium fortitudinem spiritus tribuit : *In silentio et in spe erit fortitudo vestra* (5). 6ª Valet ad contemplationem : *Sedebit solitarius et tacebit, quia levabit super se* (6). Oseae 2° dicitur (7) : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius*. Propterea dicebat Isaias (8) : *Bonum est praestolari cum silentio salutare Dei*. Sicut olla cooperta cito fervet, ita mens silens et silentii amans calore devotionis facile effervescit ; sicut vero olla discooperta tardius fervet propter evaporationem, ita religiosus verbosus difficilius ad elevationem mentis disponitur. 7ª Conservat fervorem devotionis ; sicut enim obstruitur vas in quo reponuntur aromata, ne odor exhalet, ita religiosus, nisi se contineat a verbis otiosis, cito evaporat omnem devotionem. 8ª Conservat statum cuiuslibet in via spirituali.

(1) Cfr. Habac. 2, 1. (2) S Ambros. PL. t. 16. de Off. lib. 1, c. 7, n. 23. col. 30. (3) Iac. 1, 26. (4) Cfr. Prov. 25, 28. (5) Is. 30, 15. (6) Thren. 3, 28. (7) Os. 2, 14. (8) Immo Ierem., Thr. 3, 26.

12. Pythagoras iubebat suos discipulos quinque annos silere, ut discerent apte et apposite postea loqui ; neque philosophiam discebant, nisi eo silentio exercitati, ut ait D. Hieronymus, epist. 21 (1) ; et in epistola ad Nepotianum docet Hippocraten, antequam doceret, extorsisse iuramentum silentii a discipulis (2). Et Ecclesiasticus ut ante dictum est (3) : *Adulescens vix loquere in tua causa : si bis interrogatus fueris, habeat caput responsum tuum.* Paulus quoque ait (4) : « Vobis denuntiamus et obsecramus in Domino nostro Iesu Christo, ut cum silentio operantes, vestrum panem manducetis. »

Declinemus ergo, carissimi fratres, colloquia illicita, abscindamus et inutilia ; quando loquendum est, non diu immoremur neque elongemur a Deo. Agnoscamus eum ubique praesentem, omnia audientem, omnia contemplantem, neque umquam eum inanibus nostris verbis fugemus a nobis. Quod si post recreationem et colloquia ipsum offendisse, conscientia reprehendente, cognoscemus, tunc continuo humiliemus nos et veniam a Domino petamus, et eum, quem fortassis verbis offendissemus, nobis conciliemus, petentes de nostra indiscretione veniam. Tempore B. P. N. sollemne nobis erat omnibus, crebro veniam a nobis in vicem petere, etiamsi[a] re vera non offendissemus, sed quia occasionem praebuissemus fratri alicuius offensionis, ob verbum indiscrete et imprudenter dictum. Resuscitemus, quaeso, et per Christum obsecro, fratres mei, hunc spiritum, et id ipsum nobis in vicem praestemus, atque in silentio exspectemus salutare Dei.

(a) *etsi.* B.

(1) Hieron. PL. t. 23 Comm. in Eccle. col. 1037 b. (Epist. ed. vet. 21 est in recent. 10ª ; Ep. 21 PL. est « de duobus filiis » ; 10ª vero PL. « ad Paulum, senem Concordiae »). Cfr. S. Ambros. t. 16 de Off. l. 1, c. 10, n. 31. col. 33. (2) Idem ib. t. 22. Epist. 52 ad Nepot., n. 15. col. 539. Eosdem locos vide page 607, not. 5 et 6. (3) Eccli. 32, 10. 11. (4) Cfr. 2. Thess. 3, 12.

37ª Exhortatio

De oratione : quid illa sit ; quot sint eius species ; quae partes et quae eius necessitas (1)

1. Inter media multa, quae nos ad finem Societatis iuvare, promovere et servare possunt, principem locum facile obtinet oratio. Quare de illa in praesentia dicemus.

Est autem oratio pius mentis affectus in Deum, vel, ut eam describit Damascenus (2), est ascensus intellectus in Deum ; quod in idem recidit. Hoc tantum notabimus circa priorem definitionem, quod cum duplex sit intellectus, speculativus et practicus, oratio magis ad hunc, id est, intellectum practicum pertinere videatur ; speculativus enim non movet, sed practicus, ut ait Philosophus 3° de anima. Quare licet speculativus maxime momentum ad orationem habeat, sitque necessarius, magis tamen necessarius est practicus.

2. Sed quomodo, petet fortassis aliquis, intellectus practicus ascendit in Deum ? Respondeo, advertendum esse, quod quamvis Dominus Deus immobilis sit ac immutabilis, iuxta illud Malachiae (3) : *Ego Dominus, et non mutor*, nihilo minus tamen animae rationalis intellectus ad eum ascendere potest. Ipse enim non descendit per essentiam suam incommutabilem ad animam rationalem, sed solum per influentiam ab ipso manantem : sic nec anima rationalis elevatur supra se ad Deum per situm localem, sed per considerationem et per affectum ex tali consideratione causatum. Anima siquidem rationalis magis esse dicitur ubi amat, quam ubi animat. Non igitur, fratres mei, intendimus per orationem, seu mentis elevationem, Deum ad nos trahere, qui omnino immobilis et immutabilis est, sed gratiam ab eo impetrare, quae nos per inflammatum sui amorem ad ipsum nos[a] sustollat et elevet. Sicut nauta quando cymbam suam ad ripam perducere desiderat, is columnae alicui in terra seu litore firmiter defixae funem aliquem inicit, quem postea funem colligendo, trahere studet non columnam ad se, quae immobilis est, sed cymbam suam, et se ad columnam perducere

(a) *nos*. In utroque cod. repetitur.

(1) Hac de re multa praeclara habet P. Arias in opusculo *de Oratione mentali* (Nota Oliverii). (2) S. Ioann. Damasc. PG. t. 94 de Fide Orth. l. 3, c. 24 in. col. 1090. (3) Malach. 3, 8.

contendit : ita noster intellectus tum ad Deum ascendere dicitur, cum ex defectuum humanorum consideratione ad desiderium illius infiniti et perfectissimi boni contemplandi se erigit, ut consequatur ablationem illorum defectuum, et nobiliorem perfectioremque animae suae statum.

Modus ergo quo quis in oratione procedere debet, est ut primo loco suos defectus consideret ; deinde, per ardentem voluntatis affectum, ad ipsius infinitam bonitatem et benignitatem anhelando ascendere debet, cum ardenti desiderio ut defectus sui ab illa infinita bonitate suppleantur. Sic docemur per Salomonem orare (1) : *Si quis, inquit, cognoverit plagam cordis sui, et expanderit manus suas in domo hac, tu exaudies in caelo.* Primus gradus ad viam purgativam pertinet, scilicet plagam cordis cognoscere ; secundus ad illuminationem, scilicet manus suas ad Deum orando tendere ; tertius ad unitivam, scilicet : *Tu exaudies, Domine* (2).

Ex quibus patet, quod qui pure speculative haberet se in oratione, nec vere oraret, nec effectum orationis consequi posset. Nam cum oratio non sit ordinata tantum ad intellectionem — ut est studium theologicum — seu speculationem, dum in ea persistit, nequit dici oratio, nisi ad actionem seu opus dirigatur. Quia vero voluntas rationalis principium est omnium actionum humanarum, fit ut sine voluntatis interventu, effective verum orationis effectum consequi nullo modo possimus.

Quare ad veram orationem, servandus est hic potentiarum interiorum ordo, ut quod intellectus speculativus sua indagatione reperit esse conveniens, intellectus practicus id voluntati exsequendum commendet ; voluntas vero eius bonitate allecta efficaciter potentiis suis imperet, ut id efficiant. Nam si quis speculative nimis agat, cum virtus animae sit finita et limitata, quanto magis in unam rem incumbit, tanto debilior est in alia ; et quo intensius intellectus speculatur, eo debilior voluntas efficitur : sicut fons habens duo foramina seu exitus aut canales, quo plus aquae in unum canalem effunditur, hoc minus per alterum effundi necesse est. Intellectus debet se habere ad instar canis venatici, qui naviter investigat praedam, inventam capit, captam non devorat, sed domino suo eam comedendam tradit : sic intellectus venatur conceptus, sed inventos defert voluntati, potentiarum omnium dominae, ut eos gustet. Potest tamen intellectus aliquid degustare et retinere, sicut canis aliquid sanguinis ferini haurit et degustat. Augustinus, lib. de spiritu et litt. (3),

(1) 3 Reg. 8, 38, 39. (2) Ibidem, et Psalm. 37, 16. (3) Error librarii ; locus enim est S. Augustin. PL. t. 40 de Spiritu et anima, cap. 50, par. 1. col. 816.

orationem definit hoc modo, ut sit conversio in Deum per pium et humilem affectum, quod[a] cum Dei donum sit, a Deo petendum est, ut illam recte petamus et facile obtineamus. Deus enim nemini donum negat eius quod petendum imperat, modo recte petatur (1). Inter gratiae porro munera oratio censetur. Quid enim oremus, ait doctor gentium, nescimus, sed ipse Spiritus docet nos quid orare debeamus. Nullum itaque opus honorabilius est oratione, quoniam in illa Deo ipsi loquimur ; in lectione vero spirituali loquitur nobis Deus.

3. Species orationis sunt tres : una mentalis tantum ; alia vocalis tantum ; tertia ex utraque conflatur. Orationem vocalem tantum praetermittemus, quia, ut ait D. Gregorius in quadam homil. in Evangelium (2), eam non exaudit Deus orationem, cui homo non attendit quando psallit ; et D. Isidorus l. de summo bono (3) : Quid, inquit, prodest strepitus labiorum, ubi cor est mutum ; sicut enim vox sine modulatione est quasi vox porcorum, sic oratio sine devotione est quasi mugitus boum. Oratio, ut ait alibi (4), cordis est non labiorum ; nec enim verba deprecantis Deus intelleget, sed orantis cor respicit. « Melius est orare corde sine sono vocis, quam solo ore sine intuitu mentis ». Pharisaei reprehendebantur a Domino cum diceret (5) : *Populus hic labiis me honorat ; cor autem eorum longe est a me.*

5. Oratio mentalis est elevatio mentis ad Deum, cum quis sine strepitu verborum meditatur et contemplatur divina, petitque a Deo sibi necessaria. De hac Paulus (6) : *Psallam spiritu, psallam et mente ;* et cum Moyses ne verbum [quidem] proferret, sic Deum orabat, quando ei dictum est a Deo (7) : *Quid clamas ad me ?* David quoque saepe huius mentionem facit, ut cum ait de viro iusto : *In lege eius meditabitur die ac nocte* (8). Item, oratio mentalis est quaevis elevatio mentis ad Deum, et quaevis bona consideratio ; denique bonae cogitationes pertinent ad hanc orationem mentalem.

(a) B. prius scripsit *quod*, tum substituit *quae*, sc. conversio. A. duxit quidem lineam supra litteram q, sed adverte sequi *petendum*, non autem *petenda*.

(1) S. Gregor. PL. t. 76 in Evang. l. 2, Hom. 35, n. 9 extr. col. 1265. (2) S. Gregor. PL. t. 76 Moral, l. 22, c. 17, n. 43. col. 238. (3) S. Isid. PL. t. 83 Sentent. l. 3, c. 7, n. 4. col. 672, ubi in notis multi scriptores citantur. Neque hoce loco neque alibi de voce porcorum et boum mugitu legimus. (4) Immo eodem loco, n. 4 ; cui si adicias nn. 18 et 30, totum aliis partim verbis invenies. (5) Matth. 15, 8. (6) 1 Cor. 14, 15. (7) Exod. 14, 15. (8) Psalm. 1, 2.

Oratio vocalis et mentalis simul est, quando quae voce proferuntur mente attenta meditamur ; quae oratio a mentali parum differt, ut ait Granatensis, tract. de Orat. cap. 8 (1), quia effectus exterior non addit aliquid essentiale effectui interiori ; unde petere gratiam a Deo corde tantum, quod pertinet ad orationem mentalem, aut simul corde et ore, non facit ut petitio maior sit aut minor ; quia respectu Dei idem est aut corde solum petere, aut corde et ore.

5. Excellentia orationis mentalis cognoscitur :

1° Ex differentia quae est inter eam et vocalem, hac similitudine, quod nimirum mentalis videatur esse similis pluviae, quae paulatim distillans sensim penetrat ad interiora et radices plantarum, easque fecundat : *Quasi stillae super gramina* (2). *Sicut stillicidia stillantia super terram* (3) ; vocalis autem similis pluviae repentinae et densae, quae superficiem solum terrae attingens, tantummodo eam lavat, et saepe plantas destruit.

2° Oratio mentalis assimilatur refrigerio et quieti, quam fatigatus ex itinere ab aestu et radiis solis adustus, sedens in via sub umbra cuiusdam arboris frondosae, requiescensque sentire solet. Nam ita vires reficit ac se recreat, ut deinceps iter inceptum facile perficiat, iuxta illud (4) : *Sub umbra illius sedi,* quem diligit anima mea, *et fructus eius dulcis gutturi meo.* Qui autem vocaliter orat, non censetur quiescere sub arbore, sed pertransire, quo fit ut neque fructus dulces et suaves colligere possit, neque vires spirituales recreare, neque spiritum devotionis reficere.

3° Excellentia eius cognoscitur, quod fiat cum magna attentione spiritus ; non sic qui vocaliter orant[a], legendo aliquam orationem, vel psallendo ; nam plerumque absque consideratione aliqua, vel perexigua, transcurrunt, significationi tantum verborum attenti ; unde fit ut non possint tantum fructum colligere, nec medullam spiritus penetrare. Contrarium autem accidit in oratione mentali ; nam in ea, toto affectu orans clamat ad Deum iuxta illud (5) : *Clamavi in toto corde meo,* etc. ; et illud (6) : *Holocaustum medullatum offeram tibi,* id est, affectum devotionis ex corde procedentem ; item alibi (7) : *De profundis clamavi ad te Domine, Domine exaudi vocem meam,* etc. Qui igitur vocaliter orat,

(a) *orat.* B : non advertit lineam supra litt. a, neque verbum quod sequitur.

(1) Ludov. Granat. tom. 3 de Oratione, cap. 42 in. p. 292[2] (edit. Coloniensis 1626). (2) Deut. 32, 2. (3) Psalm. 71, 6. (4) Cfr. Cant. 2, 3. (5) Psalm. 118, 145. (6) Psalm. 65, 15. (7) Psalm. 129, 1.

licet attentus sit et mentem elevet, tamen ad modum transeuntis et percurrentis se habet, nec colligit vires, nec commoda illa percipit quae alter, ut melius ac facilius iter suum prosequatur. Consequitur ergo quod mentalis fiat cum maiore attentione spiritus, et orans plus suavitatis et devotionis ex sua oratione percipiat, quia ad medullam usque spiritus intrat. Demum, mentalis clamat fortiter, non ore, sed corde et affectu.

6. Tria solent occasionem dare clamandi (1), et cotidie, ut ait Bernardus, incitare nos deberent ad clamandum ad Deum in oratione : Primum est ignis : quis enim est dies, in quo domus conscientiae nostrae non succendatur igne infernali, id est, concupiscentiae pravae. Secundum aqua ; vix etiam dies est, in quo homo non sentiat fluctus et inundationes malarum cogitationum ; ideo ad Deum clamandum, qui opitulari potest (2) : *Domine salva nos, perimus.* Tertium hostes, quos semper videt homo ad portas arcis suae interioris, ut eam expugnent. Quare et iugiter clamandum est ad Deum, ut succurrat.

« Oratio frequens quandam operatur disciplinam, quia ipse usus docibiles Dei facit, indocibiles orandi neglegentia ». Ita Ambrosius (3) lib. de Caïn et Abel ; Bernardus (4) : Meditatio et oratio, inquit, duo sunt pedes, quibus in caelum ascendimus ; meditatio viam ostendit, oratio deducit.

7. Partes orationis sunt quattuor, quas D. Paulus commemorat (5) : *Observationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones,* quae attendi possunt in multis ecclesiae precibus, ut in collecta SS^mae^ Trinitatis : « Omnipotens sempiterne Deus », ubi notata est elevatio mentis in Deum, et locutio cum Deo ipso ; « Qui dedisti famulis tuis » etc. ubi indicatur gratiarum actio de SS^mae^ Trinitatis mysterio nobis revelato ; « Praesta, quaesumus » : ubi notatur postulatio ; cui adicitur obsecratio : « Per Dominum nostrum Iesum » etc. Vide D. Thomam de Oratione (6).

1° igitur requiritur ut orans accedat et ascendat ad Deum ; 2° necessaria est petitio, quae significatur nomine postulationis, sive aliquid determinate petatur, quae vera est postulatio, sive indeterminate, ut cum quis petit iuvari a Deo ; sive solum factum narretur, ut est sororum ad Christum oratio (7) : *Ecce quem amas infirmatur,* quae

(1) Diu sed frustra haec verba inquisivimus. Cf. S. Bern. t. 183 in Psalm. Qui hab. Serm. 16. col. 247. Et S. Augustin. t. 38 Sermo 88 in v. Matth. n. 12 sqq. col. 545. (2) Matth. 8, 25. (3) S. Ambros. PL. t. 14 Caïn et Abel, l. 2. c. 6, n. 22 b. col. 352. (4) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 1 de S. Andr. n. 10. col. 509. (5) 1 Tim. 2, 1. (6) S. Thom. 2. 2^ae^ q. 83. a. 17. c. (7) Ioann. 11, 3.

insinuatio vocatur. Ibi autem (1) : *Domine, adiuva incredulitatem meam*, postulatio sive petitio exprimitur ; sicuti et ibi : *Dimitte nobis debita nostra ;* item ibi (2) : *Deus, propitius esto mihi peccatori* (3).

8. Ad orationem bene et perfecte faciendam sex ordinarie[a] media assignantur, ut convenientia, si non necessaria omnia, videlicet praeparatio, lectio, meditatio, gratiarum actio, oblatio, petitio : haec enim omnia, vel plura, concurrunt interdum in exercitio orationis.

Primum est praeparatio animi antequam veniatur ad ipsam orationem, iuxta illud (4) : *Ante orationem praepara animam tuam, et noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Ut enim cithara praeparatur antequam pulsetur, ita mens nostra colligere se et praeparare debet cum voluntate ad orationem, et excitandi sunt affectus et animi motus. Praeparatio autem duplex est, una universalis, quae fit per totam vitam ; alia particularis, quae fit paulo ante orationem. Illa consistit in iugi sui custodia et cordis sui cura, ut nihil permittamus in cor ingredi, quod contra Dei sit voluntatem, et quod conscientiam nostram commaculet. Citharaedi antequam serio pulsent, explorant num chordae bene consonent, faciuntque praeludium aliquod. B. P. N. de hac re fuit sollicitus ; voluit enim ut antequam vesperi indormiremus, consideraret quisque quid altero die sibi esset meditandum ; die insequenti, ut quisquam nostrum, ubi surrexisset, pararet se ad orationem, et inter vestiendum se et componendum lectulum, aliquid cogitaret quod eodem spectaret, ut Deum exspectaremus, non autem nos Deus. Nam si rex diceret alicui : Cras tali hora veni, et dabo tibi audientiam, ille vero homo vilis et abiectus se aliis rebus distineret, veniret autem multo post horam condictam, quid rex de homine tali diceret ? Sic Deus semper est prae foribus, et paratus ad audiendum nos, modo neglegentia nostra non desimus nobis.

Debemus ergo nos praeparare : primo per examen conscientiae, ne quicquam afferamus ante Deum, quod ipsi displiceat, vel de quo gemebundi non imploremus eius misericordiam. Debemus attendere ut compositio corporis conveniat officio, ut flectantur genua, vel si non potes, stes tu reverenter. Facias deinde signum crucis ; concipe dolorem de peccatis et delictis, proponendo emendationem, et petendo veniam iuxta illud (5) : *Iustus prior est accusator sui.* Revocanda mens ab omnibus alienis cogitationibus, estque restringenda ad

(a) Sic habet B ; scripsit A *ordinaire.*

(1) Marc. 9, 23. (2) Matth. 6, 12. (3) Luc. 18, 13. (4) Eccli. 18, 23. (5) Prov. 18, 17.

orationis materiam, quod faciendum tamen est cum suavitate, ne caput laedatur. Item repraesentanda est maiestas illa divina ob oculos mentis, tamquam praesens, non alio modo quam si cum illa loqui vellemus, ut humilitas, reverentia et attentio comparentur. Nec erit abs re usurpare illud, quod Abraham dicebat (1) : *Loquar ad Dominum, cum sim pulvis et cinis ;* et illud psalmistae [a] : *Ad te levavi oculos meos, qui habitas in caelis : Ecce sicut oculi servorum in manibus dominae suae, ita oculi nostri ad Dominum Deum nostrum, donec misereatur nostri* (2). Demum, *quia non sumus sufficientes cogitare aliquid* bonum *a nobis quasi ex nobis* (3), invocandus est Spiritus sanctus, ut interius excitet ignem amoris, et det oculis nostris fontem lacrimarum defluentem ex irriguo superiore vel inferiore.

Et haec quidem praeparatio debet esse brevis, quieta et attenta, et ut memoria, intellectus et voluntas applicentur : ut memoria recordetur procedente oratione punctorum propositorum ; intellectus bene intellegat et discurrat ; et ut voluntas denique bene afficiatur et gustet ea ratione, ut in quo puncto senserit maiorem affectionem et devotionem, ibi quiescat, ut docet B. P. N. in libello Exercitiorum.

9. Lectio deinde sequitur, vel potius puncta, quae ex lectione collegimus. Lectio enim debuit praecedere omnem praeparationem iam notatam ad quaerendum, iuxta illud (4) : *Quaerite et invenietis.* Lectionis enim est quaerere ; sed debet haec [b] habere duas condiciones : ut sit videlicet humilis, hoc est, non accedamus ad eam cum praesumptione et superbo spiritu, quem aliquando scientia inflans afferre potest ; secundo sit affectuosa, ut quaeramus affectum, non quae oblectent discursibus intellectum. Debet igitur lectio esse simplex, ne difficultatibus intellectus involvatur, et ideo non subtilis, sed devota et affectuosa. Oportet ergo legere paulatim, cum consideratione, et bene masticare, mandare quoque memoriae, ut puncta meditanda conficiamus. Animalia munda ruminant, masticant, deglutiunt, et iterum ad fauces retrahunt ; item, apes carpunt bona, non ex omnibus floribus, sed ex iis qui ad mel conficiendum conveniunt : sic nos quaerere oportet apta nostro instituto, hoc est fini proposito.

Legimus de quorundam admiranda et stupenda corporis afflictione, de fuga hominum, de solitudine, abstinentia permagna ; nos huius-

(a) *psaltae.* B. ut supra. (b) om. B.

(1) Gen. 18, 27. (2) Psalm. 122, 1-3. (3) 2 Cor. 3, 5. (4) Matth. 7, 7.

modi admirari debemus, non imitari ; nec eas afflictiones corporis fert instituti nostri ratio. Eremitis haec licent, nobis non conveniunt, qui discipulorum Domini inhaeremus vestigiis, ut nostram proximorumque salutem quaeramus et perfectionem. Saul sacrificavit, et Deo displicuit, et a Samuele propheta fuit reprehensus (1).

10. Lectio igitur porrigit cibum solidum et integrum. Meditatio, quae est studiosa mentis agitatio, inquirens et investigans sensum veritatis et spiritus sub cortice lectionis et litterae, quaerit seduloque perpendit quid Deo gratum sit, sibique bonum ac conveniens. Oratio, quae est devota intentio et attentio mentis in Deum, postulat quod meditatio suggerit esse bonum et utile. Lectio itaque quaerit, meditatio invenit et detegit, oratio petit, contemplatio quod oratio obtinuit gustat, et eius sapore perfunditur.

Est enim contemplatio elevatio mentis in Deum, quasi suspensa et sustentata divina gratia et auxilio, dum gustat dulcedinem donorum caelestium anima orantis, seu contemplantis. Eo pertinere videntur Christi verba dicentis (2) : *Quaerite et invenietis, pulsate et aperietur vobis.* Quaerite, inquit, audiendo vel legendo, et invenietis meditando ; pulsate petendo, et aperietur vobis in contemplatione.

11. Lectio igitur cibum porrigit, meditatio capit, frangit ac mandit, oratio obtinet a Deo saporem cibi mansi, contemplatio eius sapore et dulcedine recreatur. Item lectio, seu auditio verbi Dei est ut cortex, meditatio est sucus ; oratio est folium seu flos desiderii boni, contemplatio colligit fructum et eo delectatur. Item lectio divina est ut fundamentum, quod primum occurrit et se repraesentat offertque materiam, nos denique mittit ad meditationem ; meditatio, ostenso thesauri loco, studiose circumfodit, atque scrutatur quid verbi gratia opus sit, quid necessarium, quid Deo gratum, quid appetendum ; effossum denique thesaurum demonstrat, nosque ad orationem remittit, quia ex se nequit nobis illum tradere, seu ex se obtinere. Oratio porro, omnibus suis viribus collectis, omnia sua et conatus dirigit in Deum, in quo videt thesauri potestatem et dominium esse repositum, ab eoque illum petit, ac nos ad contemplationem mittit, ut per eam eius suavitate reficiamur. Contemplatio itaque cum accedit, remunerat labores trium praecedentium exercitiorum, inebrians animam caelesti rore et liquore.

Sunt autem haec quattuor mentis exercitia ita inter se conexa et

(1) 1 Reg. 13, 9-13. (2) Matth. 7, 7.

concatenata, itaque sibi mutuo deserviunt, ut prima absque consequentibus parum aut nihil prosint ; posteriora autem absque primis vix similiter fructum percipiant et proferant. Nam quid iuvat legere et audire multa de divinis, nisi ea meditemur fructum capientes ex eo quod audivimus et legimus ? Quae ergo legimus transmittenda sunt ad interiora animae, ut diligenter penitissimeque consideremus quid Deus velit nos facere secundum statum nostrum. Et quid prodesset nosse per meditationem quid agere, quid fugere debeamus, nisi accedat auxilium gratiae per orationem, seu petitionem, ad illud a Deo obtinendum quod nobis convenire novimus ? Samaritana nos docet hanc praxim (1). Nam illa audivit Christum loquentem de aqua viva gratiae ; secundo ingressa inde est in meditationem, considerando quae aqua illa esse posset ; quod cum intellexisset, ac se ea egere sensisset, progressa est ulterius per orationem, eamque a Domino petiit, dicens (2) : *Domine. da mihi hanc aquam, ut non sitiam* amplius ; quam cum obtinuisset, desiderium eius et affectus, suavitate per contemplationem Messiae accepta, magnopere recreatus fuit et accensus, fruitaque est cognitione et praesentia redemptoris sui sibi revelati. Contemplatio demum absque aliis illis tribus rara est et miraculosa.

12. Tertia pars orationis est meditatio, qua mente consideramus ea quae legimus, intellectu discurrendo per illa. Ideo enim dicitur meditatio, quasi mentis quaedam agitatio aut mentis ititatio[a] per aliquam rem.

Haec duplex esse potest, imaginaria una, intellectualis altera, sicut duplex est eius materia, sive eorum quae meditamur. Quaedam enim solummodo sub intellectum cadunt, v. g. divina attributa et beneficia ; quaedam proprie ad imaginationem pertinent, ut sunt mysteria passsionis et vitae Christi, novissima hominis, iudicium, infernus, etc. Haec enim materia corporalia quaedam repraesentat cum circumstantiis locorum, personarum, temporum, rerum quas imaginatio apprehendere potest, figurando ac sibi repraesentando unam quamque rerum istarum ut accidit, ac si nobis earum rerum imagines ac species praesentes essent ; quod non est difficile prudentibus in praxim deducere. Nam et mundanos cernimus cum delectatione imaginari[b] interdum ac sibi repraesentare congressus, convivia, tripudia,

(a) Sic uterque cod. ; ficta vox ex *itare* aut *ititare*, ut *itio* ex *ire*. (b) *imaginaria*. B ; erravit.

(1) Ioann. 4, 5 sqq. (2) Ibid. v. 15,

conflictus, duces belli, et similia quae viderunt, vel quibus interfuerunt : ita nos, Dei adiuti gratia, possumus imaginari spiritualia, praesertim post exercitationem et magisterium alicuius. Sed advertendum hic est, ne violente[a] fiat haec imaginatio, aut multum continue, quia capiti noceret. Cavendum quoque est a diaboli illusionibus ; nam posset is imprudentem aliquem et curiosum decipere, immittendo illi aliquas species et phantasias sub pallio revelationis seu visionis. Huc pertinet quod docet nos liber exercitiorum de compositione loci.

Duplex autem est eius compositio : externa una, altera interna. Externa debet esse talis ut excitet devotionem, quod fit cum homo rem sibi quasi praesentem — si cadit sub sensum — facit. Nihil enim aliud est haec compositio loci, quam res de quibus meditamur facere nobis praesentes ; ut qui, v. g. imaginatur et constituit ante oculos praesepe, stabulum, personas ibi praesentes ; item Christum baptizatum, Ioannem baptizantem, columbam, vocem auditam, etc. ; sic flagellationem Christi ad columnam ligati, spectantibus turbis et lictoribus, etc. Interna est, cum quis in corde Christum flagellatum ita tenet, ac si in ipso interius illa fierent ; et haec utilior ac perfectior est.

Aliqua porro sunt quae non admittunt loci compositionem, ut si quis meditatur de Dei benignitate, potentia, misericordia. D. Dionysius dicit (1) Deum non melius posse cognosci, quam per negationem et effectus, v. g., non est angelus, non sol, non caelum, sed aliquid maius, et infinite praestantius ; per effectus vero, ut, qui fecit caelum, terram, mare, et omnia ex nihilo.

13. Demum, ut concludamus hanc partem de meditatione, advertendum est obiter hoc assignari posse discrimen inter meditationem et contemplationem, quod illa penetret et ad particularia descendat, ut qui de passione meditatur, considerat attente singula, mysteriaque omnia ponderat. Contemplatio fit absque discursu, quod suavis sit animae quies sine defatigatione concessa. Contingit saepe ut homo incipiat cogitare, postea meditetur, deinde trahatur a spiritu ad varios affectus qui versantur circa rem eandem, sed modo diverso, ut aves volando in aere discursum faciunt varium, in hanc modo, in aliam modo partem, demum post circulos sive discursus in loco quodam quiescunt, atque si dicerent : bonum est nos hic esse. Sic qui cogi-

(a) Sic uterque codex.

(1) S. Dionys. PG. t. 3 de Div. Nomin. cap. 1, § 5. Col. 594 c. Cfr. S. Ioann. Damasc. t. 94 de Fide Orth. l. 1, c. 12 addit. col. 846 c, sqq.

tat — cogitatio enim vaga est et sine intentione — volat huc illuc ad aliam et aliam materiam, deinde meditando circulum facit, et contemplando manet in una re intentus, quiescens suaviter absque ulla evagatione mentis.

14. Quarta pars est gratiarum actio, quae consistit in hoc, ut gratias agamus Deo [primo] pro beneficiis, tum generalibus tum particularibus ; secundo, de mysterio, sive beneficio, quod meditati sumus, ut de passione Christi, de periculis a quibus nos liberavit, de donis caelestibus quibus nos affecit, etc. v. g. si meditemur de inferno, gratias agamus quod in statu peccati non passus sit nos permanere, in quo multi morientes ad inferos descenderunt ; vel, si mavis, congratuleris divinae maiestati et potentiae, sive iustitiae ipsius, quod tantus sit et tam iustus, ut voluerit et potuerit potentissimos illos hostes suos et nostros debitis poenis afficere, et nihilo minus ea ratione, ut eius bonitas et misericordia in punitionem eorum sit conspicua, eos nimirum puniendo citra condignum.

Gratiarum actio ex meditatione sumi debet, ut qui de passione Christi meditatur, gratias agat pro tantis doloribus et cruciatibus quos pro ipso toleravit. Si de peccatis, gratias agat quod Deus tam clementer eum sufferat. Aliquando, ex motu amoris, lacrimas petit, dolorem, desideria bona, amorem virtutis, consolationis gustum. Secundum vero hos affectus formanda est gratiarum actio. Qui libenter agunt gratias, sunt similes beatis in caelo, ubi nihil ab iis auditur quam continua gratiarum actio. Ingratitudo contra valde Deo displicet ; et *Anima, quae benedicit, impinguabitur* (1), ut ait Sapiens in Proverbiis. D. Augustinus dicit quod nihil melius animo geramus, aut ore premamus, aut calamo exprimamus, quam ut Deo gratis agamus ; hoc nec dici brevius, nec agi fructuosius quicquam potest. Et quamvis varia sint ac paene infinita a Deo accepta beneficia, ad decem tamen capita revocari possunt : creationis, redemptionis, gubernationis, conservationis, vocationis ad fidem et religionem, iustificationis, praeservationis a peccatis et malis, inspirationis ad bona, et promissae denique glorificationis.

15. Quinta pars est oblatio. Nam quando homo meditatus est beneficia a Deo accepta, et gratias egit, statim ex affectu cordis prorumpit cum Propheta dicens (2) : *Quid retribuam Domino pro omnibus quae*

(1) Prov. 11, 25. (2) Psalm. 115. 12 (3).

retribuit mihi? Meditans ergo primo offerat patri aeterno calicem Christi, id est, passionem et merita tum vitae tum mortis ipsius, omnes item virtutes, omnes actiones, omnes Christi Domini satisfactiones, dicens (1) : *Protector noster, aspice Deus, et respice in faciem Christi tui.* Secundo, cum hac oblatione se totum offerat tam benigno parenti et benefactori ; offerat, inquam, animam cum omnibus potentiis, corpus cum omnibus sensibus et membris, cogitationes, desideria, verba, opera ; summa : omnes actiones externas et internas, ut sit gratum holocaustum Deo, dicatque cum Propheta (2) : *Holocausta medullata offeram tibi cum incenso arietum.*

16. Sexta et ultima pars orationis est petitio, quae proprie dicitur oratio : *Petite et accipietis* (3) ; atque haec sequitur oblationem. Quando enim se quispiam totum Deo obtulerit, confidenter poterit petere gratias necessarias, intercedentibus maxime meritis Domini nostri Iesu Christi, qui dixit (4) : *Quidquid petieritis patrem in nomine meo, hoc faciam.* Ideo solet ecclesia petitiones suas concludere : Per Dominum nostrum Iesum Christum. Debet autem petitio accommodata esse meditationi ; v. g. si meditatio fuit de morte, peti debet bonus vitae exitus, ut videlicet in gratia Dei moriamur ; si de peccatis, peccatorum remissio petenda est, et sic de ceteris secundum exigentiam meditationis et nostram necessitatem.

17. Petenda sunt autem : 1° quae Christus Dominus postulanda nos docuit septem petitionibus orationis dominicae. 2° Orandum est pro Ecclesia eiusque exaltatione, ac pro eius capite Christi Domini vicario ; pro praelatis, personis ecclesiasticis, pro omnibus iustis ut in gratia conserventur, pro peccatoribus ut convertantur, pro fidelibus defunctis ut a poenis solvantur. 3° Pro principibus christianis, speciatim pro nostris, et pro omnibus, iuxta D. Paulum, in dignitate constitutis. 4° Pro afflictis, infirmis, captivis. 5° Unus quisque pro se iuxta necessitatem suam. 6° Pro Societate universa, speciatim pro R. P. praeposito generali, provinciali, rectore, omnibus superioribus, universa denique provincia, ut Deus det omnibus perseverantiam in bonis, votorum et regularum observationem, copiam virtutum, puritatem intentionis, oboedientiam, discretionem, sui et mundi contemptum, paupertatem spiritus, etc. Poterit etiam alias petere virtutes, quae deserviant solacio superiorum, ut bonam in fratribus nostris disciplinam, mortificationem hominis potissimum interioris, compositio-

(1) Psalm. 83, 10. (2) Psalm. 65, 15. (3) Ioann. 16, 24. (4) Ioann. 14, 13.

nem exterioris, bonum exemplum erga alios, moderationem linguae, custodiam sensuum, etc.

Notandum autem est, hasce partes reduci ad eas quae in exercitiis spiritualibus proponuntur, videlicet orationem praeparatoriam, compositionem loci, praeludia, puncta meditanda, atque colloquium. Nam in oratione praeparatoria comprehenduntur oratio et lectio.

18. Iam dicamus de necessitate. Necessitas orationis patet 1° Quia non possumus bene vivere sine Dei auxilio. *Non enim sufficientes sumus*, ut ait D. Paulus (1), *cogitare aliquid a nobis, tamquam ex nobis ;* ergo si necessarium est bene vivere, necessaria utique est oratio. Et Christus ipse dicit (2) : *Sine me nihil potestis facere ;* immo, ut plurimum talis est cuiusque operatio, qualis est oratio. Quod videre est in Moyse (3) : nam cum ipse oraret in monte, populus vincebat ; dum propter lassitudinem aliquid remittebat de oratione, populus vincebatur ; sic nos quando bene oramus, omnia etiam nobis bene cedunt ; sin remisse, cetera etiam languide vel inordinate facimus. 2° Christus docet necessitatem orationis suo exemplo. Nam in praecipuis suis operibus sacrum evangelium docet ipsum praemisisse orationem, non quidem sibi necessariam, sed ut nos doceret ita fore faciendum ad nostrorum operum perfectionem : ad nostram siquidem doctrinam omnia faciebat. Antequam tentaretur[a], baptizaretur, quadraginta diebus[b] vacavit orationi (4) ; ante transfigurationem oravit, nam dicit evangelista : *et facta est dum oraret* (5) ; antequam panes multiplicaret et pisces, oravit (6) ; similiter quando Lazarum fuit suscitaturus (7) ; quando sacram eucharistiam consecravit (8) ; in horto antequam se traderet in manus impiorum (9) ; in cruce, animam patri traditurus (10). Exemplo ergo eius in omnibus actionibus nostris debemus orationem praemittere ; nam quod illis temporibus fecit, veri simile est alias saepe fecisse. 3° Necessitas orandi, quam in praesenti vita habemus, magna est. Competit enim multum loco in quo sumus, quia versamur in valle miseriae, in loco laboris et certaminis ; ideo nobis necesse est ad Dei misericordiam frequenter orando clamare. Pugna quippe nobis est cum eo de quo scriptum est (11) : *Non est potestas super terram, quae comparetur ei, qui factus est ut nullum timeret.* Oportet ergo crebro petere auxilium a Domino. In futura vita cessabit haec pugna, similiter et oratio huius

(a) deest in B. (b) *dies.* B.

(1) 2 Cor. 3, 5. (2) Ioann. 15, 5. (3) Exod. 17, 11. (4) Matth. 4, 2. (5) Luc. 9, 29. (6) Ioann, 6, 3. 11. (7) Ioann. 11, 41. (8) Matth. 26, 26. (9) Luc. 22, 41. (10) Matth. 27, 46 ; Luc. 23, 34. (11) Iob. 41, 24.

generis. Augustinus in libro de orando Deo (1) multa habet in hanc sententiam.

19. Quia vero diabolus novit utilitatem orationis, eam maxime conatur impedire, ut Philistaeus hostis populi Israelitici, quo facilius inermem opprimeret, arma Israeli abstulit.

Ut vero in summam necessitatem orationis contraham, consideremus quod omnia remedia in nostris malis, et omnia bona quae a Deo accipimus, omnes virtutes, omnem gratiam ab ipso per orationem accipiamus, et per eam peccata omnia depellamus. Ideo D. Bernardus ad fratres de monte Dei scribens dicit (2) : Nemo vestrum, fratres, neglegat orationem, quia Dominus qui orandus est, non parum eam facit. Saepe admonuit Christus apostolos et discipulos suos ut orarent. Ipsemet etiam eam saepe assumpsit, ut exemplum daret et patrem honorificaret. Si optas sufferre incommoda cum patientia, ora ; si cupis subigere passiones, ora ; si cupis cognoscere fallacias diaboli, ora ; si optas vivere laetus et quietus, ora ; si animam tuam implere sanctis desideriis et salutaribus cogitationibus, ora ; si ascendere ad contemplationem, ora. Beda hom. 10 : Ut latro, quando audit strepitum, fugit, et vicini excitantur accurruntque ut ferant suppetias : ita clamat oratio, fugat daemonem, excitat angelos et sanctos ut succurrant.

Cum ergo tanta sit necessitas tantaque utilitas orationis, fratres carissimi, eam crebro usurpemus. Nuntius est illa, valde notus regi et toti eius curiae : novit illa penetrare secreta caelestia ; scit intrare intra secretum silentium noctis, ad cubile secretius regis, et quidem cum necessaria et congrua importunitate ; novit inflectere cor severissimi iudicis, ut mittat auxilium in necessitate constitutis, et tentationes sufferentibus. Maxima itaque sunt quae nobis per orationem promittuntur. Deus faciat ut in ea facienda minime simus desides. Quod nobis concedat Christus Dominus.

(1) S. Augustin. PL. t. 33. col. 496, cap. 5 ; sic videl. inscribitur Epist. 130 ad Probam, et memoratur a P. Lombardo, Sentent. l. 4, dist. 45, cap. 6. PL. t. 192. col. 950. Cfr. t. 34 de Gen. c. Man. l. 2, c. 20, n. 30. col. 212. (2) S. Bern. PL. t. 184 Epist. ad Frat. l. 1. cap. 14, nn. 43, 44. col. 336, 337 a. Ibid. de Inter. Domo, cap. 27, n. 56. col. 537 c. Ibid. de modo bene Vivendi, c. 49, n. 118. col. 1271. Denique tom. 183 Serm. 4 in Ascens. Dni. n. 11. col. 313 a.

38ª Exhortatio

De effectibus orationis et de modo eam bene instituendi

1. Effectus orationis, fratres carissimi, sunt praestantissimi, debentque nos ad eam bene faciendam animare, ut eos sentiamus ad maiorem nostrum spiritualem profectum, et maiorem Dei gloriam. Infirmitatem sanat corporis (1), vitam prolongat ut Ezechiae regi (2), liberat a mortis periculo Susannam (3), liberat ab opprobrio Saram filiam Raguelis (4), illuminat mentem Petri orantis in Ioppe (5), et Paulum triduanae orationi vacantem Damasci (6). Unde Augustinus super illum locum Actuum de D. Petro dicit (7), quod oratione melius solvuntur dubia quam inquisitione multa. — Moyses oratione saepe obtinuit a Deo ut plagae Aegypti remitterentur (8) ; obtinuit victoriam contra Amalec. Vide de Elisaeo 4 Reg. 4, 33 ; de Daniele, Daniel, 3 ; de Tobia, Tob. 8, 6 ; de Iona. Ion. 2, 2 ; de Anna Samuelis, 1 Reg. 1, 12.

Scala illa Iacob in quiete visa (9), cuius pars una caelum, altera terram attingebat, et parti superiori Deus incumbebat, angeli ascendebant et descendebant, quid aliud quam orationis dignitatem et fructum significabat ? Haec enim Deum habet sibi innitentem, dum eius bonitatem considerat et meditatur ; ex altera parte terrae adhaeret, dum nostram miseriam et peccata consideramus. Angeli ascendunt et descendunt, quia et ipsi Deum contemplantur ascendendo, et nostras necessitates descendendo pio affectu considerant, ut nos iuvent, et ascendentes nostra desideria et suspiria ad Deum deferant, et ad nos rursum dona a patre luminum afferant.

Oratione legimus apertum fuisse Moysi mare rubrum (10) ; manna de caelo datum (11), aquas de petra arida pro populo (12) ; aquas amaras dulces factas (13) ; terram fecisse hiatum et Dathan et Abiron cum adhaerentibus deglutivisse (14) ; Eliae precibus clausum fuisse caelum per tres annos et menses sex (15) ; viduae filium surrexisse a mortuis ; aquas Ierichuntinas dulces factas (16) ; Iordanem

(1) Eccli. 38, 9. (2) Is. 38, 5. (3) Daniel. 12, 42. (4) Tob. 3, 11 sqq. (5) Act. 10, 9. (6) Act. 9, 9.11. (7) S. Augustin. PL. t. 38 Serm. 266 vig. Pentec. n. 6. col. 1227 extr. (Tunc autem...) et 1228, ubi rem habes ; verum eadem paene verba leguntur tom. 33 Epist. 147 ad Paulinam, n. 1 a. extr. col. 597. (8) Exod. cap. 7 et 17. (9) Gen. 28, 12. (10) Ex. 14, 15. (11) Ex 16., 12. (12) supple *datas*, sc. ad Mara in deserto Exod. 17, 4. (13) Exod. 15, 25. (14) Num.16, 15. 22. (15) 3 Reg. 17, 1. (16) 4 Reg. 2, 22.

iter per alveum suum populo praebuisse. Oratio denique sola vincit omnipotentem. Memineritis, fratres carissimi, Davidem euntem in necem Nabal, non solum placatum fuisse oratione Abigail (1), sed in eius amore adeo incensum, ut eam in sponsam paulo post acceperit. Quid facturum cum animabus nostris existimamus Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis, cui proprium est misereri, si accensa oratione eum deprecabimur ? Non solum humili oratione nobis placabitur, sed et animas nostras ad convivium suum spirituale admittet. Memineritis quid fecerit humili oratione publicani permotus, quid Chananaeae contulerit, quid leprosis decem, quid caecis et aliis pluribus.

2. Sed petet fortassis aliquis, qui fiat quod, cum oratio tam efficax sit talesque effectus habeat sitque Deo tam grata, ego tamen huiusmodi effectus non sentiam ? Immo permultis video orationem esse gravem, et tolerabilius esse magno labore diem integram transmittere, quam orationi per unam atque alteram horam vacare. Respondeo non id provenire orationis vitio, sed ex indispositione vel ignoratione eorum, qui eminus et a longe confuseque res divinas considerant ; unde diversimode de eis iudicant. Sunt nimirum sicuti rustici, qui solem a longe contemplantes, eum rotis plaustri sui minorem putant. Oportet igitur eos qui bene orare volunt, propius ad res divinas accedere, ac de iis maiorem aestimationem concipere ; hoc si faciant, aliter procul dubio sentient se affici. Ut enim cibus licet sapidissimus, nisi dentibus atteratur non sapit, nec sumptus, nisi naturali calore concoquatur ac digeratur, incorporari potest, seu in substantiam sumentis converti viresque augere : ita res divinae licet sapidissimae sint, nisi bene ruminentur in oratione, nihil aut parum sapiunt, neque calore caritatis digeruntur, viresque augent animae, quod facerent alioqui incredibiliter ; unde psalmista ait (2) : *Accedite ad eum et illuminamini, et facies vestrae non confundentur.*

Quando Deo in oratione assistis, in timore ac tremore coram illo te compone, cogitationes ac curas omnes rerum inferiorum ex corde tuo abice. Conare esse toto tempore orationis totus ignitus, totus velut caelestis angelus, ut oratio tua sit pura, sancta et immaculata atque irreprehensibilis ; et cum illam ascendere viderint portae caelestes, confestim et ultro ei pateant, et eam cernentes angeli et archangeli, illi certatim occurrant, ut eam ad thronum maiestatis

(1) 1 Reg. 25, 24 sqq. (2) Psalm. 33, 6.

divinae deferant ; sis, inquam, tempore orationis ante Deum, ut sunt indesinenter cherubim illi atque seraphim.

Magna erat opinio reginae Sabae de Salomone ; sed ubi coram inspexit et consideravit ordinem domus eius, non habuit ultra spiritum prae magnitudine admirationis et delectationis qua rapiebatur (1). Sic accidit eis qui post aliquod tempus in ea exercitatione orandi operam posuerunt, ut tandem perspicacioris mentis oculo res divinas intueantur.

3. Unde vero proficiscitur haec debilitas apprehensionis, et qui fit, ut qui in saeculo ferventes erant orando, facti religiosi langueant ? Respondeo, quod attinet ad primum, multis id ex causis oriri posse : 1° Ex immortificatione voluntatis, quae tenebris intellectum offuscat, ne clare divina intellegat et efficaciter apprehendat. 2° Ex neglegenti custodia sensuum : non abstinent a multiloquio ; inordinato visui, curioso auditui, oblectationi rerum harum caducarum indulgent, etc. Philosophi antiqui, ob studium contemplationis rerum naturalium, in solitudinem secedebant ; quid decet facere religiosum, cuius praecipuae partes esse debent de divinis rebus meditari ? Nonne Deus animae, quam in sponsam elegit, dicit (2) : *Ducam eam in solitudinem, et loquar ad cor eius ?* In solitudine religiosus degit, quando collectus in se manet et non implicat se aliis.

Ad alterum respondeo, id accidere, quia homines in saeculo communiter temporalibus rebus addicti esse solent, non facile revocarentur[a] ab intensiore illo affectu, nisi magna vi fervoris et delectationis. Ideo igitur Deus, ut illos abstrahat ab inordinato illo amore, dat illis devotionis fervorem. Postquam vero per religionis ingressum abstracti sunt, defervescit ille ardor sensibilisque consolatio, ut perfectius Deum amare, et maiore cum indifferentia animique aequabilitate Deo servire assuescant. Non minus ergo aestimandum est beneficium hoc[b] posterius quam prius ; iuvat enim ut nos per ignem et aquam deducamur in refrigerium. Gerit se Deus videlicet nobiscum ad instar venatoris, qui ut animalia venetur, cibum et escam effundit abunde, sed captis animalibus parce ea nutrit et fovet. Cavendum est tamen, ne etiam ob neglegentiam et socordiam perdamus divinum beneficium, sicuti ille qui nactus rem pretiosam, eam ex continuo usu videtur neglegere, nec tantopere delectari, nec tam caute custodire.

(a) Sic uterque codex : exspectares *revocantur*... aut rectius fortasse fuit omisisse *esse solent*. (b) *hoc beneficium*. B.

(1) 3 Reg. 10, 5. (2) Os. 2, 14.

4. Ut non idem hominis semper est status, ita varii contingunt ei affectus : aliquando tristis est, aliquando laetus ; varius denique est hominis status. In Propheta hi diversi status apparent ; nam laetus totus excitatus dicit (1) : *Benedic, anima mea, Domino, et omnia quae intra me sunt nomini sancto eius ;* aliquando vero tristis exclamat (2) : *Quare tristis es, anima mea, et quare conturbas me ?* Quando ab inimicis vexabatur, aiebat (3) : *Domine, quid multiplicati sunt, qui tribulant me ?* Ita nos quando desolationem sentimus et in oratione languorem, clamamus (4) : *Domine vim patior, responde pro me.* Sed debemus nos incitare suaviter, componendis affectibus nostris ex subiecto orationis, vel ad laetitiam ex gloriae caelestis repraesentatione, vel ex passionis Christi meditatione ad dolorem et tristitiam.

Multi autem affectus esse possunt in oratione, sed reduci possunt ad hos :

Primus affectus est compassionis, dum Christum Dominum pro nobis patientem nobis repraesentamus ; item, dum poenas purgatorii, quas animae ibi detentae sustinent, meditamur.

Secundus, compunctionis, dum sentimus dolorem de peccatis et de imperfectionibus nostris.

Tertius, desiderii imitandi Christi vestigia vel Sanctorum, ut quando quis audit vel meditatur Christi actiones, Sanctorum vitas, affectum excitat ad eiusdem Sancti imitationem ; ut fecit B. P. N. qui saccum, id est vilem pannum nauticum induit, ut Christi amore et exemplo paupertatem coleret.

Quartus, gratitudinis, ut cum homo sentit se impelli ad agendum gratias, non solum propter beneficia in se collata, sed etiam propter omnia quae ad Dei gloriam fieri videt ; ut quando audit peccatores converti.

Quintus, admirationis, qui affectus ex variis elicitur ; ut ex nimia caritate Dei, dum eius patientiam et longanimitatem considero, qua me tam diu suffert peccatorem, tot sustinet concubinarios, tot usurarios ; item dum considero profunda eius iudicia, quod iustos in hac vita affligat, ut eos beet in altera ; insuper, dum eius potentiam considero eiusque sapientiam ac bonitatem erga creaturas.

Sextus est gaudii, ex consideratione vitae aeternae, gloriae et maiestatis divinae, conversionis infidelium et peccatorum, ut faciebat Propheta cum diceret (5) : *Cor meum, et caro mea exsultaverunt in Deum vivum.*

(1) Psalm. 102, 1. (2) Psalm. 41, 6. (3) Psalm. 3, 2. (4) Is. 38, 14. (5) Psalm. 83, 3.

Alii multi affectus contingere possunt, ut fiduciae, timoris, odii peccatorum, tristitiae de offensis Dei ; sed illi sunt frequentiores quos commemoravimus.

Iam dicamus aliqua de modo quem tenere debemus ; nam plura dicturi sumus alibi.

5. Etsi igitur oratio sit elevatio mentis in Deum vel in res Dei, sciendum tamen est, quod non sit oratio ordinata ad intellectionem solum, seu speculationem. Nam qui in speculatione consistit, non est ille dicendus orare, sed is qui, quod intellegit, ad actionem seu opus refert ; finis enim orationis est opus voluntatis, videlicet amare, bonum propositum concipere, attendere ad bonas inspirationes, accurata et diligens earum exsecutio, passionum et vitiorum mortificatio, virtutis alicuius exercitatio, maior in Deum affectus, sui ipsius neglectus, desiderium earum virtutum quae sibi desunt, vitiorum suorum cognitio, ad haec eradicanda seria mediorum meditatio ; denique devotio, fervor, zelus salutis animarum.

In ipsa oratione cavenda est curiositas. Nam aliqui quaerunt conceptus et similitudines, quod non promovet affectum. Quando incidit figura veteris testamenti aut novi, applicare oportet omnia, et referre ad affectum excitandum seu inflammandum.

6. Quando bene succedit oratio sentisque te moveri ad affectum caritatis aut vehemens gratiae desiderium, non transeas ad alia puncta, sed haereas in uno quam diu durat devotio, gustus et sapor meditationis ; quia tunc signum est quod spiritus sanctus velit affectum tuum movere. Est is fortassis somnus sponsae, a quo sponsus nolebat illam excitari (1) : *Adiuro vos, filiae Ierusalem, ne suscitetis dilectam,* etc.

Addo quod sive contingat ariditas, sive languor et tepiditas, non ideo perturberis, nam id esset favere tentatori ; sed excita desideria, interdum etiam exclama (2) : *O Domine, anima mea sicut terra sine aqua tibi !* O Domine (3), tu nosti figmentum tuum, et cogitationes meas quia vanae sunt. Aperi manum tuam Domine, porrige dexteram (4). Haec, inquam, et similia tractim et cum desiderio et affectu quo possumus, humiliter sunt ruminanda. Quod si progrediendo non sentias consolationem, humilia te nihilo minus, et mirare quod Deus te sustineat, dicasque cum propheta Iob (5) : *Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum cor tuum ?* Subiunge tamen

(1) Cant. 2, 7. (2) Psalm. 142, 6. (3) Cfr. Psalm. 102, 14. (4) Cfr. Eccli, 7, 36. (5) Iob. 7, 17.

cum magna fiducia illud Prophetae (1) : *Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum,* et excitare et gaude, agnosceque Dei beneficium, ut potes, quod Deus te puniat, quod te purget pro maiore bono tuo, et totum te committe divinae eius voluntati, addeque gratiarum actionem.

7. Post orationem contine mentem tuam, ne nimium vagetur, et agnosce ariditatem praecedentem, poenam exstitisse peccati ante admissi, nimia effusione mentis ad captandas consolationes humanas et terrenas. Confide : arbores in hieme fructum non ferunt, non sunt tamen propterea mortuae vel otiosae ; nam licet ob frigoris asperitatem non ferant fructum, neque frondes proferant exterius, operantur tamen interius et radices altius profundiusque figunt et multiplicant, attrahuntque ad se terrae sucum et umorem abundantem. Ita nobis faciendum est tempore desolationis. Humiliemus nos videlicet magis ac profundius, sucumque sanctorum desideriorum ac vires attrahamus, ut collecto patientiae et fortitudinis spiritu et diuturnae humilitatis sensu, omni spiritui superbiae et inconstantiae ac impatientiae vento resistere valeamus, consolationemque exspectemus dicentes (2) : *Etiam si occideris me, in te sperabo ;* sic videlicet faciemus de desolatione et tentatione proventum, ac sicut pavo et alia animalia quae veneno pascuntur, illud in naturam suam convertunt, ita nos omnia convertemus in bonum. Sic faciendo tandem cum Moyse dabitur accedere ad rubum ardentem (3), et solutis calceamentis et affectibus terrenis, audiemus arcana Dei et Deum interius nobis loquentem.

Hanc fiduciam commendat D. Iacobus (4) : *Postulet in fide, nihil haesitans ;* et Christus (5) : Quidquid orantes petitis, credite quia accipietis et fiet vobis. Haec fiducia consistit in Dei misericordia infinita. Hanc habuit princeps synagogae, confidens nimirum quod si Christus intraret in domum suam (6), sanaret filiam, sicuti illi a Deo concessum est. Maiorem vero habuit mulier, quae tetigit fimbriam eius, et sanata est a profluvio sanguinis (7). Maiorem vero hac centurio : *Domine, non sum dignus ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo et sanabitur puer meus* (8).

Sed habeat fiducia, ut ante insinuatum est, sociam humilitatem : *Oratio* siquidem *humiliantis se nubes penetrabit* (9). Sic orabat publicanus evangelicus, qui nolebat oculos ad caelum tollere, et iustificatus est (10) ;

(1) Psalm. 56, 8. (2) Iob. 13, 15. (3) Exod. 3, 3 sqq. (4) Iac. 1, 6. (5) Cfr. Marc. 11. 24 ; Ioann. 15, 7. (6) Matth. 9, 18. (7) Matth, 9, 20. (8) Matth. 8, 8. (9) Eccli. 35, 21. (10) Luc. 18, 14.

sic rex Achab licet impius, per humilitatem tamen impetravit a Domino quod secundum iustitiam ei non debebatur (1). Haec humilitas consistit in cognitione propriae vilitatis et miseriae, et in consideratione immensae maiestatis divinae. Debet et puritas conscientiae comitari; nam peccatores Deus non exaudit, *Sed si quis Dei cultor est* (2); et alibi dicitur (3) : quod *Si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum, et quidquid petierimus, accipiemus ab eo ;* et Apostolus (4) : *Volo viros orare in omni loco, levantes puras manus ;* et psalmista (5) : *Si iniquitatem aspexi in corde meo, non exaudiet Deus.* Contra peccatores orantes invehitur Deus (6) ; non quod peccatoribus non liceat orare ; licet sane, et veniam peccatorum postulare : David, latro, Magdalena, et alii multi peccatores oraverunt, et exauditi sunt ; sed de iis sermo est qui in peccatis manent, et in peccatis perseverant, quibus dicitur (7) : *Lavamini, mundi estote ;* quasi dicat Dominus : et ego exaudiam vos. Postremo patientia et perseverantia necessariae sunt, ne ab oratione deficiamus, si quod petimus statim non consequamur ; Dominus enim interdum, ut probet suos, solet differre quod a principio statuit dare. Patet ex parabola petentis tres panes ab amico de nocte (8). Multa in hanc sententiam habet D. Augustinus. in epist. ad Probam (9).

8. Accedere oportet ad orationem uti pauper mendicus ad divitem. Considerat nimirum suam vilitatem et indigentiam, humiliat se : sic nos consideremus nostram miseriam, humiliemus nos, et quanta cum reverentia possumus accedamus. Deponamus deinde omnem curam et sollicitudinem rerum inferiorum et amorem rerum omnium terrenarum, omnes imaginationes, cogitationes, phantasias exuamus, ut sine comitatu terreno ad thronum exauditionis accedamus.

In oratione varii diverse se habent. Nam aliqui sunt qui summa aviditate quaerunt consolationes, et minus accipiunt, quia se impediunt. Vult enim Deus animum paratum et aequabilem. Alii non curant consolationes, nec eas habere student, sed cum ariditate sua se proficere posse putant ; qui falluntur, quia consolationes sunt optandae, quaerendae ac fovendae, sed non cum anxietate. Alii moderate se gerunt, et exspectant, donec devotio sicut ros cadat de caelo super ariditatem animae, sive patienter sustinendo inopiam affectus cordis.

(1) 3 Reg. 21, 29. (2) Ioann. 9, 31. (3) 1 Ioann. 3, 21. 22. (4) 1 Tim. 2, 8. (5) Psalm. 65, 18. (6) Is. 1, 13 sqq. (7) Is. 1, 16. (8) Luc. 11, 8. (9) S. August. PL. t. 33 Epist. 130 ad Probam, cap. 8, n. 15. col. 500. Vide notam 1. pag. 651.

Expedit etiam ut postulemus aliorum orationes, nec simus contenti solis nostris. Exemplum praebet nobis sacra scriptura in Ezechiam[a] regem, qui magis fidens alienis precibus et meritis quam suis, misit nuntios ad Isaiam prophetam (1), ut oraret Deum pro se et populo suo, ut Deus dignaretur misericordiam suam ipsis impertiri, liberareque ex angustiis, in quibus versabantur ob Sennacherib exitium ipsis intentantem. Sic fecit Esther (2), quando ingressura fuit ad regem pro salute populi ; sic Iudith (3), quando obsidebatur Bethulia ab Holopherne ; sic alii plurimi, ut docet sacra scriptura. Neque tantum debemus expetere, fratres carissimi, orationes sanctorum ac perfectorum, sed et debilium et imperfectorum, nam Christus ipse, licet non egeret, voluit tamen, vicinus passioni, ut apostoli secum orarent : *Vigilate*, inquit (4), *et orate*. Preces multitudinis gratae sunt Deo, licet intermixti sint imperfecti, et exaudiuntur facilius : *Orate pro invicem ut salvemini* (5). In Paralip. ostenditur orationem multorum prodesse multum (6) ; orarunt enim Ezechias et propheta Isaias, et liberata fuit civitas Hierusalem, et inimici interempti ac profligati. Christus Dominus dicit (7) : *Si duo ex vobis consenserint super terram, de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a patre meo*. Consentiendum autem est quando fit oratio, quia omnis rancor et odium abicienda sunt, ut oratio sit precanti meritoria, et aliis magis profutura. Sicuti in musica, quo voces magis consentiunt, melior et suavior est harmonia, magisque delectat : sic nec Deus delectatur multitudinis precibus nisi consentiant et concordes sint. Apud Matthaeum (8) indicatur causa, quam ob rem Deus exaudiat eos qui inter se consentiunt et concordant, nimirum quod in medio eorum sit, ut explicat etiam Origenes eundem locum Matthaei.

Incumbamus ergo, fratres carissimi, serio orationi, praesertim quando alii orant ex statis temporibus nostris, quia multo efficacior est oratio nostra, quando coniungitur cum aliis. Neque fallatur quispiam, si tardaverit Deus largiri ipsi petitionem suam ; non desistat clamare, neque, quasi non exauditus, languore atque torpore deficiat. Ostendisti, Iesu optime, importunitatem et perseverantiam tibi esse pergratam in Chananaea ; nam et ipsa dilationem passa est, nec cito sua potita est petitione, adeo ut et discipuli, moti commiseratione eius, ad te Domine Deus accesserint, et pro illa re interpellantes dicerent (9) : *Dimitte illam, quia clamat post nos*. Numquid abiecisti

(a) Sic uterque codex.

(1) 4 Reg. 19, 2. (2) Esth. 4, 16. (3) Iudith, 8, 32. (4) Marc. 14, 38. (5) Iac. 5, 16. (6) 2 Par. 32, 20. (7) Matth. 18, 19. (8) Matth. 18, 20. (9) Matth. 15, 23.

illam in finem ? nonne paululum distulisti, et dedisti ei postea petitiones eius ? Illius ergo et nos exemplo, fratres mei, discamus, si continuo non exaudimur, in oratione persistere ; neque uno vel altero die, sed per multos dies idem petamus et repetamus, donec conversus ad nos Deus clementissimus benedicat nobis. Quamvis enim peccatores simus, accipiemus tamen, sicut et mulier alienigena et Chananaea, et Christus Dominus ita nos facere mandavit : *Quis*, ait (1), *ex vobis habebit amicum, et ibit ad illum media nocte, etc.* ; et (2) : *Exspectans exspectavi Dominum, et intendit mihi.*

39ª Exhortatio

De oratione quoad tempus, locum, situm et habitudinem corporis

1. Tempus orandi, fratres carissimi, est tota vita. Sic enim Dominus orandi tempus determinavit (3) : *Oportet*, inquit, *semper orare, et non deficere.* Bellum quippe semper nobis est ; et *militia est vita hominis super terram* (4). Caro, sanguis, daemon semper insidiantur, semper urgent, pericula numquam desunt ; egemus itaque continenter adiutorio altissimi. Sed vacandum est praecipue orationi, quando maior est necessitas, vel quando desideramus aliquam gratiam nobis valde profuturam ; tunc enim instandum apud Deum, qui eam dare potest et conservare. Nam, ut ait Gregorius (5) : Cito bonum amittitur, nisi a largiente custodiatur ; vel denique, quando aliquod opus arduum facturi sumus, aut imminet nobis vel proximis tribulatio. Ideo Dominus electurus apostolos orationem praemisit, ut nobis exemplum daret ; et imminente passione ter oravit, et orationem multum protendit. Apostoli a passione Domini in oratione perseverarunt usque ad ascensionem Domini (6), et docebant populum orationi insistere (7), *Perseverantes erant in doctrina apostolorum et communicatione fractionis panis et orationis.* Et iterum dicitur (8) : *Cotidie perdurantes unanimiter in oratione et frangentes circa domos*

(1) Luc. 11, 5. (2) Psalm. 39, 1. (3) Luc. 18, 1. (4) Iob. 7, 1. (5) Verba non reperimus ; sed cf. S. Gregor. PL. t. 79 in Psalm. Paen. 6, n. 2 sq. col. 633. (6) Act. 1, 3 sqq. (7) ibid. 2, 42. (8) ibid. 46.

panem. Qui cotidie indiget, cotidie petit. Ecquis vero nostrum, fratres carissimi, qui semper non egeat divino auxilio vel praesidio? Adde quod qui vere esurit, totiens et tam diu petit cibum, donec corporis necessitati satisfecerit ; nos porro esurire debemus indesinenter populorum salutem. Ille cibus noster esse debet ; nam et Christus dicebat (1) : *Meus cibus est ut faciam voluntatem eius qui misit me,* id est, ut incumbam saluti animarum.

Petere igitur ac continenter clamare ad Deum debemus, non quidem clamore oris, quod vires humanae non ferunt, sed clamore cordis et manuum extensione ad opus Dei. Istud est semper et sine intermissione orare, opere nimirum vel ore Deum laudare. Quare nemo se excuset quod orare semper nequeat, et quod debeat interdum negotiis externis vacare et implicari. Nam etiam negotiis implicitus, praesertim quando sua in Societate ministeria quis obit, ubicumque sit, et quidquid agat, altare suum construere potest, et sacrificium laudis Deo offerre. Onus Christi mentem non impedit quin possit ad Deum attolli. Officia, inquam, Societatis, et quae pro Christi honore et servitio instituta sunt, non impediunt volatum et quietem animae, si alae officium praestent. Sunt autem illae contemptus rerum temporalium, et opera caritatis erga proximos, et cura disciplinae, quae non impediunt sed promovent volatum ; sicuti alae iuvant avem, vela navem, rotae currum et equos.

D. Bernardus (2) temporis opportunitatem assignat, tempus matutinum, vespertinum et nocturnum. Ut enim mane oremus, monemur ex exemplo Christi (3) ; nam *diluculo valde surgens abiit in locum desertum, ibique orabat.* Ut vespere, hoc exemplo (4) : *Ascendit* enim *in montem solus orare ; vespere autem facto solus erat ibi.* Ut vero nocturno tempore, exemplum habemus (5) : *Erat pernoctans* Christus *in oratione.*

2. Quod attinet ad locum. Quamvis religiosus in omni loco — ut Christus Dominus Samaritanae insinuavit — orare possit, convenientius tamen et commodius id facit in cubiculo, vel in templo, vel denique in occulto. *Domus mea, inquit* (6) *domus orationis est* ; et Salomon (7) : *Cum venerit ergo,* ait, populus tuus, *et oraverit in hoc loco, tu exaudies in caelo.* Christus Dominus in locum altum consuevit ascendere ad orandum (8) : *Ascendit in montem solus orare.* B. P. N. Ignatius solebat in turrim domesticam, quae rubra dicebatur, ascen-

(1) Ioann. 4, 34. (2) S. Bern, PL. t. 184 Serm. ad Fratres de monte Dei, l. 1, c. 10, n. 29. col. 326 b. (3) Marc. 1, 35. (4) Matth. 14, 23. (5) Luc. 6, 12. (6) Luc. 19, 46. (7) 3 Reg. 8, 42. (8) Matth. 14, 23.

dere, ut meditaretur et oraret, Christi exemplo. In cubiculo cordis et secreto possumus ubique orare per elevationem mentis, quoniam in omni loco inveneniemus locum dominationis eius (1). Ionas etiam in ventre ceti orabat (2) : *Clamavi de tribulatione mea,* inquit, *ad Dominum et exaudivit me ; de ventre inferi clamavi, et exaudisti vocem meam.* Sed in loco sacro est peculiaris assistentia angelorum, qui inde accipiunt fidelium preces et oblationes quas Deo offerunt. Legimus in Apocalypsi angelum offerre incensum Domino (3), id est orationes sanctorum ; et psalmista (4) : *In conspectu angelorum psallam tibi.* — Ieremias tamen orat in caeno, et Dominum exorat (5). Iob orat in sterquilinio, et Deum reddit sibi propitium ; Daniel in lacu leonum, et impetrat ; Iudith in tentorio Holophernis, et victoriam obtinet ; Susanna in iudicio, Petrus in carcere, Paulus in navigio, et obtinet vitam his qui secum vehebantur.

In sacris litteris, si attendas, videbis alios sanctos orare in laboribus, in sudoribus, in lassitudine, in fatigatione. Sic et nos, fratres carissimi, licet laboremus, iter faciamus, in foro, in plateis versemur, in hospitiis agamus, orare possumus et convertere animum nostrum ad Deum, ut oratio sit nobis familiaris sive mentis elevatio, euntibus, redeuntibus, visitantibus aegros, confessiones audientibus, domi ad mensam ministrantibus, in penu exsistentibus, et cibum aliis parantibus. Ubicumque simus, animum ac mentem ad Deum dirigamus. Ubique est locus dominationis eius ; ubique magnum misericordiae eius pelagus. Breve verbum est, Domine miserere mei ; brevis, sed efficax motus cordis in Deum.

3. Quod ad situm et compositionem corporis attinet, nihil hic certe dicere ausim. Puto satius esse id eorum iudicio relinqui, qui experti sunt hunc vel illum modum in oratione sibi magis profuisse ad orationis finem, quem esse diximus voluntatis opus, id est amorem et affectum in Deum, opus denique caritatis in proximos. Habenda tamen est eius orationis ratio quae publice fit, ut in templo, quia tunc decorum et usum communem servari convenit. Carthusiani patres procumbunt extensi toti in terram ; patres D. Francisci extendunt in formam crucis brachia, etiam publice ; et quilibet ordo, etiam publice, pro decore habere debet, servare suos ritus ; nam sic aedificant ecclesiam Dei. Nec aedificaret, qui cum eiusdem ordinis et habitus sit, aliter se in oratione componeret quam alii. Sic nos

(1) Psalm. **102, 22.** (2) Ion. **2, 3.** (3) Apoc. 8, 3. 4. (4) Psalm. **137, 1.**
(5) Ierem. 38, 6 sqq.

rationem Societatis, quae communis est honestis sacerdotibus, servare debemus. David iacens oravit, quando deprecatus est Deum pro parvulo ; dicitur enim (1) : *Et ingressus seorsum iacuit super terram.* Et Ezechias iacens in lectulo convertit se ad parietem et oravit Dominum. Moyses vero sedens super lapidem oravit, dum Iosue dimicabat contra Amalec, sed brachiis extensis et elevatis in caelum. Elias iacens sub iunipero, petiit animae suae ut moreretur. Iudith stans ante Holophernem, oravit Dominum ut se confirmaret.

Ex quibus patet variam fuisse in variis compositionem corporis. Sed et aliis modis alios orasse legimus, ut elevatis manibus in caelum, item oculis in caelum sublevatis ; alios capite et genibus flexis in terram ; Christum Dominum corpore prostratum et saepe oculis in caelum sublatis. Flexis genibus orabat Apostolus : *Flecto,* inquit (2), *genua mea ad Deum.* S. Stephanum inter saxa legimus flexis genibus orasse ; Eliam in vertice Carmeli pronum in terram orasse, et posuisse faciem suam inter genua orando, quando oravit pro pluvia ; Elisaeum incurvatum super puerum ; et in Apocalypsi, viginti quattuor seniores habuisse cytharas aureas coram agno, et adorasse, etc. Et hi qui iacentes orant, humilitatis affectum indicant, ad quem praecipue recordatio humanae condicionis invitat. Unde Iob (3) : *Memento, quaeso, quod sicut lutum me feceris.* In iis qui sedentes orant, contemplationis quies et otium designatur. David, cum ei Dominus dedisset requiem, ingressus sedet coram Domino, et ait (4) : *Quis ego sum,* Deus meus, *et quae domus mea* ? In iis autem, qui stantes orant, desiderium patriae caelestis significatur, ad quod maxime spes promissionis supernae inducit (5) : *Laetatus sum in his, quae dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus ; stantes erant pedes nostri in atriis tuis Hierusalem.*

Ii denique, qui flexis genibus orant, et expansis manibus vel elevatis oculis, illum sequuntur qui in canticis dicit (6) : *Trahe me, post te curremus,* etc. Hunc modum reliquis praeferendum prudentiores iudicant.

4. Pauca iam dicamus de abusibus, qui irrepere possunt circa actum orationis mentalis.

Unus est, si quis meditari se putat, eruendo varios conceptus, quasi melius ille censeatur meditatus qui plures eruerit ; hoc enim potius est studere, vel ad contionem se parare, quam orare. Et ideo

(1) 2 Reg. 12, 16. (2) Ephes. 3, 14. (3) Iob, 10, 9. (4) 2 Reg. 7, 18. (5) Psalm. 121, 1. 2. (6) Cant. 1, 3.

contionatores Societatis non satisfaciunt regulae et instituto, tempore orationis contiones suas contexendo, nisi omnia referant ad affectum et motum cordis, ut conceptus in oratione inventi affectibus accendantur, ut utiliores sint ad movendum et contionatorem et auditores inter contionandum.

2us abusus est, si quis conetur per[a] totam historiam aut puncta sibi proposita discurrere, nihil sollicitus de fine meditationis, quem diximus esse concipere magnum amorem in Deum, et zelum honoris eius, ac salutis animarum, et desiderium emendandi vitam suam, et eam ad exemplum Christi componere.

3us est eorum qui multum desudant, in quaerendo gustu spirituali ponentes praecipuum fructum et effectum orationis ; unde tantam sibi vim inferunt, ut noceant capiti vel pectori.

4us In pari errore sunt, qui laborant plus aequo in compositione loci orationis initio, cum praeludia illa, sive loci compositio et oratio praeparatoria, de quibus exercitiorum libellus, fieri debeant breviter et absque conatu, quia substantia orationis ponenda est in ipsa meditatione ; meditari autem est considerare, seu ponderare, aestimareque res propositas in punctis ; non enim est consideratio simplex aut levis, sed incensa et spatiosa.

5us est eorum qui sibi proponunt res multas ac multa puncta, unde fit ut nullum bene ponderetur, cum tamen praestet bene ponderari unum ad sui emendationem et profectum, id est, cum reflexione super se, quam decem puncta male breviterque percurrere.

6us eorum est qui sinunt gustum conceptus sui nimium effervescere ; nimius enim fervor reprimendus est, ne pectori vel organis capitis noceat.

7us est sibi persuadere, quod sua diligentia et studio possit quis conservare gustum hunc et consolationem sensibilem in oratione perceptam ; proinde conatus vehementes et continuos adhibent imprudentius, ut in eo statu se conservent, ac sic se laedunt. Est autem superbia quaedam occulta potius quam devotio, quae obturat fontem gratiae Dei, et corpus atterit ac prosternit. Praestat igitur se humiliare et de se diffidere, quam velle propria industria et studio conscendere quo non licet per infirmitatem nostram.

5. Ut haec incommoda declinemus, sunt nobis initio proponendae res certae, ordinatae et paucae, quae bene ruminari et gustari possint, quas ubi ratione lustraveris, continuo pes intellectus consistat,

(a) *per* supra lin. A, om. B.

pes autem affectus progrediatur, ut ex rerum ponderatione fructus optatus percipi possit. Deinde, non insistatur in corporalibus imaginibus, sed ex iis transeatur breviter ad invisibilia ; uti enim iis debemus tantum ut mediis ad haec invisibilia percipienda, ut ait Apostolus (1) : *Invisibilia Dei a creatura mundi, per ea quae facta sunt, intellecta, conspiciuntur.*

Ex vehementi porro imaginatione duo solent maxima incommoda proficisci, scilicet nimia debilitatio capitis, et illusio quaedam deliratoria, dum realiter id evenire quis putat ob vehementiam imaginationis, quod per imaginationem conspexit.

6. Unde nota duplicem esse meditationem, scilicet, intellectivam et imaginariam, ut est duplex eius materia. Nam materia eorum quae meditamur, quaedam sub intellectum tantum cadit, ut sunt attributa divina ; et quaedam alia, quae proprie pertinet ad imaginationem, ut sunt mysteria incarnationis Christi Domini, poenae inferni, etc. ; utraque est utilis, quia ut intellectus, sic imaginatio potest movere voluntatem, per oblationem boni convenientis apprehensi ; sed imaginaria periculosior est, nisi adhibeatur cautela ; nam cum finis orationis sit ad devotionem acquirendam, id est ad habilitandum voluntatem, ut prompta sit in servitio Dei, haec devotio violentia non acquiritur. Quin violentia arefacit cor, ut ait Cassianus, non emollit : et homo cum sit rationalis, ratione non vi ducitur ; et quod est violentum, durabile non est. Unde paralyticus ille a Petro sanatus, saltavit et exsultavit in principio rei novitate incitatus ; sed postea quievit. Hinc fit ut fervores illi, vi expressi, quo vehementiores sunt exterius, hoc solent magis lumen interius offuscare et perseverantiam impedire. Ideo Dominus in aura levi et non in turbine apparuit Eliae ; et Petrus[a] nos monet (2) : *Nolite peregrinari in fervore* spiritus. Si quis igitur nimium efferveat, pater spiritualis modum ponat, et doceat ut ipso usu moderationem capiat, licet magis amando minus amare sibi videatur. Caro quae assatur, lento igne magis penetratrur ac torretur quam vehementi, nam hoc uritur magis quam coquatur. Extrema igitur vitiosa sunt. Hac in re agere debemus ut qui equum indomitum conscendit ; is enim nec nimium laxat, nec nimium contrahit habenas, ne vel nimis currat, vel in altum se efferat, cum periculo sessoris.

Non ergo reputemus praecipuam esse partem meditationis, gustum

(a) *Ioannes.* B.

(1) Rom. 1, 20. (2) Pet. 4, 12.

et suavitatem, sed ipsum, ut dictum est, opus voluntatis, id est virtutem quam quaerimus, vel necessitatem qua premimur, seu potius eius sublevamen et auxilium Dei, ut videlicet nos eam virtutem amplexemur et habituemus nos in ea.

Neque tamen debemus neglegere aut abicere gustum, ut neque abicit ille qui cibum sumit, quamvis non eo fine sumat, sed ut nutriatur.

7. Devotio est duplex, sensibilis videlicet, quae redundat in sensus, de qua psalmista (1) : *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum ;* secunda, spiritualis, quae non sentitur exterius, sed manet interius abscondita. Haec autem est quaedam animi promptitudo omnia faciendi quae pertinent ad Dei servitium. Haec porro est solida. Ad hanc devotionem conciliandam iuvat :

1° Efficax voluntas, quae est in omnibus rebus magni momenti. Opus est ergo hic magna voluntate ob tria, videlicet : *a)* ob naturae imbecillitatem ; *b)* ob malos habitus contractos ; *c)* ob adhaerentes mundi carnisque distractiones. Haec voluntatis efficacitas significata est in Iacob, qui servivit socero suo Laban pro Rachele quattuordecim annos (2), qui tamen videbantur illi pauci prae amoris magnitudine : ita nobis nihil debet esse difficile, aut nos absterrere ab lectione et praeparatione ad orationem, ut devotionem comparemus. Opus est, inquam, fortitudine animi, ad acquirendam devotionem, et ad acquisitam bene conservandam. Sed non sumus fortes, quia non satis nos exercemus : rustici sunt fortiores delicatioribus. Exercetur autem fortitudo : *a)* excitando in nobis bona desideria ; *b)* devote et humiliter a Deo eam petendo : S. Petrus, licet haberet bonam voluntatem ante sancti Spiritus adventum, erat tamen timidus ; *c)* ut diligenter purgemus cor nostrum, et purgatum bene custodiamus. Custodiendum autem est a duobus praecipue : α) a vanis discursibus, β) a pravis affectibus.

2° Iuvat et praesentiae Dei consideratio ad devotionem conciliandam : *Vivit Dominus,* dicit Elias (3) *in cuius conspectu ego sto.* Hic conspectus consistit in crebra eius memoria ; et haec quidem excitat magnam devotionem etiam sensibilem : sicuti qui agit amico delectatur eius praesentia, ita qui versatur cum Deo sentit mirum gustum. Quem ad modum ignis si est in fornace, non videtur nisi ex effectis, sic ex effectis Dei possumus cognoscere praesentiam eius ; nimirum si nos sentiamus incitari ad maiorem perfectionem, et ad bona desi-

(1) Psalm. 83, 3. (2) Gen. 29, 18. 30. (3) 3 Reg. 17, 1.

deria, ut quando quis sentit se dirigi ad meliora ex passione Christi, ob defectus suos et imperfectiones dolorem[a] ex sua relaxatione et tepiditate sua ; ad laetitiam[b] ex exspectatione futurae gloriae ; ad patientiam in ferendis tribulationibus propter Deum : homo spiritualis Deum ubique invenit et cognoscit.

3° Iuvant praeterea et orationes iaculatoriae, ut quibus affectuose sive amorose iaculamur in Deum, illumque dulciter vulneramus. Si homo non haberet ullam orationem, hae sufficerent ad perfectionem ; sed debent esse accommodatae orationibus et operibus.

4° Iuvat etiam lectio pia, iuvant et colloquia spiritualia. Nam si loquatur quis de passione Domini, necesse est ut inflammetur ; si de caritate Dei erga se, oportet ut ignescat.

5° Item iuvat habere stata tempora ad devotionem exercendam, ut sancti habuerunt ; ut psalmista (1) : *Septies in die laudem dixi tibi.* Item (2) : *Media nocte surgebam ad confitendum nomini tuo.*

6° Item, iuvat agere cum devotis personis, et gaudendum nobis quando contingunt.

7° Iuvat, immo necessaria est custodia diligens sensuum ; sed hoc opus, hic labor est. Fugienda est curiositas, fugienda colloquia vana, fugiendum et otium est : haec enim exstinguunt devotionem, si qua est in abscondito cordis ; nam patentibus portis cordis, hostis facile intrat et minutissima quaeque lustrat, et immittit milites suos, ut arcem totam occupet.

Ea est aliquando gratia et favor, ut statim initio mens elevetur tam suaviter, ut consequatur homo quod petit ; quod dum contingit, non debet ad alia contendere, sed ibi quiescere, ubi et quam diu Deus se communicare dignatur. Quam diu vero Deus non dat nobis illam gratiam quam optamus, nec mentem nostram elevat, contenti simus oratione quam habere possumus, et tempus orationi constitutum humiliter transmittamus ; nam, quando expediet, dabit Dominus. Dicamus ergo cum S. Ephraem (3) : « Noli, mi frater, obtorpescere, si cito non exaudiaris, sed exspecta, postula, pulsa et accipies quantum opus habes », ut amicus ille importune pulsans nocte (4). Sed et psalmista dicit (5) : *Exspectans exspectavi Dominum et intendit mihi, et exaudivit preces meas.* « Ausculta, inquit idem sanctus (6), mi frater, et amplexare consilium meum ; si a Domino aliquid postulaveris,

(a) Scil. *quando quis sentit* dol... (b) Scil. *si nos sent. incitari* ad...

(1) Psalm. 118, 164. (2) ibid, 62. (3) S. Ephraem. tom. 2. n. 90 Panoplia p. 482 a. (4) Luc. 11, 5 sqq. (5) Psalm. 39, 1. 2. (6) S. Ephraem. l. c. sqq.

noli abrupte ac definite ut accipias petere, sed totum ipsi relinque atque ipsius voluntati ; exempli gratia : saepe divexant te turpes cogitationes, contristarisque propterea ; pergis deprecari Deum, ut eiusmodi eximaris pugna. At saepe, mi frater, id expedit tibi, ne extollaris, sed humiliter sentias. Intuere autem columnam apostolorum adeo insignem, quomodo pro utilitate sua datus est ei stimulus carnis, angelus satanae qui eum colaphizet[a], ut non extolleretur. Si ergo qui talibus conspicuus erat meritis, eam accepit disciplinam ne extolleretur, quanto nos magis, fratres carissimi, imbecilles, qui esse nihilo minus nos aliquid existimamus, opus habemus colaphizari, ne mente extollamur ! » Submittamus ergo omnia divinae providentiae et bonitati ; nam saepe plurimi, cum iam consecuti essent quae petierant, postea doluerunt, crebroque in clades et mala maxima inciderunt, cum non quaesissent sedulo, an secundum Dei voluntatem esset quod postulabant ; sed id bonum esse existimantes, a diabolo illusi sunt, sub specie cuiusdam iustitiae atque praetextu seducti, et in pericula ingentia praecipitati. « Audiamus (1) Apostolum dicentem (2) : *Nam quid oremus sicut oportet nescimus.* Et rursus (3) : *Omnia mihi licent, sed non omnia expediunt ;* omnia mihi licent, sed non omnia aedificant. Quid igitur nobis expediat et unum quemque nostrum aedificet, ipse novit Deus ; eius voluntati igitur relinquendum est ». « Pete tu, mi fratrer, ait S. Ephraem (4), sed in fine orationis seu petitionis adde et illud : Verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat ; si quod peto expedit, fac sicut ipse nosti. Quin et psalmista ita nos docet : *Revela,* inquit (5) *Domino viam tuam, et spera in eo, et ipse faciet* ». Quod operari in nobis dignetur Pater, et Filius, et Spiritus sanctus.

(a) Sic uterque codex. At apud S. Ephraem legitur : *qui eum colaphis caederet.*

(1) Et haec apud S. Ephraem leguntur l. c. litt. d. (2) Rom. 8, 26. (3) Cor. 6, 12. (4) S. Ephraem. l. c. litt. d. e. (5) Psalm. 36, 5.

40ª Exhortatio

De oratione ; de attentione in oratione habenda

1. Ad orationem praecipue requiritur attentio, ut sit meritoria. Haec autem consistit in eo, ut reiectis omnibus terrenis cogitationibus, soli Deo in corde nostro attendamus. Quod declaravit Dominus his verbis (1) : *Tu autem, cum oraveris, intra in cubiculum tuum, et clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito.* Quod intellegens S. Ephraem dicit in haec verba (2) : « Quando coram Deo in oratione persistis, cave ne pulchra tua vasa, in quibus Deo ministras, hoc est cogitationes tuae ab hostibus tuis rapiantur ; et quo pacto, precor, vel in quo ministrabis Deo universorum, captis, id est, abreptis et quasi in captivitatem abductis cogitationibus ?... Non enim indiget Deus ut os vel lingua oret ; cultus autem Deo placens est, ut cogitationes et tota fortitudo ac vis animae cum mente tota in Deum absque distractione ulla ferantur ». « Quod si, dum oras, mens tua distrahitur sive per cogitationes, aut per quamcumque aliam causam, scito hoc inimici esse opus » (3).

Attentio autem requiritur tum in oratione mentali, tum vocali. Prior requirit ut mens, quantum fieri potest, elevetur ad Deum ; quod figuratum cernimus in duobus cherubinis super arcam positis, qui innixi pedibus recti stabant, expansis alis.

2. Attentio in oratione vocali triplex esse potest : circa verba, ut bene pronuntientur ; circa sensum verborum ; circa finem denique orationis, id est, circa Deum, vel id pro quo oratur Deus. Ita S. Thomas (4).

Cum autem triplex sit effectus orationis : mereri, impetrare quod petitur, animam reficere gaudio spirituali, tunc oratio triplicem hunc nanciscitur effectum, quando recta est, per totum orationis progressum. Ut vero oratio sit meritoria et impetratoria, non est necesse ut semper coniuncta sit ei attentio, modo attendendi adsit intentio et desiderium.

Deus enim non audit orationem illam, cui qui orat non intendit. Ut autem reficiat animam gaudio spirituali, necessaria est atten-

(1) Matth. 6, 6. (2) S. Ephraem, tom. 1, n. 31 de Renunt. p. 61 c. d. (3) Id. tom. 2. n. 90 Panoplia. p. 481. b. (4) S. Thom. 2 2ae q. 83. a. 13. c.

tio (1) : *Si orem lingua, mens mea sine fructu est.* Oratio igitur, in qua quispiam ex proposito divagatur, non est bona. Dixi « ex proposito », quia[a] sancti viri quandoque evagationem mentis patiuntur, iuxta illud (2) : *Cor meum dereliquit me.*

Tertia attentio maxime necessaria est, quam possunt habere etiam ignari. Quin et aliquando est tam magna, ut etiam omnium aliarum rerum mens obliviscatur ; unde Hugo (3) : « Pura est oratio quando ex abundantia devotionis mens ita accenditur, ut cum postulatura ad Deum se convertit, etiam suae petitionis obliviscatur ».

In oratione quae ex praecepto est, quaecumque ex his tribus attentionibus sufficit, dummodo proferantur verba, adeo ut qui unam ex illis habuerit, impleat praeceptum.

In horis canonicis recitandis, potest non attendi ad verba, nec ad illorum sensum, sufficit enim contemplari divinam illam bonitatem et maiestatem, et in eam affectuose ferri, cum haec sit potissima attentio. Est neccessarium tamen ut verba proferantur. Cap. « Dolentes » de celebratione Missae.

3. In oratione vero ex praecepto divagare ex proposito, seu voluntarie, id est, quando non vult attendere, sed vagari, peccatum est mortale, si per notabile spatium fiat. Grave item peccatum est, quando ex neglegentia crassa divagatur, id est, quando quis vellet quidem attendere, sed cognoscens aliquid inducere sibi evagationem, non vult tamen illud submovere cum possit, quare est neglegentia crassa et culpabilis. Tenetur autem attente orare.

In oratione vocali voluntaria, id est, quae non est ex praecepto, divagari ex contemptu grave peccatum est ; si absit contemptus, potest esse veniale. Si dura tibi videtur haec sententia, dico quod, etsi non tenearis orare, tamen dum oras, teneris reverenter hoc facere. Dum enim actus religionis vel virtutis non fit eo modo quo fieri debet, fit iniuria Deo. Unde Isidorus l. de Summo Bono, c. 8 dicit (4) : quod Deus non respicit strepitum labiorum, sed cordis affectum, et strepitum illum sine affectu esse Deo ad instar mugitus boum.

Non cessatur autem ab oratione, licet non adsit attentio, quando cor rectum est et eam desiderat, quia cor Deus respicit. Nam et pauper quamvis non semper clamet, assiduitas tamen eius sedendi ad

(a) *qui.* B.

(1) 1 Cor. 14, 14. (2) Psalm. 39, 13. (3) Hugo a S. Vict. PL. t. 176 de modo Orandi, cap. 2. col. 980 a. (4) S. Isid. vide pag. 640, not. 3. Hic additur *cap. 8°*, oportuit addere *lib. 3° ;* hoc autem cap. est *de lectione*, unde et dicendum fuit *cap. 7°*. Patet Oliverium cum verbis Isidori miscuisse quod aliunde desumpserat.

portam, movet interdum erum domus ut ipsi aliquid eroget. Sunt tamen excutiendae cogitationes alienae, quoad eius fieri potest. Nam ut semper sis attentus vix fieri potest. Hoc enim est angelorum.

4. Iuvat autem ad attentionem conciliandum consideratio divinae maiestatis praesentis. Nam, quam attentionem haberemus, si cum aliquo principe mortali loquendum nobis esset ? Est praeterea auxilium divinum implorandum non remisse, sed pie et ardenter. Considerate, fratres mei carissimi, duos illos caecos ad Christum Dominum accedentes, atque clamantes (1) : *Miserere nostri, fili David ;* et quid ad illos Dominus ? Quid vultis, inquit, ut vobis faciam. At illi, secundum dolorem et affectum cordis sui, petierunt ut aperirentur oculi sui. Numquid petierunt aliquid sibi donari, etiam earum rerum quibus revera indigebant ? numquid dixerunt, da nobis panem, da vestimentum, quoniam pauperes sumus ? Minime vero, sed illud potius quod magis urgebat. Sic Chananaea et qui ad eum accesserunt, quid aliud quam animi sui angores exponebant ? Sic haemorroissa, quae sanguinis fluxum patiebatur, affectu non verbis magis exposuit quae angebant. Sic igitur, fratres mei, accedentes ad Deum intellectualibus fidei oculis intuimini[a] sedentem super thronum excelsum et elevatum, exercitusque angelorum et archangelorum circumstantes, proiciatis vos ante conspectum bonitatis eius, effundite coram illo preces vestras. Primo confiteamur peccata nostra ; deinde necessitatem seu ariditatem mentis nostrae illi aperiamus, ut in bonitate sua misereatur nostri, effundatque super nos miserationes suas.

Quando homo in superiore parte sublevatur, mens sentit quosdam radios sapientiae et potentiae Dei, qui scientia naturali non acquiruntur ; sed Deus in oratione intellectum illustrat, ut capiat quod natura dare[b] nequit. Sic prophetarum mens per Spiritum sanctum elevata est ; sic D. Petrus, sic alii quandam exstasim passi sunt ; sic B. P. N. Ignatius ex magna pace et serenitate interna ad eam elevationem evectus est, ut cognoverit multa de SS[ae] Trinitatis mysterio, quae studio humano habere non potuisset.

5. Iam pauca dicamus de efficacitate et merito orationis. Oratio iusti aliquando est meritoria et impetratoria, aliquando meritoria solum[c], aliquando solum impetratoria. Quando est actus religionis,

(a) Sic uterque codex. Nota tamen formas sequentes inveniri apud latinos scriptores veteres : *intuor, intuitur, intuuntur, intuantur ;* immo : *intuo, intuis.* (b) om. B. (c) om. B.

(1) Matth. 9 27.

semper est meritoria ; habet enim efficaciam merendi ex radice caritatis, ex qua procedit quam diu homo est in vita. Nam in purgatorio et in caelo, est quidem impetratoria, sed non meritoria. In vita semper oratio iusti est meritoria, non semper tamen impetratoria ; nam Paulus ter rogavit Deum, et tamen non est exauditus (1). Aliquando est meritoria et impetratoria : meritoria est, quia procedit ex caritate ; et impetratoria, quia coniuncta est praeterea cum fide, qua credit Deum posse conferre quod petit, et collaturum esse, si sibi erit salutare. Est denique elicita ex religione, quia pie petit propter Deum et eius gloriam. *Haec est fiducia, quam habemus ad eum : quia quodcumque petierimus secundum voluntatem eius, audit nos* (2) ; et (3) : *Si manseritis in me, et verba mea in vobis manserint, quodcumque volueritis petetis, et fiet vobis.* Quod si non impetres quod petis, fortassis inde fit quod male petis, vel quod non conducit ad vitam aeternam et bonum spirituale tuum.

Fortassis etiam non perseveras in oratione petendo ; debes enim insistere, iuxta parabolam de illo qui dedit tres panes. Sed ita tamen petas, ut semper dicas exemplo Christi (4) : *Pater, non mea voluntas, sed tua fiat.* Deinde si petis pro aliis, fortassis est aliquod in ipsis impedimentum ; unde Deus dicit (5) : *Si steterit Moyses et Samuel coram me, non est anima mea ad populum istum.* Oratio enim confert gratiam et meritum unicuique pro se, non semper pro alio ; quod significavit Christus dicens (6) : *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ubi Augustinus : dictum est, inquit, non simpliciter « dabitur » sed « dabitur vobis ».

Est autem differentia inter orationem iusti et peccatoris, quia iustus ex aliqua ratione iustitiae impetrat, cum sit in gratia ; peccator autem, licet bonam orationem faciat, ex liberalitate solum Dei impetrat. Deinde, oratio iusti semper est satisfactoria, quia semper remittitur aliqua poena temporalis, cui[a] eluendae vel in hoc mundo, vel in purgatorio erat obnoxius.

6. Oratio indigna fit et reproba 1° propter personam, iuxta illud (7) : *Cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam ;* et Ierem. (8) : *Noli orare pro populo isto, quia non exaudiam te,* etc. 2° propter causam : *Petitis,* inquit Iacobus (9), *et non accipitis, eo quod male petatis,* etc.

(a) *cui obnoxius vel in h. m., vel in purg. eluendae erat.* B.

(1) 2 Cor, 12, 8. (2) 1 Ioann. 5, 14. (3) Ioann. 15, 7. (4) Luc. 22, 42. (5) Ierem. 15, 1. (6) Ioann. 16, 23. (7) Is. 1, 15. (8) Ierem. 7, 16. (9) Iac. 4, 3.

3° propter intentionem, qualis erat illius qui dicebat (1) : *Magister, dic fratri meo, ut dividat mecum hereditatem.* 4° propter modum, ut Elias petiit animae suae ut moreretur, scil. ante tempus. 5° propter ordinem, ut filii Zebedaei petebant praemium ante meritum. 6° propter finem, ut reprobatur oratio pharisaeorum.

Laboriosum est, ais, non assuetis bene meditari. Respondeo verum esse, et necessarium esse auxilium divinae gratiae ac lucis elevantis mentem ; sed non ideo desistendum est, quoniam res omnes pulchrae sunt difficiles. Debes aestimare hoc opus esse simile illi quod impenditur accendendis lignis viridibus ; patitur enim is gravem laborem qui incendit, patitur fumum et taedium, ut fruatur aliquando flamma optata. Ita hic evenit ; videtur etiam initio hoc opus esse infructuosum, ac tempus non satis utiliter collocari. Atqui haec est manifesta tentatio. In hac vita nulla in re melius collocari opera tua potest, quam conversando cum Deo ; fructus vero atque utilitas suo tempore ad te redibit, modo studeas animum habere bene purgatum, minus addictum creaturis, magis ad bonum opus, atque[a] ita magna cum fiducia ad Deum accedas ; immo crescis in bono hoc studio et conatu tuo, licet non sentias. Mater laborat circa infantulum suum, et scit se non perdere operam ; nam licet non videat eum sensibiliter crescentem, agnoscit tamen postea crevisse, et gaudet quando videt non[b] opus esse illi amplius uberibus. Ita tu : non vides quidem te proficere et crescere ; crescis tamen semper, quamvis initia sint difficilia. Hac igitur spe debemus, fratres carissimi, nos sustentare ; nam religiosus et Dei servus facile deficit a suo profectu, nisi perpetuo studeat spiritum orationis conservare.

Sunt qui orationis perfectionem tantum ponunt in amore ; sed id absolute non est tenendum, si amorem ab actione separent. Nam cum proprium sit amoris bene et semper operari, debet actionem etiam amor continere. Ideo, fratres mei, ne collocetis perfectionem tantum in dilectione, sicuti nec in patientia, vel in oboedientia ; nam qui perfecte Deum amat, omnia sustinet, omnia suffert, patiens est, oboediens, et ipsa virtutum exercitatione amor Dei, in vobis, fratres mei, crescere et confirmari debet.

7. Duo sunt orandi modi : intellectivus seu oratio intellectiva, et

(a) *et quando cum maiore fid. ad D. accedes.* B. (b) *non esse illi amplius operibus opus.* B. Cum haec scripsit B, deerat in A vox *opus*, quae postea est addita.

(1) Luc. 12, 13.

affectivus seu oratio affectiva, quae licet coniunctim procedere soleant, haec tamen nobilior est.

Intellectiva habet tres gradus. Primus est meditatio, quae non consistit, ut dictum est, in eruendis solum conceptis[a], quia id esset studere, sed etiam in ponderando, et aestimando : ut in imaginis alicuius consideratione non tantum oblectatur visus, nec solum intellectus apprehensione generali pulchritudinis eius ; sed etiam considerat elegantem dispositionem colorum, iustam proportionem et symetriam. Secundus gradus est illuminatio, quae a Deo est, ad magis penetrandum. Tertius est contemplatio et quies, quando coniunctionem habere se intellegit cum sponso caelesti.

Sunt item gradus orationis affectivae, tribus superioribus intellectivae respondentes : Primus est, per viam orationis iaculatoriae, videlicet amoris : O Deus meus ! O mea lux ! O Deus cordis mei ! Secundus est inflammatio, quae a Deo est in voluntate, qui suo amore divino, sine meditatione affectum accendit, exemplo sponsae, quae ardenter et affectuose sponsum suum amat in Canticis. Tertius est quies, quando videlicet Deus porrigit pectus animae, ut in amando Deo quiescat, nec ullo discursu moveatur. Iaculatoriae autem fieri possunt in omni genere virtutum, v. g. : O quam bona oboedientia ! O si possem bene oboedire ! O mi Deus, quando perfecte te amabo ! Quando perfecte oboediam ! Quando sicut tu vis, vitam meam instituam ! Quando sine distractione te orabo !

8. Ad bene proficiendum et ad obtinendum finem orationis, plurimum iuvat sese etiam exercere in via mortificationis, ut[b] passiones non dominentur, quando eas[c] plene tollere nequeamus. Sed praecipua via est amoris, per totam vitam durabilis, et quam die nocteque tenere debemus, saepe usurpando orationes iaculatorias, de quibus paulo ante, et similes ; ita ut in una diutius nos exerceamus quam in alia, et ut in nobis semper excitemus motus amoris, sive studeamus sive aliud quidpiam agamus. Sed advertendum est ut moderate omnia, ne quis caput laedat. Hac autem via amoris citius et facilius virtutes morales acquiruntur quam alia via. Quod patet exemplo ; nam videmus eum qui dissolute vivebat in saeculo, paucorum dierum spatio ita mutatum, ut nec loquatur sicut prius, neque conversetur ut faciebat. Certe qui vult aquam calefieri, si habet

(a) *quia non cons. in eru. sol., ut dict. est, conceptis.* B. (b) *(ut) eae.* B ; quod A del.
(c) *eam.* scripsit B, etsi retinuit *eae.*

copiam ignis, eam potius igni adhibere debet, quam aliam viam inire, ut soli admovendo.

9. Orationis impedimenta multa sunt.

1um est orantis dubitatio an exaudietur, seu diffidentia. Contra hanc dicitur (1) : *Postulet autem in fide nihil haesitans*, etc.

2um, quando non petitur quod petendum est, ut filii Zebedaei fecerunt.

3um est, quaedam durities cordis erga proximos, ut non libenter praestet quis beneficia caritatis in eos a quibus putat se fuisse offensum.

4um, peccatorum mortalium multiplicatio (2) : *Unus orans, et unus maledicens, cuius vocem exaudiet Dominus ?*

5um, peccata venialia licet non tollant devotionem, minuunt tamen. Ubi notandum est, quod dignitas personae auget gravitatem peccati, ut, v, g. maius est laedere principem quam rusticum ; elegantem imaginem macula[a] parva defoedat : ita peccata venialia Dei dignitatem offendunt, et eius imaginem quae in homine est deturpant. Addo quod disponunt ad mortalia et languorem spiritus inducunt, quandamque mentis pigritiam. Si tantum cavere velimus mortalia, facimus sicut servus, qui nihil praestat officii nisi strictum videat eri gladium, et mortem sibi intentari.

6um, item impedit devotionem — quae maxime orationi convenit — amaritudo et tristitia, qua nihil homini placet, et conversatio aliorum ingrata est. Est autem amaritudo seu tristitia duplex. Una bona, quae auget devotionem, ut quae oritur ex consideratione peccatorum : haec enim facit hominem humilem, affabilem, et facilem ad Deo serviendum ; ut patet in publicano, qui non audebat ex amaritudine cordis caelum intueri ; ita filius prodigus (3) : *Non sum dignus vocari filius tuus*, etc. ; ita Paulus (4) : *Quis me liberabit de corpore mortis huius ?* etc. ; vel nascitur ex consideratione futurae gloriae et desiderio patriae caelestis, et haec bona est. Amaritudo seu tristitia mala nascitur ex otio ; otioso enim non placet oratio, quae tamen est medicina ; vel ex passione aliqua inordinata, si quid v. g. amat, quod habere non potest, tristatur. Aliquando nescitur unde proveniat, sentitur tamen ; et haec permissione Dei contingit, ut magis mereamur ; non est haec igitur omnino mala.

(a) *mala*. B.

(1) Iac. 1, 6. (2) Eccli. 34, 29. (3) Luc. 15, 21. (4) Rom. 7, 24.

7um impedimentum est, capere nimia oblectamenta ex sensibus et sensualitate, ut si religiosus cibos delicatos appetat, lectum suavem et mollem, socios hilares et leves, et iocosos. Spiritus sanctus est sicut medicus ; medici vero non solent visitare fortes, robustos, vegetos, sed debiles et infirmos : ita, quando homo quaerit et habet sua commoda et oblectamenta, non dat locum medico divino Spiritui sancto ; sed quando patitur reprehensiones, afflictiones, mortificationes, tunc venit Spiritus sanctus et eum consolatur. Populo Israelitico non est datum manna, nisi quando defecit farina de Aegypto allata. Sancti omnes, quia carnem suam afflixerunt, consolationes habuerunt a Deo maximas.

8um, item impedit inordinate aliquid desiderare ac nimia aviditate. Bonum erat ministrare Christo Domino, et Martha praeparabat mensam, et tamen reprehensa fuit, et Maria illi praelata. Quare vero ? Quia in suis officiis anxiabatur, et inordinate appetebat opem a sorore.

9um, impedit quoque nimia occupatio, quando videlicet officia non fiunt suo tempore et modo. Qui fuerant invitati ad nuptias, excusarunt se. Quare vero ? Quia nimium erant occupati.

10um, impedit etiam curiositas, v. g. si quis aliorum curiose perscrutetur ; nam postea, maxime tempore orationis, earum rerum species ad mentem redeunt, eamque distrahunt.

11um impedimentum est abundantia cibi et potus. Venter enim plenus de Deo non cogitat, et caput vaporibus praegravatur ; sin sumatur quod satis est, valet cibus ad spiritus roborationem. Homines pleni sunt similes navi onustae, quae tarde ad portum perducitur.

12um est, orantis impatientia et defectus perseverantiae, seu conversio mentis ad terrenas cogitationes et sollicitudines. Homo est ut horologium, cuius pondera si in terra iacent, non faciunt progressum, nisi attollantur : ita si pondera mentis, scilicet intellectus, memoria et affectus, adhaerent terrenis, in oratione totum horologium haeret ; ista pondera devotio attollit. Non est igitur omittenda oratio, nec pia exercitia intermittenda, sed renovanda. Studiosus qui studet per dies decem, postea vero vagatur per viginti, non proficit : sic quando in rebus spiritualibus non persistimus, facile retrocedimus. Exercitia devotionis capilli sunt Samsonis, in quibus consistebat tota fortitudo eius ; quando illi fuerunt detonsi, nihil amplius habuit virium.

10. Virtus lacrimarum, quas Dominus Deus aliquando electis suis largitur, magna est. De rege Ezechia scribitur quod non solum oravit, sed conversus ad parietem lacrimatus est ; et aspexit Deus non

tantum orationem, sed et lacrimas eius, et restitutus est sanitati, atque superadditi vitae eius anni quindecim. Hinc S. Augustinus (1) O felix et beata lacrima, tu occidis cogitationes malas et carnales, et expellis infirmitates peccati, etc. Vide locum, quia ibi multa praeclara. D. Gregorius in psalmos paenitentiales in psalmum septimum[a] dicit (2) : Magna peccata debuerunt elui lixivio lacrimarum. Idem super Threnos Ieremiae c. 3 (3) : Hac ratione Magdalena usa est, et veniam obtinuit. Vide hunc locum Gregorii. D. Petrus, ut dicitur Matthaei 26°, flevit amare. Augustinus (4) : « Lego lacrimas D. Petri, satisfactionem non video ». Hoc dicit, quia ubi tanta est lacrimarum copia et tanta amaritudo animae et dolor, ibi manifesta erat satisfactio. Anna Elcanae suis lacrimis Samuelem obtinuit et depulit sterelitatem (5). Oratio quae fit cum lacrimis, deportatur in caelum ab angelis, et praesentatur Deo : patet ex Tobia (6).

11. Fructus orationis sunt : 1[us] Cognitio Dei maior. 2[us] Cognitio sui ipsius, iuxta illud D. Augustini : Noverim te, Domine, noverim me. 3[us] Contemptus sui. 4[us] Mutua caritas et zelus salutis animarum. 5[us] Modus tractandi spiritualiter cum proximis. 6[us] Cognitio beneficiorum Dei, et maxime vocationis. 7[us] Desiderium patiendi pro Christo et animarum salute. 8[us] Propriae voluntatis, iudicii et passionum subactio. 9[us] Virtutum solidarum fervens desiderium. 10[us] Desiderium vehemens ut nomen Dei sanctificetur et regnum eius amplificetur in toto orbe. 11[us] Dolor de peccatis et firmum propositum Deo serviendi. Haec petenda sunt a Deo absolute, quia per se spectant ad vitam aeternam, et continentur in oratione Dominica. Temporalia autem absolute non sunt petenda, quia his homo male et bene potest uti ; nec principaliter petenda sunt, sed secundario, ut adminicula quibus adiuvemur ad vitam aeternam, ut sanitas corporis peti potest ad melius serviendum Deo, ad virtutum exercitationem ; nam, ut ait D. Augustinus sermone Domini in monte (7), quod licet deside-

(a) Sic in utroque codice repetitur.

(1) S. Augustin. PL. t. 40 ad Fratr. in er. Serm. 11. col. 1254 p. m. (2) S. Gregor. PL. t. 79 Psalm. paenit. 5, n. 3 b. col. 604. Cfr. t. 77 Reg. Past. l. 3, c. 29. col. 107 ; Ibid. Dial. l. 3, c. 34. col. 300. (3) S. Gregor. PL. t. 76 in Evang. hom. 25, n. 1. col. 1189 ; Ibid. hom. 33 per tot. col 1239. Cfr. ibid. l. 2, hom. 25, n. 10. col. 1196. Item in Ezech. l. 2, hom. 8, n. 21. col. 1040. Cfr. etiam S. Augustin. t. 40 Serm. 41 ad frat. in er. col. 1315 a. extr. (4) S. Augustin. PL. t. 39 Serm. 151 de Temp. n. 3. col. 2039. (5) 1 Reg. 1, 7. 8. (6) Tob. 3, 1. 11 ; 12, 12. (7) Hisce verbis citatur a S. Thoma, 2. 2,[ae] q. 83. a. 6, c in. locus ille S[i] Augustin. t. 33 Epist. 130 ad Probam, n. 9 cum com-

rare, licet petere. Licet autem temporalia et corporalia desiderare ad Dei gloriam et servitium ; dicit enim Dominus (1) : *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius, et haec omnia adicientur vobis*, indicans etiam temporale bonum suo loco et ordine esse petendum, sed illud, tamquam necessarium.

Per modum epilogi addo postremo, quod in oratione hic communiter sit servandus ordo, ut videlicet in petitione anteponantur maiora minoribus, quod Christus Dominus docuit dicens : *Quaerite primum regnum Dei* ; et in oratione Dominica eundem ordinem servandum docuit, ut spiritualia prius, deinde temporalia a datore omnium bonorum postularemus. Praeter hunc ordinem rerum, servandus est etiam ordo temporis, ut in eadem oratione patet. Petenda enim primum docemur aeterna in praemium : *Adveniat regnum tuum ;* spiritualia vero ad meritum, dicendo ; *Fiat voluntas tua ;* temporalia tandem ad necessitatem tantum, et non ad luxum : unde *panem nostrum cotidianum* nobis dari petimus. In eadem ordinem temporis servari patet ; nam prius de praeteritis malis liberari petimus, cum dicimus : *Dimitte nobis debita nostra,* postea, de praesentibus : *Et ne nos inducas in tentationem.* Denique, de futuris : *Sed libera nos a malo.*

Accedamus ergo, fratres carissimi, ad benignissimum Deum nostrum. Cum Propheta ad ipsius clamemus bonitatem (2) : *Esto nobis, Domine, in Deum protectorem et in domum refugii, ut salvos nos facias, quoniam fortitudo et refugium nostrum es tu, et propter nomen tuum deduces et enutries nos : redemisti nos, Domine, Deus veritatis.* Dic, bone Iesu, ego ero vobiscum, non deseram vos, neque despiciam. Viriliter agite et confortamini. In hoc verbo, Domine, sperabo, et hi, fratres mei mecum. Tibi sit laus, honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

ment. seq. col. 497 ; reliqua reperies ap. S. Aug. l. c. nº 12 p. in. col. 498, et n. 23 extr. (Quam ob rem) cum n. 24. col. 503. (1) Matth. 6, 33. (2) Ps. 30, 3. 4. 6.

APPENDIX

41ª Exhortatio

De sanctitatis bono et eius acquirendae studio

1. Haec celebritas omnium Sanctorum, fratres carissimi, nos compellit ut in hodierna exhortatione aliquid de sanctitate disseramus, ut qui modum ad eam obtinendam exoptamus, aliquid Deo dante habeamus, quo expeditius meliusque viam ineamus. Assumemus ergo de octo sententiis, quas evangelium hodiernum nobis proponit, unam, quae maxime nos promoveat, si accurate illi insistemus. *Beati*, inquit Dominus (1), *mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Est enim haec sententiae instituto nostro congruentissima, nam in ea demonstratur aperte in quo consistit tum viventium tum mortuorum sanctitas, hoc est, huius vitae et futurae sive aeternae sanctitudo. Atque ut ordine sermo noster progrediatur, tria praecipue dicemus : Primo, quid sit sanctitas ? Secundo, quae sit sanctitas vitae huius ? Tertio, quae denique sit sanctitas vitae futurae.

Sanctum ergo, si genuinam et primariam significationem exquiramus, significat firmam[a] et stabilem. Hanc antiqui denotabant sacrificio seu sanguine, et aliis caeremoniis et ritibus quae instituebant. Hinc leges vocabantur sanctae, et vota sancta. Procedente tempore vocabulum « sanctum » translatum est ad ea omnia quae Deo erant

In neutro codice haec inscriptio « Appendix » ante sequentes exhortationes legitur ; addimus tamen, quia in Indice analytico haec operis ultima pars ita diserte vocatur.

(a) Sic uterque codex : *sanctum... firmam...*

(1) Matth. 5, 8.

dicata seu consecrata, ac demum ad id quod in se haberet perfectionem praecellentem : est quidem sanctitas tanta, ut verbis explicari nequeat ; sicuti sunt in rebus humanis quaedam, ut ait Augustinus, quae nisi usu et experientia cognosci queant : exemplum habemus in melle quod nisi gustu cognoscitur.

2. Marcus Varro, ut habet D. Augustinus (1), refert fuisse plus quam ducentas opiniones philosophorum de beatitudine ; sed in duobus principiis praecipue errabant. Nam beatitudinem ponebant extra Deum ; deinde putabant in hac vita haberi posse veram beatitudinem, quod minime verum est ; nam beatitudo perfectissimus hominis status est, quando, videlicet, homo consecutus est quidquid boni consequi potest, quod ad animam praecipue spectat.

3. Animarum porro varia sunt genera : quaedam enim omnino immersae sunt corpori, ut brutorum, et horum quidem bonum et perfectio est in hac vita solum. Aliae sunt partim immersae corpori, partim liberae, ut hominum animae, quae secundum intellectum sunt supra corpus, neque habent limitationem, sed aptae sunt intellegere veritatem infinitam ; secundum voluntatem vero, frui bono infinito. Hae autem animae nequeunt in hac vita suam sortiri beatitudinem, quia omnia vitae huius bona vix particulam capacitatis animae implere possent.

4. Deus solus infinitus, et solus hominis animam implere potest ; eique solus dare statum perfectissimum, felicissimum, ac quietem optatissimam, quia omnia bona sunt pariter cum ipso, et quae bona ipse communicat animae, non sunt admixta ulli malo aeternaque est eorum possessio. Huius autem vitae bona admixta sunt multis malis, ac modico spatio temporis durant. Quam infelices ergo sunt, fratres mei carissimi, qui ita se immergunt deliciis et voluptatibus miserae huius vitae, ut de aeternis vix sint solliciti !

Quia vero ad hanc beatitudinem non pervenitur nisi summa puritate, haec beatitudo sanctitas appellatur. Haec porro puritas et perfectio cum in Deo sit summa et infinita, nihilque sit aut esse possit ipso purius ac perfectius, ideo iure optimo Deus solus sanctus dicitur et praedicatur, ut solus potens, solus immortalitatem habens : ut qui eam a semet ipso, non ab alio neque per alium habeat, qui

(1) S. AUGUST. PL.. t. 41 de civit. D. l. 19, c. 3, n. 2. col. 627. Cfr. t. 33. Epist. ad Prob. cap. 5, n. 10. col. 497.

reliquorum omnium entium perfectiones omnes comprehendat, adeo ut eius sanctitas, puritas, potentia, sapientia, immortalitas, perfectio, sit origo et principium ex quo ad ceteros illa promanent ; quidquid bonitatem ullam habet, ab ipso illam habeat. Hinc quo propius ad eum quis accedit, eo melior ac perfectior evadit ; neque bonum sit[a] omnino ullum, quod bonitatem ab eo non participet. Sic ergo intellegimus quod Christus dicit (1) ; *Nemo bonus nisi solus Deus ;* simile est illud (2) ; *Nolite patrem vocare vobis super terram ;* et illud Matthaei (3) ; *Unus est magister vester*, a quo nimirum omnis paternitas, omnis iustitia ac sapientiae doctrina derivatur. Hinc Isaias (4) ; *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus exercituum.*

Quo propius igitur, fratres mei, ad Deum nos accedemus, et quo magis cum Deo communicabimus, auctore et fonte sapientiae, sanctitatis, bonitatis et bonorum denique omnium, eo uberius et abundantius de ipsius sanctitate recipiemus, hauriemusque ex ipso fonte perfectionis perfectionem copiosiorem. Christus Dominus supra omnes creaturas hausit ex hoc fonte ; hinc in ipso sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi ; hinc plenitudo divinitatis in ipso inhabitat ; hinc ipse suo merito sanctus sanctorum est et appellatur, per quem omnis sanctitas ad ceteros homines derivatur, ut sit sanctus sanctificans.

5. Sancti igitur huius vitae ita appellati sunt, quod habeant corda munda et pura, hauriuntque ex hac Dei sanctitate, unde vere sancti per gratiam dicuntur, fruunturque summo bono, qui Deus est, sicut illi qui beati sunt in paradiso, suntque templa, membra et organa Spiritus sancti ; suntque unum cum Deo secundum suam proportionem et capacitatem. Sed sanctitas alterius vitae seu gloriae hanc ita superat, ut qui ea donati sunt a Deo, facti sint prorsus alii et multo nobiliores quam erant ; adepti sunt enim manna illud absconditum et bonum, quod nec oculus vidit, nec auris audivit : in hac quippe sanctitate consistit cornucopia et summa bonorum omnium, summa felicitas et beatitudo. O sanctitas, vere beata, et felix hominis status !

6. Ut ergo, fratres mei, haec dona tam magna, tam pretiosa obtineamus, quare non disponamus et bene purgemus vasa nostra interiora ? Nullus sit, oro, in ipsis liquor huius saeculi. Si Spiritus san-

(a) Sic uterque codex ; exspectares *est.*

(1) Marc. 10, 18. (2) Matth. 23, 9. (3) ibid. v. 8. (4) Is. 6, 3.

ctus vasa cordis nostri purgata et munda invenerit, ea nobis conferet, et in ipsis infundet quae mire nos coniungant creatori, et animam nostram cum Deo, eamque Dei filius sibi desponsabit in amicam et sponsam carissimam. Haec dona facient nos domesticos Dei ; haec infirmos roborabunt, humiles exaltabunt. Repraesentemus, quaeso, nobis ob oculos leprosos illos, quos Christus olim temporaliter curavit, luridatos, ulcerosos, foedos, horridos, qui Christi verbo et virtute temporis momento sanabantur ; cernite, inquam, eos pulchros, laetos, mundos, robustos, prae gaudio exsilientes : ita plane, et multo sublimiore modo operatur sanctitas et Dei donum in anima peccatoris ad gratiam venientis. Iustificatur per gratiam, exuitur de foeda tyrannide diaboli, asseritur in sortem filiorum Dei ; mundatur Naaman leprosus aqua paenitentiae ; Ioseph, ex squalore et paedore carceris lotus et ornatus prodit in conspectum Pharaonis et sedet in solio regni secundo.

7. Ex iis quae dicta sunt apparet nullum peccatum mortale cum hac sanctitate esse posse. Lectus animae non capit duos inter se contrarios, gratiam et peccatum, sordes et nitorem, Deum et diabolum. Lectulus iusti floridus est, sordes et foetores non admittit (1) : *Iustitia rectorum liberabit eos* ; et (2) : *Iustitia sua liberabunt animas suas*. Peccatum facit hominem Dei inimicum, gratia amicum ; peccatum captivum facit, gratia liberum ; peccatum condemnat, gratia iustificat. Absit, absit, haeretice, ut remaneat peccatum. Non sunt, non sunt qui iustificantur contecti solum pallio Christi et iustitia eius ; sed omnino puri et mundi, sanctificati et iustificati, ut ait Apostolus (3), et evangelium hodiernum ; *Beati mundo corde,* non solum « contecto ».

Sed petet fortassis quispiam ex simplicioribus fratribus nostris cognoscere quid sit cor illud, de quo agitur. Non est, mi fratrer, cor illud quod palpitat in corpore nostro et quod corpus vivificat ; non est inquam, illud, sed aliud multo nobilius et excellentius : hoc cor non est corporis, sed animae ; est, inquam, intellectus, memoria et voluntas hominis.

8. Intellectus ergo debet mundari a duobus, quibus inquinari potest : errore videlicet et ignorantia. Purgatur, quando ab hisce malis integer conservatur. Mundus est intellectus, quando credit et recipit quidquid recipit sancta mater Ecclesia, reicit quidquid ipsa damnat aut improbat ; probat quidquid illa probat, et ex fide esse iudicat.

(1) Prov. 11, 6. (2) Ezech. 14, 14. (3) 1 Cor. 6, 11

Neque enim est ratio, quare quis magis unum articulum quam alium admittat, quando quidem omnia quae sub fidem cadunt pendeant et vim habeant ex summa veritate et revelatione divina. Conterminatur vero intellectus ignorantia, quae duplex est : crassa et affectata et quae dicitur invincibilis. Qui crassa laborant, nec[a] apprehendunt quae scire et cognoscere debent. Qui autem talis est, ignorans ignorabitur (1). Alii[b] ignorantiam habent affectatam, errantque quia errare volunt, dicuntque : ego nolo discere, nolo haec scire quae possunt et debent cognosci[c]. Purgandus est ergo intellectus, ut discat et cognoscat quae necessario sunt cognoscenda, et nobis a Deo seu ab Ecclesia proponuntur.

9. Voluntas maculatur amore proprio. Homo, fratres carissimi, nec vivere neque exsistere potest sine amore ; plus repugnat homini esse sine amore, quam ipsi universo « vacuum » illud, de quo tot fuerunt inter philosophos quaestiones. Quando voluntas amore proprio plena est, capax non est amoris Dei : quomodo misceatur fel cum saccharo, balsamus cum faece, mel cum aceto, venenum cum manna, lux cum tenebris, et quae conventio lucis ad tenebras ?

Purgemus, purgemus, fratres carissimi, diligenter et continenter cor nostrum, intellectum dico et voluntatem ab hoc impuro amore nostri tam noxio ; nam ex hoc omnia vitia, omnia mala promanant. Adhibeamus continenter securim ad hanc radicem : qui vult deicere arborem, non a ramis, sed a radice aut trunco initium facit ut deiecto trunco tota machina ruat. Advertamus quid D. Paulus sentiat de hoc inordinato et monstruoso sui amore (2) : *Erunt*, inquit, *homines se ipsos amantes ;* deinde subiungit vitiorum quae haec bestia gignit catalogum : *cupidi, elati, superbi, parentibus non oboedientes*, etc. O quae et quantae sordes ! Unde, amabo, superbiam ? ex amore proprio ; unde invidiam ? ex eodem : unde homicidia et seditiones ? ex hoc ipso ; unde haereses, unde bella, nisi ex amore proprio ? Ex amore proprio ceciderunt angeli, Cain Abelem fratrem interemit. O crudelis bestia ! O monstrum horrendum ! quis valeat exaggerare mala quae infers ? Tu violas vinculum caritatis, tu bonam disciplinam solvis, tu contra superiores obmurmuras ; tu seminas discordias ; tu proprietarios facis, oboedientiam detrectas, castitatem defoedas, religiosam pulchritudinem deformas. Quomodo igitur hoc monstrum,

(a) Sic uterque cod. : intellege *non*, vel *nequidem*. (b) B lapsu calami scripsit *Alia*.
(c) Item scripsit B *cognoscere*.

(1) Cfr. 1 Cor. 14, 38. (2) 2 Tim. 3, 2.

fratres mei, non detestemur et perdamus funditus ? Hanc[a] persequendo ad eum sanctitatis gradum perveniemus, qui in hac peregrinatione acquiri potest ab iis qui virtutis et perfectionis sunt amantes.

10. Sed forsitan vestrum aliquis exoptat cognoscere penitius causam et originem tam insignis sanctitatis. Hanc expressit nobis proposita evangelica sententia (1) : *Ipsi,* ait, *Deum videbunt.* Haec enim sanctitas ex infinita et prima divinaque sanctitate profluit, ut paulo ante insinuavimus ; et beatis conceditur quando rex regum et Dominus dominantium non amplius per fidem [in] aenigmate, sed clare et conspicue se praebet spectabilem, explicata sua gloria et maiestate eis qui se dignos exhibuerunt in hac peregrinatione per cordis munditiam et puritatem.

Verum quidem est, quod homo secundum suum esse naturale videre nequeat divinam essentiam, perennem sanctitatis fontem ; sed Deus fortificat intellectum sanctorum lumine gloriae, iuxta illud psalmistae (2) : *Et in lumine tuo videbimus lumen.* Hoc enim fit virtute quadam divina, et per gratiam consummatam, quae lumen gloriae dicitur, quo intellectus noster purgatus et emundatus elevatur ad cernendum lumen increatum divinae essentiae. Hoc igitur iuvante lumine et hac gratia consummata similes Deo efficimur.

Anima et homo ipse igitur per nobilissimam intellectus potentiam sanctitatem suam supremam assequitur, aut quod forte rectius diceretur, immenso divini splendoris iubare occupatur, ut non tam Deum habeat quam ab ipso habeatur ; habet tamen, et intuetur, et speculatur, intellegitque incomprehensibilem essentiam, naturam immensam, in qua naturae, gratiae et gloriae dona universa ac infinita alia, modo secretiore quam ut lingua humana exprimi queat, continentur, unde quidquid boni est praeterea profluit. Totam intellegit, inquam, abyssum perfectionum eius : simplicissimum ens conspicit, actum purissimum, omnis concretionis seu permixtionis expertem ; summum et primum verum, potentem, sapientem, bonum, beatum, qui ipsa sit veritas, potentia, sapientia, bonitas, beatitudo ; mysterium quoque superbenedictae et numquam satis praedicatae Trinitatis, Patris, Filii et Spiritus sancti ; qua ratione et modo, in unica, simplicissima et omnis divisionis experte essentia, cum omnibus quae proprie ad eam spectant, non pares solum per omnia sint, sed unum et idem omnino,

(a) Dixit supra : *o crudelis bestia !*

(1) Matth. 5, 8. (2) Psalm. 35, 10.

et nihilo minus personis maxime inter se distinctis, atque adeo realiter (ut loquimur in scholis). Vide Damascenum libro 1° cap. 11 Orthodoxae Fidei (1) : Quid unicuique proprium, quid secundum proprietatem attributum, qui, a quo originem habeat, quae sunt proprietates, quibus consistunt ; postremo arcana, consilia, iudicia, mysteria, opera praesentia, praeterita et futura, et demum quae ut sint nihil vetat, tametsi nec fuerint, nec futura sint umquam, modo intellectui quadrent, et in primis ad hominem quoquo modo spectent.

11. Verum dubitabit forte aliquis, an sancti Deum videant et apprehendant ita perfecte ut plenam habeant de eo cognitionem. Respondeo minime sic apprehendere ; nam comprehendere seu cognoscere aliquid perfecte, est illud cognoscere ut cognoscibile est. Deus ergo, cum sit infinitus et cognoscibilis non nisi[a] mediis infinitis, cum creatura quaevis finita sit et limitata, Deum non potest perfecte et ut ipse est cognoscere ; adeo ut neque Angeli, neque B. Virgo, etiamsi totam divinam essentiam et divinitatem videant, quia eam videre nequeunt nisi totam videant, cum sit actus et forma simplicissima et purissima, et omnia videant in Deo — quae sunt in Deo ipsamet divina essentia — non comprehendunt tamen aut cognoscunt ipsam divinam essentiam ut essentia est, neque quomodo possit hoc vel illud facere aut creare ; ut philosophi : norunt quidem unum primum principium, non tamen omnes conclusiones quae ex eodem deduci possunt. Nam in potestate Dei est ostendere et manifestare se sub hoc vel illo modo, sicuti vult.

12. Sancti igitur vident quidem totam divinam essentiam quia de ea nihil est ipsis absconditum ; non vident tamen totaliter et ut est visibilis, quia videri potest sub infinitis modis et rationibus. Quamquam ergo videant divinam essentiam, quae est summa sapientia, potentia et causa huius atque illius rei, non est tamen necessarium ut sancti eam cognoscant et videant in gloria sub ea ratione et ut talis est.

Sed quae vident in Deo, videntne unico intuitu et simul omnia ? Respondeo : vident, quia vident omnia per unam eandemque speciem, hoc est per divinam essentiam, quae sola repraesentat perfectissime

(a) melius B : *et non cognoscibilis nisi.*

(1) S. J. Damasc. PG. t. 94 de Fide Orth. l. 1. c. 10. col. 836. Cap. 11 inscribitur : De his quae modo corporeo de Deo dicuntur. col. 842.

res omnes, et eo quidem modo, ut ea omnia sint velut una et eadem res in una essentia.

13. At, quaeso, usque ad quem terminum et limitem vident ? Usque ad terminum et limitem desiderii sui, quia nimirum noscunt quidquid spectat ad ipsorum perfectionem, adeo ut nihil penitus eorum remaneat aut desit quod nosse[a] desiderent.

Sed videtne alius alio perfectius ? Plane ; nam qui plus habent luminis gloriae, vident perfectius, et hi sunt qui plus habuere in hac vita caritatis, et in ea perseveraverunt usque in finem.

Haec vero visio ingeneratne in eis insignem aliquam delectationem ? Omnino, et quidem maximam ; nam ex cognitione boni cum consequatur delectatio, cum sit bonum quod vident infinitum, absque dubio gustus et delectatio immensa est in beatis et consummatis ; et omnia quae sunt creata, respectu illius quod vident et quo perfruuntur, eius comparatione nihil fere sunt. Quam ob rem ipsi aperiunt et explicant penitus pectora sua, ut comprehendant illos thesauros et delicias divinas, quibus tamen numquam satiantur ; sed maxima cum admiratione et stupore, cum dulci quadam elevatione sui spiritus, et repleti gaudio et ardentissimo amore, sine intermissione ulla laudant et magnificant Deum, reddendo gratias Deo quod certi sint se in aeternum eo bono perfruituros.

14. Sic hactenus tractavimus, fratres dilectissimi, de beatitudine et sanctitate huius vitae quomodo illa acquiratur, ut de ea quae futura est in altera vita, multa nihilo minus et praecipua exposuerimus.

Diximus ergo sanctitatem huius vitae acquiri per munditiam cordis, id est, intellectus et voluntatis ; et sanctitatem ac beatitudinem futurae seu caelestis vitae acquiri per perfectam cognitionem Dei et fruitionem eius ; et cognitio quidem per intellectum obtinetur, fruitio vero per affectum et voluntatem.

Dicamus ergo quas habeant beati, praeter eam quam diximus delectationem divinae fruitionis, alias et porro maximas voluptates.

15. In primis delectantur de redemptionis bono et fructu, quod filius Dei pro ipsis mori dignatus sit. 2° Gaudent de humanitate, quam tam gloriosam et in tanta cernunt maiestate. 3° Gaudent de B. Virgine, quod eam reginam conspiciant tam beatam et superglorio-sam. 4° Gaudent de ordine Angelorum et de singulorum excellentia.

(a) B. scripsit *nosce*.

5° Gaudent de mutuis bonis et de operibus sanctis a se factis. 6° Gaudent de periculis peccatorum et damnationis aeternae quibus erepti sunt ; et sic cum suavi et inaestimabili dulcedine et elevatione mentis, repleti gaudio et ardentissimo amore, absque intermissione laudant et magnificant Deum, reddentes ei gratias in aeternum, quia nequeunt ullo pacto ex se avertere se neque suam voluntatem et affectum ab hoc bono incommutabili. Ex parte Dei, cum sit iustissimus, non possunt privari illa gloria, quia nequeunt illum amplius offendere ; denique, nihil potest ipsis esse impedimento, nulla potentia eos impedire : *Non rapiet eas quisquam*, ait Dominus (1), *de manu mea.*

16. Superest ut pauca dicamus de beatorum festis quae celebrantur in ecclesia, quomodo in illis et circa ea nos habere debeamus. D. Bernardus in sermone quinto de omnibus sanctis et in sermone de vigilia Petri et Pauli (2), dicit tria esse in festivitatibus sanctorum attendenda : Auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostram. In festis diebus vacandum specialiter laudi Dei, quia observatio sollemnitatum quasi quaedam inchoatio est beatae vitae quam exspectamus ; unde sicut ibi erit assidua laudatio, sic in festis diebus debemus intendere laudi divinae, sermonibusque sanctis, lectioni piae. Unde Ecclesiasticus (3) : *Sapientiam scribae in tempore vacuitatis ; et qui minoratur actu, sapientiam percipiet.* Homo multis occupatus lumen sapientiae a se repellit, sicut arbor ramosa lumen solis (4) : *Fili, ne in multis sint actus tui.*

Meditari in sollemnitatibus debemus praecipue quattuor : Primo, circa Deum, qui ita sanctum illum ornavit et remuneravit. Secundo, circa sollemnitatem ipsam quam exspectamus, cuius figurae sunt sollemnitates vitae praesentis ; et sicut in festis nostris abstinemus ab operibus, nec tempus est congregandi, sed congregatis utendi, sic nec in illa sollemnitate tempus erit aliquid congregandi et magna egestate laborabunt qui sibi non providerint. Tertia, circa nos ipsos[a], ut videas in quo statu sis, et ut recogites actus tuos, et qua uti ratione meliore deinceps poteris, ut expedite pervenias ad salutem. Quarto, circa Sanctum ipsum, ut docet D. Bernardus ibi[b] supra (5) : auxilium Sancti implorare convenit, quia qui potuit in terra, plus potest in caelis. Exemplum eius considerare oportet, quia

(a) *c. nos ipsos.* om. B. (b) *ubi.* B.

(1) Ioann, 10, 28. (2) S. Bern. PL. t. 183 Serm. vig. SS. P. et P. n° 2. col. 404. (3) Eccli. 28, 25. (4) Eccli, 11, 10. (5) vid. not. 2.

nimirum quam diu in terris visus est (1), *Non declinavit nec ad dextram nec ad sinistram.* Item, confusionem nostram, quia, cuius festum agimus, homo similis fuit nobis, passibilis, ex eodem luto ex quo nos factus ; quid ergo torpescamus, ut non sectemur vestigia eius ?

17. De diversitate sanctorum triplici, vide sermonem S. Bernardi de Omnibus Sanctis (2) : nam quidam, ait, sunt de caelo, quidam de terra ; eorum qui de terra sunt, quidam adhuc vivunt, quidam in caelo sunt ; ipsi sunt sancti secundum consummationem, illi solum iuxta praedestinationem. Memoriam deinde quam habemus de sanctis, debet comitari affectio, ut nostra conversatio in caelis sit. *Mirabilis Deus in sanctis suis* (3), non modo in caelo, sed etiam in terra, et in utrisque, Deus optime, tu es mirabilis, quia illos beatificas, hos sanctificas, ut habet famulus tuus D. Bernardus (4). Faxit Deus, ut inter sanctos numeremur in gloria, quam Deus benedictus nobis concedat. Amen.

42ª Exhortatio

HABITA MOGUNTIAE AD PP. ET FRATRES NOSTROS SUB ABITUM, VISITATIONE PERACTA, COMPLECTENS ALIQUA DOCUMENTA, QUAE AD RETINENDAM BONAM DISCIPLINAM ESSENT PROFUTURA

1. A vobis recessurus, fratres in Christo dilectissimi, operae pretium duxi habere hunc brevem ad vos sermonem, ut memoriale quoddam a me habeatis vobis, confido, profuturum. Comprehendet enim decem capita, quae ad instar documentorum servare possitis.

2. Primum sit, ut in iis quae agetis, quaecumque illa fuerint, sequamini spiritum et rationem agendi Societatis. Id enim permagni refert, ut ad finem Societatis vos efformetis, et ut qui vestras actiones spectabunt, agnoscant et dicant : hi sunt veri et genuini

(1) 2 Reg. 2, 19 ; 4 Reg. 22, 2. (2) S. BERN. PL. t. 183 Serm. 5. de omnib. Sanctis, nº 1. col. 475. (3) Psalm. 67, 36. (4) S. BERN. PL. t. 183 Serm. 1 in Dedic. Eccl. n. 1 extr. col. 519.

Societatis Iesu filii. Non enim sufficere cuiquam vestrum debet diligens et accurata suscepti operis exsecutio, sed effici debet ipsum opus spiritu quo Societas agitur, qui non tam in substantia operis consistit, quam in modo et ratione agendi, sive opus ad utilitatem et profectum nostrum sit ordinatum, sive illud in salutem et spirituale bonum proximorum referatis. Et istud equidem magnum apud vos habere pondus exopto : non enim satis esse debet contionari, eleganter et diserte bona dicere, sed induere ipsum oportet modum praedicandi Societatis. Bene contionatur nimirum pastor aliquis seu doctor saecularis, bene et contionatur Pater aliquis ordinis S. Dominici, vel ordinis S. Francisci, sed suo illi modo agunt, et directionem sui ordinis tenent. Atqui contionator Societatis ex regulis suis et instructionibus habere ad populum debet sermonem : sic praeceptor in scholis nostris, non doctorum eruditorum saecularium docendi et efformandi modum sectari debet, sed regulis suis debet inniti, et ad earum rationem opus suum instituere.

3. Secundo. Licet bonum sit et necessarium unum quemque vestrum studiosum esse salutis animarum, sicuti vos esse confido, velim tamen singulos advertere, quod etsi generatim debeant exoptare et quaerere ut multas iuvent et promoveant animas, non expedit tamen nos esse sollicitos de locis et personis ac temporibus, quibus hanc operam impendamus ; sed totum illud existimo permittendum divinae providentiae, quae ex iudicio superioris, ut interprete divinae voluntatis, nobis[a] innotescet. Nihil ergo vos aliud statuere oportet, quam vos daturos omnem operam, ut superior intellegat vos teneri magno desiderio vos totos impendendi in auxilium et profectum spiritualem animarum. Ut vero hoc vel illo in loco laboretis, hanc vel illam personam conveniatis, id relinquere melius est voluntati eius qui praeest, sive id spectet ad missiones, sive ad ministeria quaevis alia Societatis ; ita ut de via aut ratione iuvandi proximum sollicitudinem deponamus, et superiori committamus. Quin tali cogitationi animum impellenti, nobis non aliter repugnandum est quam alteri cuilibet gravi tentationi.

4. Tertio. Accipiatis ac servetis ea quae vobis dantur aut dicuntur ab eo qui vobis praeest, non aliter quam si Deus ipse iussisset ; credatisque Deum peculiariter ipsis assistere et eos in iis dirigere, quae pertinent ad salutem et perfectionem vestram. Sit proinde vobis per-

(a) *in nobis.* B.

suasum in iis quae mandant, peculiari aliqua causa moveri ad id vobis mandandum aut committendum, et Spiritum sanctum peculiari aliquo instinctu eos movere, licet quandoque id ipsi non sentiant aut existiment. Debetis insuper existimare bona semper eos intentione, et in finem bonum, ea vobis imponere quae mandant et praescribunt. Quare cavendum erit ne quicquam suspicemini tristius, aut aliter iudicetis quam iustos et modestos decet religiosos de ipsorum actionibus, sive vos attingant sive non, memores Christum semel dixisse ad nostram doctrinam Petro (1) : *Quid ad te ? Tu me sequere.*

Sane qui aliter agunt, fratres carissimi, vitam ducunt difficilem et inquietam. Respondete cogitationibus talibus importunis, sicuti respondebat quidam bonus religiosus : « Veni iudicari, non iudicare ; neque volo me iudicem constituere actionum superioris, neque de eius doctrina, prudentia aut moribus, quicumque ille fuerit, sermonem miscere, nisi in bonum et eius laudem » ; vel saltem cohibete cogitationes et linguam vestram, reputantes periculosam eam esse tentationem, quae vos in discrimen animae posset adducere.

Quare continuo illam opprimite, quia spiritus Dei non est alligatus vel aetati, vel doctrinae, vel industriae hominis. Considerate apostolos perexiguo tempore ex piscatoribus rudibus et ignaris opificibus fuisse praecellentes et divinos theologos, atque morum magistros. Crucifigite et subigite iudicium vestrum ; fit enim communiter, ut dum quis privatus sive subditus iudicat condemnatque alium erroris cuiuspiam, inde deminuatur aut quies propriae animae et tranquillitas mentis, aut caritatis affectus erga illum de quo est iudicium ; unde consequitur a malo illud proficisci spiritu, cui proprium est serere zizania, ut destruat bona quae severis in anima. Hinc tibi licet agnoscere quo spiritu animus tuus impellatur. Si ergo affectus caritatis et reverentiae in te erga superiores tepescere animadvertas, hostis fraudem hinc manifeste licebit tibi deprehendere ; nam Deus, qui te vocavit ad institutum religiosum, non ut iudex fieres cuiuspiam, sed ut superiorum directione et bono aliorum exemplo vitam tuam componeres, cunctaque faceres ex instituto, te vocavit. Cognosce ergo hic te decipi specie recti, dum videlicet censuras et iudicia tua proficisci reputas ex studio boni communis, cum revera spiritus superbiae ad haec mentem tuam impellit. Colite ergo, fratres mei, humilitatem ex animo, et propter Christum subigite iudicium vestrum, non adhuc satis humiliatum et purgatum.

(1) Ioann. 21, 22.

5. Quarto. Oboedientiae et superioris voluntati absque cunctatione animos vestros accommodate, subicientes vos propter Christum Dominum, qui pro nobis *factus est oboediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (1). Ac pro magno beneficio habete, quod ad manum semper habeatis divinae voluntatis interpretem : ipsi confidite, ut cui Deus manifestatui us sit suam voluntatem et beneplacitum ; dixit enim de quolibet amico suo apostolis (2) : *Ego illi manifestabo me ipsum*, indicando videlicet suam voluntatem, et suppeditando auxilium ad eam perficiendam.

6. Quinto. Cavete ne iudicetis umquam[a] vile aut infructuosum esse, carere vestra plena libertate in iis quae pertinent ad lucrum animarum, et quod interdum occupari videamini in rebus quae, secundum iudicium vestrum, non sunt tam utiles quam illa[b] quae vobis mens suggerit, et quae praestare[c] possetis maiore gratia et splendore. Attendere siquidem praecipue debetis in conservationem et commendationem corporis Societatis, cuius magnum studium versatur circa salutem proximorum, sicuti docet fructus qui ex eius industria et laboribus in toto terrarum orbe colligitur. Quidquid igitur ad hunc finem refert Societas, quamvis in hominum oculis vile sit et abiectum, ad Dei gloriam multum facit : necessaria sunt in familia religiosa, ad bonam disciplinam servandam et promovendam, etiam vilia officia et ministeria, ut ipsa conservetur. Quare etiamsi a theologo et insigni contionatore vilia obeantur domi ministeria, ea non ut vilia debet quisquam apprehendere animo, sicuti in gestis PP. Cisterciensium, eximium quendam theologiae doctorem, valde celebrem, statim post ingressum in ordinem suppliciter petiisse et obtinuisse curam gregis porcorum, et hanc obivisse totos septemdecim annos legimus. Neque idcirco fuit ille ceteris contemptibilis, neque apud Deum minoris meriti, aut a sapientibus spretus et neglectus ; quin plurimum aedificavit, et dono prophetiae multisque virtutibus claruit.

Cum vero aliquid nobis mandatur, non tanti aestimare debemus rem quae iubetur, quam quia a Deo iubetur, per eum qui eius vices gerit, et pro magna gratia et beneficio ducere, quod illius corporis membra sumus quod ipsi est carissimum.

7. Sexto. Paratos vos velim semper esse ad crucem, eamque studiose ac magna caritate humilitateque appetendam et quaerendam,

(a) *Ne iud. um. cavete.* B (b) Sic uterque codex. (c) *praeclare.* legit B.

(1) Philip. 2, 8. (2) Joann. 14, 21.

ut cum illa inopinato fortassis contingat, hilariter magnoque cordis affectu illam amplecti ac fortiter perferre possitis. Crux siquidem in hac vita non solum est utilis, sed et necessaria ; tristitiam quidem interdum affert illa, sed mutabitur haec in gaudium et oblectamentum aeternum, quod nulla potestas creata auferre poterit. Necessaria, inquam, crux est, quia viam parat ad gloriam et quietem aeternam : *Transivimus*, inquit psalmista (1) Deo loquens, *per ignem et aquam, et eduxisti nos in refrigerium.* Comparat autem crucem et tribulationem igni et aquae valde congruenter ; nam ut aquae subinde vehementer aestuant et undas horribiles attollunt, et inter se illae colliduntur, fragorem quidem horribilem faciunt, proferunt tamen et fovent pisces valde sapidos et dulces : ita crux et adversitas iustis et bonis praestantes gignit virtutes, quae Deo et hominibus sunt suaves et sapidae ; et ut in mari solo creantur magni pisces, ut cete grandia, quae in aqua dulci et suavi non degunt, sic homines insignes et virtute praestantes multo melius et clarius apparent conspicuique fiunt in rebus adversis quam in prosperis.

Duces belli fortes et industrii non in quiete et deliciis erudiuntur et clari evadunt, sed in incommodis, in conflictibus, in acie : sic David se exercuit, sic Tobias adversitatibus plurimis enituit, sic Iob in tribulationibus mirabilis et insignis evasit. Exodi 1° legitur, quod filii Israel, quo magis affligebantur, hoc magis crescebant et multiplicabantur. S. Ephraem (2) : « Exigua, inquit, ipsa angustia et tribulatio, quae in religiosae disciplinae observatione sentitur, et quam Domini causa, frater mi, toleras, vitam tibi aeternam conciliabit. Et quid amplius dicam ? Sicut enim qui drachmam unam cum decem milibus talentorum auri commutat, ita et quae nunc est tribulatio seu labor, parvus est ad futuram vitam comparatus ; ac contra etiam, ad futuram tribulationem, quae improbe ac perdite viventibus contingit. Exigua igitur praebes, et magna tibi bona redduntur. » Haec S. Ephraem.

8. Septimo. Velim praeterea vos omnem navare operam, ne umquam animi tranquillitate privemini, quamvis agendum vobis sit aut commorandum cum hominibus variae condicionis et ingenii difficilis, ut non raro contingit in missionibus ; immo existimate vos parum adhuc profecisse, quod nondum omnibus hominibus grati et frugiferi esse nequeatis. Quam ob rem perturbationes omnes et passiones

(1) Psalm. 65, 12. (2) S. Ephraem. tom. 2, n. 42. Paraen. 6. pag. 347 b. c.

exopto vos, fratres, serio corrigere et perpurgare, et si irrisiones contingant, ad Dei honorem et gloriam lubenter sustinete et gratias Christo Domino agite, sequentes vestigia eius qui factus est *opprobrium hominum et abiectio plebis* (1). Hoc optate, ut conculcemini ab omnibus ; hoc enim familiare esse debet religiosis, qui ad scholam humilitatis et contemptus sui acceserunt, ut cum Christo moriantur ac se crucifigant. Quod si secus feceritis, ianuam sane multis tentationibus aperietis, et pacem internam, quam perpetuo colere debetis, amittetis.

9. Octavo. *Dum tempus habemus, operemur bonum* (2), *providentes bona non tantum coram Deo, sed et coram omnibus hominibus* (3) : ad Galatas, Romanos, Corinthios (4), quibus se conformans Ecclesiasticus dicit (5) : *Fili, conserva tempus et devita a malo ;* et in Proverbiis (6) : *Ne des annos tuos crudeli.* Exemplum nobis praebent creaturae irrationales, quae accedente opportunitate operandi, indefesse operantur, nec patiuntur tempus vacuum transire. Natura ipsa temporis docet non esse neglegendum, nec permittendum ut transeat in vanum : breve etenim est et velox, et postquam transiit, recuperari nequit. Iob (7) : *Dies mei velocius transierunt* ; et iterum (8) *: Dies mei velociores fuerunt cursore.* Pretiositas autem temporis monet ad idem : quantum amaretur, quaeso mi frater, una hora in extremo vitae ad agendum[a] paenitentiam, vel ad te ad alteram vitam melius disponendum ? Quantum vero potest homo promereri una hora temporis in remissionem peccatorum, in liberatione a paena aeterna ad conciliandum[b] maiorem Dei gratiam et ad acquirendum maiorem gloriae coronam ? Districtam propterea rationem reddere debebimus Deo totius temporis nostri, a quo illud accepimus. O quam magnum et insigne est temporis beneficium ! Considera quod omne tempus tibi impensum requiretur a te, qualiter fuerit expensum.

10. Nono. Pacem, obsecro fratres mei, diligenter colite, et pacem quidem triplicem : cum Deo, in nobis ipsis, inter vos omnes. *Pacem,* inquit Paulus (9), *habeamus ad Deum,* ipsum videlicet non offendendo, in timore et tremore salutem nostram operando, iugiter circa custodiam cordis nostri vigilando, reddendo ipsi cultum debitum, non tan-

(a) *agendam.* B. (b) dubie scriptum : *um* vel *am* in A ; sed *am* in B.

(1) Psalm. 21, 7. (2) Gal. 6, 10. (3) Rom. 12, 17. (4) 2 Cor. 8, 21. (5) Eccli. 4, 23. (6) Prov. 5, 9. (7) Iob. 7, 6. (8) id. 9, 25. (9) Rom. 5, 1.

tum in observatione praeceptorum et instituti nostri, sed et in iis quae supererogationis sunt ex iudicio patris spiritualis ; servando denique rectam et bene ordinatam intentionem ad Deum in omnibus actionibus nostris : nam recta intentio et tranquillitas conscientiae Deum nobis conciliat, quia *factus est in pace locus eius* (1). Item habere debemus pacem in nobis, bene subiciendo sensus rationi ; debet enim corpus servire animae et rationi, non petulanter agere aut dominari ; debet tamen foveri, sed solum ad necessitatem, ut serviat et pareat ut oportet, iuxta illud Pauli (2) : *Castigo corpus meum, et in servitutem redigo*. Sic et passiones animae subiciendae sunt eidem rationi, et affectus ex eis nascentes, nimirum affectus honoris per humilitatem, motus irae per mansuetudinem, gulae per temperantiam et mortificandi se studium ; curiositas similiter rectae rationi subicienda est, ut solliciti non simus quid aequales et fratres superioresve agant. Demum, pacem habere debemus inter nos et ad omnes, iuxta illud Pauli 1 Corint. 5 (3) : *Pacem habete et Deus pacis erit vobiscum.*

Haec promovebitur oboedientia et observantia erga superiores, nam vir oboediens pacem habet cum omnibus ; item caritatis officiis erga fratres, iuvando illos in necessitatibus eorum alacriter et amanter, et, quod magnum momentum virtutis habet et apud Deum meritum, ipsorum infirmitates libenter supportando, iuxta illud (4) ; *Alter alterius onera portate.*

11. Decimo ac postremo, cotidie et saepius recogitare quantum bonum accepimus nos a Deo ex gratia vocationis, et ipsi gratias agere de tanto bono et beneficio. Comparari etenim potest hic status noster vitae futurae et caelesti. Nam 1° sicut Sancti in caelo vivunt laeti et summa caritate coniuncti, ita, Deo sit laus, in Societate, spirituali omnes amore coniungimur in Deo, et ad ipsius servitium et honorem ; quare, neque dubitandum est Deum in medio nostrum esse, sicuti in caelo in medio est Sanctorum, praesertim cum a nobis abiturus dixerit[a] quod[b] ubi duo vel tres congregati forent in nomine suo, medio se futurum (5). 2° Quia sicuti illi qui in caelo sunt pascuntur suavitate et copia mensae Domini, ita religiosi, in Societate maxime[c] : spiritualibus cotidie meditationibus anima nostra reficitur,

(a) *Dominus*. add. B. (b) Sic uterque codex, quamvis sequatur *futurum*. (c) Post hanc vocem in neutro codice habetur interpunctio ; unde claudicat ibi sententia.

(1) Psalm. 75, 3. (2) 1 Cor. 9, 27. (3) Immo 2 Cor. 13, 11. (4) Gal. 6, 2. (5) Cfr. Matth. 18, 20.

et corpus, Deo providente pro sua infinita bonitate, copiosis eleemosynis et mensa frugali ; nam, quia propter ipsum temporalia saeculi reliquimus, ipse nobis absque nostro labore providet abundanter. Sic fecit Deus benignissimus cum populo suo Israel, cui ob Aegyptum cum suis deliciis et caepis relictam dedit manna in deserto. 3° Sicut in caelo omnia sunt communia, sic nobis in Societate. Ibi apostoli et angeli gaudent de meritis mortalium, et de gloria eorum qui sibi sunt inferiores in beatitudine : sic hic superiores de virtutibus et meritis suorum fratrum. 4° Quia[a] sicut angeli et beati semper Deum laudant, ita in Societate, Deo sit laus, omnes conantur ipsum semper habere in conspectu suo, et ad ipsum suas actiones per puram et rectam intentionem omnes referre, et eum in omnibus laudare et benedicere.

Conemur ergo, fratres carissimi, beatos illos spiritus toto affectu imitari, puritatem cordis servando et Deum laudando, ut olim per Dei misericordiam ipsis in caelo coniuncti, Deo gratias et laudes perennes in aeternum agamus. Condonate vero mihi per Christum omnes defectus meos ac malum exemplum, quod vobis saepe dedi, meique memores esse velitis in sanctis vestris ad Deum precibus. Amen.

43ª Exhortatio

De studio profectus spiritualis

1. Nullus est de vobis, fratres carissimi, qui non teneatur magno desiderio proficiendi in spiritu. Hoc ut mihi persuadeam, facit infinita illa bonitas et religiosa disciplina quam vos studiose tenere et colere conspicio ; et quamvis iam aliqui magnos processus fecerint in via spirituali, semper tamen sentiunt, nisi valde erro, sibi multum deesse ut pertingant ad summum. Moyses cum pasceret greges soceri sui Iethro (1), pecus duxit in desertum interius, antequam mereretur cernere rubum ardentem, et conaretur accedere propius periclitaturus quid miraculi esset, et antequam vocem Domini audisset.

(a) om. B.

(1) Exod. 3, 1.

Quod significare mihi visum est, quod is qui desiderat inire viam ad perfectionem, sive ad finem Societatis, debeat ante omnia gregem suum, hoc est sensus suos exteriores, quos communes habet cum pecoribus, ducere in desertum interius, hoc est, ut non permittat eos, nisi dirigente ratione, evagari per res a se externas, sed semper, quoad eius fieri potest, attendat sollicite eis mortificandis ; id enim faciendo iuvabit plurimum alios quinque sensus interiores nobilissimos ; verbi gratia, temperando visum exteriorem, hoc est retrahendo illum a pronitate cernendi liberius rem aliquam externam, perveniet ad munditiem cordis, per quam videbit oculo interiore mentis quae divina sunt. Tritum enim est (1) : *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.*

Sic mortificando auditum exteriorem, poterit attendere interius, ut audiat in se loquentem, — ut faciebat Propheta — Dominum : *Audiam*, inquit (2), *quid loquatur in me Dominus Deus.* Non enim poterit Deus optimus deesse famulo suo, cum scriptum sit (3) : *Ducam eam in solitudinem et loquar ad cor eius ;* id est, ego ducam animam dilectam in solitudinem seu abstractionem a rebus terrenis et exterioribus, et ei loquar ad cor.

Similiter, mortificando gustum et sensualitatem a delectatione ciborum corporalium et voluptatibus terrenis, pascetur spiritus eius cibo interiore verbi Dei ; scriptum enim est (4) ; *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei,* id est, non solo pane extrinseco et materiali vivit ac cibatur homo, sed fructibus caritatis et devotionis, quibus anima reficitur.

Ita mortificando odoratum merebitur anima dilecta delectari et sentire admirabilem illum odorem, quem sponsa sentiebat, cum diceret (5) : *In odorem unguentorum tuorum curremus, adulescentulae dilexerunt te* nimis *;* id est, in odorem virtutum tuarum curremus, et animae quae te sequi incipiunt et adhuc tenerae et iuvenculae sunt, magno affectu te amabunt et sequentur.

Mortificando denique tactum accedet anima ad Christum, osculabitur eum osculo oris sui, et ipsi praebebit ei devotionem et suavitatem spiritus et rerum divinarum, pro deliciis et voluptatibus quas mundus et caro promittere solent.

Tunc iure optimo dicere poterit anima devota (6) : *Domine, quinque talenta tradidisti mihi, ecce alia quinque superlucratus sum.* Neque porro solum quinque sensus exteriores mortificandi sunt, sed praecipue

(1) Matth. 5, 8. (2) Psalm . 84, 9. (3) Os. 2, 14. (4) Matth., Luc. 4, 4. (5) Cant. 1, 2. 3. (6) Matth. 25, 20.

et primario studio concupiscentia carnis atterenda est et superbia vitae, ut possimus Deo dicere (1) : *Quoniam propter te mortificamur tota die, aestimati sumus sicut oves occisionis ;* id est, propter amorem tuum mortificamus nos tota die, et ab aliis nihilo minus mortificamur et aestimamur tamquam pecudes, quae ducuntur ad macellum.

2. Quando sic homo se continenter in exterioribus exercet, Deus apparere ipsi solet in flamma ignis, aspiciendo ipsum amore infinito, atque excitando eius desiderium ad accedendum propius, et conitens dicit cum Moyse (2) : *Ibo et videbo visionem hanc magnam ;* ibo, et detegam quod absconditum est mihi. Cernens porro Deus optimus famuli sui conatum et studium, ait illi (3) : *Ne appropies,* sed *solve calceamentum de pedibus tuis.* Moyses nimirum licet magnus et virtute excelsus, non pervenerat tamen adhuc ad eam perfectionem amoris, quam poterat et habere debebat. Id conspicuum est, quod non ausus fuerit aspicere Dominum, sed abscondit faciem suam, ut ait scriptura. Certe, si caritatem habuisset perfectam, non timuisset, amor siquidem timorem foras mittit. Postea perfectior et auctior factus in caritate, non solum accessit ad conspectum Dei, sed detexit faciem suam. Verum ubi locutus fuit Deo, velato postea capite locutus est populo, qui non poterat ferre splendorem vultus eius. Cum vero ad Deum reverteretur[a], non velabat amplius faciem ; quin, ut ait scriptura, auferebat velamen. Moyses ergo cum adhuc imperfectus esset et timore affectus, non potuit obtinere quod postea obtinuit perfectior effectus, et cum in gradu imperfecto esset, dictum est ei : *Ne appropies ;* sed *solve calceamentum de pedibus tuis.* Quis ex vobis, fratres, non miretur ? Viro enim tali nihil obicitur, sed tantum iubetur auferre calceamenta de pedibus, quos divina illa maiestas volebat esse nudos. Sed non ignoratis per pedes significari affectus ; nam ut pedes ferunt corpus, ita affectus portant animam ; quam diu vero homo manet in gradu imperfecto amoris et caritatis, ac novicius est in via perfectionis, non habens affectus adhuc purgatos, non potest ad excelsa pervenire donec eos purgaverit, et semper dicetur ei : Non appropies huc. Oportet ergo ut anima peccata sua defleat dicens Domino (4) : *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animae meae.*

Et ut adhuc subtilius ac penitius intret intra se ipsam et perpurget affectus suos, non dico a noxiis tantum, et iis quae distrahunt

(a) *ur.* add. A supra lin. ; *reverteret.* B.

(1) Psalm. 43, 22 ; Rom. 8, 36. (2) Exod. 3, 3. (3) ibid. 5. (4) Is. 38, 16.

animam et quae hominem delectant hic inferius, sed oportet tandem eo pervenire studeat, ut non alium[a] gustet et sapiat amorem quam divinum. Scio equidem non posse hominem ab initio statim id consequi : verum potest eo pervenire diligenti studio orationis, virtutis et caritatis ; nam licet debiles simus et deesse nobis vires sentiamus, non propterea tamen revocare pedem debemus ab hoc tam salutari studio. Scriptum est enim (1) : *Omnia possum in eo qui me confortat.* Figenda est igitur mens et fiducia nostra in bonitate illa paterna Dei Domini, quae tanta est, ut dignatus sit fieri noster agricola et hortulanus ad purgandum sua omnipotenti manu omnes defectus nostros.

3. Sunt quidem in hac via purgativa difficultates ; absit tamen ut propter eas animus noster concidat, quin continenter implorare opem debemus divinam, quae numquam negatur invocanti ; immo sane curam carorum suorum indesinenter gerit, paulatim procedens eos ditat et implet gratia sua. Supplices ergo obsecremus agricolam illum nostrum caelestem, ut nos doceat colere terram animae nostrae et in ea serere semina virtutum, quae postea a nobis colligantur cum gaudio (2) : *Euntes,* inquit psalmista, *ibant et flebant mittentes semina sua ; venientes autem venient cum exsultatione portantes manipulos suos.* Sic videlicet Deus caros suos dirigit in hac vita, ut laborent et pugnent, unde postea coronentur in gaudio. Dixit enim (3) : *Tollite iugum meum super vos, et discite a me, quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris.* Ex quo apparet velle ipsum prius nos accipere iugum supra nos, ut postea det ipse nobis pacem et animae quietem. Non sic mundus, non sic mundus facit, fratres carissimi : is initio se exhibet suavem et delectabilem, sed, veluti[b] scorpio, in finem servat venenum. *Omnis homo primo bonum vinum ponit, et cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem servasti bonum vinum usque adhuc* (4).

4. Alteram rationem proficiendi praebet nobis Moyses (5) quando iussus est a Domino ascendere in montem. Primo enim, in loco iussus est se mundare ; deinde separare se ab iis qui mundi non erant ; ac denique a multitudine populi, ut cum solis sacerdoti-

(a) *aliud.* A ; quod emendavit B. (b) om. B.

(1) Philip. 4, 13. (2) Psalm. 125, 6. (3) Matth. 11, 29. (4) Ioann. 2, 10. (5) Exod. 24, 1.

bus electis simul ascenderet. Ac[a] sacra scriptura docemur, ut qui processus facere in via spirituali desideramus, post nostram emundationem si ad montem perfectionis ascendere velimus, duo servemus : primo, ut nullo pacto conversemur cum personis quae non amare sciunt ea quae ad perfectionem pertinent. Item ut separemus nos ab iis personis quae amant delectari rebus externis, etiam licitis ; quod nisi fecerimus, nullo pacto ad verticem perveniemus montis perfectionis. Nam licet non videatur expresse malum pascere sensus suos rebus creatis non manifeste noxiis, talis tamen delectatio facile inhaeret ad instar glutinis ; at antequam percipiatur vitium, distrahunt mentem a cogitationibus divinis, et mens, ut divisa est, ita sensim perdit vigorem et vires ad ascendendum ; immo ab humanis cogitationibus trahitur sensim deorsum ad deteriora. Deus vero O. M., qui singulari sua ac infinita bonitate praebet animae continenter bonas inspirationes, ut eam vocet ad interiores delicias divini sui amoris, aegre fert quod non utatur erga se debita gratitudine, fugiendo impedimenta omnia divini sui amoris. Quare debent perfectionis studiosi diligenter sibi cavere ab hoc permagno impedimento, ut Deo non sint ingrati, et ut non conversentur familiariter cum personis quae se effundunt lubenter ad res exteriores ; quia non tam serio Deus imperasset Moysi ut se separaret a non mundis et non purgatis, nisi sapientia illa divina cognovisset admirandam illam communicationem cum Deo non potuisse fieri alia via et ratione quam fugiendo, renuntiandoque delectationibus omnibus externis et sensuum exteriorum oblectamentis. Amemus ergo, fratres mei, et quaeramus agere solum cum personis quae gratiam et recollectionem quaerunt ; dictum enim est (1) : *Cum sancto sanctus eris.*

5. Generatim diximus quomodo perfici debeant sensus nostri externi in hac vita. Iam videtur operae pretium, ut sigillatim dicamus de potentiis animae quomodo singulae perfici debeant, ita ut obiecta earum naturalia percipiant, et gustent beneficium hoc perfectionis et unionis cum Deo. Quem ad modum igitur Deus totum hominem fecit propter se, ita vult in se ipsum omnino perficere et beatificare, quod fiet perfectissime in vita futura, quando sensu et experientia ipsa vere cognoscemus veritatem illius sententiae (2) : *Unum est necessarium*, id est, Deus est unica et perfecta nostra beatitudo.

(a) *Hac.* B. melius.

(1) Psalm. 17, 26. (2) Luc. 10, 42.

In primis ergo advertendum est obiectum intellectus nostri esse veritatem et eam cognoscere ; quare in hac vita cum non possit satiari, licet fatiget se homo ut plurimas et varias scientias acquirat, non acquiescit tamen si acquisiverit, donec perveniat ad fontem increatum veritatis et sapientiae, ad cuius fruitionem fuit creatus. Sed ut in patria absorbetur totus in illa infinitate eius, ut nihil prorsus illi supersit quod praeterea intellegat et cognoscere velit, quoniam infinita illa maiestas et sapientia excedit in infinitum eius capacitatem et eam satiat superabundantissime ; tunc naturalis inclinatio intellectus, quae est investigare et invenire semper aliquam veritatem perfectissime, et maximo cum gustu acquiescit ineffabiliter, quia spiritus est veritatis et propria eius vita, qui cum ad nos in hac valle miseriae venit, docet nos omnem veritatem (1) : altera vita est eius perpetua mensa ; et quem ad modum corpus in hac vita pascitur cibo corporali, ita in caelis spiritus pascitur Deo creatore suo. Pascitur, inquam, cognitione eius qui est vita aeterna, adeo ut intellectus ipse convertatur in rem intellectam et cognitam, ut factus iam unus spiritus et una res cum ipso non solum cognoscat res magnas ineffabiles, inscrutabiles et supermirabiles ; sed fit totus sapientia, totus cognitio, totus lumen, et ita natat in infinito ipso ut numquam inveniat fundum. Quamvis vero anima beata, quia pervenit ad beatum finem, non possit crescere nec promereri, quod attinet ad essentiale praemium et beatam visionem, bonum tamen illud immensum, quod termino, limite ac mensura caret, facit ut non satietur et semper illa contendat profundius gustare, iuxta illud psalmistae (2) : *Inebriabuntur ab ubertate domus tuae, et torrente voluptatis potabis eos.*

6. Quod attinet ad voluntatem, ut ipsa pro suo obiecto bonum habet, ita efficaciter illud appetit, adeo ut res omnes bonas, pulchras et delectabiles vellet sibi appropriare. Hinc fit, ut non cesset accumulare sibi thesauros, nec congestis satiari umquam possit, licet totum universum possideret et quidquid est creatum, donec obtineat divinum et infinitum bonum. Infantuli, qui nec intellegunt nec cognoscunt aut cogitant, si ostendatur illis res pulchra, bona et delectabilis, etsi ratione non ducantur, illam tam avide exspectant, eius pulchritudine tracti et illecti vi intrinseca naturae, ut sua inclinatione affligantur nisi obtineant : sic homo naturaliter appetit honores, commoda delectabilia, et in his rebus semper quaerit bonum quod in his putat

(1) Cfr. Ioann. 16, 13. (2) Psalm. 35, 9.

se inventurum ; fallitur tamen, quia ibi non est Deus, qui plenitudo est totius boni et perfectionis, infinitae bonitatis et pulchritudinis, sapientiae, amoris et gaudii. Et sane, quo plures de rebus creatis acquiruntur, hoc ipsarum maior est cupiditas, quia explere nequeunt animi capacitatem.

Hinc videas imperatores et reges, quo res maiores et in maiore copia possident, tanto maiore desiderio tenentur habendi. Adamus dominus erat omnium, non fuit tamen contentus ipso universo.

Nullum pectus rebus creatis saturari potest ; quin gustando plura semper appetit, et prae desiderio ita affligitur et torquetur, ut mori videatur ; quia creatus est homo ut bonum infinitum possideat, et inquietum est cor nostrum, ait Augustinus (1), donec te Domine possideat, quia extra te non potest inveniri. Currit homo semper ad optatum bonum et non invenit, quia in rebus externis ipsum quaerit ubi non est, nec inveniri potest ab eo qui inordinate Deum quaerit. Solus Deus bonus est ; Marci 10 et Lucae 18 (2). Is est in abscondito, id est intus et intimus, ad cuius perfectam notitiam perveniri nequit, quia incomprehensibilis est. Mente tamen et affectu aliquid percipiunt ; sed tam pulchra gemma et tantus thesaurus haberi nequit, nisi homo omnia quae possidet relinquat ; et nihilo minus, qui abicit omnia quae possidet ad pedes Christi, totum amorem suum collocando in eo in hac vita mortali, tantum obtinet arram quandam gaudii et boni caelestis. Hi inveniunt manna absconditum, ac vitam quietam et felicem, quanta in hoc mundo gustari et possideri potest. In rebus creatis semper inquieta eris, anima mea, et semper iactaberis : in Deo collocata est sedes tua ; dicitur enim (3) : *Si quis diligit me, diligetur a patre meo, et ego diligam eum et manifestabo illi me ipsum.*

7. Hac porro manifestatione, bona omnia inferiora anima contemnit et fastidit, et cum Paulo omnia arbitratur ut stercora (4), et totam se impendit in quaerendo quem ardenter amat et videre desiderat ac possidere, dicens cum psalmista : *O quando veniam et apparebo ante faciem Dei* (5) ? Hoc ardenti amore inflammata continenter loquitur cum dilecto suo, dicitque cum psalmista (6) : « Tibi dixit cor meum, quaesivi vultum tuum ; vultum tuum, Domine, requiram ». Quod si anima Dei amore plena, et a cuius corde numquam Deus in hac vita

(1) S. August. PL. t. 32 Confess. l. 1, c. 1, n. 1. col. 661. (2) Cfr. Matth. 19, 17 ; Marc. 10, 18 ; Luc. 18, 18. (3) Ioann. 14, 21. (4) Cfr. Philip. 3, 8. (5) Psalm. 41, 3. (6) Cfr. Psalm. 26, 8.

recedit, semper magis magisque eum ardet et stringit altissimis desideriis ac tota virtute sua, quid faciet, amabo, quando soluta corporeis vinculis, expansis velis ad eius thronum perveniet ? Si, in terra exsistens, quando suus dilectus est in abscondito, et tam intimus ut videri nequeat, ardebat tamen eum toto corde et affectu, ut totum suum thesaurum in se repositum : quid, inquam, aget quando manifeste apparebit sicuti est ? quando videbit regem in decore suo ? quando praesentem abyssum habebit suae bonitatis aeternae, et comprehendet incomprehensibilem fontem sapientiae tam diu praegustatum ? Non est possibile, bone Deus, explicare gaudium et amorem quo in te feretur, et quo exsultabit te videndo ; immo intrando infinitum illud gaudium, de quo dixisti, Domine Iesu (1) : *Intra in gaudium Domini tui*, intra in fontem vitae, in fontem amoris et omnis boni, intra in paradisum omnium deliciarum, numquam a te gustatarum ; intra, inquam, in me, Deum gloriae, totum desiderabilem, quem in terra exsistens continenter concupivisti.

In me invenies veram pacem et quietem, ut dicere possis cum iubilo (2) : *In pace, in id ipsum dormiam et requiescam.* Quod nobis concedat Pater, et Flius, et Spiritus sanctus. Amen.

44ª Exhortatio

De intellectus corruptela et reparatione

1. Homo in paradiso et statu innocentiae constitutus, omnes mundi huius creaturas multis gradibus excedebat, quia omnes ad ipsius usum erant creatae, et ipse tamquam omnium dominator, omnibus praeerat. Deus namque, ut summam operi suo manum adhiberet, hominem ad imaginem et similitudinem suam creavit, intellectum, voluntatem et memoriam ei tribuens ; intellectum quidem ac rationem nullis tenebris obscuratum, sed clarum atque illuminatum ; ita enim ferebatur in cognitionem Dei intellectus, ut omnes suas actiones et cogitationes in ipsum dirigeret, et Deum absque taedio et molestia ita laudaret, ut rarissime ab eius laude cessaret. Intellege-

(1) Matth. 25, 21. (2) Psalm. 4, 9.

bat nimirum perfectissime, et quantum homini fas est, bonitatem Dei, et alias eius perfectiones, licet ipsum numquam in sua maiestate vidisset ; sed eum in omnibus creaturis, quarum proprietates apprime noverat, speculabatur Deum in ipsis[a] esse, et ab ipso eas omnes provenisse. Iam vero Deus optime, quantum taedii et laboris in tuo servitio sentimus ! Quam difficulter et quam tenuiter tibi adhaeremus ! Quam raro et quanta cum molestia de Deo meditamur !

Non ponderavit videlicet primus parens Adam satis efficaciter felicitatem suam. Per culpam tandem inoboedientiae obscuratum est cor eius, et incidens in latrones, spoliatus est omnibus bonis et perfectionibus suis, et, quod caput est, innocentia ; accepit vero vulnera multa et gravia in intellectu, in voluntate ac in memoria, necnon et in aliis animae viribus, quod ostendere iam incipiemus.

2. Cum ratio igitur vis illa sit, quae inter bonum et malum verum et falsum discernit, continens non solum vim et facultatem cognitivam, sed et motivam, iudicans aliquid esse bonum vel malum, et ibi sistens, intellectivam vim constituit. Quando vero ulterius procedit et iudicat bonum esse ut fiat, fierique appetit, tunc dicitur liberum arbitrium : ipsum enim liberum arbitrium comprehendit rationem dictantem et voluntatem appetentem. Haec autem ratio prout se habet ad bonum particulare, id est, ut non se extendit ad bonum commune, dividitur in partem superiorem et inferiorem. Superior pars divinis ac aeternis intendit, et ex eis sua disponit ; inferior autem de transitoriis disponit ac iudicat, ut superior de aeternis rationes format, v. g. hoc faciendum est, quia Deus praecipit, vel quia Deo placeat[b]. Inferior autem pars ex humanis legibus rationes suas format, ut : hoc faciendum est, quia est honestum, et quia expedit rei publicae.

Sed quomodo differt ratio ab intellectu ? Intellectus apprehendit esse rei absolute ; ratio vero cum collatione unius ad alteram. Inferior pars rationis dicitur multipliciter ; nam cum circa res corporales versatur, coniuncta est sensualitati, et saepe ab ea illicitur : animadvertit enim semper sibi porrigi pomum ; hinc fit, ut S. Augustinus vocet rationem Adamum, sensualitatem Evam (1). Ratio tamen superior et inferior idem sunt in essentia, et differunt tantum officio, ut patet ; sicuti conspicuum est quomodo ab intellectu differat (2).

(a) D., *in ipsis* : duplex repetitio in utroque codice. (b) Sic item : *praecipit, placeat*.

(1) S. Augustr. PL. t. 34 de Gen. c. Man. l. 2, c. 12, n. 16 et c. 14, n. 21. col. 205, 207. Cfr. ib. Serm. in monte, l. 1, c. 12. n. 34. m. (Tria ergs) col. 1246. (2) S. Augustr. PL. t. 38 Serm. 43. c. 2, n. 3 extr. col. 255.

Ut vero cognoscamus tenebras quibus offuscatur intellectus humanus seu ratio, similitudinem ducamus a corporalibus ad incorporea. Caecus homo ille dicitur qui privatus est potentia videndi : sic ergo intellectus obtenebratus et caecus dicitur, qui lumine suo privatus est ; tunc vero illuminata ratio seu intellectus dicitur, cum suum lumen habet, eoque potest uti.

3. Lumen autem quadruplex assignatur a D. Thoma in 2^a 2^{ae}, scilicet lumen naturale, lumen gratiae, lumen gloriae et lumen legum divinarum seu praeceptorum.

Lumen naturale est participatio luminis increati, quod alibi D. Thomas vocat imaginem recreationis in iustis, sicut lumen gloriae imaginem similitudinis in beatis (1). De lumine naturali dicit psalmista (2) : *Signatum est super nos lumen vultus tui,* Domine : hoc vero lumine mediante, naturalia cognoscimus ; et huius luminis privatio numquam fere contingit, quia lumen est naturale. Potest tamen eius usus impediri, sicuti videre est in parvulis et in furiosis ac phreneticis. Cuius ratio est quod non sit usus luminis, nisi mediantibus instrumentis rectae imaginationis : oportet enim intellegentem phantasmata speculari ; in amentibus autem laesa est imaginatio, quare privantur illi luminis usu.

Lumen gratiae est qualitas spiritualis animae infusa, quae manifestat tenebras et depellit obtenebrationem a sensualitate inductam, datque rationi vigorem recte cogitandi ; hoc autem lumine privatur, qui peccatum mortale admittit ; unde qui est in mortali caecus est, obumbrata namque est in eo ratio, passionibus dominantibus (3) : *Excaecavit illos malitia eorum.*

Lumen gloriae est beatorum proprium, et ideo de eo nobis parum datur cognoscere, neque illud facit ad praesens nostrum institutum. Illud satis nobis sit, quod nullo modo contingat illud deficere, aut eius privationem dari ei qui semel illud acceperit, sed nec eius usus impediri potest.

Lumen legum est quoddam intellegibile principium, per quod homo intellegit alia ; scilicet, per leges intellegit quid sibi faciendum, quid fugiendum sit. Huic autem principio mens potest intendere, vel non intendere, quod contingit dupliciter : vel quia voluntas avertitur ab eo sine passione, iuxta illud psalmistae (4) : *Noluit intellegere, ut bene*

(1) S. Thomas, Ia. q. 93, a. 4. c sub fin. Id. Cfr. 1^a. q. 106. a. 1 ad 2^m, et 1. 2^{ae}. q. 91. a. 2. c. Item 2. 2^{ae}. q. 173. a. 2. c. sub fin. (2) Psalm. 4. 7. (3) Sap. 2, 21. (4) Psalm. 35, 4.

ageret; vel quia abducitur voluntas aliqua passione circa aliqua quae magis diligit, iuxta illud psalmistae (1) : *Supercecidit ignis*, scilicet concupiscentiae, *et non viderunt solem*, scilicet iustitiae. Quolibet autem horum modorum ratio efficitur caeca.

Patet ergo rationem illuminatam esse, quae habet lumen quoddam a Deo datum intellectui ad naturalia, et lumen gratiae per quod facile dissolvit nebulas a sensualitate effusas, ut sequatur dictamen rationis et legum Dei. Advertere ergo diligenter nos oportet, fratres carissimi, ne passionibus ullis usum luminis naturalis extenuemus vel perdamus, et cum eo lumen gratiae. Quam ob rem reprimamus passiones nostras ac subigamus partem inferiorem et sensualitatem rationi, ut pareat legi Dei et instituto ac constitutionibus nostris, quae ad Deum ordinatae sunt.

4. Videamus modo media quibus uti possimus ad reprimendas irrepentes passiones, ut non inducant caecitatem hanc, vel offuscent lumen rationis. Est quidem caecitas haec rationis valde perniciosa, quod patet ex eo quod Christus dicit (2) : *Si lumen, quod in te est, tenebrae sunt, quantae ipsae tenebrae erunt!* Nam si ratio, quae dux est voluntatis et sensuum omnium, fuerit caeca, et caecus caeco ducatum praestiterit, absque dubio ambo in foveam cadent. Accedit quod ratio offuscata passionibus est velut aqua turbida, quae, ascendente sursum luto, impedit ne quod interius est cernatur, nec de eo iudicari possit ; sic, inquam, ratio, hoc modo perturbata, quae sibi expediant nequit videre nec de illis iudicare. Adde quod, sicut piscator in aqua turbida facit capturam, sic diabolus in maiora ac plura mala inducere nos valet, si passionibus subeuntibus non occurramus, impediamusque ne rationem perturbent.

Saepe proponamus igitur quasvis passiones inordinatas propulsare ; hoc enim propositum saepe renovatum provocat Spiritum sanctum ad nobis donandum constantiam, et ad infundendum donum fortitudinis, quo animae firmitas addatur et robur ac fiducia ad superandas omnes difficultates propter Deum, et ut constantes simus in pugna et in virtutis actione adversus malam consuetudinem, malamve naturae proclivitatem. Vide Augustinum (3) : De bono[a] perseverantiae.

Imperseverantia, seu vitium perseverantiae contrarium est, quo

(a) Sic in utroque codice, ut alibi.

(1) Psalm. 57, 9. (2) Matth. 6, 23. (3) S. August. PL. t. 45. de Dono Pers. cap. 6, n. 10-12, col. 999 sq.

laborant illi qui raro ad consummationem et perfectionem opus aliquod inchoatum adducunt. Ex utilitate porro quae provenit ex perseverantia, colligi potest quantum malum sit hoc inconstantiae vitium. Valet enim solum ultima dies qua aliquis vivit, si bene ordinata fuerit ; et quidem tantum valet, quantum omnes dies praecedentes vitae totius. Quod si et illa ultima die male vitam concluseris, totius vitae decursus periisse censendus erit. Adeo vero diabolo placet hoc vitium inconstantiae, ut in hoc praecipue intendat, ne homines perseverent ; unde dictum est serpenti (1) : *Insidiaberis calcaneo eius*, id est, fini. Novit etenim hostis finem optimum esse in re, et quod cetera habeant ab eo bonitatem suam. Vitium sane est pessimum ; nam nisi finis sequatur bonus, omnia quae facta sunt toto vitae decursu perierunt.

Opus ergo est perseverantia et fortitudine ad passiones subigendas : fortitudinem dico, primo modo non generaliter sumptam, qualis in omni virtute invenitur ; — omnis enim virtus fortitudinem habet respectu vitii sibi contrarii — sed secundo modo fortitudinem intellego eam, quae large quidem sumitur, non tamen tam generaliter sicuti ante ; et sic attenditur circa difficilia in passionibus, sive sint interiores sive exteriores : exteriores, ut sunt contumeliae, damna rerum, molestiae corporales ab aliis illatae ; interiores, ut sunt passiones contra quas certamen habet temperantia ; sic accipitur illud proverbiorum (2) : *Mulierem fortem quis inveniet ?* Tertio modo, pro fortitudine quae attenditur circa ea quae sunt difficilia in passionibus exterioribus, ita ut non comprehendat temperantiam. Sic sumitur ab Augustino lib. de mor. eccl. (3). Quarto modo, strictissime fortitudinem Aristoteles sumit in Ethicis, ut videlicet non attendatur circa quodcumque difficile in passionibus exterioribus, sed tantum circa exteriores passiones quae corpori infliguntur, et non extendit se ad damna rerum.

5. Aliud medium ad vincendas seu arcendas passiones est, ut excutiamus mundum et terrena. D. Paulus, ut circumfusus est lumine Christi, visum amisit rerum terrenarum ; sic qui ex tenebricoso loco ad claram lucem prodeunt, coguntur per aliquod tempus oculos claudere ut sensim videre possint : sic nos, qui ex tenebris mundi et curarum eius vocationis beneficio emersimus, ut intellectum nostrum purgatum et mundum servemus, cavere diligenter debemus ut tenebrae rursus nos non apprehendant rerum terrenarum et affectionum

(1) Gen. 3, 15. (2) Prov. 31, 11. (3) S. Augustin. PL. t. 32 de Moribus Eccl. l. 1, c. 14, n. 25, col. 1322. Cf. ibid. de Lib. Arbit. l. 1, c. 13, n. 27, col. 1215.

inordinatarum ; oportet, inquam, ut claudamus oculos his inferioribus, quoad licet in hac tenebricosa vita, ut religionis luce et disciplinae suavitate perfruamur. Ita videbatur Paulus facere, qui omnia arbitrabatur ut stercora ut Christum lucrifaceret, et saltem lucem aeternam ex parte degustaret, vitam et mores Christi iugiter meditando : *Nunc,* inquit (1), *cognosco ex parte ;* quomodo vero illud ? *Vivo ego,* ait, *iam non ego, vivit vero in me Christus* (2). Vivente ergo Christo in ipso, simul ipse consequebatur vitam et lucem quae hic haberi potuit ; postea in caelis plenissimam habiturus, videndo Christi divinitatem et aeterna gloria perfruendo. Inde factum est ut Christus utramque coniungeret, vitam videlicet et lucem (3) : *Qui sequitur me,* inquit, *non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitae.*

Claret ergo, bone Iesu, quod is cui dignaris in hac vita te manifestare, incipiat ex parte hic praegustare felicitatem illam beatam, quae superventura est in futura vita, ubi concedetur illis plenissime, non amplius ex parte, te perfrui. Tunc implebitur illud, quod dicit B. Apostolus tuus (4) : *Cum venerit quod perfectum est, evacuabitur quod ex parte est.* Hoc in gradu primo cognitionis et intellectionis fuisse videtur magnus ille contemplator Moyses, cui cum non satis esset cognoscere ex parte, ardebat cognitionis altioris et perfectioris desiderio, cum dicebat (5) : *Si inveni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi faciem tuam ;* id est : si gratus sum tibi, ostende mihi plenius et apertius maiestatem tuam ; quem Dominus Deus docuit petitionem ipsius fuisse intempestivam (6) : *Non videbit me,* inquit, *homo et vivet ;* quasi diceret : oportet te mori et vitam tuam dare, si vis consequi quod tam ardenter desideras, oportet, inquam, dare te illud propter quod mortales dare solent omnia (7) : *Cuncta quae habet homo, dabit pro anima sua.* Si ergo me videre vis, necesse est ut ante moriaris.

6. Hic velim, fratres mei, nos advertere, non esse nobis solum moriendum ut Deum videamus in patria, verum etiam ut ipsum videamus in via ; haec vero mors praecedere debet utramque cognitionem, perfectam et imperfectam, huius vitae et futurae sive gloriae. Altera mors est corporalis, altera comparatur vivendo in hac carne, inferendo vere, continenter et assidue mortem omnibus carnalibus appetitibus, sensualitati et omnibus passionibus, omnibus nostris erga ea quae mundi sunt affectionibus, omnibus superfluis cogitationibus, sermonibus omnibus otiosis, ac denique affectionibus omnibus,

(1) 1 Cor. 13, 12. (2) Gal. 2, 20. (3) Ioann. 8, 12. (4) 1 Cor. 13, 10. (5) Exod. 33, 13. (6) Ibid. 20. (7) Iob. 2, 4.

quas in nobis advertimus ad Deum non tendere. Hoc studium, hoc exercitium resecandi assidue omnia superflua nostra, maximum habet momentum, neque tamen sufficientes sumus nos, ut hanc mortem et resectionem nobis consciscamus ; ut impossibile est cognoscere SS^am^ Trinitatem, nisi ipsamet se manifestet, sic nequimus obtinere hanc felicem mortem, per quam pervenitur ad eam cognitionem, nisi dono et operatione secreta ipsiusmet incomprehensibilis Trinitatis. Hoc patet verbis Christi Domini dicentis (1) : *Ego sum vitis vera, et pater meus agricola est ; omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; et omnem qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat.* Hisce enim verbis constat, divinam patris aeterni maiestatem dignari purgare per se ipsum (1) eos palmites qui ferunt fructum, ut copiosiorem faciant, ac tandem per beatam visionem promereantur perpetuo eius coniungi consortio.

Quam beatus ille, fratres mei, qui de nobis intellectum tam illuminatum habere meretur, ut cognoscat hoc tanti momenti beneficium, hanc purgationem palmitis nostri, quae excelsa Dei manu fit ! Quae puritas et munditia non debeat esse in oculo intellectus et mentis, ut videat solem increatum ! Diligenti ergo studio incumbamus depellendis omnibus quae mentem inficiunt ac impediunt, minima licet infectione, a beato illo statu quem electi Dei, in hac vita, eius operatione et beneficio consequi possunt. Adhibeamus ergo ad studium assiduum, frequentem etiam orationem, ut Dei gratia iuvante, depellantur omnes sensualitates et rerum terrenarum nebulae. Sic facientes laeti et quieti erimus et summa pace interiore perfruemur. Quod nobis concedat Deus. Amen.

(1) Ioann. 15, 1. (2) *ipsum*, sc. patrem, Cfr. pag. 715, lin. 23 extra ipsum.

45ª Exhortatio

De voluntatis debilitatione et reparatione, et memoriae restauratione

1. In hac exhortatione, Deo bene propitio, dicemus, fratres carissimi, de voluntate : Quotuplex illa sit ; quae fuit[a] in statu innocentiae ; quae post lapsum.

Triplex autem nomen sortitur, iuxta triplicem motum seu effectum eius. Nam si movetur secundum rationis dictamen, dicitur voluntas rationalis ; si naturali quadam sua inclinatione, dicitur naturalis ; sin secundum sensum praeterita ratione movetur, dicitur animalis seu sensualis. Quin et voluntas rationalis, cum sensum sequitur, dicitur etiam animalis.

Naturalis ergo voluntas est inclinatio quaedam naturalis in bonum naturale rei, absque ulla praevia apprehensione illius. In hac autem consistunt primi motus, qui quoniam naturales sunt, censentur consequenter in nostra potestate non esse ; quare in hac, ut in se consideratur, neque meritum ullum est, neque demeritum.

Animalis vero, est inclinatio quaedam eiusdem voluntatis in bonum, sive apparens sive falsum, sequens apprehensionem sensus. Et haec quidem voluntas fugit omnia quae sensui contrariantur, quia sensus non apprehendit ea ut bona, sed potius ut mala, quae et sibi contraria experitur, et hac voluntate dixit Christus (1) : *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste.* Ita homo declinat ieiunia, disciplinas, officia abiecta, mortificationes, etc.

Rationalis autem, est inclinatio voluntatis in bonum, et sequitur dictamen intellectus et rationis, per voluntatem Dei directae, qua voluntate dixit Christus (2) : *Verumtamen,* Pater, *non mea voluntas, sed tua fiat.* In hac sola est meritum et demeritum, cum ipsa vel per se vult bonum aut malum, vel cum assentitur voluntati animali in malum. Unde et ipsa vocatur animalis et de hac dicit psalmista (3) : *Homo, cum in honore esset, non intellexit ; comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis,* et Apostolus (4) : *Animalis homo non percipit ea, quae sunt spiritus.*

2. De naturali porro sicuti nec de animali sermo non est nobis

(a) Sic in codd. *sit, fuit.*

(1) Matth. 26, 39. (2) Luc. 22, 42. (3) Psalm. 48, 13. (4) 1 Cor. 2, 14.

habendus, sed de rationali solum, de qua nobis exponendum est in praesentia, quomodo bona et Deo grata esse possit.

Ut ergo voluntas rationalis bona esse queat, duas requirit conditiones, ut nimirum sit de re bona, et quidem propter bonum finem ; nam ut mala sit, sufficit defectus alterius condicionis. Unde quae bonum vult, sed ob malum finem, mala est, sicut illa quae malum vult, licet ob finem bonum illud velit : ut eius, qui se humiliat exterius ob vanam gloriam et ut humilis habeatur. Quia vero voluntas Dei semper vult bonum, et propter bonum finem, nullo umquam pacto potest esse mala. Hinc etiam fit, ut voluntas humana bona dicatur, quae est secundum voluntatem Dei, et illa melior, quae ipsi est magis conformis.

3. Quoniam vero bonum propter bonum finem duobus modis velle possumus, seu languide seu remisse, vel efficaciter, sequitur inde vitium vel virtus. Exempli causa, voluntas peccatoris qui desiderat per paenitentiam felicitatem propter bonum, id est, propter propriam salutem, quia remisse id desiderat et in peccatis haeret, vel si ab eis forte recedit, facile tamen et levi qualibet occasione ad eadem revertitur, vitiosa est. Eiusmodi erat voluntas filiorum Israel, qui, cum desiderarent bonum, hoc est a servitute Aegypti liberari, et propter bonum finem, ut sacrificarent Deo, quia tamen languide id desiderabant, quacumque levi occasione a proposito deiciebantur, relinquentes Deum et recurrentes ad idola. Exemplum secundi, id est habentis voluntatem efficacem, habemus in voluntate Davidis dicentis (1) : *Iuravi et statui custodire iudicia iustitiae tuae ;* et alibi (2) : *Persequar inimicos meos et comprehendam illos, et non convertar donec deficiant.* Item (3) : *Placebo Domino in regione vivorum.* Talis fuit voluntas SS. Martyrum ; talis et B. P. N. Ignatius, qui conversus a militia saeculi ad spiritualem Christi militiam, fortiter et constanter egit usque in finem contra carnem et sensualitatem, contra honores et persecutiones. Talis fuit et vestra, fratres mei, qui contra sensus et affectiones inordinatas ac mundi illecebras, contra propinquorum blandimenta fortiter depugnastis, et etiamnum depugnatis, et quod caput est, hoc consilio ut gnaviter in vinea Domini laboretis.

Haec autem voluntas efficax proprie et vere bona est, et de hac in praesenti nobis est sermo. Nam altera, id est remissa, etiam in criminosis inveniri potest et solet ; de hac dicit D. Bernardus (4) : Illa

(1) Psalm. 118, 106. (2) Psalm. 17, 38. (3) Psalm. 114, 9. (4) S. Bern. PL. t. 184 de Inter. Domo, cap. 2 extr. col. 511.

est bona voluntas, quae facit quantum potest. Remissa autem quantum potest non facit, quare neque bona voluntas dici meretur.

4. In primo parente, ante lapsum recta erat voluntas, ut nihil amaret inordinate, sed Deum solum per se et propter ipsum reliqua, in quibus ipsum Deum perspiciebat et amabat secundum ordinem et modum perfectum, quia intellectus erat illuminatus, nihilque nisi rectum voluntati offerebat. Voluntas enim, quae per se caeca est, non fertur in incognitum ; nullam insuper voluntas pugnam habebat cum appetitu, seu ratio cum sensu, sed appetitus omnes ante lapsum pure ad Deum ferebantur. Habebat quidem appetitum gloriae et honoris, fugiebat tristitiam, nulli subesse et habere multa cupiebat, sed haec omnia in Deo, non in se seu aliam creaturam referebat. Dei enim gloriam et honorem maxime appetebat, nulli creaturae inordinate subici volebat, sicut subicimur dum peccamus. Tristitiae quidem affectum habebat, sed solum propterea quod nequiret omnino cum Deo coniungi, etc. ; sic gaudebat de Deo et eius maiestate, et quod omnes creaturae illi subessent. Omnes denique hi affectus et propensiones ita cum voluntate consentiebant, ut nulla pugna inter eas oriri posset, ita ut, quidquid voluntas volebat, statim ad exsecutionem perduceretur, idque sine molestia, sicuti videmus in membris. Nam statim ut voluntas aliquid vult, omnia membra parata sunt ad obsequendum, adeo ut difficile cognosci possit, utrum voluntas prius praescribat, quam membra ad exsecutionem procedant. Vide Augustinum (1). Nos vero, proh dolor ! quantam sentimus difficultatem, quando opus aliquod bonum aggredi volumus ! *Vult et non vult piger* (2) ; num velimus deliberamus, concludimus subito, sensus obicit suas difficultates ; hinc rescindimus proposita vel differimus[a] , immo, saepe omnino neglegimus. Quis e nobis est, fratres mei, qui in se non experiatur persaepe has difficultates ?

5. Sed veniamus ad voluntatis reparationem.

Debemus igitur contendere ut voluntatem semper habeamus rectam ; rectam dico, nam licet non habeamus interdum eam aversam prorsus a Deo, est tamen saepe in nobis curva et ad sua commoda intenta ; idcirco minima peccata non vitamus. Aliquando quidem elicere conamur hanc voluntatem, sed parvo conatu ; hinc parva et minime accensa

(a) *deferimus*. B.

(1) S. Augustin. PL. t. 32 Confess. l. 8, c. 9, n. 21, et cap. 8, n. 20. col. 758. (2) Prov. 12, 4.

est desiderio ; quo fit, ut sic affecti vitemus quidem peccata etiam minora, sed et facile in eadem relabimur[a]. Aliquando magnum adhibemus conatum ; sed voluntas nostra est fragilis et in utramque partem flexibilis, id est, ad bona et mala, et[b] ut afficimur ad bona, ita quandoque ad mala. Aliquando odimus malum et amplectimur bonum, et toleramus adversa utcumque patienter ; sed quia voluntas et sensualis appetitus aliquo modo repugnat et fortiter non renititur, retinemus aliquas imperfectiones, ut distractiones tempore orationis, levitatem in sermone, leves offensiones et aversiones et cetera sentimus.

Fratres mei carissimi, robusti quaeso estote, et voluntatem vestram cum voluntate divina conformetis, et cum Dei voluntate illam coniunctam habeatis ; non solum aversemur peccata levia et imperfectiones, sed etiam quidquid a Deo alienum est. Sanctis olim molestum erat etiam corporis necessitatibus servire : amplexabantur dura et aspera, et in illis gaudebant, quia sic assimilabantur magis Christo crucifixo. D. Basilius (1) : « Nos quidem, ait, caeleste regnum ingenue profitemur nos quaerere, de iis autem rebus per quas illud assequi possumus, solliciti nihil sumus ; cumque nullum pro tenendis Domini mandatis laborem velimus suscipere, vana quadam persuasione pares nos cum illis honores adepturos putamus, qui usque ad mortem peccato restiterunt ».

Quis quaeso umquam, qui sementis tempore domi sederit otiosus aut dormiens, ubi postea messis advenit, sinum suum manipulis implevit ? Quis ex vinea quam non plantavit, uvas umquam collegit ? Illorum enim sunt fructus, quorum labores, sicut coronae praemiaque illorum sunt, qui victores evaserunt ; quis enim eum, qui ne in certando quidem cum adversario descendit, corona duxit umquam esse insigniendum ? cum ad eam promerendam non victoria modo, sed etiam legitimus in certando conflictus requiratur, ut est apud Apostolum (2) ; quod quidem aliud nihil est, quam ut eorum quae observanda descripta sunt, nihil omnino praetermittatur, ac singula ita fiant ut a praescripto nihil decedatur.

6. Ad usum rectum bonae voluntatis nos iuvare et accendere debet, cuius vita tota nostrae fuit regula disciplinae, sicut dixit aliquando Deus uni famulo suo (3) : A me videbitis, et sic facietis. Quibus

(a) Sic iterum : *vitemus, relabimur.* (b) *etiam.* B.

(1) S. Basil. PG. t. 31 Prooem. in Reg. fus. tr. n. 2 in. col. 891. (2) 2 Tim. 2, 5.
(3) Cfr. Iudic. 7, 17.

sermo fidem non facit, opus ipsum persudeat : ad Phillippenses, cap. 3°. Omnis actio, omnis item sermo salvatoris nostri Iesu Christi est colendae pietatis ac virtutis exercendae regula. Propter hoc enim naturam humanam assumpsit, ut in se velut in tabula aliqua veram nobis pietatem virtutesque depingeret, eamque omnibus nobis ante oculos poneret, pro viribus imitando[a], seu archetypon nobilissimum ac perfectissimum ; neque enim ob aliam causam corpus ipse nostrum assumpsit, nisi ut, quoad fieri posset, nos ad imitandum vitae suae exempla invitaret. Basilius in Constitutione monastica (1) ; D. Bernardus (2) : In vita Domini nostri, ait, cognoscimus vitam nostram, ut sicut ille paupertatem et oboedientiam, humilitatem et patientiam, caritatis et misericordiae indeclinabiles semitas tenuit, sic et nos eiusdem vestigiis insistamus, non declinantes nec ad dexteram, nec ad sinistram. Soliciti simus intueri divinam praesentiam, bonum illud infinitum, fratres carissimi, ut attollendo oculos mentis in Deum et reiectis propensionibus seu cogitationibus, quae nos abstrahunt a Dei consideratione et mentem impediunt ne praestet officium, sicuti indicatur Davidem praestitisse dicens[b] : *Oculi mei semper ad Dominum* (3). Unionem autem cum Deo non possumus habere firmam et constantem, nisi affectum et voluntatem habeamus purgatissimam.

7. Utilitates bonae voluntatis breviter iam attingemus, antequam ad memoriae reparationem accedamus. Utilitas ergo prima est, quod per ipsam meremur, et quod in ipsa consistat meritum universum, adeo ut nullum opus, quantumlibet rectum ac magnum esse videatur, vere bonum sit ac meritorium, nisi ab hac voluntate proficiscatur. Unde Bernardus (4) : Voluntas hominis potestas est Dei. Sine bona voluntate salvari nemo potest, cum bona voluntate nemo perire potest ; quantum crescit bona voluntas, tantum crescit et meritum : fac ergo magnam voluntatem bonam, si vis et magnum habere meritum. Hinc fit ut, positis duobus hominibus qui bona voluntate desiderant bonum aliquod v. g. martyrium, et unus actu martyr efficiatur, alter vero non : uterque quidem gloriam aeque meretur essentialem, sed qui actu martyr factus est, habet etiam martyrii aureo-

(a) Videtur esse *dativus intentionis*, sequitur enim *nos ad imitandum*. (b) Sic A ; at B recte scripsit *dicentem* : uterque cod. habet *Davidem*.

(1) S. Basil. PG. t. 31. Const. mon. cap. 1 in. col. 1326. (2) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 2 in Pentec. n. 5. col. 328 c. (3) Psalm. 24, 15. (4) S. Bern. PL. t. 184 de Inter. Domo, cap. 2 col. 511 b.

lam, quae gloria accidentalis est (1). Haec est sententia D. Thomae, et quidem solide fundata ; nam sicut qui assentiendo peccato alicui, licet actum non admittat, aeque meretur poenas inferni atque ille qui peccatum illud opere complevit, si voluntas et desiderium peccandi aequale fuit (2).

Secunda utilitas est, quod ab exsecutione bonae huius voluntatis salus nostra pendet. Nam cum habeamus omnia ad salutem necessaria, ex defectu tamen exsecutionis accidit nobis ruina, sicuti civitates ac rei publicae multas leges habentes corruerunt, non quod leges deessent, sed quia eas servare et exsecutioni mandare neglexerunt : sic nos ex defectu praeceptorum, constitutionum et regularum ac votorum non deficimus, sed eorum neglectu. Quare curandum nobis est, ut bona voluntas nostra sit efficax, et exsequatur quae debet : audiat libenter et consilium maiorum et superiorum suorum. Tollenda ergo sunt impedimenta.

Alia utilitas est, quod per eam maxime iuvamur ad contemplationem rerum divinarum ; ad hanc contemplationem requiritur enim animus sedatus et tranquillus : haec autem animi tranquillitas nascitur ex conformatione voluntatis cum ratione et cum suprema regula, quae est voluntas Dei ; sicuti ex neglectu eius oritur remorsus et inquietudo animi.

8. Sed tempus est ut de memoriae conservatione seu reparatione aliquid dicamus.

Memoria igitur naturali quodam impulsu currit in rem amatam et de ea haurit quantum potest oblectamenti et solacii : *Ubi enim est thesaurus tuus*, inquit Dominus (3), *ibi est et cor tuum*, i. e., in eo semper conversatur. Qui ergo cor suum locavit in rebus hisce transitoriis, recordatione earum parum solacii et consolationis accipere potest, quia nihil est sub Deo[a] quod non sit aspersum aliqua amaritudine. Quare, cum amamus creaturam aliquam, si quod illa bonum habet, memoria eo quidem gaudet et afficitur, sed cum sollicitudine ne illud perdat ; quod si quid mali ei adiunctum sit, multo magis conturbatur. In hac ergo vita, memoria semper afficitur aliquo dolore de rebus quidem adversis ne accidant aut continuenter, metu vero ne privetur prosperis.

In Deo ergo solo invenit veram et firmam quietem, non solum in

(a) Merito scripsit B. *sub dio*, vel verius *sub Dio*.

(1) De *aureola* videsis lib. 1. Exhort. 26, n. 3. pag. 187. (2) Alterum comparationis membrum nullo negotio suppletur. (3) Matth 6, 21 ; Luc. 12, 34.

patria, verum etiam in via, tantum de ipso gaudendo, quanto ardentius et continentius de eo recogitat. Sed[a] qui vult attente et efficaciter cogitare de Deo, necessarium est ut mentem habeat ab omni cogitatione et oblectamento rerum terrenarum et inferiorum purgatam. Hoc cognoscens psalmista dicebat (1) : *Renuit consolari anima mea ; memor fui Dei, et delectatus sum, et exercitatus sum et defecit spiritus meus ;* hoc est : declinavi omnem consolationem aliam a Deo, eius vero sum recordatus, et capiendo in eo delectationem adeo in ipso occupatus et distentus fui, ut spiritus meus defecerit. Certum illud est, quod qua in re anima capit aliquam delectationem sive consolationem, eo currit confestim cogitatio illecta gustu et delectatione percepta. Ideo volens sanctus iste vir resecare radicem, reiecit omnem aliam cogitationem et consolationem, proinde, exuta omni delectatione terrena, iustum fuit ut recordatus Dei reciperet summam consolationem et gustum ; adeo ut, cum non posset eum sustinere ob delectationis copiam, refert quid sibi acciderit, videlicet « et defecit spiritus meus ».

Si ergo ipsum exuere omnem affectum in hac vita erga res transitorias et earum consolationem nos disponit et aptos facit ad oblectandum nos in Deo, licet non cognoscamus eum nisi per fidem et in obscuro, quantam quaeso consolationem accipiemus, fratres mei, quando eum videbimus facie ad faciem, sicuti est, et cernemus ipsam divinam maiestatem infinite perfectam, adeo ut extra ipsum non sit in quo delectemur, sed omnis alia delectatio inferior iudicabitur esse nulla ? et si, rememorando solum Deum ipsum, in terra adhuc positi, spiritus noster ita repletur laetitia, ut fere deficiat, licet ea recordatio impedita sit certe multis distractionibus, ignorantia et aliis imperfectionibus, quantum erit gaudium nostrum in caelo, ubi non amplius rememorando, sed semper re ipsa praesente sua divinitate fruendo aliud agere nequibimus, quam, ardendo eius amore, incircumscriptum illud lumen comprehendere, ubi nullum erit impedimentum et memoria in glorioso amante suo erit semper occupata ?

Sed videor abusus esse, fratres carissimi, vestra patientia. Rogamus ergo, Deus clementissime, gratiam tuam copiosam fratribus meis et mihi infundere digneris, ut exuentes nos omni creaturarum oblectamento possimus purgatissimi inveniri oculis divinae tuae maiestatis, cui honor et gloria in saecula saeculorum. Amen.

(a) Quae sequuntur, desunt in cod. B, et vacant folia 395-402.

(1) Psalm. 76, 3.

46ª Exhortatio

De non temere iudicando

1. Cum Dominus, ait D. Basilius (1), dicat : « *Nolite iudicare ut non iudicemini* (2), alias vero iustum iudicium iudicandum esse praecipiat, non interdicit in universum iudicare, sed in iudicio faciendo iubet nos habere delectum ». Ne vero, fratres carissimi, in tenebris ambulemus, designantes in hac exhortatione sermonem habere de non temere iudicando ullo, definiemus in primis quid sit iudicium.

Est igitur iudicium pars quaedam iustitiae, qua de alterius actionibus determinamus.

Est autem duplex iudicium : rectum et curvum. Ut rectum seu iustum sit, tria habere debet : 1° debet procedere ex amore iustitiae, non ex odio aut alia mala affectione ; alioqui esset iniustum ; 2° debet ex auctoritate et potestate iudicandi procedere ; unde illud Pauli (3) : *Non est potestas nisi a Deo. Et tu quis es, qui iudicas alienum servum ?* Hoc iudicium dicitur usurpatum ; 3° debet rectitudinem accipere a regula et recta ratione ; alioqui censetur temerarium, quod fit quando ex levi causa vel signo vel sermone vel facto alterius in malam partem actionem eius interpretamur ; vel, si mavis, quando quis interpretatur in malam partem, factum dictumve alterius sine sufficienti indicio.

Potest enim quis tripliciter se habere in iudicio facti vel dicti alterius. Primo, suspendendo iudicium, non interpretando in bonam vel in malam partem. Secundo, quando se determinat in unam partem, sed non certo, sed cum formidine de altera parte, quia putat quidem rem se habere ut ipse iudicat, sed non se determinat ut certam proferat sententiam. Tertio, quando assentitur certo, praebendo consensum uni parti bonae vel malae, sine formidine oppositi. Rursus, illud potest tripliciter contingere : a) si ita iudicet sine signo et indicio inducente ; b) quando est indicium quidem, sed leve, nec sufficiens ad tale iudicium, neque ipsum adaequans ; c) quando est sufficientissimum indicium.

2. Dico ergo quod iudicium temerarium est, quotiescumque quispiam interpretatur factum dictumve alterius in malam partem, sine

(1) S. Basil. PG. t. 31 Reg. brev. tr. 164 in. col. 1190. (2) Matth. 7, 1. (3) Rom. 13. 1. et 14, 4.

indicio sufficienti, ut qui certo et deliberato animo iudicat transeuntem per suspectam viam ob malum finem transire.

Differt ergo iudicium temerarium a suspicione, quia suspicio est quidem consensus mentis de altera parte, sed coniunctus cum formidine ne erret : non enim certa et definita est animi sententia, sed dubia ; iudicium autem temerarium importat sententiam determinatam. Vocatur autem temerarium, quia fit temere et absque ratione, quae ratio est quam ob rem semper coniunctum sit cum peccato. Non sic suspicio, quia est potius imperfectio quaedam et poena peccati Adae.

Iudicium temerarium est peccatum, et omnino illicitum, 1° quia nemini facienda est iniuria, quae sane fit ei de quo iudicium fit ; 2° quia actio est contra prudentiam, quae requirit ut non fiat iudicium de aliquo maius quam indicia significant esse faciendum ; 3° quia est prohibitum lege ipsa naturali, quae iubet ut bene iudicemus de omnibus, quotiescumque non constet manifeste de ipsorum malitia ; nihilo minus fratrem excusare debes quantum in te est (1), et si forte culpa esset, eam coniciens in infirmitatem eius magnam, tecum haec reputans : O Deus bone, si non affuisses famulo tuo, et eiusmodi infirmitatem sustinerem, quanto maius peccatum admisissem quam hic frater meus ! Quod enim tibi fieri non vis, lex naturae mandat ut alteri non feceris, et lege scripta et divina praescribitur (2) : *Nolite iudicare et non iudicabimini.* Item (3) : *Qui non manducat, manducantem non iudicet.*

Sed advertant simpliciores fratres nostri, multa saepe mentem subire contra proximum, quae tamen non sunt peccata mortalia, immo aliquando ne venialia quidem sunt, v. g. nullum peccatum constituunt imaginationes, repraesentationes et phantasiae seu tentationes ad iudicandum de alio, nec non et levissimae aliquae suspiciones, quibus nullum praebes assensum, sed reicis eas quatenus potes, quod cognosces quando tibi displicet eas te sustinere cogitationes ; non, inquam, hic est iudicium temerarium, quia non interpretaris in malam partem dictum factumve alterius, nec certam sententiam profers animo, inclinando te in alteram partem ; ideo non esse potest iudicium temerarium nec peccatum, quia peccatum est voluntarium cum consensu rationis deliberatae.

3. Est autem peccatum mortale, si tres adsint condiciones : 1ª si firmum ac deliberatum sit iudicium, et certo ac asseveranter actionem interpretetur in deteriorem partem ; 2ª si fit absque ullo indi-

(1) Cfr. pag. 720, not. (1). (2) Matth. 7, 1 ; Luc. 6, 37. (3) Rom. 14, 3.

cio, vel non sufficienti et adaequato ; 3ª si sit de re gravi, cuius materia sit peccatum mortale. Quando hae tres condiciones simul concurrunt, est procul dubio peccatum mortale. Sin aliquae desint, peccatum veniale ; et quotiescumque indicium adaequat iudicium, id est, non est firmius quam significet ipsum indicium, non est peccatum, quia non est contra prudentiam ; et ita fit in causa civili, nulli enim fit iniuria.

Nota ex Caietano in Summa, quod iudicium temerarium est, quando homo sine sufficienti certitudine iudicat proximum de animo seu intentione : est peccatum, quia nemo debet definitive asserere in corde suo quod nescit ; si iudicat proximum de peccato mortali, peccat mortaliter ; sin autem de peccato veniali, aut de mortali, non tamen in corde suo assertive determinat, quamvis credat firmiter, non peccat mortaliter, quia non definitive iudicat ; peccat autem venialiter magis aut minus graviter iuxta qualitatem indiciorum et signorum.

4. Radix iudicii temerarii est multiplex. Procedit enim 1° ex superbia, quia iudicamus de fratre nostro, vel quia volumus illi praestare et in aliqua virtute praecellere, unde iudicamus illum peiorem ; vel quia habemus imperfectiones, quas ne soli habere videamur, iudicamus in fratre nostro easdem esse, ut superbus putat alios etiam esse superbos ; 2° procedit ex eo, quod quis non bene amat fratrem suum, quia quos amamus semper defendimus, tantum abest ut ex levi causa sinistre de eo sentiamus ; immo si apparentes essent causae, quantum tamen possumus, eas contegimus et palliamus atque in bonam partem interpretamur ; 3° provenire potest ex eo quod quis talem habeat inclinationem, quia homo superbus ex se metitur alios, eosque similes iudicat ; hinc avarus alios ducit avaros, superbus superbos ; contra, humilis alios humiles reputat ; 4° ex eo quod quis incipiat se emendare ; dum ergo conatur ex se imperfectiones exstirpare, daemon, qui semper insidiatur bonis, aliam non cernens occasionem, hortatur et incitat ut aliorum etiam vitia inspiciat ; peccator vero obstinatus, licet in aliquo videat defectus, censura tamen non utitur ; 5° ex defectu luminis spiritualis ; nam, parum videns, non consideratis circumstantiis omnibus statim iudicat ; 6° nascitur ex suspicione ; nam ita male affectus ex levibus indiciis opinatur alterum male operari : est enim suspicio opinio mala de aliquo ex levibus indiciis et coniectariis procedens : vide S. Thomam (1). 7° ex

(1) S. Thom. 2. 2ae, q. 60, a. 3, c.

longa experientia ; unde Aristoteles 2° rhetor : « Senes, inquit, sunt maxime suspiciosi ; quia saepe experti sunt aliorum defectus ». Nota ex S. Thoma, quod causa et radix suspicionis haec praecipue esse censeatur (2) : Cum quis in se ipso malus est, facile de alio concipit malam suspicionem ; cum vero male afficitur erga aliquem, quem iudicat, id pertinet ad perversitatem affectus et iudicium inducit temerarium, quod in gravibus est peccatum mortale ; quando vero iudicium provenit ex experientia, tunc rationem suspicionis deminuit, et tanto gravius est, quanto maiorem incertitudinem habet.

5. Est autem triplex gradus suspicionis : 1us quando homo ex levibus indiciis incipit de bonitate alicuius dubitare, et est peccatum veniale procedens ex fragilitate humana, sine qua haec vita non ducitur, ut ait Glossa super illud : Nolite ante tempus iudicare ; 2us gradus, cum quis pro certo existimat aliquem esse malum ex levibus signis ; si hoc iudicium fit de aliquo gravi crimine, est peccatum mortale, quia non est sine contemptu proximi ; unde Glossa : si ergo suspiciones vitare non possumus, quia homines sumus, iudicia tamen, hoc est, definitiones firmasque sententias continere debemus ; 3us gradus est, cum iudex ex suspicione procedit ad aliquem condemnandum, estque iniustitia et peccatum mortale.

Gradus ergo iudicii temerarii sunt : 1° levis quaedam suspicio et exiguus motus animi in initio, qui si nobis statim displiceat, non est peccatum ; 2° est maior et vix sine peccato, quando homo ex tenui signo dubitat de probitate alterius, vel de bona intentione operis eius ; 3° quando iudicat et determinat ex levi signo fratrem malum esse et offendisse Deum, estque fere communiter tale peccatum quale iudicat ab alio admissum, ut si iudicat fratrem peccasse mortaliter, peccat mortaliter, sin venialiter est veniale ; 4° quando non solum iudicat, sed procedit ulterius ad factum : ad iram, vindictam, detractionem.

6. Vitanda itaque nobis est, fratres mei, haec vipera, multas ob causas, ut videtis, sed ob illam maxime quod Deo quodammodo adimat suam auctoritatem et dignitatem (2) : *Omne* etenim *iudicium Pater dedit Filio.* Ideo, a) qui legitimam non habet auctoritatem, — sicuti habent qui constituti sunt iudices et qui dati sunt nobis a Deo superiores — eos iudicando sibi vendicant quod est Christi Domini solius ; b) qui arrogant sibi iudicandi potestatem, constituunt se extra statum et officium suum, praesertim si praesumant superiores iudi-

(1) S. Thom. ibid. reicitque ad Aristotelem. (2) Ioann. 5, 22.

care, aut eorum actiones in malam partem interpretari. Declinanda ergo sunt haec iudicia et censurae, quae manifeste satis indicant suos auctores eo tendere, ut omnino talem gubernationem despiciant, ut a divina providentia non profectam, quod non tam periculosum et temerarium est, quam stultum.

7. In tali porro errore versantibus consultum est, ut eo redire conentur unde sunt prolapsi ; hoc est, ut iudicium et voluntatem restituant Deo, ut iuxta ipsius sanctam voluntatem et providentiam in instituto suae vocationis permaneant, ac sanctae oboedientiae se submittant, sive ea, quae cernunt aut ipsis imponuntur agenda, placeant, sive displiceant voluntati, sive probet iudicium sive non. Ad haec constituant se velle quae dicent vel mandabunt superiores facere ob ipsius Dei amorem ; immo vero debent conari, ut, cum ea quae ab iis qui praesunt vel committuntur, etsi voluntati et iudicio amara et minus probata fuerint, illa studiosius alacriusque amplecti[a]. Sic enim impugnanda est propria voluntas et iudicium, dum nimirum contra eius propensionem adhaerent iis quae alienae sententiae probantur. Est enim haec vera et efficax ratio et via recuperandi deperdita, et evincendi illam adeo imperiosam pronitatem de alienis factis temere iudicandi. Sic enim recuperabuntur sensim quae propria culpa amisimus, et vires ad prompte obtemperandum ; modestia item, caritas, simplicitas, reverentia debita, sui abnegatio, etc.

Iuvabit item ad vitandum vitium hoc temeritatis in iudicando fratre meo, secundum D. Bernardum (1), considerare fragilitatem humanam et existimare magnam fuisse tentationem fratris, qui fortassis in eo erravit ; quam si Deus evenire nobis permisisset, multo gravius fortassis ipso nos peccassemus. Sed notandum est hanc fragilitatis humanae considerationem non debere habere locum in nobis ad excusandos nostros defectus, quin eos accusare potius cum magna animi demissione, alios vero cum caritate excusare debemus ; praeterea cogitationem ac iudicium ad nos reflectere, considerando an nos fortassis non simus in simili, vel etiam maiore vitio ; deinde, si iam non sumus, an non aliquando fuerimus ; demum, qui stat, videat ne cadat (2). Quod nobis saepe videtur verum in speculatione, postea in praxi reperitur falsum, et contra ; sic deceptus fuit Iacob, qui speculative putabat Rachelem habuisse uxorem suam, sed mane facto comperit Liam exstitisse sibi adiunctam.

(a) Post *conari ut* scribere oportuit *amplectantur*.

(1) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 40 in Cant. n. 5 b. col. 984. (2) Cfr. Rom. 14, 4.

Remedium contra iudicium temerarium et contra suspicionem est, considerare peculiarem aliquam virtutem et gratiam proximo inesse, qua tu careas, vel si fortassis eam habes, aestimare ipsam multo in proximo maiorem et illustriorem quam in te sit, vel denique ipsum magis cooperari gratiae acceptae quam tu facias. Potes etiam considerare aliquod tibi vitium inesse, quo ille careat. Praestat, secundum D. Thomam (1), in bonam partem facta proximi interpretando falli, quam in malam partem interpretando vere iudicare, et iudicium praesumere. Possumus et adhibere contra iudicium temerarium mandatum Domini (2) : *Nolite iudicare ut non iudicemini ;* et (3) : *Inexcusabilis es, o homo omnis, qui iudicas. In quo enim alterum iudicas, te ipsum condemnas* ; et (4) : *Tu quis es, qui iudicas alienum servum ? Domino suo stat aut cadit.* Item (5) : *Omnes stabimus ante tribunal Christi ; unus quisque pro se rationem reddet Deo ; non ergo amplius invicem iudicemus.* Et Iacobus (6) : *Qui detrahit fratri, aut qui iudicat fratrem suum, detrahit legi et iudicat legem : si autem iudicas legem, non es factor legis sed iudex.* Et Matthaeus (7) : *Quid autem vides festucam in oculo fratis tui, et trabem in oculo tuo non vides.* Denique Lucas (8) : *Nolite iudicare et non iudicabimini ; nolite condemnare et non condemnabimini.*

De iis autem qui iudicant bona opera proximi, dicentes malo animo et intentione esse facta, dicit Iacobus (9) : *Vae, qui dicitis bonum malum et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras, ponentes amarum in dulce, et dulce in amarum.*

Aliud remedium est, dubia interpretari in meliorem partem ; unde Augustinus super illud : *Nolite iudicare,* etc. (10) : Hoc loco nihil aliud nobis praecipi existimo, nisi ut ea facta quae dubia sunt, quo animo facta fuerint in meliorem partem interpretemur, etc. Vide locum. Item lib. 2 contra Manichaeos.

8. Aliud duci potest ab exemplis Mariae, sororis Moysis (11) : quia iudicavit Moysen dignum reprehensione, lepra percussa est. Item Heli sacerdotis (12), qui temere iudicabat Annam Helcanae temulentam fuisse, cum illa devote oraret et orando placeret Deo, adeo ut Samuelem obtineret ; contra vero Heli suos filios perdidit, et vitam. Rex Ammonitarum, Amon (13), quia Davidis regis legatos ad se missos

(1) S. Thom., 2. 2ae. q. 60, a. 4. ad 1m. (2) Matth. 7, 1. (3) Rom. 2, 1. (4) Rom. 14, 4. (5) ibid. 10-13. (6) Iac. 4, 11. (7) Matth. 7. 3. (8) Luc. 6, 37. (9) Immo Is. 5, 20. (10) S. August. PL. t. 34 Serm. in monte, l. 2. c. 18, n. 59. col. 1296. (11) Num. 12. 1-10. (12) 1 Reg. 1, 13 sqq. (13) 1 Paral. 19, 3 sqq.

ad consolandum de obitu patris temerarie iudicavit, et ut exploratores illusit, se et regnum perdidit (1). Michol, uxor David, eum iudicavit despicabilem, cum luderet coram arca Domini, et, sterilis mansit usque in finem (2). Simon Pharisaeus peccavit temere iudicando, et reprehensus est a Domino (3).

Ephraem eremita (4), columnam ignis ad caelum usque erectam et provectam cernens, audiensque significari, revelante Domino, magnum Basilium episcopum Caesariensem, dedit se confestim in viam, ut Caesaream proficisceretur ut tam insignis virtutis virum videret. Cum vero sollemni Epiphaniae die, pontificali apparatu et in magno coetu clericorum fulgentem conspexisset, ipsum elatae superbiae columnam esse interpretatus est ; accitus autem a Basilio cognovit suas cogitationes ipsi fuisse notas, et prostratus veniam postulavit, atque de ipso praedicavit tanto fuisse interius humiliorem, quanto exteriore apparatu erat splendidior.

Atqui, dicet aliquis, dicitur nobis ab Apostolo (5), quod spiritualis homo omnia diiudicat, ipse vero a nemine iudicatur. Huic obiectioni respondetur ita Apostolo id dictum esse ad differentiam hominis animalis et spiritualis : spiritualis enim ad res discernendas illustratur, multaque occulta interdum divinitus cognoscit ; animalis autem, carnis vacans voluptatibus, ne quidem ea quae videt recte iudicat. Vide D. Thomam super 1^am^ ad Corinthios (6).

Praecipuum remedium contra iudicium temerarium est ferventibus votis Deum orare pro liberatione. Opus enim gratia est auxilioque divino ad expugnanda iudicii proprii et voluntatis vitia ; quare ad auctorem gratiae saepe est recurrendum, sive immediate sive mediante patrocinio Sanctorum ; et quidem in oratione opus est magna animi constantia ac cum fiducia perseverandum, licet mentem diffidentia exagitet, sive aliorum adversariorum argumenta ; quod est maxime observandum iis qui sunt tum in orando tum in perfectionis studio parum exercitati. Duret ergo homo ac perseveret constanter, et intense rogando Deo pro auxilio, et excitabit Deo dante ignem devotionis, et in patientia sua possidebit animam suam. « Henoch (7) ducentis annis placuit Deo, postquam ipse genuit Mathusalem ; et nos in brevi hoc vitae tempore, fratres mei, neglegentes et ignavi erimus et frangemur ? » Duremus et perseveremus,

(1) 1 Paralip. 19, 2 sqq. (2) 2 Reg. 6, 16-23. (3) Luc. 7, 39 sqq. (4) Cfr. S. EPHRAEM. tom. 1, pag. XIV. comparatio. in. (5) 1 Cor. 2, 15. (6) S. THOM. in Epist. P. 1 Cor. cap. 2. lect. 3 c. m. (Ed. Antw. 1592, f° 68[3]). (7) S. EPHRAEM. tom. 2, n. 84. Paraen. 48, pag. 440 b,

fratres carissimi, insurgentibus licet difficultatibus plurimis ; scriptum est (1) : *In patientia vestra possidebitis animas vestras.* Quod nobis concedat pientissimus Iesus sua bonitate et misericordia. Amen.

47ª Exhortatio

De quaerenda salute proximorum

1. In hodierna exhortatione, fratres carissimi, agemus, Deo propitio, de curanda salute proximorum, quia Christus Dominus eam verbo et exemplo commendavit et constitutiones nostrae passim proponunt. *Haec,* inquit Christus (2), *mando vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos.* Item (3) : *In hoc cognoscent omnes quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad invicem.* Et iure quidem, Deus optime, hoc das diligendi proximi mandatum, quia nos dilexisti usque in finem, et dilectam animam tuam, Christe, pro nobis posuisti, cum inimici essemus, *propter nimiam caritatem tuam* (4), qua dilexisti nos. Vere venisti, Domine, *quaerere et salvum facere quod perierat* (5). En te contemplor per deserta, per maria, per pagos et castella discurrentem, ut ovem perditam reducas, et inventam in umeris tuis impositam deportes ad ovile ; doces vere exemplo et verbo quomodo debeamus sequi vestigia tua. Hoc Christi exemplum, fratres, studiose sequamur, et non parcamus laboribus ut animas proximorum a recta via cum periculo aberrantium reducamus ad veram disciplinam Christi, qui dilexit nos in sanguine suo, qui dedit semet ipsum pro nobis ; qui nobis dixit (6) : *Exemplum dedi vobis, ut quem ad modum ego feci, ita et vos faciatis.* Quod, ut ait D. Cyprianus in sermone de cena Domini (7), non tantum de lotione pedum intellegendum est, sed et de omnibus eius actionibus.

(1) Luc. 21, 19. (2) Ioann. 15, 17. (3) id. 13, 35. (4) Eph. 2, 4. (5) Luc. 19, 10. (6) Ioann. 13, 15. (7) Vid. pag. 67 not. (1). Odiosum erat ibi, cum nil aliud eiusdem nominis offenderetur, remittere ad istud « Coena » ed. Mignensis col. 925. Iam in ed. V. Math. du Puis, Lut. Paris. 1648, invenimus, non quidem « sermonem » sed opusculum *De Cena Domini* (pag. 423-431), et aliud subsequens *De Ablutione pedum,* cuius initium est : « Iam Sacramenta corporis sui ». In priore laudatam sententiam non invenies ; sed in altero, quamvis non ipsa verba, aequivalentia tamen initio (pag. 431) et sub finem (pag. 434) occurrunt. Cfr. S. August. t. 35 Tract. 58 in Ioann. n. 5. col. 1794.

2. Haec porro Christi imitatio prudenter et cum discretione instituenda est : non enim vitae praesentis status, non infirmitas humana, qua induti sumus, patitur ut actu ac re ipsa Christum omnes in omnibus imitemur ; neque enim omnes, relictis omnibus ut se Christo conforment, vacare debent proximorum saluti ; neque certe ad salutem Deus voluit esse necessarium, et ut iam commemoratum est, status vitae huius non patitur ut actu et re ipsa in omnibus nos Christo conformemus, et ad tam excelsum perfectionis montem conscendamus ; sed Deus ex omnibus quosdam elegit, qui non solum affectu et voluntate — quod omnes debent — sed actu et re ipsa in omnibus quae possunt Christo se conforment. Ad omnes vero nos, fratres mei a Deo electi, pertinet ad hunc excelsum perfectionis montem conscendere, ut sicut ille postposito gaudio sustinuit crucem, et reliquit omnia quae gloriae et maiestatis erant, factus patri, cui secundum divinitatem aequalis erat, minor et oboediens secundum humanitatem usque ad mortem, sic et vos, animae electae et benedictae, eius exemplo, et ad gratiarum actiones, et ad sectandum vestigia eius, reliquistis omnia quae iucunda erant et commoda, et alterius hominis [auctoritati][a] eius vices gerentis, vos propter Deum subiecistis, ut ex superioris, vicarii eius, directione, totos proximis iuvandis vos addiceretis, sicut Christus ipse fecit. Exemplo nobis etiam sunt angeli (1), qui adeo amant hominis salutem, ut custodiant eum in omnibus viis suis : *Videte*, ait Dominus (2), loquens de pusillis suis, *dico vobis quia angeli eorum semper vident faciem patris mei, qui in caelis est.* Accedit exemplum sanctorum apostolorum, et ut propius ad nos accedam, patrum nostrorum Xaverii, Gasparis, Andreae Oviedo et aliorum plurimorum, quos legimus et scimus in India et Aethiopia pro salute proximorum indefesse laborasse et plurima incommoda sanctissime perpessos esse.

3. Ut vero ad particularia descendamus, ut prudenter et fructuose agamas cum proximis, in primis necessaria est dilectio et amor erga ipsos, quam nobis conciliabit haec consideratio : quod ipsi Dei imaginem et similitudinem gerunt, quam Deus infinito amore prosequitur, et pro qua sananda et perpurganda a sordibus tradidit filium suum unigenitum in mortem, mortem dico ignominiosam crucis. Iustissimum itaque est, ut quos Deus tantopere amat, et nos propter ipsum amemus, et quibus possimus officiis et studiis eorum salutem

(a) Deest vox illa in cod.

(1) Cfr. Psalm. 90, 11. (2) Matth. 18, 10.

promoveamus et curemus ; digni etenim sunt, ut qui pretioso sanguine filii Dei redempti fuerunt, et heredes regni caelestis facti sunt, iuventur a nobis, praesertim cum in continuis fere periculis ob daemonis assiduas insidias versentur.

4. Modus et ratio iuvandi et tractandi habemus expresse in parte 7ª constitutionum, ubi de missionibus agitur ; deinde in parte 10ª, § 3 ; parte 4ª, cap. 8 ; parte 9ª, cap. 2, § 6 ; in regulis praeterea missionum, sacerdotum et contionatorum. Sed et B. P. N. in eis qui admittuntur naturalem quandam prudentiam et aptitudinem ac discretionem in agendo, aut certe indolem aptam ad eam comparandam requirit.

Debent igitur operarii Societatis petere a Deo ea dona ac sermonis gratiam, dareque operam ut, tum lectione piorum librorum, tum consilio et directione eorum qui praesunt, nec non et eorum qui in obeundis ministeriis Societatis probe versati sunt, gratiam et industriam acquirant ad bene fructuoseque conversandum et tractandum cum proximis de ipsorum salute. Debet autem quisque a se removere quidquid eum impedire possit a concilianda sibi eorum quibuscum agendum sit gratia, ut sunt vitia malae consuetudinis, intemperantia in cibo et potu, recreationis laxitas et tenuis in eis moderatio. Contra vero asciscere sibi debet et familiares habere temperantiam in cibo et potu, in recreationibus religiosam prudentiam et moderationem, mansuetudinem et studium disciplinae, sermonem cautum ac temperatum, spiritualia colloquia, ac denique doctrinam non affectatam. Cavere vero quisque debet a spiritu peregrino et Societatis instituto minime consentaneo, a praedictionibus et revelationibus, retinendo continenter humilitatis viam et rectam agendi rationem : nam homo Societatis respicit praecipue in auctorem fidei et consummatorem Iesum Christum ; nititur fide et Ecclesiae directione ac spiritu, oboedientiae denique virtute.

5. Vitet quicumque vult fructuose agere, duo extrema : alterum, ne plus iusto incumbat orationi et immoderatae devotioni ; sed ita iis vacet, ut ad procurandam proximorum salutem et profectum temporis satis habeat ; ita pius sit, ut quando laborandum est, brevi et inflammata oratione utatur ad fovendum spiritum, praeter tempus quod regulae orationi praescribunt. Alterum extremum sit cavere ne ita in salutem et consolationem proximorum se effundat, ut neglegat quae ad orationem et familiaritatem cum Deo ex instituto facere debet, ut sunt oratio matutina, examina conscientiae, quae, si quando

propter Deum et necessitatem proximi persolvere nequiret, alio conetur tempore quod omissum fuit sarcire. Demum sic noverit Deum interdum relinquere, ut in proximis ipsum inveniat; ita tamen semper cum proximis se gerat, ut superiorem nihil lateat. Agat autem ex arte, non quacumque, sed alta et praecelsa, tamquam architectus, habita ratione finis Societatis et mediorum; deinde ut altiora spectet et perfectiora, ea attemperando indoli et viribus eorum cum quibus versatur, ea tamen moderatione, ut neminem offendat immoderato aliquo fervore; proinde conetur quisque habere notitiam consuetudinis loci et status personarum cum quibus agendum fuerit. Hanc notitiam comparare poterit ex amicis et peritis loci et ex sapientioribus, ea tamen prudentia et discretione, ut ex inquisitione non suspicentur de ipso sinistra; quare ii a quibus capiet consilium sint vere pii. Cum omnibus autem norint[a] esse agendum secundum cuiusque capacitatem et ingeniorum diversitatem, dissimulando quando opus est; devitanda nihilo minus est nimia prudentia, ne artificiose et affectate agere iudicentur.

6. Proponant sibi praeterea negotium fore cum aegris, non cum sanis; proinde quando ad aliquem eundum erit ut eum iuvent, piis colloquiis eum recreent : unde ad confessionem moneant. Considerent intra se tacitib, sibi esse pugnandum contra daemones : attollendos proinde esse oculos in Deum, ut auxilium ab eo accipiant, ut contra diaboli studia et arma quibus animas impetit praevalere possint, et sedem, quam diabolus in anima illa collocavit, evertere, fortem armatum excludere, tyrannum funditus perdere. Devinciant etiam sibi animos eorum quibuscum agunt, humanitatis officiis tractantes quemque secundum statum suum, principes sua demissione, ceteros suavitate. Meminerint accipere et expetere ab uno quoque quod praestare possit : ideo quos non possent ad perfectionis virtutisque summum perducere, sit satis si ad mediocritatem deducant; si non valeant bona optata obtinere, contenti sint a maioribus malis revocare, si non ab omnibus, saltem ab aliquibus, exemplo B. P. Xaverii, qui primum quidem pellicem unam excludi curavit, deinde alteram, et tandem tertiam et quartam, etc.

Non sint faciles ad visitandum mulieres : si necessitas urgebit, testem semper secum habeant fide dignum, in cuius conspectu semper sint.

In vitiis exstirpandis semper progressum faciant maiorem, ut est

(a) Sic pergit numero plurali. (b) In cod. legitur *tacitus*.

proprium instituto nostro ; ideo non sint contenti externa modestia et specie virtutis, sed radices omnes et fibras studeant stirpitus evellere ; et ut in proximorum animas copiosa semina virtutum inserere continenter studeant, et numquam in hoc Dei servitio lentescant.

7. Quod attinet ad caritatis officia et opera, hunc delectum habeant : — non enim possunt omnia — utiliora minus utilibus, spiritualia corporalibus, perfectiora minus perfectis, ea quae urgent aliis quae dilationem patiuntur, securiora minus securis, quae facilius expediri queunt iis quae difficilius, universaliora minus universalibus, digniora minus dignis praeferant.

Pauperes et pannosos minime neglegant, sed adversus eos faciles et humanos se exhibeant, immo corde et affectu studeant magis in eos propendere quam in divites ; libenter eos ad colloquium admittant, ut de rebus animae suae et spiritualem profectum conferant[a] ; neque tamen nobiles et opulentes indiscreto fervore arceant, sed benigne rogentur — nisi principes essent — ut tantisper cedant[b] , dum quae habent prae manibus absolvant.

Ministrorum Christi intentio sit, quae fructuosiora sint ac Deo gratiora semper anteponere, v. g. maioris est utilitatis magistratum, senatorem, nobilem excipere et iuvare, quam pauperculam mulierem, quia ille potest subditos et familiam quam habet ampliorem, si bene instructus est, ad pietatem et virtutem promovere. In congressibus denique, fratres mei, ut proximos aedificemus, fugiamus profusionem verborum ; facessant levitates a nobis, seria nobis sint omnia ; nec praebeamus aures detractionibus, mendaciis, rumoribus novis, assentationibus.

8. Tribus autem validis et malignissimis hostibus obiecti sumus, ut ait Bernardus. Vide locum (1). Satanae autem voluntas semper est iniqua, numquam tamen iniusta potestas : voluntatem enim habet a semet ipso, sed a Domino potestatem. Gregorius in Moralibus (2) : Bona nostra tribus modis antiquus hostis insequitur, ut hoc quod rectum est coram hominibus in aeterni iudicis conspectu vitietur : 1° quidem, in intentione ; 2° in ipsa actione ; 3° in fine. Item S. Bernardus in Cantica (3). Duo sunt satellites maligni spiritus,

(a) Codex : *conferunt.* (b) Codex : *caedant.*

(1) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 3 in vig. Nativ. n. 5 col. 97 b. (2) S. Gregor. PL. t. 75 Moral. l. 1, c. 36. n. 50, col. 550. Cfr. ibid. l. 2. c. 8, n. 14. col. 562. (3) S. Bern. PL. t. 183. Serm. 85 in Cant. nn. 3, 4. col. 1189. Item Serm. 3 in dom. 6 p. Pent. n. 5. col. 343.

caro et mundus ; quibus terga vertentibus spiritus ipse malignus surgit adversus nos tamquam leo rugiens, movens nos ad iram, impatientiam, invidiam, amaritudinem, seminat scandala ; et Bernardus in serm. de septem spiritibus (1) : Triplicis generis videntur esse homines sub principe tenebrarum : primi sunt qui nec volunt nec nolunt, ut qui sunt sub originali ; secundi, qui volunt, ut voluntarie peccantes ; tertii, qui nolunt quoquo modo, quia iam resipiscere vellent, sed peccati consuetudine miserabiliter detinentur, et sic iusto Dei iudicio, qui in sordibus sunt, sordescunt magis. Bernardus serm. de S. Andrea (2), ubi deplorat, quod tot serpentibus vicinis, tot insurgentibus inimicis, perniciosa securitate et neglegentia dormitemus, pigri ad spiritualia exercitia ac si iam pax sit et securitas.

9. Modus impugnandi nos diaboli est multiplex. Vide Bernardum super Psalmum 90 (3), ubi docet nos undique circumdatos, opus nos[a] habere scuto Domini circumdari ante et retro, a dextris et a sinistris. Augustinus (4) : « Cotidianis discimus experimentis, eos, qui converti deliberant[b], tentari acrius a concupiscentia carnis » ; ideo accedenti ad servitutem Dei dicitur (5) : *Fili, accedens ad servitutem Dei, praepara animam tuam ad tentationem.* Impugnat autem hominem diabolus secundum complexionem, vel mores et consuetudinem, vel statum personae. Psalmista (6) : *Iuxta iter scandalum posuerunt mihi.*

Item diabolus magis eos tentat qui praesunt, quam ceteros. Impugnat autem immisericorditer : patet in Iob, cui abstulit omnia et liberos, et afflixit in propria carne. Quod si in aliquo videatur parcere, ob id fit, quod per eam viam velit postea impugnare. Patet idem in eiusdem Iob uxore ; reliquerat eam diabolus ipsi, sed per eam ipsum postea impugnavit.

Impugnat porro eos quos videt ferventes esse ad bonum incitando, eo consilio ut excedant, quo de altiore gradu eos possit praecipites dare.

Impugnat potentes, et de ipsis saepe triumphat, adiutus potentia eorum contra ipsos, dum ea abutuntur contra animas suas. Habacuc (7) : *Ipse de regibus triumphabit, et tyranni ridiculi eius erunt.* Sunt videlicet tyranni simiae diaboli, dum in sibi subditos saeviunt.

(a) Sic in cod. repetitur. (b) In cod. legitur *desiderant*. Sed vide locum.

(1) Id. ibid. Serm. 8 de div. n. 5 col. 562. (2) Id. ibid. Serm. 2 de S. Andr. n. 6. col. 512 a. (3) BERN. PL. t. 183 Serm. 5 in Psalm. Qui habitat, n, 1 col. 196. (4) Non August. sed BERN. t. 182 Conv. ad Cl. cap. 11, n. 22 extr. col. 846. Cfr. S. GREGOR. t. 76 Mor. l. 24, c. 11, nn. 29, 30. col. 302 sq. (5) Eccli. 2, 1. (6) Psalm. 139, 6. (7) Habac. 1, 10.

10. Impugnat eos qui sunt in statu paenitentiae, et quidem modis quinque eos decipere nititur, ut onus paenitentiae abiciant : 1° Mentiendo et persuadendo id fore illis in exonerationem, sed est oneris potius levis in gravissimum commutatio. Respondendum ergo illi est : Si deposuero hoc onus, numquid sine onere exsistam ? immo sane incurram onus ingens damnationis. 2° Decipit ostendendo simul ea quae divisim ac singillatim portanda sunt, quasi simul omnia portari debeant ; v. g. dicendo : quomodo poteris portare hoc onus tot annis ? Respondendum : hodie Dei gratia adiutus portabo ; cras similiter ac deinceps. 3° Decipit separando hominis virtutem a virtute Dei, dicendo : tu es debilis ; quomodo feres ? tu es nobilis ; quomodo te submittes ? Responde : mea si virtus sola esset, verum diceres ; sed adiuvabit is de quo dixit Paulus (1) : *Omnia possum in eo qui me confortat ;* et qui dixit (2) : *Sine me nihil potestis facere.* Sic respondebis ad 4um et 5um (3).

Haec autem proposui vobis, fratres dilectissimi, ut apud vos consideretis astutias diaboli et impostoris ingenium, quo possitis remediis obviam factis consilia dare incipientibus, secundum occasiones quae inter conversandum se offerent, et paratiores sitis ad opitulandum sanis et infirmis. Det Deus vobis gratiam et mihi, ut his consiliis utamur ad maiorem eius gloriam et honorem. Amen.

48ª Exhortatio

AD SACERDOTES COLLEGII MOGUNTINI SIMUL COLLECTOS

1. Exhortationem in praesentia habere constitui ad vos, patres mei reverendi, occasione regularum, tum sacerdotum tum contionatorum missionumque, quas ex officio legere et examinare vobiscum debeo : permagni siquidem refert, ut sacerdotes, in collegiis nostris, praesertim in hoc ubi tam multi studiosi et coadiutores sunt, bene et secundum disciplinam sint compositi, quia in ipsorum mores et actiones ceteri oculos coniectos habent. Quare, si bene et secundum ordinem in ipsis cernant omnia esse disposita, et eorum conversa-

(1) Philip. 4, 13. (2) Ioann. 15, 5. (3) Atqui non dedit *quinque* modos decipiendi.

tionem videant virtutum varietate nitere, valde recreantur, et ad ipsorum exempla suos student mores et actiones componere; sin videant levitates, gestus et motus non congruentes ordini, cachinnos, laxitatem in verbis, offenduntur, et si forte imitantur, fiunt filii Societatis degeneres. Externi vero licet quae domi ab iis gerantur non videant, difficile tamen est, ut qui levitatibus domi assuescit, illas interdum foris non effundat, et iis proximos non offendat, viros praesertim graves et modestos. Nos igitur, patres mei, usu et prudenti temperamento ita nos disponere debemus, ut cum Apostolo possimus dicere (1) : *Imitatores mei estote*, sicut et ego Christi ; ut et alibi idem Apostolus (2) : *Habetis formam nostram*, quasi dicat : sicut videtis nos agere, ita et vos agere studeatis, et similitudinem morum nostrorum induatis.

2. Sacerdos, etiamsi nihil dicat, suo tamen gradu et dignitate profitetur se doctorem esse populi ; non aliter quam aurifaber et arcularius, hoc ipso quod officinam apertam tenet, profitetur se sine vitio eam artem excercere : ita sacerdos Deo consecratus se legis doctorem et in omnibus Deo obsequentem esse profitetur. Neque vero ille in aliquo tantum virtutum genere esse debet conspicuus, sed omnis eius actio omnisque motus et habitus harmoniam quandam virtutum omnium, et doctrinae omni ex parte perfectam referre debet. Non enim satis illi est si castus, si sobrius, si mansuetus, si devotus et pius fuerit, sed debet omni prorsus vitio carere, et omni virtute esse ornatus. Paulus ad Timotheum (3) : sacerdotem dicit debere esse irreprehensibilem. Non est arbor illa singularis, quae in eam altitudinem se extulit ad quam magna pars silvae pervecta est; neque est ille equus absolute elegans censendus cuius caput et pectus laudantur, sed cuius universa corporis structura cum insigni pernicitate admirationem singulis partibus adimit : ita, inquam, vita sacerdotis laudem omnino non meretur, maxime in Societate, qui[a] partem vitiorum permagnam oppressit, uno tamen atque altero vitio se inficit.

Dominus ad Moysen loquens de sacerdotum ordinatione, eos vetuit offerre panes ad ministerium Domini, qui haberent maculas, v. g. (4) si caecus, claudus, praegrandi, parvo vel torto naso quis esset ; item qui fracto pede vel manu mancus esset, denique si gibbosus vel lippus. De Zacharia sacerdote in evangelio dicitur quod incedebat in omnibus mandatis et iustificationibus Domini sine querela : sic et nos, patres

(a) Codex : *quem*, quod voces *partem* et *tamen* vitiosum esse arguunt.

(1) 1 Cor. 11, 1. (2) Philip. 3, 17. (3) 1 Tim. 5, 7. (4) Levit. 21, 17 sqq.

mei reverendi, ita nobis attendere debemus, ut nullo prorsus vitio vel defectu nostro proximis simus offendiculo.

3. Docere praeterea debet sacerdos populum Dei voluntatem, pro quo legatione fungitur, sicuti fungitur legatione pro populo ad Deum (1). Pro populo vero ad Deum in Levitico toto, ubi pro populo offeruntur preces et sacrificia ; item ad Hebraeos, cap. 9 et 10. Proinde oportet sacerdotem esse bene instructum in pietate et doctrina, speciatim in sacra scriptura et conscientiae casibus. Militem, ut hostem propellat, armis congruentibus instructum esse oportet : ita sacerdotem, ut a subditis populis peccata propulset et inhaerentia depellat ; docere debet enormitatem peccati, virtutum pulchritudinem et decorem. Apostolus Timotheum et nos in ipso docet praecipiendo (2) : *Dum venio,* inquit, *attende lectioni, exhortationi, doctrinae ; in his esto.* Lectio docet quid agere debeamus, exhortatio incitat ad opus, doctrina cum gratia confirmat ad perseverandum ; meditatio perficit ut in legis divinae observatione et zelo animarum delectationem capiamus et fervorem (3) : *In meditatione mea,* inquit psalmista, *exardescet ignis ;* tum et antiquae legis sacerdotibus praecipiebatur ut scirent legem Domini : *Praeceptum,* inquit Dominus (4), *sempiternum est in generationes vestras, ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum et profanum, inter mundum et pollutum, doceatisque filios Israel omnia legitima mea, quae locutus est Dominus.* Ut vero probatur et laudatur miles qui semper gladio et sclopo instructus incedit, et agricola qui ligonem ad manum habet, et scriba qui calamum bene tractat : ita sacerdos probatur et commendatur, qui[a] novi veterisque testamenti libros et casus conscientiae in promptu habeat, sic tamen ut virtus et vitae innocentia haec comitentur.

Et sane si vir ille Aethiops eunuchus tam fuit pietatis et sacrae scripturae studiosus, ut etiam iter agens in curru legeret Isaiam — quam ob rem Dei gratiam consecutus est — quanto magis Christi et Societatis sacerdos in sacris litteris crebro versari debet ; neque hoc solum, sed et zelus animarum in eo sit incensus[b] oportet, ut quemcumque a recto tramite deflectere viderit, pie et prudenter hortetur ut rectam viam teneat, utque in meliore vitae ratione ipsum confirmet : sicut membrum corporis sui male affectum sollicite et

(a) Qui scripsit cod. B. resumpsit calamum. (b) *accensus.* B.

(1) Eph. 6, 20 ; 2 Cor. 5, 20. (2) 1 Tim. 4, 13 et 15. (3) Psalm. 38, 4. (4) Lev. 10, 9-11.

diligenter curat, ita peccatorem corporis ecclesiae membrum male sanum sanitati restituere sacerdos satagat, animo suo saepe reputans quod Dominus uni cuique mandavit de proximo suo.

4. Meminerimus porro, patres mei reverendi, Christum nobis in primis dedisse exemplum, quos suos vicarios et cooperatores in ecclesia constituit ; vita autem Christi determinata praecipue fuit ad duo : ad actionem nimirum sanctam et fructuosam, et ad passionem propitiatoriam. Inter virtutes autem illae praecipue nobis carae et consectandae, quae spectant ad Dei gloriam et cultum, et ad salutem animarum.

Christus igitur semper utrumque complexus est, et admiranda sollicitudine impensissimoque studio exercuit. Pernoctabat in oratione in deserto, et in templo versabatur crebro, semper et ubique Deum honorans, et populis benefaciens, licet per orationes et labores non accresceret illi meritum vel gloria ; sed glorificabat patrem suum aeternum, et nobis exemplum tradebat. Eiecit de templo ementes et vendentes (1), reprehendit hypocrisim pharisaeorum, apostolos docuit bene orare. Nos igitur loca sacra veneremur et honorificemus, non adiungamus nos iis qui in eis leviter agunt, caveamus ab artificio et hypocrisi, in plateis et in foro ita cor nostrum ad Deum elevatum habeamus, ut in secreto cordis eum oremus et laudemus, dissimulantes coram hominibus cordis nostri elevationem.

In missa velim, patres mei, nos esse in caerimoniis conformes, et ut honeste et secundum ordinem omnia faciamus, ut nos ipsos et proximos nostros aedificemus ; similiter in administratione sacramentorum pie et humiliter agamus.

5. Secundum quod Christo semper fuit curae maximae — et cuius nobis exemplum dedit, ut ipsum imitemur — fuit salus animarum. *Exemplum*, inquit (2), *dedi vobis, ut quem ad modum ego feci vobis, ita et vos faciatis ;* et de se quidem ipse dixit (3) : *Venit filius hominis salvare, quod perierat.* Non fuit contentus contionari in templo[a] et synagogis, sed et in plateis, agris et desertis contionabatur ; circuibat oppida, castella et pagos, quaerens ovem quae perierat. Advertite quantum laboraverit pro una Samaritana ; perpendite et admiramini parabolam de nonaginta novem ovibus relictis, ut eam quae cum periculo vagabatur inventam ad ovile reportaret et in libertatem

(a) Uterque codex : *templis.*

(1) Matth. 21, 12. (2) Ioann. 13, 15. (3) Matth. 18, 11.

assereret ; audite ignitum verbum et gemitum eius (4) : *Quotiens volui congregare filios tuos, et noluisti ?* Hoc igitur zelo accensus et incitatus pro nobis ieiunia accepit, pro nobis in deserto pernoctavit, pro nobis non raro flevit, pro nobis indesinenter laboravit, pro nobis denique verbera, sputa, coronam spineam, fella[a], acetum, ignominiosam mortem crucis sustinuit, quae omnia, quid aliud quam insigne nobis caritatis exemplum depraedicant ? Ad hunc zelum, patres mei, nos invitat Dei filius, nos invitant sanctorum exempla, nos invitant B. P. N. constitutiones, regulae et instructiones ; ipse viam nobis stravit et rationem praescripsit quam in regulis, quas modo legemus, videbitis expressam. Incipiamus ergo, etc.

49ª Exhortatio

In qua redditur ratio congregationis generalis factae anno 1593-94

1. Rogatus sum, fratres carissimi, ut in hoc consessu de rebus Societatis nuper in Urbe transactis non nulla exponerem, ut qui membra eiusdem sumus corporis, eiusdem participemus eventibus : hoc modo praestaturus sum vobis clare et diserte ; non enim mysteria et arcana sunt, quae non liceat mihi in medium proferre vel vobis audire et cognoscere.

Tria igitur exstiterunt, quae causam cogendae congregationi generali dederunt : una[b] fuit studium et desiderium vehemens P. N. Generalis, ut ipsa congregatione Societatis praefectura se abdicaret, quod mihi certo constat. Secundum, voluntas fuit summi pontificis Clementis VIII. Tertium, desiderium regis catholici, permoti et veluti impulsi ad id urgendum apud Pontificem importunitate paucorum nostrorum patrum Hispaniensium, qui inquieti erant, et in aula auctoritate praestabant.

Patris Generalis Nostri desiderium et studium ante duos aut tres annos cognovi, tum patris ipsius, tum secretarii litteris. Existimabat scilicet pius pater, Societatis necessitatibus. quae inciderant[c] Pontifice

(a) *fel.* B. (b) Sic uterque codex. (c) *incidebant.* B ; emendavit A.

(1) Matth. 23, 37.

Sixto V in variis orbis partibus, melius prospici posse per congregationem generalem, vel eius iudicio per alium[a] magis, ut rebatur, fortem et industrium. Dum vero haec animo versat, et de tempore congregationis cogitat, summus pontifex Clemens VIII. illi significat et mandat ut congregationem generalem suo nomine et mandato convocaret, quod haberet memorialia multa apud se, partim a rege catholico transmissa, partim a plerisque de nostra Societate sibi secreto tradita, ad meliorem Societatis disciplinam et constitutionem spectantia. Admiramini, reor, fratres carissimi, de Societate aliquos eo impudentiae et audaciae devenisse, ut haec auderent apud Pontificem et Hispaniarum regem, cum eorum studia in perturbationem Societatis certo tenderent ; sed desinetis, confido, mirari quod hoc tempore Societas passa sit hanc iactationem, quia illud manifestum signum fuit peculiaris divinae erga ipsam providentiae, ut eius perfectio magis innotesceret ; deinde ut ipsa in melius proficeret, et purgaretur a pulveribus qui plerisque corporis membris fortassis adhaerescerent.

2. Et sane eam oportuit, quae non est vilissimum et obscurissimum ecclesiae membrum, ad instar matris ecclesiae exerceri et igne probari : sicuti olim nascens et proficiens ecclesia continenter probata fuit, sic ergo Societatem a suis incunabulis tentari et probari oportuit. In B. P. N. Ignatio graves in Urbe persecutiones et calumnias Paulo III sedente sustinuit. Item sub Paulo IV pontifice, qui cum gravate ferret B. P. N. nolle nostrum ordinem suo Theatinorum ordini permisceri, facilem se praebuit excipiendis similiter aliquot memorialibus[b] a quibusdam de Societate parum providis et moderatis, quos ego omnes probe novi, et pleraque memorialia[c] legi ; sed nomina eorum reticeo propter Christi caritatem et ipsorum existimationem. Passa est item sub Iulio gravissimam accusationem et calumniam, quod quidam externi detulissent ad Pontificem, et asseruissent ipsam in Hispania permovisse regem et episcopos ad indicendum synodum nationalem, in qua tractaretur de revocandis ab Urbe et aliis locis in quibus degerent, qui curam aliquam haberent pastoralem ad[d] residentiam, quod assignabant crimini et principio schismatis alicuius. Quod tantopere commovit Pontificem et totam curiam romanam, ut nullus tunc in palatio pontificio auderet comparere. Ne vero prolixius et

(a) An supplendum : *atque se ipsum ?* (b) Scripsit B *memorialibus,* tum *i* dempto *memoralibus.* (c) Hic contra primum scripserat B *memoralia* postea vero addidit *i.* (d) Sic codd., non *ac.*

rebus tristibus vos detineam, tandem per vexationes et tribulationes huiusmodi iactata Societas ad hanc postremam impulsa est ; atqui, ut ex omnibus praecedentibus salva et incolumis, immo cum laude et spirituali proventu Dei gratia emersit, sic et hoc tempore evasit incolumis. Oportuit illam nimirum, quia Deo accepta est, tentari et probari, sicut angelus dixit Tobiae (1) de tentatione quam sustinuerat ; sic tentati et probati fuerunt Abraham, Iob, filii Israel, Apostoli et Ecclesia Dei, quae crevit irrigata et firmata sanguine martyrum et variis tribulationibus.

3. Mihi a variis narratum est anno superiore accidisse ut diabolus, in energumeno, de Societate coram multis loqueretur, et diceret se in congregatione quidem provinciali Societatis tentasse varia, sed frustra, se vero bene sperare de congregatione generali, et quod in ea triumpharet. Sed *mentita est iniquitas sibi* (2). Fuit certe ingens procella et publicarant pauci illi inquieti nostri fore in congregatione magnas discordias et scissuras, adeo ut D. Cardinalis Cusanus, in collegio cardinalium primarius, mihi dixerit, sicut et cardinalis Pelueus[a], eodem fere tempore quo in Urbe exspectata fuerat magna in Societate animorum divisio, se vero nihil audire et mirari plurimum quod post aliquot hebdomadas a congregatione inchoata nihil videretur, nihil audiretur, et quod tam secreta nobis essent omnia. Cui ego : certe, illustrissime domine, nihil habemus quod agamus in congregatione, et minime fuerat opus ut congregaremur, nisi Sanctissimus rationes habuisset nobis occultas, quae ut eam cogeret permoverunt ; proinde exspectamus cotidie a Pontifice materiam subministrari de memorialibus, quae dixit se habere, et saepe, cum per duos aut tres dies nihil habemus quod veniat in deliberationem, quaerimus et eruimus dubia ex constitutionibus, de quibus disputemus et sententiam dicamus. Sic, ait, et ego sentio, quia praeter quasdam subtilitates theologicas, nihil a vobis audimus tractari. Sum protector aliquot ordinum religiosorum, et certe obruor quando habent congregationes, obruor, inquam, difficultatibus quae tunc mihi proponuntur ; sed de vobis nihil audimus, et admirandum est apud vos secretum. Certe, aio, Domine illustrissime, pater noster generalis numquam inducere potuit in animum ut secretum patribus congregatis imponeret, quin omnibus integrum esse voluit foras efferre quae vellent ; numquam

(a) Codex B. videtur scripsissa *Petueus*.

(1) Tob. 12, 13. (2) Psalm. 26, 12.

fuit hactenus tanta dicendi et referendi libertas, ut omnibus constet nulla arcana et mysteria Societatem tractare.

4. Quae refero, fratres carissimi, ut consolationem habeatis, sicuti et ego sane permagnam capio, considerans tantum in rebus Societatis candorem. Addo quod multum me recreavit et erga P. N. Generalem affectum auxit, quod cum Pontifex omnia quae voluit vel habuit protulisset, et aliquot de nostris acceperat[a] et vidisset congregationem suffragiis omnibus, tum apertis tum secretis, et aliquotiens ipsius mandato repetitis, semper conclusisse, animis omnium concordantibus, generalem in Societate debere esse perpetuum, ac dixisse gravissimis viris : Debet certe hic generalis Societatis vir esse valde integer, probus et religiosus, quoniam licet multa memorialia nobis tradita hic fuerint, et multa ex Hispania missa contra morem gubernandi Societatis in eius constitutionibus praescriptum, nihil tamen inveniri potuit contra personam ipsius generalis. Quis non laetetur in Domino, fratres, hac tam luculenta tanti Pontificis de nostro Patre testificatione.

5. Sed desideratis forsan cognoscere quae in ea congregatione tractata sint. Vobis ergo paucis satisfaciam. Examinata sunt non nulla capita ex iis quae Pontifex summus ex memorialibus collegerat, et illa quidem breviter sunt expedita, ut sunt ea quae Gregorius XIII et Gregorius XIV in suis Constitutionibus in confirmationem Societatis comprehenderunt, v. g. ut novicii reciperentur in capitulo, sicut in aliis ordinibus ; praefecturae provinciarum et collegiorum capitulariter distribuerentur ; omnis correctio definiretur in capitulo ; Generalis non esset perpetuus, etc. Quibus definitis et exclusis, perstante Societate firmiter in suis Constitutionibus, tractavit ea quae canones congregationis eiusdem comprehendunt[b], quae videre potestis. Pauca vero admodum inventa sunt, immo enimvero — quod assero coram ipso, qui videt corda et renes — me nescire[c] quicquam inventum in universo corpore Societatis corrigendum per congregationem aliquam, quia Dominus Societatem amat et eam protegit corona benedictionis suae. Particulares quidem defectus variis in locis recensiti sunt, et mandatum provincialibus ut de omnibus ratione officii constituant. Atqui non propterea corpus Societatis aegrum est aut infectum, neque dicendum est collegium depravatum, aut provincia corrupta, licet forsan pauci non satis compositi inveniantur.

(a) Sic codex. (b) *Comprehenderunt*. B. (c) Non repetit *assero*.

6. Quis vero fructus aut exitus congregationis ? Urbs tota aedificata est tanta patrum consensione, tanta morum integritate, et quod nihil fuerit in Societate mutandum aut corrigendum. Deinde pulcherrimi facti sunt canones, et resoluta dubia magni momenti quae ex constitutionibus fuere proposita ; demum excitavit nos omnes admodum R. P. N. suis exhortationibus publicis et privatis, et raro pietatis et disciplinae religiosae exemplo ; vidimus denique in ea congregatione patres magna doctrina et zelo ac sanctitate praestantes, qui resuscitarent in nobis Societatis spiritum, quem dignetur clementissimus Deus in vobis, carissimi fratres, augere et confirmare, ut aliquando dispositos nos inveniat Christus ad assumendum nos secum ad mensam quam nobis praeparavit in caelestibus. Amen.

Epistola exhortatoria

R. P. Oliverii Manaraei ad rectores provinciae belgicae visitatione peracta

1. Perfunctus tandem aliquando sum, R. P., imposito mihi visitationis munere, Deo sit laus, qui vitam viresque oneri ferendo largitus est. Sed cum pro aliis et innumeris beneficiis ad perpetuam gratiarum actionem illi ipsi obstringar, nec sim solvendo, ad vestram opem, mi pater, et ad vos, fratres omnes, qui in ista vinea laboratis, confugio, vosque per Christum Dominum obtestor, ut qui hactenus impetrandis mihi caelitus donis auxilio fuistis, veteribus vestris officiis id etiam nunc adiungatis, ut bonorum omnium auctori gratias mecum agatis, ac defectuum, quos in officio praestando admisi plurimos, ab infinita illa bonitate veniam obtineatis, quo in hac declivi aetate benedictionis dulcedine ipsius adiutus, quod reliquum est vitae ita transigam, ut in die[a] Domini expeditam facilemque actionum mearum rationem divinae maiestati reddere valeam.

Obivi, ut vobis conspicuum est, huius provinciae visitationem iam secundo, tanto certe animi gaudio, ut verbis exprimere nequeam. In secunda visitatione multo plura collegia quam in priore comperi.

(a) *Via* legit B. non recte.

Lustravi omnia, et vidi omnia, et inveni omnia, tum temporalia tum spiritualia ita constituta, ut divina erga Societatem providentia inde maxime eluceat. Cum enim multa loca sacra per acerbitatem horum temporum fuerint eversa, multa religiosorum monasteria opulenta tam attrita, ut aegre consistant, nostra tamen collegia mira ubique ceperunt accrementa.

In fratribus nostris genuinum perspexi Societatis spiritum, zelum divini honoris, studium perfectionis, in colenda Dei vinea laborem indefessum, et respondentes labori fructus. Adverti vino exundare torcularia, et uberrimis manipulis[a] horrea Domini compleri. Quae refero, fratres carissimi, non ut palpem, neque ut inani laetitia vos afficiam, sed ut laetitiae meae participes efficiamini.

Quoniam vero vires longa et declivi aetate deficientes faciunt ut vix me iterum visurum vos sperem, quo meo in vos amori et mihi ipsi faciam satis, ad omnia quae visitavi collegia hasce[b] perscribendas iudicavi, ut in animis vestris aliquod mei monumentum non prorsus inutile et infructuosum, quod de Dei bonitate confido, foveatis. Pauca vero, quae inter visitandum animadverti notabo, quae religiosam in nobis disciplinam sartam tectam conservare posse videntur. Quae singulis magnopere commendata esse exopto.

2. Primum sit, ut dignitatem et praestantiam nostri instituti, ac divinae maiestatis miserationis magnitudinem, quae ad hoc vitae genus vos vocare dignata est, crebro ac serio indesinenterque in animis vestris, suis momentis perpendatis. Quo modo nimirum Deus in tabernaculo suo in die tot malorum nos absconderit, quibus praesidiis in tam aspero et periculoso certamine cinxerit, quales constitutiones et regulas per B. P. N. Ignatium praescripserit ; quam graves, quam faciles, quam utiles fecerit, ut quae medullam constitutionum omnium ordinum contineant ; quos superiores nobis praefecerit, quam prudentes, quam vigilantes, quam nostrae salutis studiosos, qui omnia pericula, omnes ruinae occasiones a nobis propellant, omnia quae nobis subsidio esse possint, summa sollertia excogitent, et pari diligentia suggerant ; quos item socios adiunxerit, quam selectos, quanta doctrina conspicuos, quam multos genere, ingenio, virtute illustres ; ut si B. P. N. monita[c] spectandi Deum in superioribus et in fratribus nostris occasiones studiose captaremus, crebro eorum virtus[c] et pietas atque animorum cum Deo coniunctio inter caelites saepius quam inter homines nos versari crederemus. Rursus, si in

(a) *manibus*. B distracte. (b) scilicet *litteras*. (c) singulae voces ad unguem referuntur.

dignitatem nostri instituti oculos coniciemus, videbimus nobis offerri continenter commoditatem de proximis, atque adeo — quo nihil maius excogitare potes — de ipso Deo bene merendi. Haec si pro dignitate existimaverimus, fratres carissimi, si serio perpenderimus, acres nobis admovebunt stimulos, pervigilemque haud dubio curam inicient ad eam perfectionem, quam a nobis Instituti ratio exigit, pertingendi.

3. Secundum est, ut quod de vita communi Christi exemplo consectanda B. P. N. nobis proposuit, sane et ex ipsius non nostro sensu intellegamus ; non enim communem propterea Societatis vivendi modum communiter dicimus, quod Societatis alumnus omnigenis virtutum splendoribus conspicuus esse non debeat, aut quasi ex vulgi disciplina vivere liceat, sed quod vestitus a communi ecclesiasticorum more non differat, quod certo ciborum delectu insignissime austeritate vitae, quam necessario omnes sequamur, inter alios christianos non emineat. Quam vivendi rationem ideo Deus nostram Societatem inire voluit, ut cuivis nostrum ad virtutem consequendam et ad opitulandum proximis facilior esset via, et denique omnibus omnia facti omnium certius operaremur salutem. Quare, ut crebro ex me audistis, licet quoad victum cultumque corporis ac ritus quosdam exteriores communis sit vita nostra, cavendum tamen nobis est omnino, nisi nos institutumque nostrum perditum iri velimus, ne libertatem in occasionem carnis vertamus, cum contra, quo benignior nobis mater Societas est, hoc potiore suo iure postulat, et vehementius a nobis efflagitat, ut quo externo habitu, modoque vivendi ad communem saecularium vitam accedere propius videmur, et quasi ex sublimi illo religiosorum statu descendimus, tanto studiosius morum gravitate, vitae sanctimonia, pietatis splendore ab omnibus distinguamur, altiusque in arduum illud virtutum culmen, quo supra aliorum disciplinam religio eminet, conscendamus ; ne, quod absit, audiamus a saecularibus quod in similem sensum affert D. Bernardus : *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis* (1). Quin potius interior animae nostrae pulchritudo, in omnium actionum nostrarum decenti quadam moderatione, suavitate, modestia, constantia ita exterius eniteat, ut vel inimicos nostros cogat de nobis dicere (2) : *En populus sapiens atque intellegens*, et quod alibi propheta quidam dixit (3) : En *semen, cui benedixit Dominus*.

4. Quare iterum atque iterum, fratres, per Christum obsecro, ut

(1) Gen. 3, 22. (2) Deut. 4, 6. (3) Is. 61, 9.

quo affectu haec vobis loquor, eodem vos audiatis. Quod si facitis, omnino sequetur, ut et in recreatione cotidiana, quae a prandio et cena concedi solet, atque in hebdomadariis, dum foris aeris purioris captandi gratia egredi, honestaque ambulatione corpus exercere datur, serio curetis ut omnis levitas, omnis saecularis agendi modus procul exsulet, eaque moderatione nos recreemus, ut etiam tunc in nobis religiosa modestia, spiritusque Societatis eluceat. Non enim recreatio illa ad vanam oblectationem concessa fuit, sed sanitatis dumtaxat causa, et ut, interposita quiete ac decenti animae remissione, ad nostras functiones et ministeria simus aptiores. Sane, si quae D. Thomas ad Eutrapeliam requirit (1), diligenter observaverimus, tantum abest ut aliquid spiritualis detrimenti animi relaxationes nostrae allaturae sint, ut potius alacriores ad Societatis munia simus redituri, proximisque ad animi moderationem exemplo simul et stimulo futuri. Illas enim sanctus ille doctor non aliter vult admitti, quam ut corporis occurratur infirmitati, defatigatusque multo studio et longis divinarum rerum commentationibus, animus noster non nihil recreetur ; iubetque eas quaeri non ad oblectamentum carnis ex actionibus pravis, sed ex actionibus honestis et bonis, vel saltem indifferentibus.

Quare id omnibus modis agendum, ne quid immoderatum aut minus decens committamus, ne quos in colloquiis aut nostrorum aut externorum notemus defectus, ne aut animum nostrum nimia contentio, aut fratrem nostrum verbum asperius turbet, ne quem aut ironia aut acrimonia laedamus. Caveamus, ait D. Ambrosius (2), ne, dum animum relaxare volumus, solvamus virtutum harmoniam et bonorum operum concentum. Ut igitur recreatio necessaria est ad valetudinem, ita cavendum est ne, quia recreatio est, spiritui officiat. Necessariam dixi, quia, ut ait D. Augustinus (3), sapientem decet interdum remittere aciem rebus agendis intentam, et Aristoteles asserit, ad huius vitae sustentationem, requiem cum ludo dari. His igitur de causis a B. P. N. Ignatio concessa est aliqua recreatio iis qui aut studiis aut orationi vacant, sacerdotibus nimirum et studiosis. Spectanda porro est huius recreationis utilitas, tum ex quiete, tum ex piis et familiaribus colloquiis, quibus animi nostri ad bonum excitantur, et inter se velut glutine caritatis vinciuntur. Hinc fratres nostri coadiutores, licet litteris non vacent et satis alioqui corpus exerceant, aliis tamen adiunguntur, quando necessariis officiis non detinentur, quo piis illis sermonibus ad virtutis studium accendantur, communi-

(1) S. Thom. 2. 2ae q. 168. a. 2. c extr. (2) S. Ambros. PL. t. 16 de Off. l. 1, c. 20. n. 85. col. 49. (3) S. August. PL. t. 32 de Mus. cap. 4, n. 5 extr. col. 1086.

que illo congressu ac familiari usu omnium animi mutua caritate coniungantur.

5. Quia vero, — quae humana est condicio — incidere possunt interdum quae risum excitent, non ille quidem omnino religiosis prohibetur, immo laudabilis est in iis vultus serenitas et amoenitas quaedam, qualis fuisse dicitur in D. Antonio, et nobis constat exstitisse in B. P. N. Ignatio, et risus moderatus, qualem notamus dum subridere aliquem dicimus. Quis enim laudet omnino taetrum et amarum in aliorum conventu ? Seneca tamen merito reprehendit eum qui immoderatus et pueriliter effusus est, qui muliebriter fractus, qui in cachinnos erumpit. Hinc D. Hieronymus ait, de indecenti risu loquens (1) : Ridere ac ludere relinque saecularibus : gravitas personam tuam decet. Quin et Proverbiorum libro dicitur (2) : quod *os stultorum*[a] *ebullit stultitiam*. Si qui fortasse erunt, quod absit, qui haec, ut levia, sibi minus cavenda esse existimant, hos obsecro, quo ipsis sua salus, quo Societatis, quo Dei honor est carior, eo D. Bernardum attentius disserentem audiant (3) : spero enim fore, ut tanti doctoris, tam in rebus spiritualibus eruditi, adeo gravi castigatione edocti ab hac mente omnino discedant : « Nemo, inquit, dicat in corde suo : levia sunt ista, non curo corrigere, non est magnum si in venialibus maneo, minimisque peccatis ; haec est, inquit, dilectissimi, impaenitentia, haec est blasphemia in Spiritum sanctum, blasphemia irremissibilis ».

Hilaritas, fratres carissimi, bona est, sed opportuna et moderata ; nam ut ait Aristoteles, sicut sal cibo, sic animi quies et honesta recreatio necessaria est ; et ut habet Tullius : Ludo et ioco uti quidem licet, sed sicut somno et quietibus ceteris.

6. Velim etiam, fratres mei et[b] viscera mea carissima in Domino, numquam vos non memores esse oblationis Deo factae a vobis : tradidimus siquidem et transtulimus nos totos in potestatem Dei atque Societatis ; abdicavimus et spoliavimus nos omni iure nostro per votorum nuncupationem ; exuimus nos tunc, non tantum veterem hominem, quod facere debent omnes Christiani, licet non voveant, sed etiam iudicium proprium, voluntatem nostram, unicum illud nobis

(a) *fatuorum* ibi legitur. (b) om. B.

(1) S. Hieron. PL. t. 22 Epist. 130 ad Demetr. n. 13. col. 1117 extr. Sunt tamen verba : Ridere ac rideri, ut alibi notavimus. (2) Cfr. Prov. 15, 2. (3) S. Bern. PL. t. 183 Serm. 1 in Conv. S. Pauli, n. 5, col. 363.

reservantes, ut omnia in Dei obsequium et gloriam, perfectissime ac qua possumus caritate, secundum constitutiones ac directionem superiorum praestemus. Hoc, inquam, holocaustum Deo immolavimus, et illud continenter a nobis instituti nostri ratio exigit, ut toti ex divina voluntate et superiorum directione pendeamus ; tales enim praecipue divina illa bonitas amat, et in sancto suo servitio dirigit, qui toti ex divina ipsius providentia pendeant. Haec sui ipsius abnegatio et resignatio seu indifferentia nostri instituti maxime est propria, ceterarumque virtutum fundamentum est ; ideoque perfectissima et in omnibus quidem personis et quoad omnia esse debet, ut quilibet, ad omnem occasionem et ad omne officium, etiam vilissimum, et quidem per totam vitam paratus sit et resignatus, non dubitans divinam providentiam peculiariter superiori assistere id mandanti, ac minime defuturum famulo suo, quem ut permittit humiliari, ita procul dubio vult ad perfectiora exaltare, qui exaltat humiles.

Est porro haec resignatio, dispositio valde idonea et utilis ad humilitatis incrementum et oboedientiae perfectionem, et ad dependendum denique perfectius a Deo et eius providentia. Certos praeterea nos facit, quod a Deo dirigamur : est enim via ad divinos influxus et ad unionem cum Deo perfectiorem valde expedita ; denique haec virtus in Societatis hominibus primaria est, tum propter disciplinam et bonum ordinem, tum propter ministeriorum diversitates : non enim habet Societas certa tempora assignata officiis seu ministeriis, quae necesse sit servari ; neque aut gradibus aut talentis ab inferioribus officiis exempti sumus ; non, inquam, quia quis per annum in Societate mansit, professus fit, neque quia professus theologus aut artium magister est, ideo ad officia inferiora non adhibetur, ut in plerisque aliis religionibus accidit, quae hac tanta animi indifferentia et aequabilitate non utuntur, ob leges quas habent firmas ac immutabiles, quas superior mutare nequit ; at in Societate, omnia fere iudicio superioris permittuntur, et ad arbitrium illius se debent omnes componere, si veri et genuini Societatis filii censeri velint. Ad hanc igitur, fratres mei, nobis conciliandam nostri abnegationem et aequabilitatem alacriter omnes contendamus ; quod ut faciamus, amorem proprium exuamus, propriorum commodorum curam abiciamus, neque simus solliciti quod officium obituri simus, quanto tempore in eo mansuri, quando hoc vel illud agressuri, etc. Quod si fortassis in aliquam partem vehementer inclinari nos sentiemus, assiduis piis desideriis et conatibus piisque studiis in oppositum impellere nos satagamus, sicut B. P. N. Ignatius patri Laynes Indiam petenti ac optanti suasit ut desiderium suum deponeret, immo vero in oppositum

inclinare niteretur, quo se ad divinum beneplacitum aequabiliter paratum et indifferentem redderet. Hac ratione, fratres mei, fiet ut animus noster omni inani propensione vacuus et liber, facilius se cum Deo coniungat, et ad ipsius sanctissimam voluntatem in omnibus accommodet.

7. Sed longius me amor erga vos meus ab epistolae, quam par erat, iusta brevitate abduxit. Ut igitur finem faciam, iterum atque iterum, per Christi caritatem obtestor, ut horum memoriam non raro faciatis ; ad profectum enim vestrum spiritualem, animarum tranquillitatem, fructum proximorum, Societatis bonum, magnum habent momentum.

Ad hoc autem plurimum iuverit, exercitiis spiritualibus opportuno tempore susceptis, animum ad aliquot dies colligere, quae cum ad omnem perfectionem praesidium maximum afferant, omnibus commendata vehementer esse exopto. Demum obsecro per Christum, ut mei in vestris ad Deum precibus interdum memineritis ; ego etiam vobis vicem caritatis reddere conabor. Deus vos, fratres carissimi, quam diutissime incolumes et alacres in suo sancto servitio conservet. Amen.

Lovanii 22° iunii

Anno 1604.

Omnium in Christo servus

OLIVERIUS MANARAEUS

ADDENDA ET CORRIGENDA

Quae hic adduntur fere sunt SS. Patrum loci, quos non ante reperimus quam folium cui assignantur excusum erat.

Quo facilius citiusque locus aliquis inveniatur, notamus v. g. (— 2) id est : 2ª linea textus *ab ima* pagina..

p. 28. lin. 1. Lege : sunt et *domini.*

45. » — 2. » *ut* imp.

49. Nº 1, l. 6. » *ad* pacem.

55. l. 6. Scripsit uterque codex *sponsaliorum*, loco *sponsalium*. Sic etiam scripserunt Seneca et Suetonius.

55. l. 11. Scripsit uterque codex *quam tamen obligat*, sine negatione.

65. l. — 12. Supple **3**. ante « Accedamus ».

67. not. (1). Vide not. (6) pag. 723.

77. N. 2, l. 10. *audentissimum* (sic amanuensis) ; lege *ardentissimum.*

103. In nota (1), quod emendatum erat, sic restitue : Serm. 2 Domin. 6 post Pentec. col. 339 c.

105. Locum notae (1) reperisse putamus, sc. S. Bern. PL. t. 182 de Pr. et Disp. c. 7. n. 16. col. 870 b (Illum autem...).

131. nº 8, l. 9. « Utinam... ad vitam ». S. Bern. PL. t. 183. Serm. 36 de div. n. 3. col. 639 a.

156. In not. (4), post t. 159 adde : *de Similitudinibus.*

201. Not. (6), l. 2 : Cfr. t. 40, n. 52. col. 4261.

206. Hoc loco, nº 8, l. 8. 9. retinuimus *repraeh...*, quod in codd. sic ubique scriptum est.

250. Nº 1. Initium hoc, cum nullus scriptor afferatur, Oliverio ascribendum putabamus. At recurrit locus libro 2º. Vide notam infra ad pag. 478 : ibi memoriter citat ; hic vero locum exscripsisse videtur.

314. Nº 4, l. 12, « non numerositas... praemium ».Veri valde simile est haec verba apud S. Augustinum non reperiri, sed esse commentarium ad t. 43 de Baptismo, l. 1. c. 9, n. 12 in. col. 116,ubi legitur : « Multa et magna nihil prosunt, si unum quiddam defuerit, i. e. caritas » ; vel etiam, ibid. l. 3. c. 16, n. 21 extr. col. 149 ; vel denique, ibid. contra Cresc. l. 1, c. 29, n. 34 extr. col. 464.

323. nº 5 : Ordo Caritatis. Cfr. S. August. PL. t. 34 de Doctr. Christ. l. 1. c. 27 sqq. col. 29 sqq.

324. Ad notam (5) explicite addendum erat, hanc ipsius scriptoris esse.

p. 341. l. 9 sqq. Cfr. S. AUGUST. PL. t. 35. Tract. 123 in Ioann. n. 5. col. 1968 lin. 16 sqq.

350. l. 4 ante n. 5, lege : ut *ameris*.

353. In nº 11, notae contextus 4-7 debent punctum *sequi* [... dam. (4) Memineris...]

382. l. 2, lege : Neque *solae*.

396. nº 3, l. 2. Verba « conservatorem et promotorem » quae prius scripserat, mutavit A, sed retinuit aut certe non mutavit *auctorem*.

427. nº 6, l. 8. De confessione octiduana Cfr. S. BERN. t. 184 Speculum mon. col. 1178 b.

428. Adde ad not. (6) : ibid. t. 183 Serm. 40. de div. n. 2. col. 647.

474. nº 8, l. 11. Cfr. S. AUGUST. PL. t. 41 de Civ. Dei, l. 17. c. 4 n. 8 in. col. 531.

478. l. 7. « Bernardus dicit omnes artes... » Memoria Oliverium defecit ; locum enim invenies apud S. HIERON. PL. t. 22 Epist. 125 ad Rust. mon. n. 15 in. col. 1080. Cfr. hic supra, ad pag. 250. Invenies et ap. S. CYPRIANUM. PL. t. 4 Idol. van. Cap 8 extr. col. 576.

497. Nota (a). Similes, ut opinamur, locos invenies p. 24, nota f, et p. 74, nota g.

508. nº 4, l. — 3, lege : sensualitati.

509. nº 5, l. — 8, » S. Hieronymus, qui ..

529. nº 4, l. 8, » consistamus.

547. nº 2. l, 1. S. BERN. PL. 183 Sentent. n. 37. col. 755.

576. in notis ; l. 2 : nisi ; l. 3 : .. cap. 14. col. 511...

615. l. 2 sqq. Cfr. S. THOM. 2. 2ae. q. 168. a. 2. c. (pag. 740, not. 1.)

619. l. 7, 2º S. BERN. PL. t. 182 Apol. cap. 10, n. 26 extr. col. 913.

630. in not. (6) lege : p. 629.

640. l. 7. S. AUGUST. PL. t. 37 Enarr. in Ps. 85 n 7. col. 1085 extr. Item S. BERN. PL. t. 184 de modo bene Viv. cap. 50, n. 119. col. 1272.

642. nº 7. S. BERN. PL. t. 183 Serm. 25 de div. col. 605.

651. nº 19. Cfr. LUD. GRANAT. tom. 3 de Orat. l. 3. cap. 11 c. m. (Hoc itaque). pag. 320². Edit. Colon. 1626.

652. not. 7. Cfr. S. BERN. PL. t. 182 de Consid. l. 5. c. 14, n. 32 extr. col. 808.

671. nº 4. Cfr. S. GREGOR. PL. t. 76 Hom. 2 in Ev. « de caeco. » col. 1081 sqq. (spec. nº 7).

676. ad 10m, exspectes « si quis *res* aliorum... » quam tamen vocem non addunt codices.

678. Ordo servandus in petitionibus : S. GREGOR. PL. t. 75 Moral. l. 15. c. 47, n. 53. col. 1107.

738. l.-4. Lucidior fit sententia si legas : « ut si B. P. N. monitu... versari persuaderent ».

740. ad not. (1) : hoc loco S. Thomae citantur quae infra ex Ambrosio, Aristotele et Tullio (p. 741) afferuntur.

Ne quid incorrectum maneat, minuta quaedam, eaque typographica breviter subnectimus.

Exspectamus (p. 93, l.-8) — vocem (122, not. a) — iumenta (168, l. 11) — Hieronymus (183, l.-4) — servitute (184, l.-13) — illud (184, l. 18) — (d) *David* (254, not. l. 4) — intrinseca (265, l. 6) — purgationem (301, l. 8) — voluntas (302, l.-12) — milibus ; splendido (337, 3 et 16) — argento red... (358, l. 13) — praeferamus (364, l. 9) — haec ambitio (389. l, 2 ;

l. 7 patrem... est, *italicis*) — àlii (402, l. 8) — medicina (421, l. 7) — illud (458,l. 1) — sequentia (466, l.-11) — accommodantis (485,l. -12) — praecipue, transformationem (563, l. 11 et 23) — taetrici (615, l. 18) — accessèrunt (693, l. 6).

Si vox aut sententia quaedam moveat admirationem, omnia et singula, praeter orthographiam, interpunctionem et ea quae in annotationibus indicantur, omnia inquam referri sicut in Mss. reperiuntur, benevole lector, confidere ne dubitaveris.

A. M. D. G.

INDEX ANALYTICUS

EXHORTATIONUM

QUAE TOTO OPERE CONTINENTUR

Exhortatio praevia. De officio Visitandi. p. 1

Articuli — Missionis suae facit fidem. Finis vero missionis est membrorum cum capite Societatis unio. *num.* 1 — Visitatio non est officium novum, sed a principio in Ecclesia receptum 2 — R. P. Gen. Claudii Aquavivae virtutes solidae 3 — Ad capitis normam membra vitam suam instituere debent 4 — Deo igitur se coniungere eique se devovere 5.

LIBRI PRIMI ORDO

1. Exhortatio. De necessitate cognitionis Instituti nostri. p. 7

Articuli (1) — Instituti cognitio cuique utilis et necessaria 1-3 — De Instituto Societatis nihil sinistre iudicandum 3 — Instituti ignoratio cur noxia 4 — Societatis Institutum quod. Quid hoc vocabulum signet 5 — Instituti Societatis descriptio. Religionum unde tanta diversitas 6 — Christi diversae actiones diversarum occasio Religionum 6 — Religiosi cur Regulares appellentur 6 — Religio nulla, nisi a Sede Apostolica approbata 7 — Cur S. Pontifici reservetur dubiorum resolutio 8 — De hac dubitare temerarium 8 — De Societate quam praeclare senserit Conc. Tridentinum. Religiosos Societatis non monachos, sed clericos appellat 9 — Instituti amor cur tantus esse debeat. Unde quibusdam Societas invisa 10 — Religiosi oblatio cuiusmodi esse debeat 11.

2. Exhortatio. Commendatur Institutum a quattuor causis. p. 13

Articuli — Instituti Societatis causa efficiens 1-8 — Gratia quanta Soci data 5 — Instituti causa exemplaris quae 8 — Quae causa instrumentalis. Ordines religiosi a S. Pontifice approbandi 9 — Causa efficiens instrumen-

(1) Articuli iidem sunt qui in indice alphabetico, et in codice non adduntur. Notandum accidere ut unus articulus ad plures numeros se extendat, et vicissim ut unus numerus plures articulos comprehendat. Numerus autem *initium* materiae indicat.

talis B. P. N. Ignatius 10 — Causa formalis 11 — Causa materialis. Socis varii gradus et officia 12 — Comparatio Socis cum Ecclesia 13 — Instituti causa finalis.

3. Exhortatio. De magnitudine Beneficii quod accepimus, et de gratia donoque vocationis. p. 20

Articuli — Vocationis nostrae magnitudo 1 — Vocationes diversae multorum 2 — Miseria hominis ante vocationem quanta 3 — Gratia vocationis quid conferat 4-8 — Operis meritorii condiciones quae 9 — Ad gratiarum actionem pro vocatione motiva 10.

4. Exhortatio. In commendationem Societatis, et de vitae communis, quam ducit, causis. p. 27

Articuli — Laus Societatis 1.2 — Societatis fructus cur in Ecclesia tanti 3 — Societas perfectionem religiosam et vitam communem cur combinet 4-8 — Virtus quid 4 — Modestia Societatis qualis 9.10 — Humilitas interior cum signis externis qui consistat 11 — Virtutes omnes quomodo Societas amplectatur 12.

5. Exhortatio. Quod Societatis institutum sit clericorum et honestorum Sacerdotum, et quod nihilo minus cum aliis ordinibus in interioribus conveniat, licet in exterioribus differat. p. 34

Articuli — Monachorum institutum quam antiquum 1 — Paenitentia exterior quomodo in Societate assumenda 2 — Ordines clericorum quam antiqui — Gubernatio Societatis cur monarchica 4 — Adulescentes qua aetate Societas admittat 5 — Ordines sacri qua aetate et praeparatione olim conferrentur 6 — Monachorum antiquorum solitudo 7 — Societas cur chorum non habeat 8 — Sacerdotis officium quod 9 — Habitus corporis et mentis in Societate. Vitae communis in Societate ratio.

6. Exhortatio. De fine Societatis, de officio et dispositione eorum, qui de Societate illum promovent ; tertio loco de impedimentis incidentibus et eorum remediis. p. 42

Articuli — Finis Societatis quis 1.2 — Sacerdotis officium quod 3 — Vita activa et contemplativa 4 — Sacerdotis officium quid requirat 5.6 — Societas daemoni odiosa 7 — Perfectionis impedimenta quae 8.

7. Exhortatio. De Instrumentis et personis quibus Societas utitur ad finem suum consequendum. p. 49

Articuli — Societatis varii gradus et officia 1-3 — Societas quos, quomodo, quibus de causis dimittat 4-10 — Discedere a Societate num quis possit. Num possit sine peccato 4 — An ratione morbi petita dimissio ex Socte expediat 5 — Professus et Coadiutor formatus sponte discedens quas poenas incurrat 6 — Vota sollemnia a simplicibus qui differant 11 — Professi Societatis quales esse debeant 12.

8. Exhortatio. Ostenditur quod vita mixta melior sit quam contemplativa. p. 57

Articuli — Laus sui ipsius quando et quomodo licita 1 — Laus Societatis 2 — Perfectio religiosa in quo consistat 3 — Religionis praestantia unde aestimanda 4 — Vita mixta ceteris perfectior 5 — Societatis media ad perfectionem propriam 6 — Societatis membra unum corpus integrant 7 — R. P. Gen. Claudii Aquavivae virtutes.

9. Exhortatio. Quod Religiosus sit res Deo dicata. p. 63

Articuli — Apostoli quando voverint 1 — Holocaustum a sacrificio quomodo distinguatur. Religiosus est Deo holocaustum 2 — Votorum vis cuiusmodi 3 — Zelus Christi Domini quantus 4 — Benignitas Christi in hominem. Humilia officia cur libenter appetenda et obeunda 5 — Imitatio Christi qualis a nobis exigatur 6 — Vita communi Societatis abutendum non est 7 — Compositio exterior ab interiore manat 8.

10. Exhortatio De officio nostro Societati debito, ac de nostro profectu spirituali. p. 69

Articuli — Religiosorum Societatis et saecularium antithesis 1.2 — Aulicorum industria incitamentum Religiosi 3-12 — Zelus honoris Dei 4.5 — Doctrinae pietas a scholaribus Societatis qui iungi debeat 8.9 — Acedia quam perniciosa 10 — Timor Dei reverentialis 12.

11. Exhortatio. De maiore Dei gloria in omnibus quaerenda p. 76

Articuli — Clementia Christi in homines 1 — Duplex fundamentum Societatis quod 2 — Deus cur suos interdum humiliet 3 — Societas cur sic dicta a B. P. N. Ignatio. Cur minima vocetur. B. P. N. Ignatii elogium 3.4 — Maiorem Dei gloriam quomodo quaerat Societas 5 — Intentio Societatis 6-8 — Providentia Dei in creaturis 7 — Lex vetus quae animalia offerri vetaret 9 — Indifferentia religiosorum Societatis 10 — Zelus honoris Dei 11.12.

12. Exhortatio. De Imitatione Christi et quaerenda in omnibus Dei gloria. p. 83

Articuli — Animae vitae Deus 1.2 — Vita Christi in quibus maxime eluxerit 3 — Christus quantam nostri curam gerat 4 — Laus sui ipsius quando et quomodo licita 5-7 — Christiano necessariae res duae. Vana gloria quando peccatum veniale 6 — De vana gloria D. Chrysostomi iudicium. D. Bernardus quo dicto vanae gloriae restiterit. Complacentia vana in fine bonae actionis non curanda 8 — Vana gloria cur difficile vincatur. Quod eius remedium 9 — Caritatem Christus suo exemplo commendat 10 — Humilitatem, paupertatem, oboedientiam et patientiam verbo et exemplo Christus docet 11 — Castitatem Christus suo exemplo commendat. Passionis Christi dies, cur dicta dies ipsius desponsationis 12 — Christum imitari et induere debemus 13.15 — Virtus latere non potest. Pietatis praestantia 15.

13. Exhortatio. De commodis et utilitate quam accipiat Religiosus ex suo statu, et a quibus cavere debeat. p. 92

Articuli — Religiosi status utilitates quae 1 sqq. — Religiosus continuo tendere debet ad perfectionem. De vocatione cum nullo disputandum 1 — Concupiscentia, summi boni assecutionem impedit 2 — Exemplum bonum summum pietatis incitamentum 3 — Superiorum officium quod. Oratio multorum efficax. Religio suis dubitantibus quomodo consulat 4 — Caritas cur vita spiritualis dicta. Occasionem peccandi effugisse dimidia est victoria. Occasio multos perdit. Operum bonorum inter iustos quae communio 5 — Merendi pro alio modi varii. Iustorum oratio quam efficax 6 — Regularum utilitas. Deus a se vocatos non deserit 7 — Maior Dei gloria symbolum Societatis 8.

14. Exhortatio. De beneficii accepti memoria seu gratitudine, et qua ratione eam habere et retinere possimus. p. 99

Articuli — Ingratitudinis conglobata definitio. Beneficia Dei in nos praecipua et quando recolenda 1 — Beneficiis Dei, praesertim vocationis, respondendi modus quis 2-4 — Gratitudinis exempla veteris et novi Testamenti 5 — Beneficiorum suorum memoriam quantam a nobis exigat Deus 6 — Gratitudo animi erga Deum in quo consistat. Ad gratitudinem erga Deum retinendam quattuor cavenda 7 — Ingratitudinis castigatio 8 — Puritas conscientiae religiosae cuiusmodi 9 — Bona intentio sola non sufficit 10 — Gratitudinis erga Deum causae 11.

15. Exhortatio. De profectu spirituali et de damno eorum qui non proficiant. p. 106

Articuli — Religio schola virtutum 1.2 — Labor gloriam parit 3 — Progressus in virtute assiduus esse debet 4 — Ut gratia in nobis crescat quinque praestanda 5-9 — Excusatio defectuum quam perniciosa 6 — Humile sentire de se ipso 7 — Incommoda sustinenda 8 — Quomodo corripientem admittere deceat 9 — Infirmitates mutuae sufferendae 10.

16. Exhortatio. De perfectione hominis religiosi, et de tepiditate seu remissione. p. 113

Articuli — Ad perfectionem media quae 1.2 — Tepiditatis in servitio Dei causae quae 3 — Tepiditas quid 4 — Tepiditatis effectus. Tepidorum gradus quis pessimus. Indevotio quid et unde procedat 5.6 — Teporis remedia 7 — Fervor spiritus non nocet, sed indiscretio 8.

17. Exhortatio. De studio observandi instituti, et de causa remissionis. p. 119

Articuli — Statum nostrum Deo iuvante ardenter amemus 1.2 — Desiderium bonum virtutum fomes 3 — Passionis initio neglectae detrimentum. B. P. N. Ignatii caritas 4 — Remissionis animae causae quae. Securitas ad lapsum facilis. Timor virtutum custos 5.6 — Recreatio vana causa teporis 7 — Dei summa liberalitas 8 — Religionis etymologia. Quid status noster requirat 9.10 — R. P. Cl. Aquaviva quotannis exercitiis se recolligit 11.

18. Exhortatio. De Sanctimonia ad quam vocamur. p. 126

Articuli — Perfectio Dei 1.2 — Ad sanctitatis receptionem quae requisita dispositio 3-5 — Peccatum veniale perfectionem caritatis impedit — Amoris proprii effectus noxii — Amor sui bonus quis 6 — Defectus parvi multum nocent — Alacritatem animi quid causet 7 — Caritas quibus actibus intendatur 8 — Perfectio Societatis in quo consistat 9 — Conversatio cum proximis cuiusmodi in Societate esse debeat 10.

19. Exhortatio. De donatione et oblatione sui quam facit Deo Religiosus. p. 133

Articuli — Spiritu Societatis omnes actiones regulari debent — Religiosus res Deo sacra 1 — Sacrorum profanatio Deo exsecrabilis — Perseverantiae commendatio 2 — Religioso cum votis tria necessaria — Oblatio religiosi Deo facta cuiusmodi esse debeat — Religiosus est Deo holocaustum 3 — Oblationis Religiosi utilitates 4 sqq — Religiosi quanta felicitas 5 — Superiori ut Deo parendum — Oboedientiae efficacia — Favor Dei peculiaris in Religiosos 7 — Oboedientiae utilitates quae — Fervor spiritus perfectionem mire promovet 8 — Superiores cur honorandi 9 — Superiorum officium quod 9.

20. Exhortatio. De abdicatione bonorum omnium terrenorum, et de abdicatione sui integra in Dei perpetuum servitium. p. 140

Articuli — Abdicatio in quo consistat 1-3 — Societatis gubernandi modus 4 — Superioris directione cur standum — Religioni cuique peculiaris inest gratia vocationis 5 — Socis auctoritas et gratia vocationis quanta 6 — Gratiae vocationis effectus quis 7 — Ad gratiam vocationis servandam remedia 8 — Gratia vocationis quibus constet — Consolatio externa internam impedit 9.

21. Exhortatio. De duobus actibus qui ex Instituto in nostris operibus praecipue concurrere debent, Intentione videlicet et Electione. p. 146

Articuli — Intentio quid sit 1 — Intentio multiplex 2 sqq. — Intentio pura quibus mediis haberi possit — Intentionis perfectae condiciones quae 2.3 — Intentioni puritati quid obstet 2 — Praesentia Dei multiplex. Praesentiae Dei effectus 4.5 — Intentiones varias idem opus habere potest 6.7 — Caro mortificanda 6 — Intentionem puram conservandi ratio 8-10 — Electio bonae intentionis quotuplex 11 — Affectus in creaturas cuiusmodi esse debeat 12 — Electione bonae intentionis B. P. N. qui profecerit 13.

22. Exhortatio. De Votis in genere et de Consiliis. p. 153

Articuli — Voti etymologia — Votum quot modis fiat 1 — Voti condiciones quae 1 sqq. — Votum quid essentialiter includat — Votum a consilio qui differat 2 — Praecepta a consiliis qui differant 2 — Iephte votum cur non validum — Iephte filia an vere immolata 3 — Vota in religione cur

emittantur 4 — Votum auget meritum 5 — Votum sollemne verba includit, non autem simplex 7 — Vota indiscreta cur non servanda 9 — Votorum utilitas 10 — Opera nostra ex caritate non consuetudine fieri debent 11.12.

23. Exhortatio. De Paupertatis divisione sive acceptionibus, et de eadem in ordine ad collegia et domos Societatis, quomodo videlicet ab omnibus servari debeat. p. 161

Articuli — Paupertas triplex 1-3 — Paupertatis voluntariae exempla 2 — Pauper spiritu quis dicendus 4 sqq. — Amor Dei non compatitur amorem proprium 5 — Paupertatem et humilitatem maxime commendat Christus 7 — Paupertas Societatis insignis 8 — Noviciatus cur reditus habeat — Collegia Societatis cur reditus habeant 9 — Paupertas professorum et Coadiutorum Societatis cuiusmodi 10 sqq. — Acre virtutis studium Societatis proprium 13.

24. Exhortatio. De Paupertatis dignitate et utilitate, et de eadem in ordine ad personas Societatis. p. 169

Articuli — Paupertatis praerogativa 1 sqq. — Paupertatem et humilitatem maxime commendat Christus (cfr. Exh. 23) 1 — Paupertatis utilitates octo 3 sqq. — Paupertatis finis quis 3 — Sperare in terrenis est de Deo desperare 6 — Paupertas virtutum nutrix et murus religionis 8 — Paupertas Societatis insignis 9 sq. — Societas pro suis muniis nihil recipit 11.

25. Exhortatio. De Paupertatis gradibus ac praerogativis, de occasionibus proprietatis earumque remediis, et de abusibus. p. 177

Articuli — In ordinanda Paupertatis regula B. P. N. Ignatii praeparatio 1 — Paupertas Societatis in quo ab aliorum ordinum discrepret 1 — R. P. Generalis bonorum Societatis administrator 1 — Beneficia ecclesiastica quomodo admittat Societas 2 — A Scholasticis retineri potest dominium bonorum; horum vero usus et distributio pendet a superiore: quod non adversatur Religiosae paupertati 3 — Paupertatis praerogativae 4 — Paupertatis gradus quattuor 5 — In Paupertatis voto nemo dispensari potest 6 — Paupertatis verae impedimenta quae 7 — Usus rerum continuus quantum religioso noceat 7 — Paupertas Societatis insignis 7 — Natura proprietatis amica 8 — Ambitio radix omnium malorum 9 — Proprietatis in religione fugiendae remedia 10 — Patientia verae Paupertatis comes 11 — Paupertatis abusus multi 12 — Humilitas socia individua Paupertatis 12.

26. Exhortatio. De Castitate, quid illa sit et quotuplex. p. 186

Articuli — Castitas quid et unde dicta 1 — Castitatis sedes anima 2 — Aureola quid et quibus concedatur. 3 — Castitas quotuplex 4 — Castitatis verae radix quae 5 — Castitatis exempla 6 — Castitas cui comparetur — Castitatis gradus qui 7 — Virginitas amissa quae recuperari possit. — Castitas cur tantopere commendetur 8 — Virginitas quid sit et unde dicta 9 — Ad virginitatem perfectam duo necessaria 10 — Ecclesiasticos cur castitas maxime deceat 11 — Castitatis signa 12 — Castitas quomodo conservanda 13.

27. Exhortatio. De Castitatis necessitate, et de eius gradibus et effectibus. p. 194

Articuli — Castitatis necessitas 1 — Castitatis gradus qui 2 — Castitatis sociae quae — Castorum heroica facta 3 — Tentationibus carnis initio occurrendum 5 — Caro hostis callidus 6 — Carnis cum spiritu luctam diuturnam cur Deus permittat 7 — Castitatis fructus qui 8 — Castitas cui comparetur 10 — Castitas quomodo conservanda [cfr. Exh. 26 extr.] 12 — Humilitas clavis castitatis 13.

28. Exhortatio. De castitatis virtute et odio sensualitatis, seu vitii oppositi, ac denique de utilitatibus castitatis. p. 203

Articuli — Homo in creatione triplici dono insignitus 1 — Concupiscentia carnis qua ratione frangenda 2-3 — Virginitatis praerogativae 5 — Casta anima lilio comparatur 6 — Castitatis sociae quae 7 — Pudicitia quid 7 — Verecundia quid et quotuplex. Eius encomium 8 — Luxuriae filiae quae 9 — Luxuriae damna quae 10 — Castitatis utilitates quae 11.

29. Exhortatio. De Castitatis necessitate et de sordidis cogitationibus eam impugnantibus, ac demum de earum remediis. p. 210

Articuli — Virgines angelis aequales, et quodammodo superiores — Casti angelis aequales 1.2 — Castitatis gradus qui 3.4 — Incontinentiae origo quotuplex 5 — Cogitationes turpes qua ratione repellendae 6.7 — Concupiscentia carnis qua ratione frangenda [cfr. Exh. 28] 8 — Sensualitas mortificanda. Sensuum diligens custodia 9 — Mulieris familiaritas vitanda — Oculi custodiendi 10-12.

30. Exhortatio. De carnis et spiritus pugna. De cogitationibus pravis depellendis. p 218

Articuli — Carnis et spiritus pugna 1.2 — Caro quot modis superanda. Virginitati cedit matrimonium 3 — Cogitationes malae mox repellendae 4.5 — Cordis diligens custodia 6 — Cogitationum varia genera 7 — Luxuriae poenae quae 8 — Contra cogitationes malas remedia 10.

31. Exhortatio. De virtute Oboedientiae. p. 226

Articuli — Oboedientia quid 1 — Oboedientia condiciones quae (1) 2 sqq — Oboedientia quanta virtus 2.3 — Oboedientiae religiosae necessitas 4 sqq — Oboedientiae gradus qui 5.6 — Oboedientiae perfectio 7 — Oboedientiae duplex genus 8.

32. Exhortatio. De necessitate Oboedientiae ac de condicionibus eiusdem. p. 233

Articuli — Oboedientia est columna et cardo Societatis 1 — Oboedientia in Societate quanta requiratur 4 — Oboedientis pura intentio 6 — Oboedientiae condiciones quae 8.

(1) De his condicionibus *explicite* in sequenti tantum Exhortatione agitur.

33. Exhortatio. De bonis ac commodis quibusdam quae nobis parat Oboedientia. De quibusdam condicionibus quae eius meritum minuunt. Denique de abusibus ac erroribus quibusdam quae circa Oboedientiam contingere possunt. p. 242

Articuli — Oboedientiae exempla 1.2 — Oboedientiae laus praeclara 3-5 — Oboedientiae utilitates quae 4 — Oboedientiae efficacia 5 — Oboedientiae meritum quomodo minuatur 6 — In Oboedientia abusus et fallaciae 7 sqq — Superbia Alexandri a Diogene repressa 7 — Oboedientiae opus quanti meriti 8 — Oboedientia cuiusmodi Superiori praestanda 10.11 — Mortificationes in Societate propriò iudicio non assumendae 12.

34. Exhortatio. De variis motivis quibus ad virtutem Oboedientiae amplectendam incitari possimus, ac de quibusdam eiusdem condicionibus. p. 250

Articuli — Oboedientiae necessitas et motiva 1 — Ad plene oboediendum quattuor principia 2 — Oboedientia Pauli et aliorum 5 — Ad oboediendum opportuna media 6 — Oboedientia in Societate quanta requiratur 7 — Oboedientia Societatis quando ad peccatum mortale obliget 7 — Oboedientiae condiciones quae 9 — Oboedientiae gradus qui 10 — Ad oboediendum recte motiva quae 11.

35. Exhortatio. De Votis Societatis simplicibus. An vere sint vota religionis. Primo quidem ponuntur obiectiones eorum qui ea non probant ; deinde solvuntur. p. 258

Articuli — Religiones quantopere impugnatae 1 — Vota Societatis simplicia quantum impugnentur 2 — Vota simplicia Societatis faciunt vere et perfecte religiosum 3 — Vota simplicia a Gregorio XIII approbantur 3 — Societatis religionem Concilium Tridentinum in quo ab aliis distinguat 6 — Vota sollemnia a simplicibus qui differant 7.

36. Exhortatio. De votorum Renovatione. Quid illa sit, quibus de causis fiat, et quomodo fieri debeat. p. 266

Articuli — Quid sit renovatio votorum 1 — Renovationis votorum causa et necessitas 3 — Votum auget meritum 6 — Voti violatio quantum peccatum 7 — Renovantium vota diversa dispositio 8.

37. Exhortatio. De votorum Renovatione, hoc est, de eius causa, et quomodo ad eam disponere nos debeamus. p. 272

Articuli — Renovationis finis quis 1 — Imperfectiones nostras cognoscendi ratio. Earum manifestatio quam utilis 4 — De passionum mortificatione notanda 7 — Sensus, animae portae 8.

38. Exhortatio. De votorum Renovatione et eius utilitate. p. 278

Articuli — Renovare vota Societati proprium. Huius renovationis causa et necessitas 1 — Festa praecipua Hebraeorum 2 — Beneficiorum memoriam

quanti faciat Deus 3 — Vocationis beneficium cotidie agnoscendum 4 — Vota cur quotannis renovet Societas bis 4 — Votorum renovatio cur publice fiat 5 — Zeli honoris Dei indicia quae 6 — Amor hominis in Deo solo quiescit 6 — Renovati animi indicia quae 7.

39. Exhortatio. De votorum Renovatione : quare illa fiat, et unde proveniat remissio spiritus. p. 284

Articuli — Renovationis finis quis 1 — Remissio spiritus quam perniciosa 5 — Divitiae religiosorum cuiusmodi esse debeant 4 — Vota publice renovare quorum sit 5 — Virtutis individuus comes labor 6 — Religiosus fervens etiam minuta magna facit 7.

40. Exhortatio. De votorum Renovatione. De eius causis, atque de profectus spiritus impedimentis. p. 290

Articuli — Religiosi imitari debent negotiatores 1 — Humilia officia cur libenter appetenda et obeunda 2 — Voluntati bene dirigendae quae necessaria 3 — Profectus nostri impedimenta quae 4 — Familiaritas malorum et consortium pravum quam nocivum 5 — Imperfectorum consortium quid mali afferat 6 — B. P. N. Ignatii progressus in virtute mirabilis 7 — Voluntas bona radix bonorum operum 8.

41. Exhortatio. De Votis et eorum Renovatione. p. 297

Articuli — Relgiosus status cur institutus. Beneficium vocationis quantum 1 — Vota in religione cur edantur 2 — Vota cur totiens in Societate renoventur 3 — Animarum lucrum quanti momenti 7 — Vota renovare publice quorum sit 8 — Ad renovationem votorum praevia praeparatio 9.

42. Exhortatio. De Salute et Perfectione spirituali quae in Societate quaeritur. p. 305

Articuli — Quid salus animae, et quot sanitatis gradus 1 — Perfectio in religioso requisita quae 2 — Societas ab omnibus quanti fiat 4 — Caritas ad quos sese extendat 5 — Vocationis amor quomodo in nobis excitandus 6 — Diaboli in oppugnandis religionibus sedulitas 8.

43. Exhortatio. De Perfectione : quid illa sit, in quo consistat, quae ad eam iuvent, et quae ab ea impediant. p. 312

Articuli — Ad perfectionem cur tam pauci perveniant 1 — Perfectio quid sit et in quo consistat 2 — Gratiae definitio 3 — Perfectio sita est in caritate 4 — Vota caritatis perfectae impedimenta tollunt 5.

44. Exhortatio. De Caritate : quid ipsa sit, qui actus eius, quo ordine et modo Deus et proximus sint diligendi. p. 318

Articuli — Caritas quid 1 — Caritatis actus in Deum sex 2 — Ad amorem Dei excitandum motiva septem 3 — Caritatis in Deum fructus qui 3 —

Amoris Dei et saeculi antithesis 3 — Diligenda sunt nobis quattuor 4 — Caritatis ordo 5 — Amoris inter nos causae quae 6 — Inimici quomodo diligendi 7.

45. Exhortatio. De Caritate : quotuplex illa sit, ac de gradibus caritatis in Deum. p. 326

Articuli — Caritatis effectus quis 1 — Caritatis actus duplices 2 — Amor duplex. Amor amicitiae in quo consistat 3 — Diligendi Deum modus quis 4 — Caritatis gradus tres 5 — Caritatis perfectae signa quae 7 — B. P. N. Ignatii caritas. Caritatis exemplа 8.

46. Exhortatio. De Caritate in Deum : quod sit eius obiectum, quae proprietates, et quae signa eius, quique eius effectus. p. 333

Articuli — Obiectum caritatis verum et apparens 1 — Caritatis proprietates 2 — Bonum triplex Deus homini communicavit 2 — Amoris signa multiplicia 3 — Amoris effectus quis — Caritatis exempla 4 — Caritati quae adversentur 5 — Caritatem quae promoveant 6.

47. Exhortatio. De amore proprio et de eius effectibus ac signis, ac de caritate erga proximos. p. 340

Articuli — Quid amor naturalis 1 — Amare se ipsum potest quis tripliciter. Amoris sui divisio 2 et 5 — Amor sui bonus quis 3 — Amor sui malus quis 4 — Diligere se vere, consistit in quinque 6 — Amoris proprii effectus et signa octo 7 — Contra amorem proprium remedia 8 — B. P. N. Ignatii caritas 9 — Caritas Societatis quanta 10.

48. Exhortatio. De causis mutuae Caritatis ; de modo eam promovendi ac mediis. p. 347

Articuli — Caritatis mutuae causae quae. [Dilectionis mutuae inter fratres causae quae] 1 — Dilectionis inter fratres conciliandae media quae — Virtus omnes in sui amorem rapit 4 — Amor amore fovetur 5 — B. P. N. Ignatii in fovenda Societatis caritate studium 6 — Ad Societatem quos non admiserit aut retinuerit B. P. N. Ignatius 6 — Instituti nostri amor cur tantus esse debeat 7 — Admonitio fraterna quomodo fieri debeat 8 — Familiaritas nimia fraternam caritatem laedit 9 — Singularitas in communitate fugienda 10 — Diligendi fratres ordinate modus quis 11 — Caritatis augendae media quae 12.

49. Exhortatio. De Natali Domini, et de exemplo quod nobis dedit Christus benedictus in nativitate. p. 358

Articuli — Christus natus quae nobis exempla virtutum dederit 1 — Humilitas Christi duplex 5 — Humilitas Christi bifariam imitanda 6.

50. Exhortatio. De tribus Magis, in qua notantur tria ad nostram aedificationem ex parte Dei, totidem ex parte ipsorum. p. 365

Articuli — Magorum vocatio mirabilis. Vocatio nostra ad Societatem quam admirabilis 1 — Nativitas Christi duplex 2 — Magorum exemplum ad Christum sequendum 3 — Vocationis in memoriam revocatae effectus 4 — Magorum humilitas 5 — Societatis munia secundum suum spiritum exercenda 7.

LIBRI SECUNDI ORDO

1 Exhortatio. De Regulis, in qua primo agitur de earum necessitate; deinde quomodo regulae a constitutionibus differant; denique de earum utilitate. p. 373

Articuli — Regularum necessitas 1.2 — Regularum et Constitutionum discrimen 3 — Regularum divisio 4 — Regula quid et cur sic dicta 5 — Regularum utilitates 5-8.

2. Exhortatio. De Regulis et Constitutionibus. Quanta cum reverentia a nobis tractandae sint et quam obligationem nobis imponant. p. 380

Articuli — Regulae et Constitutiones quanti fieri debeant 1 — Regulas et Constitutiones quibus mediis composuerit B. P. N. Ignatius 2 — Eius in condendis regulis sedulitas 3 — Constitutionibus componendis octo annos impendit 3 — Constitutiones Societatis a Paulo IV approbatae; a Gregorio XIII, XIV et aliis confirmatae 4 — Constitutiones quomodo obligent 5-7 — Regularum neglectus periculosus 8.9.

3. Exhortatio. De Regulis: primo, quo spiritu et modo servari debeant; secundo, quid commodi afferant; tertio, quibus se involvant incommodis, qui eas neglegunt. p. 387

Articuli — Regularum observatio Societatis conservandae medium 1 — Regularum divisio 2 — Regulae quomodo servandae 3 — Ambitio, religionum pestis 3 — Ad regularum observationem motivum 4.5 — Regularum utilitates 5 — Regula meritum boni operis quantum augeat 6 — Regulas sponte non servantium damna et incommoda. 7.

4. Exhortatio. In qua agitur de praecipuis prooemii partibus: Primo, quod divina sapientia et bonitas, ut Societatem dignata est inchoare, sic eandem sit conservatura. Secundo, quod ex parte nostra interior lex caritatis id ipsum sit effectura. Tertio, quod constitutiones et regulae ad id iuvent, et ad melius procedendum in via divini obsequii. p. 394

Articuli — Societatis ducem cur Deus voluerit esse militem 1.2 — Dei bonitas et sapientia Societatis auctrix et conservatrix 3 — Caritas mutua cuiusmodi esse debeat 4 — Superiorum Societatis in subditos quanta caritas esse debeat, et vice versa 5 — Caritas inter aequales cuiusmodi esse debeat 5

— Constitutionum et regularum causae quae 6 — Religionis spiritum quisque sequi debet 7 — Regula nulla, ne minima quidem, spernenda 8 — Utilitas regularum 9.

5. Exhortatio. Quibus de causis B. P. N. Societatem nostram minimam vocavit, et quomodo omnes ad finem Soc^tis contendere debeamus, qui est salus et perfectio cum propriarum animarum, tum proximorum nostrorum. p. 402

Articuli — Societas cur « minima » vocetur 1 — Iesu nomine cur Societas insigniatur 1.2 — Finis Societatis quis et quam nobilis 3 — Salus animae in quo sita 4 — Perfectio quid et in quo consistat 4 — Finis Societatis quos gradus habeat 5 — Caritatis opera ordinate facta non distrahunt 6-8 — Religionis praestantia unde aestimanda 9.

6. Exhortatio. Quibus de causis ratio vivendi Soc^is in exterioribus sit communis. Quod Superior iniungere debeat paenitentias ob defectus. De utilitatibus paenitentiae exterioris, et quod Soc^tas non omnino eam excludat, sed attendat potissimum paenitentiae interiori. p. 409

Articuli — Societatis vivendi ratio cur communis 1.2 — Victus et vestitus ratio cur Soc^ti communis 2 — Paenitentiae exteriores Soc^ti liberae 3.4 — Defectus subditorum a Superiore tolerari non debent 5 — Paenitentiae exterioris utilitates 6 — Paenitentia interior duplex 7 — Paenitentia exterior in Soc^te quomodo assumenda 8 — Discretio quid, et operariis Soc^tis quam necessaria 9.

7. Exhortatio. De Confessione. Cur in ingressu generaliter omnes confiteri debeant ; et quibus de causis bis in anno, sexto videlicet quoque mense, a non habentibus statum in Soc^te confessio generalis fiat ; et de tribus condicionibus ad bene confitendum requisitis. p. 417

Articuli — Confessio generalis cur initio Societatis fiat 1 — Confessio generalis in Soc. cur tam frequens 2 — In confessione vitanda quae 5 — Confessio quanti facienda 6 — Confessionis condiciones quae 7.8.

8. Exhortatio. Quid sit confessio, quae eius partes ; quae condiciones ad veram confessionem requirantur. Quare tam frequens esse in Soc^ate voluerit B. P. N. Quae confessionis utilitas. Denique unde ortum habeat quod non professi nec coadiutores formati bis in anno generaliter, professi autem et coadiutores formati saltem semel in anno generaliter confiteri debeant. p. 423

Articuli — Confessio quid 1 — Confessionis partes essentiales quae 2 — Contritio quid 2 — Confessionis perfectae condiciones quae 3 — Confessio

cur tam frequens 4-6 — Peccatum mortale et veniale non differunt intrinsece 5 — Confessionis utilitates quae 7 — Conscientiam Abbati aperire Monachis olim in usu 8.

9. Exhortatio. Quomodo confessio instituenda ; quid praemittendum, quid in ipsa agendum, et quid postea. Qui fructus ad nos ex frequenti confessione proveniant, et a quibus post eam cavere debeamus ; et pauca quaedam de casibus reservatis. p. 430

Articuli — Quid confessioni praemittendum 1 — Quid in ipsa confessione praestandum 2 — Unde scrupuli procedat 3 — Quae sint confessario aperienda 4 — Quid post confessionem agendum 5. 9 — Confessionis utilitates quae 6 — Confessio in Soc. cui facienda 7 — Casus reservatos cur et qua auctoritate Societas habeat. Post confessionem quid vitandum 9 — Consortii boni utilitas quanta 10.

10. Exhortatio. De Examine conscientiae cotidiano : quid sit, quotuplex sit, quomodo fieri debeat, et quae eius utilitas. p. 438

Articuli — Examinis finis quis 1 — Examinis cotidiani condiciones quae 2.3 — Peccati venialis malitia 2 — Dolorem de peccatis excitandi modus 3 — Defectus a confessione quomodo praecavendi 4 — Examinis cotidiani utilitates 5.6 — Peccata examine et confessione deleta cui comparentur 7 — Examen circa quae versari debeat 8 — Examen particulare bene practicandi ratio 9 — Examinis generalis et particularis distinctio quae 10.

11. Exhortatio. De sacra Communione : quam frequens in Soc^ate^ esse debeat, et quis eius fuerit usus in ecclesia primitiva et succedentibus temporibus. 2° Quae praeparatio ad eam sit necessaria. 3° Quo spiritu et modo communicare debeamus. 4° Quomodo post communionem habere nos debeamus. 5° Denique qui sint communionis fructus et utilitates. p. 445

Articuli — Eucharistiae sumptio cur dicta communio 1 — Sacrae communionis olim in Ecclesia usus quis 2 — S. Eucharistiam frequentantis amor timori abstinentis praeponitur 3 — Communicare saepius num expediat 4 — Ad bene communicandum requisita quae 5 — Post s. communionem quid agendum 6 — Eucharistiae fructus tredecim 7-10.

12. Exhortatio. Non esse cum parentibus et proprinquis conversandum, et quibus de causis. De temperando nostro erga eos affectu, et quibus mediis ad id praestandum incitari possimus. Denique quid cavendum in conversatione etiam cum fratribus nostris religiosis ac domesticis. p. 453

Articuli — Parentum amor triplex 1 — Communicatio cum parentibus quae et cur vitanda 2 — Colloquia cum parentibus nimia multis perniciosa 3 — Versanti cum parentibus cautiones 4 — Ad parentum amorem mortificandum media 5-9 — Parentum amori amor Dei praeferendus 8.9 — Familiaritas nimia noxia et Societati odiosa 10.

13. Exhortatio. De subditorum defectibus superiori manifestandis, sive per se sive per alios ; qua de re agitur regulis 9 et 10. De manifestationis huius utilitate et necessitate ; de iis denique quae ad hanc diligenter exercendam incitare ac movere possint. p. 461

Articuli — Correctionis fraternae fundamentum caritas 1 — Defectuum Superiori delatorum utilitas 2-7 — Defectus subditorum cur a superiore cognoscendi 3.4 — Tentatio triplex 5 — In defectuum manifestatione quae conditiones servandae 6 — Correctio superioris boni consulenda 8 — Contra defectus luctandum 9 — Ad defectus impugnandos quae invitent 10.

14. Exhortatio. De deferendis ad superiorem alienis defectibus, et ut contenti simus nostros deferri per quemvis. Deinde quomodo fieri debeat delatio, et quod etiam debeamus velle nos corrigere. Praeterea quod teneamur ex caritate ad aliorum correctionem iuvare. Denique unde hoc impedimentum nascatur, quod scilicet minus parati simus ad aliorum correctionem. p. 468

Articuli — Defectus subditorum cur a superiore cognoscendi 1.2 — Correctio fraterna in religione qui usurpanda 1 — B. P. N. defectus Societati noxios severe castigat 3 — Curiositas observandi fratrum defectus cavenda 4 — Quietis religiosae impedimenta quae 4 — Relatio fratrum quas condiciones requirat 5 — Defectus nostros corrigi optare debemus 6 — Proximum diligere ut se ipsum, quid sit 7.8 — Amor amicitiae in quo consistat 7 — Familiaritas nimia noxia et Societati odiosa 9 — Defectuum deferendorum impedimenta quae 10.

15. Exhortatio. Quod superiores teneantur corrigere delinquentes. Quomodo et quas ob causas impendenda sit correctio. Quo fine fiat correptio. Quae extrema fugienda ab iis qui ad fratrum correctionem iuvant. Quaenam correctionem fraternam impediant. Denique quid nos movere debeat ut correctionem libenter admittamus. p. 475

Articuli — Delinquentes superior corrigere debet 1 — Correctio cur in religione fieri debeat 2 — Ad correctionem utiliter recipiendam necessaria 3 — Ad correctionem aliorum iuvare debemus 4 — Defectuum deferendorum impedimenta quae 4 — Correctio superioris boni consulenda 5.

16. Exhortatio. De praestantia Societatis ; de correctione, sive de paenitentiis quae ob defectus interdum emergentes a superioribus iniungendae sunt. p. 481

Articuli — De Patre qui abiit ad Carthusianos 1 — Religionum unde tanta diversitas 2 — Vita mixta ceteris perfectior 3 — Societatis praestantia unde aestimanda 4 — Societas arcae foederis comparatur 5 sqq. — Societatis disciplina cur quibusdam aspera 6 — Curiositas observandi fratrum defectus cavenda 6 — De vocatione cum diabolo non est disputandum 6 — Virgam correctionis qualem habeat Societas 7 sqq. — Societatis disciplina suavis 7 — Correctionis virga ad quid prosit 8.9 — Correctionis utilitates quae 10.11 — Correptio superioris subdito salutaris 11 — Tentatorum cura superiori peculiaris esse debet 12.

17. Exhortatio. Super regula 11ª summarii. De mundi contemptu, et eorum quae mundus amat, et de amandis iis quae Christus Dominus amavit et amplexus est. p. 491

Articuli — Perfectio religiosa in mundi contemptu 1 — Mortificationis necessitas 2 — Mundi amor in quibus consistat 2 — Honor quid 2 — Fama quid 3 — Societatis bona fama utilis et necessaria 3 — Famae restitutio qui facienda 4 — Contemptus sui Societatis religioso necessaria 5 — Commoditates corporis a religioso Societatis contemnendae 6 — Vestes Christi nobis induendae 7.

18. Exhortatio. De abnegatione et mortificatione sui iuxta regulam 12m. 1° Ostenduntur causae crebrius de hac materia colloquendi et contiones habendi. 2° Quid sit abnegatio sui. 3° Quotuplex ea sit. 4° In quae extrema proruant vere non abnegati. 5° Quae sit necessitas mortificandi se. Denique qui errores circa mortificationem contingere possint. p. 498

Articuli — Mortificationis in colloquiis cur saepius facienda mentio 1 — Abnegatio sui cur tam saepe commendetur 1 — Abnegatio sui quid 2 — Abnegatio triplex 3 — In abnegatione errores qui reperiantur 4 — Scrupulosus ad quam sui abnegationem teneatur 4 — Societas unione animorum mire roboratur 5 — Sal olim amicitiae signum 6 — In mortificatione errores qui surrepant 7 — Mortificatio exterior ad interiorem necessaria 7.

19. Exhortatio. Super regula 13ª. Quibus considerationibus ac motivis humilia et abiecta amplecti debeamus, quibusque de causis humiliare merito nos possimus. p. 505

Articuli — Humilia officia cur libenter appetenda et obeunda 1-3 — Officia petere quae liceat et quae non 4 — Sensualitas mortificanda 4 — Caro mortificanda 5 — Ad humilitatem quae excitent 6 — Humilitatis exempla 6 — Ignavia religioso fugienda 7.

20. Exhortatio. Super regula 14ª, quae antevertendas esse docet tentationes, et remedia apposita adhibenda. p. 512

Articuli — Tentare quid 1 — Tentat diabolus variis modis 2 — Ad tentationes superandas remedia 3-6.

21. Exhortatio. Super regula 15ª. Quae causae ad absolutam regularum observationem nos permovere possint. Quo spiritu a nobis sint observandae. Quae mala incurrat qui volens et prudens eas transgreditur. Denique quis sit finis constitutionum et regularum, et quid sit gratia sive donum vocationis. p. 519

Articuli — Regularum observantia quanti momenti 1 — Regula quid et cur sic dicta 1 — Regulae quo spiritu servandae 2 — Regulas sponte non servantium damna 3 — Regularum et constitutionum finis quis 4 — Gratia vocationis quae dicenda 5 — Gratiae vocationis utilitates 5 — Ad gratiam vocationis servandam remedia 5.

22. Exhortatio. Super regula 17ª. Quid virtus ; quotuplex ea sit. Quid in nobis operetur. Quomodo differant solidae et verae ab apparentibus. Quid requiratur a nobis ut virtutes acquiramus. Unde fiat quominus in virtute progrediamur. Denique, quod studium virtutum maxime commendetur Societatis nostrae hominibus. p. 526

Articuli — Virtutis divisio 1 — Virtus quid 1 — Virtutum effectus qui 1 — Virtutes solidae acquirendae 2 — Virtutes cardinales cur sic dictae 3 — Voluntati bene dirigendae quae necessaria 3 — Virtutes Societati pernecessariae quae 4 — Virtuti acquirendae tria necessaria 5-7 — Profectus nostri impedimenta quae 8 — Societas cur tertium annum probationis habeat 9 — Acre virtutis studium Societatis proprium 10.

23. Exhortatio. Super regula 17ª. De recta intentione habenda non tantum circa vitae statum, sed etiam circa omnes res particulares. Quam grata Deo sit recta intentio, et quae ad rectam intentionem requirantur. p. 533

Articuli — Intentio quid sit 1 — Intentio bona in omni opere bono requiritur 2 — Intentiones varias idem opus habere potest 3 — Intentio bona quam Deo grata 3 — Intentio ut sit perfecta quas exigat condiciores 4 — Intentio simplex cur similis oculis columbae 5.6.

24. Exhortatio. Super regula 18ª. Quae sit necessitas tractandi de sui abnegatione, et quotuplex ea sit. Quid sit perfectio vitae spiritualis et in quo absolute consistat. Caritatem et mutuam unionem praecipue nobis commendari. Qua denique ratione ac dispositione eam nobis comparare possimus. p. 540

Articuli — Necessitas tractandi de abnegatione, et quotuplex ea sit 1 — Abnegatio sui cuiusmodi in religioso Societatis requiratur 2 — Perfectio quid et in quo consistat 3 — Perfectio Societatis in quo consistat 4 — Perfectio religiosa in quo consistat 5 — Caritatis fraternae utilitates 6 — Caritas quomodo comparanda 7 — Imperfectiones veteres prorsus exuendae 8.

25. Exhortatio. Super regula 19ª. De devote obeundis muneribus in quibus magis exercetur humilitas et caritas. Quotuplex sit humilitas. Duo in regula notari. Quibus signis cognoscere possimus an humilitatem habeamus. Coniungendam esse humilitati caritatem. Qui fructus percipi possint ex humilitatis et caritatis officiis. Quae denique condiciones in eorum exercitatione requirantur, et quae ad eadem amplectenda nos incitare possint. p. 547

Articuli — Humilitas quid 1 — Eius divisiones 2 — Humilitatis acquirendae media quae 3 — Humilitas caritatis socia 4 — Contra superbiam remedia 5 — Caritas in Deum quid 5 — Humilitatis signa quae 6. — Officiorum humilitatis fructus quis 7 — Humilitas monachorum antiquorum 8 — Ministrantibus communitati quae condiciones conveniant 8 — Humilitatis exempla 9.

26. Exhortatio. Super regula 20ª et 36ª. De resignatione et indifferentia. Quid illa sit, et quomodo conveniat Societati. Qui sint eius gradus. Cur Deo tam grata sit. Quae eius utilitas. Denique quae eius necessitas. p. 553

Articuli — Resignatio quid 1 — Resignatio perfecta quid requirat 2.3 — Resignatio Societati maxime propria 4.5 — Resignationis gradus quot et qui 6.7 — Resignationis utilitas quanta 8 — Resignationis cur maxima in Societate necessitas 9 — Ad resignationem conciliandam quid agendum 10.

27. Exhortatio. Super regula 21ª : Omnes suum tempus rebus spiritualibus impendant, et devotioni quaerendae pro mensura gratiae Dei ipsis communicatae insistant. p. 560

Articuli — Regulae 21ae obiectum 1 — Devotio quid et in quo consistat 2 — Tepiditas quid 3 — Devotionis causae quae 4 — Devotionis impedimenta 5 — Unio cum Deo 6-8.

28. Exhortatio. Super regula 22ª. De cavendis illusionibus et tentationibus in oratione et in exercitiis spiritualibus. p. 566

Articuli — Illusiones religiosorum variae 1-9. — Gula quomodo frenanda 3 — Vana gloria quomodo frenanda 3.

29. Exhortatio. De tentationibus. p. 572

Articuli. Tentatio quid 1 — Tentatores varii 1-7 — Ad tentationes superandas remedia 1-7 — Diabolum ad tentandum quid moveat 7 — Tentat diabolus variis modis 8 — Diabolus de quibus tentet 8 — Tentari utile 9 — Contra tentationes remedia 10 — Humilitatis efficacia 11.

30. Exhortatio. De gratia vocationis. Quid illa efficiat in nobis et quid a nobis Deus requirat. p. 582

Articuli — Gratia vocationis quanti facienda 1 — Conversio D. Pauli 2 sqq. — Ad gratiam vocationis servandam remedia 3.

31. Exhortatio. De recollectione et eius necessitate. p. 588

Articuli — R. P. Cl. Aquaviva quotannis exercitiis se recolligit 1 — Exercitiorum spiritualium effectus 2 sqq. — Exercitia spiritualia cur sic dicta 3 — In exercitiis spiritualibus quaerenda quae 4 — Recollectionis utilitas 5-8 — Similii Romanorum ducis dictum praeclarum 6.

32. Exhortatio. De examine. p. 594

Articuli — Cognitio sui 1 — Examinis finis quis 2 — Examinis cotidiani condiciones quae 2 — Morbi corporales spiritui perutiles 3 sqq.

33. Exhortatio. De usu et abusu quinque sensuum. p. 600

Articuli — Oculi custodiendi 1 — Castitas quomodo conservanda 2 — Auditus valde periculosus 3 — Lingua frenanda 4-6 — Detractio in Societate diligenter cavenda 5 — Detrahendi modi decem 6 — Murmurator perniciosus 7 — Colloquia cuiusmodi habenda 8 — Loquendi modus in quibus consistat 9 — Loquacitatis remedia 10 — Caro mortificanda 11 — Sobrietas necessaria 12 — Sobrietatis acquirendae media 13 — Sobrietatis utilitates 13.

34. Exhortatio. Super regulis modestiae. p. 610

Articuli — Modestia quid et in quo consistat 1 — Modestia triplex 2 — Modestia utilis et necessaria religiosis 3 — Modestia in refectione corporis 4 — Modestia in lusu et recreatione servanda 5 — Recreatio cur in Societate instituta 6.7 — Modestia in risu servanda 8 — Risus qui prohibeatur 9 — Modestia Societatis in vestitu 10.

35. Exhortatio. De Mortificatione : quid sit, quotuplex sit, et quae eius necessitas. p. 619

Articuli — Mortis genera quattuor 1 — Mortificatio quid 2 — Mortificatio duplex 3 — Mortificatio debet esse discreta 4 — Caro mortificanda 5 — In mortificatione errores qui surrepant 6 — Passio quid 7 — De mortificatione passionum notanda 8 — Mortui hominis proprietates religioso accommodantur 9 — Mortificanda in religioso quae 9 — Mortificatio et oratio coniungendae 10 — Ad mortificationem media quae 11.

36. Exhortatio. De Silentio : quotuplex sit, quae sit eius utilitas, et quomodo servandum. p. 628

Articuli — Silentium quid 1 — Silentium duplex 1 — Silentii utilitates quae 2 — Silentio tegenda quattuor 2 — Silentium Societatis cuiusmodi 3 — Silentii exempla 4 — Silentium cordis oris silentio praestantius 5 — Ad silentium internum acquirendum media 6 — Loqui discrete magnae est artis 7 — De quibus loquendum in Societate 8 — Quando, ubi, et quomodo, cui loquendum 9 — Quantum loquendum 10 — Silentii utilitates quae 11 — Silentium philosophorum 12.

37. Exhortatio. De Oratione ; quid illa sit ; quot sint eius species, quae partes, et quae eius necessitas. p. 638

Articuli — Oratio quid 1 — Orandi modus quis 2 — Orationis species tres 3 — Oratio mentalis quae 4 — Orationis mentalis excellentia qui cognoscatur 5 — Clamandi ad Deum occasionem dant tria 6 — Orationis partes 7-16 — Ad orationem bene faciendam requisita 8 — Ad orationem praeparatio duplex 8 — Lectionis spiritualis fructuosae condiciones quae 9 — Contemplatio quid 10 — Contemplationis, lectionis spiritualis, meditationis mutuum auxilium 11 — Meditatio cur sic dicta 12 — Meditatio duplex 12 — Compositio loci in meditatione 12 — Contemplationis et meditationis discrimen 13 — Beneficia Dei generalia 14 — Christus orationem nos suo exemplo docuit 17 — Oratio pro quibus fiat 17 — Orationis necessitas 18 — Orationis utilitates et effectus 19.

Nota. Ad numerum 8 : requisitum 1m, p. 643, n. 8 — 2m, p. 644, n. 9-11 — 3m, p. 646, n. 12.13 — 4m, p. 648, n. 14 — 5m, p. 648, n. 15 — 6m, p. 649, n. 16.

38. Exhortatio. De Orationis effectibus, et de modo eam bene instituendi. p. 652

Articuli — Orationis vis et efficacia 1 — Orare cur multis grave 2 — In oratione cur multi, religiosi facti, languidiores sint quam ante 3 — In oratione affectus excitandi qui 4 — Orationis finis quis 5 — Orandi modus quis 5 — In oratione curiositas vitanda 5 — Praesentiae Dei effectus 6 — In oratione ariditas qui fuganda 6 — Post orationem quid agendum 7 — Ad orationem bene faciendam requisita 8.

39. Exhortatio. De Oratione, quoad tempus, locum, situm et habitudinem corporis. p. 660

Articuli — Orationis tempus quod 1 — Orationis locus 2 — In oratione quae decens corporis compositio 3 — In oratione mentali abusus 4 — Hos abusus evitandi modus 5 — Imaginationis in meditatione nimia incommoda 5 — Meditatio duplex 6 — Devotio duplex 7 — Devotio quid et in quo consistat 7 — Ad devotionem spiritualem conciliandam media 7.

40. Exhortatio. De Oratione : de attentione in oratione habenda. p. 669

Articuli — Attentio in oratione in quo consistat 1 — In oratione vocali attentio triplex esse potest 2 — In oratione divagatio quando peccatum 3 — Ad attentionem in orando conciliandam quid iuvet 4 — Orationis efficacia et meritum 5 — Orationem indignam quae faciant 6 — Orationis affectivae et intellectivae gradus quot 7 — Ad orationis finem obtinendum quid iuvet 8 — Orationis impedimenta quae 9 — Virtus lacrimarum 10 — Orationis fructus 11 — In oratione quis ordo petitionum servandus 11.

ORDO APPENDICIS

LIBRI SECUNDI EXHORTATIONUM

41. Exhortatio. De Sanctitatis bono et eius acquirendae studio. p. 679

Articuli — Sanctum quid 1 — Quid sit sanctitas dici nequit 1 — Philosophorum veterum de beatitudine opiniones erroneae 2 — Animarum varia genera 3 — Deus solus animae vita 4 — Sancti huius vitae cur ita vocentur 5 — Sanctitas huius et futurae vitae quomodo acquiratur 6-14 — Gratia Dei peccatum expellit 7 — Intellectus quibus potissimum inquinetur 8 — Ignorantia intellectus duplex 8 — Amoris proprii effectus noxii 9 — Homo visionis beatificae quomodo capax et incapax 10 — Beati num perfecte Deum comprehendant 11 — Beatus in Deo quid et ad quem terminum videat 12.13 — Visionis beatificae delectatio quanta 13-15 — Sanctitas huius et futurae vitae quomodo acquiratur 14-16 — Beati sua beatitudine privari non possunt 15 — In sanctorum festis consideranda et facienda 16 — Sanctorum diversitas triplex 17.

42. Exhortatio. Habita Moguntiae ad Patres et Fratres nostros sub abitum visitatione peracta, complectens aliqua documenta quae ad retinendam bonam disciplinam essent profutura. p. 688

Articuli — Ad retinendam bonam Societatis disciplinam documenta 1-11 — Spiritu Societatis omnes actiones regulari debent 2 — Iudicium oboedientiae subigendum 3-6 — Humilitatis exempla 6 — Tribulatio utilis et necessaria 7 — Tranquillitas animi sedulo conservanda 8 — Temporis stricta ratio habenda 9 — Pax cum omnibus habenda 10 — Pax quomodo promoveri possit 10 — Gratia vocationis diligenter recogitanda 11 — Societatis cum gloria caelesti comparatio 11.

43. Exhortatio. De studio profectus spiritualis. p. 695

Articuli — Perfectionem desideranti necessaria 1 — Sensus externi, per quos et interni mortificandi 1 — Sanctitas huius et futurae vitae quomodo acquiratur 2-4 — Animae potentiae quomodo perficiendae 5 sqq — Intellectus obiectum verum 5 — Voluntatis obiectum bonum 6 — Deus solus animae vita 6 — Bonum apparens voluntatem non satiat 6 — Bonorum aliud verum, aliud apparens 6 — Voluntas solo Deo perfecte saturatur 6 — Animae spirituali sordet mundus 7.

44. Exhortatio. De intellectus corruptela et reparatione. p. 702

Articuli — Status primi hominis cuiusmodi 1 — Status primi hominis post lapsum cuiusmodi 1 — Ratio in homine quid 2 — Rationis divisio 2 — Rationis et intellectus distinctio 2 — Intellectus lumen quadruplex 3 — Lumen naturale quid 3 — Luminis gratiae privatio quando fiat 3 — Lumen gloriae quid sit vix dici potest 3 — Lumen gloriae beatos numquam deficit 3 —

Lumen legum quid 3 — Hoc lumine quando intellectus privetur 3 — Ratio illuminata quae dicatur 3 — Rationis caecitatem impediendi modus quis 3 — Ad luminis naturalis et gratiae conservationem mortificatio necessaria 3 — Rationis caecitas quam perniciosa 4 — Ad passiones animi malas reprimendum media 4-6 — Perseverantia quanti momenti 4 — Perseverantia in religioso cur exigatur 6.

45. Exhortatio. De Voluntatis debilitatione et reparatione, et memoriae restauratione. p. 709

Articuli — Voluntatis triplex effectus et nomen 1 — Voluntas naturalis quae 1 — Motus primi non sunt peccata 1 — Voluntas animalis quae 1 — Voluntas rationalis quae 1 — In sola voluntate rationali meritum est vel demeritum 1 — Ut mereatur voluntas rationalis quas requirat condiciones 2 — Dei voluntas semper bona 2 — Velle bonum propter bonum finem quot modis fiat 3 — Status primi hominis ante lapsum cuiusmodi 4 — Voluntas recta omni malo resistit 5 — Labor gloriam parit 5 — Ad rectum voluntatis usum iuvat Christi exemplum 6 — Voluntatis bonae seu rectae utilitates 7 — Voluntas et actus quod ad meritum vel demeritum in quo conveniant et differant 7 — Memoriae natura cuiusmodi 8 — Deus solus animae vita 8 — De Deo qui vult recogitare, terrena exuat.

46. Exhortatio. De non temere iudicando. p. 716

Articuli — Iudicium quid sit et quotuplex 1 — Iudicium ut sit iustum, quas requirat condiciones 1 — Iudicium de aliquo multis modis fieri potest 1 — Iudicium temerarium quid, seu quando fiat 2 — Suspicio quid 2 — Suspicio et iudicium in quo differant 2 — Iudicium temerarium cur ita vocetur 2 — Iudicium temerarium omnino illicitum 2 — Iudicium temerarium ut sit peccatum mortale, quas requirat condiciones 3 — Item ut tantum sit veniale, quas requirat 3 — Iudicium adaequans indicium non est peccatum 3 — Iudicium de intentione proximi quando peccatum mortale et veniale 3 — Iudicii temerarii radix 4 — Suspicionis radix quae 4 — Suspicionis gradus triplex 5 — Iudicii temerarii gradus multiplices 5 — Iudicium temerarium cur tantopere fugiendum 6 — Contra iudicium temerarium remedia 7 — Contra malam suspicionem remedia 7 — Iudicium temerarium quorundam severe a Deo castigatur 8.

47. Exhortatio. De quaerenda salute proximorum. p. 723

Articuli — Christum in quaerenda salute proximorum imitari cum discretione oportet 1.2 — Proximos iuvandi modus Societatis quis 3.4 — Societatis operarius in iuvandis proximis cuiusmodi esse debeat 4-7 — Diaboli nos impugnantis modus multiplex 8-10.

48. Exhortatio. Ad Sacerdotes collegii Moguntini simul collectos. p. 729

Articuli — Societatis operario quae necessariae virtutes 1-3 — Christi zelus et amor erga homines 4-5.

49. Exhortatio. In qua redditur ratio Congregationis generalis factae anno 1593-94. p. 733

Articuli — Congregationis generalis factae a° 1593-94 ratio 1 — Societas quibus aliquando persecutionibus a Deo probetur 2 — Diaboli conatus in perturbanda Societatis unione irritus 3 — De R. P. G. Claudio Aquaviva luculentum testimonium 4 — Quae in eadem tractata negotia 5 — Eiusdem congregationis fructus 6.

50. Epistola exhortatoria R. P. Oliverii Manaraei ad Patres provinciae Belgicae visitatione peracta. p. 737

Articuli — Societatis hac misera tempestate vigor 1 — Ad retinendam bonam Societatis disciplinam documenta 1 sqq — Vitae communis in Societate ratio 3 — Recreatio cur in Societate instituta 4 — Risus, praesertim religiosi Societatis, moderatus esse debet 5 — Abnegatio sui cuiusmodi in religioso Societatis requiratur 6.

INDEX ALPHABETICUS

RERUM QUAE BINIS R. P. OLIVERII MANARAEI EXHORTATIONUM LIBRIS CONTINENTUR (1)

A

Abdicatio in quo consistat 140
Abnegatio sui quid 499
— sui cur tam saepe commendetur 498
— sui cuiusmodi in religioso Societatis requiratur 541
— triplex 499. 540
De — **one** tractandi necessitas 540
In — errores qui reperiantur 500. 541
Acedia quam perniciosa 74
Admonitio fraterna quomodo fieri debeat 352
Adulescentes qua aetate Societas admittat 37
Affectus in creaturas cuiusmodi esse debeat 152
Alacritatem animi quid causet 130
Amare se ipsum aliquis potest tripliciter 340
Ambitio radix omnium malorum 182
— Religionum pestis 388
Amor Dei non compatitur amorem proprium 163
— duplex 327
— naturalis quid 340
— amicitiae in quo consistat 327. 473
— amore fovetur 350
— in parentes triplex esse potest 453
— sui bonus quis 130. 341
— sui malus quis 341
— hominis in Deo solo quiescit 282
— **oris** proprii effectus noxii 129. 683
— proprii effectus et signa octo 343

(1) Pagina initium articuli indicat. In Codice legitur « rerum *praecipuarum* ». Abstulimus hanc vocem : multi enim articuli additi sunt.

amoris Dei et saeculi antithesis 322
— effectus quis 326. 338
— inter nos causae quae 324
— sui divisio 340
— signa multiplicia 335
Ad — **orem** Dei excitandum motiva septem 320
Contra — proprium remedia 343
Animae vita Deus 83
— potentiae quomodo perficiendae 699
— spirituali sordet mundus. 701
— **arum** lucrum quanti momenti 301
— varia genera 680
Apostoli quando voverint 63
Auditus valde periculosus 602
Aulicorum industria incitamentum religiosi 70
Aureola quid et quibus concedatur 187

B

Beatus in Deo quid, ad quem terminum videat 685
— **ti** num perfecte Deum comprehendant 685
— sua beatitudine privari non possunt 687
Beneficium vocationis quantum 297
— **cia** Dei in nos praecipua et quando recolenda 99
— Dei generalia 648
— Ecclesiastica quomodo admittat Societas 178
— **ciorum** memoriam quanti faciat Deus 280
— suorum memoriam quantam a nobis exigat Deus 102
— **ciis** Dei, praesertim vocationis, respondendi modus quis 100
Benignitas Christi in hominem 67
D. **Bernardus** quo dicto vanae gloriae restiterit 88
Bonum apparens voluntatem non satiat 700
— triplex Deus homini communicavit 334
— **orum** aliud verum, aliud apparens 701

C

Caritas quid 318
— virtutum mater et regina (1) 46

(1) Codex remittit ad Lib. 2, pag. 28 ; qui locus comprehendit editionis paginam 45 (Verum quia | sunt hic...) ad lin. 9 pag. 47 (Videt probos quoque | eius...). Unde assignanda videtur ed. pag. 46, scil. paragr. 4.

caritas B. P. N. Ignatii 332. 344
— ad quos sese extendat 309
— in Deum quid 550
— quomodo comparanda 545
— Societatis quanta 346
— cur vita spiritualis dicta 96
— mutua cuiusmodi esse debeat 397
— inter aequales cuiusmodi esse debeat 398
— quibus actibus intendatur 131
— **atis** actus in Deum sex 318
— obiectum verum et apparens 333
— proprietates 334
— effectus quis 326 338
— exempla 332. 338
— opera ordinate facta non distrahunt 406
— mutuae causae quae 347
— fraternae utilitates 543
— augendae media quae 356
— acquirendae impedimenta 546
— in Deum fructus qui 320
— actus duplices 327
— ordo 323
— perfectae signa quae 331
— gradus tres 328
— **ati** quae adversentur 338
— **atem** quae promoveant 339
— Christus suo exemplo commendat 88
Caro hostis callidus 197
— mortificanda 149. 508. 607. 623
— quot modis superanda 219
— **nis** et spiritus pugna 218
— cum spiritu luctam diuturnam cur Deus permittat 197
Castitas quid et unde dicta 186
— quotuplex 188
— cui comparetur 190. 199
— cur tantopere commendetur 190
— quomodo conservanda 193. 200. 601
— **tatis** sedes anima 187
— vera radix quae 189
— signa 192
— necessitas 194

castitatis exempla 189
— fructus qui 198
— gradus qui 190. 195. 211
— utilitates quae 208
— sociae quae 195. 206
— **tatem** Christus suo exemplo commendat 90
Casta anima lilio comparatur 205
— **ti** Angelis aequales 211
— **torum** heroïca facta 195
Casus reservatos cur, et qua auctoritate Societas habeat 435
Christiano necessariae res duae 86
Christus natus quae nobis exempla virtutum dederit 358
— quantam nostri curam gerat 85
— orationem nos suo exemplo docuit 649
— **sti** diversae actiones diversarum occasio Religionum 10
— zelus et amor erga homines 732
— nativitas duplex 366
— **stum** in quaerenda salute proximi imitari cum discretione oportet 724
— imitari et induere debemus 90
Clamandi ad Deum occasionem dant tria 642
R. P. **Claudius** Aquaviva quotannis exercitiis se recolligit 126. 588
R. P. Gen. **Claudii** Aquavivae virtutes solidae 2. 62
De R. P. Gen. **Claudio** Aquaviva S. Pontificis luculentum testimonium 736
Clementia Christi in homines 76
Cogitationes malae statim repellendae 220
— turpes qua ratione repellendae 212
— **onum** varia genera 222
Contra — **ones** malas remedia 224
Cognitio sui 594
Collegia Societatis cur reditus habeant 166
Colloquia cuiusmodi habenda 605
— cum parentibus nimia multis perniciosa 455
Commoditates corporis a religioso Societatis contemnendae 495
Communicare saepius num expediat 466
Ad bene — **candum** requisita quae 447
Sacrae **Communionis** olim in Ecclesia usus quis 445
Post sacram — **onem** quid agendum 450
Complacentia vana in fine bonae actionis non est curanda 88
Compositio loci in meditatione 647

compositio exterior ab interiore manat 69
Concilium Tridentinum de Societate quam praeclare senserit 17
Concupiscentia, summi boni assecutionem impedit 93
— carnis qua ratione frangenda 203. 214
Confessio quid 423
— cur tam frequens 425
— generalis in Societate cur tam frequens 417
— generalis cur initio Societatis fiat 417
— quanti facienda 421
— in Societate cui facienda 435
— **onis** partes essentiales quae 424
— condiciones quae 422
— perfectae condiciones quae 424
— utilitates quae 428. 434
— **oni** quid praemittendum 430
Post — **onem** quid agendum 433
Post — **onem** quid vitandum 436
In — **one** vitanda quae 420
In ipsa — **one** quid praestandum 431
In — **one** quae sint aperienda 432
Congregationis generalis factae anno 1593 ratio 733
Eiusdem — fructus 737
Quae in hac — **one** tractata negotia 736
Conscientiam Abbati aperire Monachis olim in usu 429
Consilia a votis qui differant 154
Consolatio externa internam impedit 145
Consortium pravorum quam nocivum 293
— **tii** boni utilitas quanta 436
Constitutiones Societatis quanti fieri debeant 380
— quomodo obligent 383
— Societatis a Paulo IV approbatae 381
— **onum** et Regularum causae quae 399
— **onibus** componendis octo annos impendit B. P. N. Ignatius 381
Contemplatio quid 645
— **onis** et meditationis discrimen 647
—, lectionis spiritualis et meditationis mutuum auxilium 645
Contemptus sui Societatis religioso necessarius 494
Contritio quid 424
Conversatio cum proximis cuiusmodi in Societate esse debeat 132
Conversio S. Pauli 582
Cordis diligens custodia 221

Correctio cur in Religione fieri debeat 477
— fraterna in Religione qui usurpanda 468
— Superioris boni consulenda 465. 480
— **onis** utilitates quae 489
— fraternae fundamentum caritas 461
— virga ad quid prosit 487
Ad — **onem** utiliter recipiendam necessaria 478
Ad — aliorum iuvare debemus 479
Correptio Superioris subdito salutaris 489
Corripientem quomodo admittere deceat 111
Curiositas observandi fratrum defectus cavenda 471. 485

D

Defectus subditorum a superiore tolerari non debent 412
— subditorum cur a Superiore cognoscendi 463. 468
— a confessione quomodo praecavendi 440
— parvi multum nocent 130
— **tuum** Superiori delatorum utilitas 462
— deferendorum impedimenta quae 474. 479
In — manifestatione quae conditiones servandae 464
— **tus** nostros corrigi optare debemus 472
Ad — impugnandos quae invitent 466
Contra — luctandum 466
Delatio fraterna quas condiciones requirat 471
Delinquentes superior corrigere debet f. 474
Desiderium bonum virtutum fomes 120
Detractio in Societate diligenter cavenda 603
Detrahendi modi decem 603
Deus cur suos interdum humiliet 77
— solus animae vita 680. 701. 714
— solus sanctus 680
— **i** bonitas et sapientia Societatis auctrix et conservatrix 396
— summa liberalitas 124
— voluntas semper bona 710
De — o qui vult recogitare, terrena exuat 715
Devotio quid et in quo consistat 4. 561. 666
— quid sit et unde procedat 5
— duplex 666
— **onis** causae quae 562
— impedimenta 562

devotionis carentia quid et unde proveniat 116
Ad — **onem** spiritualem conciliandam media 666
Diabolus de quibus tentet 576
— **li** in oppugnandis Religionibus sedulitas 311
— nos impugnantis modus multiplex 727
— conatus in perturbanda Societatis unione in quadam Congr. generali irritus. 735
— **lum** ad tentandum quid moveat 576
Dilectionis mutuae inter fratres causae quae 347
— inter fratres conciliandae media quae 350
Diligere se vere, consistit in quinque 342
— **gendi** Deum modus quis 328
— fratres ordinate modus quis 353
— **genda** sunt nobis quattuor 322
Discedere a Societate num quis possit 51
Discretio quid, et operariis Societatis quam necessaria 415
Divitiae religiosorum cuiusmodi esse debeant 286
Doctrinae pietas a Scholaribus Societatis qui iungi debeat 73
Dolorem de peccatis excitandi modus 439

E

Ecclesiasticos cur castitas maxime deceat 191
Electio bonae intentionis quotuplex 152
— one bonae intentionis B. P. N. Ignatius qui profecerit 153
Sacrae **Eucharistiae** sumptio cur dicta communio 445
Sacrae — fructus tredecim 450
Sacram — **tiam** frequentantis amor timori abstinentis praeponitur 446
Examen circa quae versari debeat 422
— **minis** finis quis 438. 595
— cotidiani condiciones quae 438. 596
— cotidiani utilitates 440
— generalis et particularis distinctio quae 444
— **men** particulare bene practicandi ratio 443
Excusatio defectuum quam perniciosa 110
Exemplum bonum summum pietatis incitamentum 94
Exercitia spiritualia cur sic dicta 589
— **orum** spiritualium effectus 588
In — **iis** spiritualibus quaerenda quae 590

F

Fama quid 493
— **mae** restitutio qui facienda 493
Familiaritas nimia fraternam caritatem laedit 352
— nimia noxia et Societati odiosa 459. 474
— malorum quam nociva 293
Favor Dei peculiaris in religiosos 138
Fervor spiritus perfectionem mire promovet 138
— spiritus non nocet, sed indiscretio 118
Festa praecipua Hebraeorum 279
Finis Societatis quis 42. 403
— Societatis quam nobilis 403
— Societatis quos gradus habeat 406
Fundamentum Societatis duplex quod 77

G

R. P. **Generalis** bonorum Societatis administrator 177
Maior Dei **Gloria** symbolum Societatis 98
— sui ipsius quando et quomodo licita 57.86
Vana — quando peccatum veniale 86
Vana — cur difficile vincatur 88
Vana — quomodo frenanda 568
Vanae — **iae** remedium quod 88
Maiorem Dei — **iam** quomodo quaerat Societas 78
De vana — **ia** Divi Chrysostomi iudicium 87
Gratia vocationis quae dicenda 525
— vocationis quibus constet 145
— vocationis quanti facienda 582
— vocationis diligenter recogitanda 694
— vocationis quid conferat 22
— quanta Societati data 14
— Dei peccatum expellit 682
— Dei ut in nobis crescat, quinque praestanda 109
— **iae** definitio 313
— vocationis utilitates 525
— vocationis effectus quis 144
Ad — am vocationis servandam remedia 144. 525. 587
Ad — **iarum** actionem pro vocatione motiva 26
Gratitudo animi erga Deum in quo consistat 103

gratitudinis erga Deum causae 105
— exempla veteris et novi Testamenti 102
Ad — **dinem** erga Deum retinendam quattuor cavenda 103
Gubernatio Societatis cur monarchica 36
Gula quomodo frenanda 568

H

Habitus corporis et mentis in Societate 40
— boni qua ratione perdantur vacat
— bonos comparandi ratio it.
Holocaustum a sacrificio quomodo distinguatur 64
Homo in creatione triplici dono insignitus 203
— visionis beatificae quomodo capax et incapax 684
Status primi — **minis** cuiusmodi 702. 711
Status primi — post lapsum cuiusmodi 703
Honor quid 493
Humile sentire de se ipso 110
Humilia officia cur libenter appetenda et obeunda 67. 291. 505
Humilitas quid 547
— caritatis socia 549
— Christi duplex 363
— Christi bifariam imitanda in. 364
— Monachorum antiquorum 551
— interior cum signis externis qui consistat 31
— socia individua paupertatis 185
— clavis castitatis 200
— **atis** divisiones 547
— exempla 510. 552. 691
Officiorum — fructus quis 551
— efficacia 581
— acquirendae media quae 548
— signa quae 550
— **atem**, verbo et exemplo Christus docet 89
Ad — quae excitent 509

I

Iephte votum cur non validum 155
— filia an vere immolata fuerit 155. 621
Iesu nomine cur Societas insignita 403

B. P. N. **Ignatius** defectus Societati noxios severe castigat 470
— **tii** progressus in virtute mirabilis 295
— elogium 77
— caritas 122. 332. 344
— in fovenda Societatis caritate studium 351
— in condendis reguiis sedulitas 381
Ignavia religioso fugienda 510
Ignorantia intellectus duplex 682
Illusiones religiosorum variae 566
Imaginationis in meditatione nimia incommoda 665
Imitatio Christi qualis a nobis exigatur 68
Imperfectiones veteres prorsus exuendae 546
— **onum** manifestatio quam utilis 275
— **ones** nostras cognoscendi ratio 274
Imperfectorum consortium quid mali afferat 294
Incommoda sustinenda 111
Incontinentiae origo quotuplex 212
Indevotio quid et unde proveniat 116
Indifferentia religiosorum Societatis 81
Infirmitates mutuae sufferendae 112
Ingratitudinis conglobata definitio 99
— castigatio 104
Inimici quomodo diligendi 325
Instituti Societatis descriptio 10
— vocabulum quid signet 10
— cognitio cuique utilis et necessaria 7
— ignoratio cur noxia 9
— causa efficiens 13
— causa instrumentalis 18
— causa exemplaris 15
— causa formalis 18
— causa materialis 18
— causa finalis 20
— nostri amor cur tantus esse debeat 12. 351
De — **tuto** Societatis nihil sinistre iudicandum 8
Intellectus quibus potissimum inquinetur 682
— **tus** obiectum verum 700
— lumen quadruplex 704
Intentio quid sit 146. 533
— multiplex 149
— pura quibus mediis haberi possit 146

intentio bona quam Deo grata 535
— bona, sola non sufficit 105
— bona in omni opere bono requiritur 533
— ut sit perfecta, quas exigat condiciones 536
— simplex cur similis oculis columbae 538
— Societatis 79
— **onis** perfectae condiciones quae 146
— puritati quid obstet 146
— **onem** puram conservandi ratio 150
— **ones** varias idem opus habere potest 149. 535
Iudicium quid et quotuplex 716
— ut sit iustum, quas requirat condiciones 716
— oboedientiae subigendum 694
— temerarium cur ita vocetur 717
— temerarium omnino illicitum 717
— temerarium quid, seu quando fiat 716
— de aliquo multis modis fieri potest 716
— temerarium ut sit peccatum mortale, quas requirat condiciones 717
— temerarium ut tantum sit veniale, quas requirat condiciones 718
— temerarium cur tantopere fugiendum 719
— adaequans indicium non est peccatum 718
— temerarium quorundam severe a Deo castigatur 721
— de intentione proximi quando peccatum mortale vel veniale 718
— **cii** temerarii radix multiplex 718
— temerarii gradus multiplices 719
Contra — **ium** temerarium remedia 720-722
Iustorum oratio quam efficax 96

L

Labor gloriam parit 108.712
Lacrimarum virtus 676
Laus sui ipsius quando et quomodo licita 57.86
— sui ipsius quando illicita 86
Lectionis spiritualis fructuosae condiciones quae 644
— spiritualis, contemplationis et meditationis mutuum auxilium 645
Lex vetus quae animalia offerre vetaret 80
Lingua frenanda 603
Loquacitatis remedia 607
Loqui discrete magnae est artis 632
De quibus — **endum** in Societate 633

Cui **loquendum**, quando, ubi, et quomodo 633
Quantum — 633
— **endi** modus in quibus consistat 606
Lumen naturale quid 704
— gratiae quid 704
— gloriae quid sit vix dici potest 704
— gloriae Beatos numquam deficit 704
— legum quid 704
— **inis** gratiae privatio quando fiat 704
Ad — naturalis, item et gratiae conservationem mortificatio necessaria 705
— **ine** naturali num interdum intellectus privetur 704
— legum quando intellectus privetur 704
Luxuriae filiae quae 207
— damna quae 207
— poenae quae 223

M

Magorum vocatio mirabilis 365
— humilitas 368
— exemplum ad Christum sequendum 367
Meditatio cur sic dicta 646
— duplex 646. 665
— **onis**, lectionis spiritualis et contemplationis mutuum auxilium 645
— et contemplationis discrimen 647
Memoriae natura cuiusmodi 714
Merendi pro alio modi varii 96
Ministrantibus communitati quae condiciones conveniant 552
Miseria hominis ante vocationem quanta 22
Modestia quid et in quo consistat 610
— triplex 610
— utilis et necessaria religiosis 611
— Societatis qualis 32
— in lusu et recreatione servanda 613
— in refectione corporis 612
— in risu servanda 615
— Societatis in vestitu 617
Monachorum institutum quam antiquum 34
— antiquorum solitudo 39

Morbi corporales spiritui perutiles 597
An ratione — **bi** petita dimissio ex Societate expediat 51
Mortificatio quid 620
— duplex 621
— et oratio coniungendae 627
— debet esse discreta 623
— exterior ad interiorem necessaria 503
— **onis** necessitas 492
— in colloquiis cur saepius facienda mentio 498
Ad — **onem** media quae 627
De — **one** passionum notanda 276. 625
In — errores qui surrepant 502. 624
— **ones** in Societate proprio iudicio non assumendae 249
Mortificari cur debeat caro 149. 508. 623
— **canda** in religioso quae 626
Mortis genera quattuor 619
Mortui hominis proprietates religioso accommodantur 625
Motus primi non sunt peccata 709
Mulieris familiaritas vitanda 216
Mundi amor in quibus consistat 493
Murmurator perniciosus 604

N

Nativitas Christi duplex 366
Natura proprietatis amica 182
Neglegentibus regulas incommoda multa 396
Noviciatus cur reditus habeat 166

O

Oblatio religiosi Deo facta cuiusmodi esse debeat 135
— **onis** religiosi utilitates 135
Oboedientia quid 226
— quanta virtus 226
— cuiusmodi Superiori praestanda 248
— Divi Pauli et aliorum 254
— Societatis quando ad peccatum mortale obliget 255
— est columna et cardo Societatis 233
— in Societate quanta requiratur 234. 255
— **ientiae** condiciones quae (226). 238. 256.
— efficacia 137. 243

oboedientiae exempla 242
— duplex genus 230
— gradus qui 228. 256
— laus praeclara 243
— meritum quomodo minuatur 245
— opus quanti meriti 247
— perfectio 229
— religiosae necessitas et motiva 228. 233. 250
— utilitates quae 138. 244
— **entiam** verbo et exemplo Christus docet 89
In — **entia** abusus et fallaciae 246
Oboedientis pura intentio 236
Ad plene — **endum** quattuor principia 252
Ad — opportuna media 254
Ad — recte motiva 257
Occasio multos perdit 95
— **onem** peccandi effugisse dimidia est victoria 95
Oculi custodiendi 216. 600
Officia petere quae liceat et quae non 507
Operarius in iuvandis proximis cuiusmodi esse debeat 731
Operis meritorii condiciones quae 28
— **era** nostra ex caritate, non ex consuetudine fieri debent 160
— **erum** bonorum inter iustos quae communio 96
Orare cur multis grave 653
— **andi** modus quis 638. 656
Oratio quid 638
— mentalis quae 640
— et mortificatio coniungendae 627
— multorum efficax 95
— pro quibus fiat 649
— **onis** species tres 640
— mentalis excellentia qui cognoscatur 641
— finis quis 656
Ad — finem obtinendum quid iuvet 674
— fructus 677
— affectivae et intellectivae gradus quot 673
— impedimenta quae 675
— locus 661
— necessitas 650
— partes 642
— tempus quod 660

orationis utilitates et effectus 651
— vis et efficacia 652
— efficacia et meritum 671
— **onem** Christus suo docet exemplo 649
— indignam quae faciant 672
Ad — praeparatio duplex 643
Ad — bene faciendam requisita 643. 658
Post — quid agendum 657
In — **one** quae decens corporis compositio 662
— mentali abusus 663
— mentali abusus evitandi modus 664
— quis ordo petitionum servandus 677
— attentio in quo consistat 669
— ad attentionem conciliandam quid iuvet 671
— ariditas qui fuganda 656
— vocali attentio triplex esse potest 669
— divagatio quando peccatum 670
— affectus excitandi qui 655
— cur multi, religiosi facti, languidiores sint quam ante 654
— curiositas vitanda 656
Ordines clericorum quam antiqui 35
— religiosi a S. Pontifice approbandi 16
— sacri qua aetate et praeparatione olim collati fuerint 37

P

Paenitentia interior duplex 414
— exterior in Societate quomodo assumenda 35. 415
— **ntiae** exterioris utilitates 413
— **ntiae** exteriores Societati liberae 410
Parentum amor triplex 453
— amori amor Dei praeferendus 458
Ad — amorem mortificandum media 456
In — **ntes** naturalis amor temperandus 453
Versanti cum — **ntibus** cautiones 455
Cum — communicatio quae et cur vitanda 454
Passio quid 624
— **onis** Christi dies, cur dicta dies eius desponsationis 90
— initio neglectae detrimentum 121
De — **onum** mortificatione notanda 276. 625
Ad — **ones** animi malas reprimendas media 705

Patientia verae paupertatis comes 184
— am verbo et exemplo Christus docet 89
D. **Pauli** conversio 582
Pauper spiritu quis dicendus 162
Paupertas triplex 161
— Societatis insignis 165. 174. 182
— virtutum nutrix et murus Religionis 173
— professorum et coadiutorum Societatis cuiusmodi 166
— Societatis in quo ab aliorum discrepet 177
— **tatis** voluntariae exempla 161
— praerogativae 169. 179
In — regula ordinanda B. P. N. Ignatii praeparatio 177
— utilitates octo 171
— finis quis 171
— gradus quattuor 180
— abusus multi 184
— verae impedimenta quae 181
In — voto nemo dispensari potest 180
— **tatem** verbo et exemplo Christus docet 89
— et humilitatem maxime commendat Christus 165. 170
Pax cum omnibus habenda 693
— quomodo promoveri possit 694
Peccatum mortale et veniale non differunt intrinsece 426
— veniale perfectionem caritatis impedit 129
— **cati** venialis malitia 427. 439
— **cata** examine et confessione deleta cui comparentur 442
Perfectio quid et in quo consistat 43. 312. 404. 541
— Dei 126
— religiosa in quo consistat 58. 542
— religiosa in mundi contemptu 491
— Societatis in quo consistat 132. 542
— in religioso requisita quae 306
— sita est in caritate 314
— **onis** impedimenta quae 48
— **onem** desideranti necessaria 695
Ad — media quae 113
Ad — cur tam pauci perveniant 312
Perseverantia quanti momenti 706
— in religioso cur exigatur 706
— **tiae** commendatio 134
Philosophorum veterum de Beatitudine opiniones erroneae 680

Pietatis praestantia 91
De S^i **Pontificis** resolutione dubitare temerarium 11
Cur S^o — **fici** reserventur dubiorum resolutio 11
Praecepta a consiliis qui differant 154
Praesentia Dei multiplex 147
— **ntiae** Dei effectus 147. 666
Profectus nostri impedimenta quae 293. 530
Professus et coadiutor formatus sponte discedens quas poenas incurrat 52
— **ssi** Societatis quales esse debeant 56
Progressus in virtute assiduus esse debet 109
Proprietatis in Religione fugiendae remedia 183
Providentia Dei in creaturis 79
Proximum diligere ut se ipsum, quid sit 473
— **mos** iuvandi modus Societatis quis 724
Pudicitia quid 602
Puritas conscientiae religiosae cuiusmodi 104

Q

Quietis religiosae impedimenta quae 471

R

Ratio in homine quid 703
— superior et inferior in quo conveniant et differant 703
— illuminata quae dicatur 705
— **onis** divisio 793
— ab intellectu distinctio 703
— caecitas quam perniciosa 705
— caecitatem impediendi modus quis 705
Recollectionis utilitas 590
Recreatio cur in Societate instituta 613. 740
— vana, causa teporis 124
Regula quid et cur sic dicta 377. 519
— meritum boni operis quantum augeat 392
— nulla, ne minima quidem, spernenda 400
— **ulae** vicesimae primae obiectum 560
— **ulae** quomodo servandae 387
— quo spiritu servandae 388. 521
— quanti fieri debeant 380
— et Constitutiones a Gregorio XIII, XIV et aliis confirmatae 382

regularum observantia quanti momenti 519
— observatio Societatis conservandae medium 387
— neglectus periculosus 385
— divisio 376. 388
— necessitas 373
— utilitates 97. 377. 391. 401
— et Constitutionum causae quae 399
— et Constitutionum discrimen 375
— et Constitutionum finis quis 523
— las et Constitutiones quibus mediis composuit B. P. N. Ignatius 380
— sponte non servantium damna et incommoda 393. 522
Ad — servandas motivum 390
Religio nulla, nisi a Sede Apostolica approbata 11
— schola virtutum 106
— suis dubitantibus quomodo consulat 95
— **onis** etymologia 125
— perfectio unde aestimanda 483
— praestantia unde aestimanda 95
— spiritum quisque sequi debet 399
— **oni** cuique peculiaris inest gratia vocationis 143
— **ones** quantopere impugnatae 259
— **onum** unde tanta diversitas 10. 482
Religiosus status cur institutus 297
— res Deo sacra 134
— est Deo holocaustum 64. 135
— continuo tendere debet ad perfectionem 92
— fervens etiam minuta magni facit 289
— **osi** oblatio cuiusmodi esse debeat 12
— status utilitates quae 92
— quanta felicitas 136
— **oso** cum votis tria necessaria 135
— **osi** cur Regulares appellentur 10
— imitari debent negotiatores 290
— Societatis non monachi, sed clerici appellantur a Concilio Tridentino 12
— **osorum** Societatis et saecularium antithesis 69
— divitiae cuiusmodi esse debeant 286
— incitamentum aulicorum industria 70
Remissio spiritus quam perniciosa 286
— **onis** animi causae quae 122
Renovare vota Societati proprium [Cfr. s. v. Votum] 278

renovantium vota diversa dispositio 271
— **ati** animi indicia quae 283
Renovatio votorum quid sit 266
— **onis** votorum causa et necessitas 267. 278
— finis quis 272. 284
Ad — **onem** votorum quae praevia praeparatio 304
Resignatio quid 553
— Societati maxime propria 554
— perfecta quid requirat 553
— **onis** cur maxima in Societate necessitas 558
— gradus quot et qui 556
— utilitas quanta 556
Ad — **onem** conciliandam quid agendum 558
Risus qui prohibeatur 615
—, praesertim religiosi Societatis, moderatus esse debet 741

S

Sacerdotis officium quod 40, 43
— officium quid requirat 45
Sacrorum profanatio Deo exsecrabilis 134
Sal olim amicitiae signum 502
Salus animae in quo posita, et quot sanitatis gradus 305. 404
Sanctitas quid sit dici nequit 679
— huius ac futurae vitae quomodo acquiratur 681. 686. 697
Ad — **tatis** receptionem quae requisita dispositio 128
Sancti huius vitae cur ita vocentur 681
— **torum** diversitas triplex 688
In — festis consideranda et facienda 687
— **tum** quid. (vid. Sanctitas...) 679
Quod a **Scholasticis** Societatis retineri possit dominium bonorum, eorum vero usus et distributio pendeat a Superiore, non adversatur religiosae paupertati 178
Scrupuli in confitendo unde procedant 432
Scrupulosus ad quam sui abnegationem teneatur 501
Securitas ad lapsum facilis 122
Sensualitas mortificanda 215. 508
Sensus animae portae 277
— externi, per quos et interni mortificandi 696
— **uum** diligens custodia 215
Silentium quid 628

silentium duplex 628
— Societatis cuiusmodi 32. 629
— Philosophorum 637
— cordis, oris silentio praestantius 631
— **tii** utilitates quae 629. 636
— exempla 631
Ad — **tium** internum acquirendum media 632
— **tio** tegenda quattuor 629
Similii Romanorum ducis dictum praeclarum 591
Singularitas in communitate fugienda 353
Sobrietas necessaria 608
— **atis** utilitates 609
— acquirendae media 608
Societas a B. P. N. Ignatio cur sic dicta 78
— cur minima vocetur 78. 402
— a Sede Apostolica approbata 11
— pro suis muniis nihil recipit 175
— quibus aliquando persecutionibus a Deo probata 734
— Arcae foederis comparatur 484
— daemoni odiosa 46
— unione animorum mire roboratur 501
— qua aetate adulescentes admittat 37
— unde quibusdam invisa 12
— cur chorum non habeat 40
— perfectionem religiosam et vitam communem cur combinet 28
— ab omnibus quanti fiat 308
— cur tertium probationis annum habeat 531
— quos, quomodo, quibus de causis dimittat 51
— **tatis** praestantia unde aestimanda 483
— disciplina suavis 486
— disciplina cur quibusdam aspera 485
Ad — bonam disciplinam retinendam documenta 688. 738
— ducem cur Deus voluerit esse militem 394
— vivendi ratio cur communis 409
— gubernandi modus 142
— media ad perfectionem propriam 60
— varii gradus et officia 18. 49
— munia secundum suum spiritum exercenda 370
— membra unum corpus integrant 61
— operarius in iuvandis proximis cuiusmodi esse debeat 725. 731
— operario quae necessariae virtutes 729

societatis Religionem Conc. Trid. in quo ab aliis distinguat 263
— Institutum quod 10
— laus 27. 58
— fructus cur in Ecclesia tanti 28
— comparatio cum Ecclesia 19
— cum gloria caelesti comparatio 694
— auctoritas et gratia vocationis quanta 143
— hac misera tempestate vigor 737
— **tati** bona fama utilis et necessaria 493
Ad — **tatem** quos non admiserit aut retinuerit B. P. N. Ignatius 351
De — **tate** quam praeclare Conc. Trid. senserit 12
Socii possintne discedere a Societate sine peccato 51
Sperare in terrenis est de Deo desperare 173
Spiritu Societatis omnes actiones regulari debent 133. 688
Status noster quid requirat 125
— **tum** nostrum Deo iuvante ardenter amemus 119
Subditorum erga superiores officium quod 398
Superbia Alexandri a Diogene repressa 246
Contra — **iam** remedia 549
Superioris directione cur standum 143
— **ori** ut Deo parendum 137
— **ores** cur honorandi 139
— **orum** Societatis in subditos quanta caritas esse debeat 397
— officium quod 94. 139
Suspicio quid 717. 718
— et iudicium temerarium in quo differant 717
— **onis** radix quae 718
— gradus triplex 719
Contra malam — **onem** remedia 721

T

Temporis stricta ratio habenda 693
Tentare quid 512
— **at** diabolus variis modis 512. 576
— **ari** utile 579
Ad — **ndum** quid moveat diabolum 576
— **atorum** cura Superiori peculiaris esse debet 490
Tentatio quid 572
— triplex f 463
— **onibus** carnis initio occurrendum 196

Ad **tentationes** superandas remedia 514. 580
Tentatores varii 573
Tepiditas quid 115. 561
— **tatis** in servitio Dei causae quae 115
— effectus 116
Tepidorum gradus quis pessimus 116
Teporis remedia 117
Timor virtutum custos 122
— Dei reverentialis 75
Tranquillitas animi sedulo conservanda 692
Tribulatio utilis et necessaria 691

U

Unio cum Deo 563
— cum Deo quid sit et quibus modis fiat 4
De — **one** cum Deo Philosophorum veterum praeclarae sententiae vacat.
Usus rerum continuus quantum religioso noceat 181

V

Velle bonum propter bonum finem quot modis fiat 710
Verecundia quid et quotuplex 206
— **iae** encomium 206
Vestes Christi nobis induendae 496
Victus et **Vestitus** ratio cur Societati communis 410
Virgam correctionis qualem habeat Societas 486
Virgines Angelis aequales et quodammodo superiores 210
Virginitas quid et unde dicta 190
— amissa quae recuperari possit 190
— **atis** praerogativae 205
— **ati** cedit matrimonium 219
Ad — **atem** perfectam duo necessaria 191
Virtus quid 29. 526
— latere non potest 91
— omnes in sui amorem rapit 350
— lacrimarum 676
— **utis** divisio 526
Acre — studium Societatis proprium 168. 532
— individuus comes labor 288
— **uti** acquirendae tria necessaria 529

virtutes Societati pernecessariae quae 529
— solidae acquirendae 527
— cardinales cur sic dictae 528
— R. P. Gen. Claudii Aquavivae 2. 62
— **utum** effectus qui 526
— **utes** omnes quomodo Societas amplectatur 33
Visionis beatificae delectatio quanta 686
Vita Christi in quibus maxime eluxerit 84
— activa et contemplativa 44
— mixta ceteris perfectior 59. 483
— **tae** communis in Societate ratio 40. 739
— **ta** communi Societatis abutendum non est 68
Vocatio nostra ad Societatem quam mirabilis in. 366
— **onis** gratia quae dicenda 525
— beneficium cotidie agnoscendum 280
— in memoriam revocatae effectus 368
— nostrae magnitudo 20
— amor quomodo in nobis excitandus 309
De — **one** cum nullo disputandum 93
De — cum diabolo non est disputandum 486
— **ones** diversae multorum 21
Vocatos a se Deus non deserit 97
Voluntas naturalis quae 709
— solo Deo perfecte saturatur 701
— animalis quae 709
— rationalis quae 709
— rationalis ut mereatur, quas requirat condiciones 710
— remissa quae 710
— bona radix bonorum operum 295
— recta omni malo resistit 711
— et actus, quod ad meritum vel demeritum, in quo conveniant et differant 713
— **atis** obiectum bonum 700
— triplex effectus et nomen 709
— bonae seu rectae utilitates 713
Ad rectum — usum iuvat Christi exemplum 712
— **ati** bene dirigendae quae necessaria 292. 528
In sola — **ate** rationali meritum est vel demeritum 709
Votum quot modis fiat 154
— quid essentialiter includat 154

votum a consilio qui differat 154
— auget meritum 156. 270
— sollemne verba includit, non autem simplex 158
— **ti** etymologia 154
— condiciones quae 154. 158
— violatio quantum peccatum 270
— **ta** in Religione cur edanter 155. 298
— indiscreta cur non servanda 158
— caritatis perfectae impedimenta tollunt 315
— sollemnia a simplicibus qui differant 54. 263
— simplicia Societatis faciunt vere et perfecte religiosum 260
— simplicia a Gregorio XIII approbantur 263
— simplicia Societatis quantum impugnentur 258
— renovare publice quorum sit 287. 302
— cur quotannis renovet Societas bis 281. 298
— **torum** renovatio cur publice fiat 281
— utilitas 159
— vis cuiusmodi 65

Z

Zelus Christi Domini quantus 66
— honoris Dei 71. 82
— **li** honoris Dei indicia quae 282

060.23
M312
6320

MANARAEUS, O.

AUTHOR

Exhortationes super Instituto et

TITLE Regulis Societatis Jesu

DATE LOANED	BORROWER'S NAME	ROOM NUMBER
Jul 22	J J Maher	×
	Pecia	FEB 22
	Malone	" 45
	C Walsh	JAN 17
	McDermott	NOV
	Connell	
	Fr. Crain	
	Moyalg	
	Gill	
	STO	

6320